150
D

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
97 I
34

Q 1.7.

Digitized by Google

[illegible]

Q 14

R. P. F.

PHILIPPI DIEZ

LVSITANI,

ORD. MIN. REGVL. OBSERVANTIAE PROVINCIAE SANCTI IACOBI,

SVMMA PRAEDICANTIVM

Ex omnibus Locis Communibus locupletiſs.

TOMVS PRIMVS.

Aduerte candide Lector, omnia, quæ in hac Summa, maximo cum labore ob Chriſti Ieſu amorem, & proximorum vtilitatem accumulaui, omnino diuerſa eſſe ab ijs, quæ in Libris Concionum à me dudum editis habentur, vti experimento poteris comprobare. Modus autem, & via, qua ex ea vtilitas elicienda ſit, in ſequenti folio demonſtratur.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Ioannem Baptiſtam Saluagum, Lunenſem, ac Sergianenſem Epiſcopum.



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

VENETIIS, Apud Ioannem Florinam.

M D X C I.

PERILLVSTRI
MO
ET REVEREN. VIRO
IOANNI BAPTISTAE
SALVAGO LVNENSI,
Ac Sergianenſi Epiſcopo.

Antonius Orerius S. P. D.

QVI ea litteris produnt, quibus homines doctiores, aut meliores fiant, eos de humano genere bene mereri inter omnes conſtat; iiſque præcipuam deberi laudem, qui aliquid egregium, quod ſaluti animarum conducat, elaborarunt. quod, ſi quis alius, Philippus Diez hac tempeſtate præſtitit; vt cùm plurimi eius libri, qui omnium manibus teruntur, tùm hic, opus planè aureum, qui Summa Prædicantium inſcribitur, haud ita pridem ab eo compoſitus teſtatur; quem

cum maximo ſtudioſorum plauſu exceptum animaduerterem, eorum commodo quantum in me eſt, conſulere cupiens, imprimendum curaui. Cum autem alicui magno viro, cuius commendatione etiam gratior prodiret, dicare ſtatuiſſem, quem tecum conferre poſſem, habui neminem: cum enim ſis ex antiquiſsima & nobiliſsima familia natus, quæ clariſsimis viris ſemper floruit, tecum illud verum reputans; PERIT omnis in illo Gentis honos, cuius laus eſt in origine ſola; prudentia, pietate, omnibus denique egregijs artibus eum te præbes, vt ei plus decoris afferas, quàm ab ipſa accipias. Vnde ſit, vt nemo ſit adeo iniquus, atque inuidus, quin te magnopere admirari, colere, ac ſuſpicere cogatur. Sixto V. certe Pont. Max. acerrimi iudicij viro adeò probatus fuiſti, ut te adhuc adoleſcentem magnis præfecerit vrbibus, quibus tanta æquitate, atque integritate præfuiſti, vt quam de te opinionem conceperat, eam longo interuallo ſuperaris. Quamobrem cum nullum eſſe tantum onus, quod ſuſtinere non poſſes, intelligeret, & annali lege ſolutum ampliſsimo Lunenſis, et Sergianenſis Epiſcopatus ſacerdotio ornandum putauit: in quo ita te geris, vt facilè appareat, te, modò Deus adſit,

ad ea, quæ ſumma exiſtimantur, euolaturum. quod omnes, qui te norunt, votis omnibus à Deo petunt, & in primis ego, quem non ſolùm in tuorum clientum gregem, quæ tua eſt humanitas, recipere, ſed etiam ornare, atque magnis commodis augere non es grauatus. Quare nolim exiſtimes, me hunc librum muneri ad te mittere, vt, quod non opis eſt noſtræ, tuorum erga me meritorum gratiam tibi referam; ſed potius, vt grati animi, meæq; in te pietatis perpetuum extet monumentum. Vale, ac tibi perſuade, me in tuo ære ſemper futurum. Genuæ Pridie Kalendas Ianuarij M D LXXXXI.

MODVS ET VIA QVA TYRONIBVS concionatoribus ex hac Locorum Communium ſumma vtilitas elicienda ſit.

HIS, qui in ſacroſancto prædicationis miniſterio diu, multumq́; verſati ſunt, ex omnibus huius ſummæ materiis fructus carpere, & commodum educere facillimum erit: qui autem in hoc ſanctiſſimo munere parum ſe ſe exercuerunt, hac poterunt induſtria, & veluti ſtratagemate vti, videlicet, quòd cum ad populum concionari voluerint, prius concionem illam, quam habere intendunt, in noſtris ſermonariis perattente legant; & conceptus, ſeu conſiderationes, quas abundanter ibi reperient, ex huius ſummæ materiis reficiant, ac quodammodo repleant: & ſic re ipſa alias longe diſſimiles conciones ab his, quæ ibi ſcriptæ reperiuntur, conficient, & formabunt. Itaque ſi de miſericordia, vel de patientia, aut de aliis id genus in concione habenda pertractare voluerint, loca quę in hac ſumma de illis materiis agunt conſulant: & ibi quid eligant, ampliſſimè reperient. Atque ita ſemper varia, & quæ maxime inter ſe differant, ne auditoribus faſtidium generent, poterunt facillimo negotio prædicare.

FRATER FRANCISCVS ALDRETE PROVINCIAE SANCTI IACOBI,

ORDINIS MINORVM, regularis Obſer. Miniſter Prouincialis,

DILECTISSIMO PATRI IN DOMINO, FRATRI PHILIPPO DIEZ, egregio verbi Dei concionatori. S. D.

DIVINVS ille Ieſu Chriſti Apoſtolus in Euangelium Dei gentibus deferendum ſegregatus, priori, quam ad Timotheum ſcripſit epiſtola, presbyteros duplici honore dignos haberi iudicat, eos potiſſimum, qui in verbo, & doctrina fideliſſime laborant: nec immerito quidem, cum veritas ipſa illos præ cæteris magnos in eccleſia Dei proteſtetur, qui non ſolum doctrinæ, verum etiam operibus ipſi doctrinæ conſonis diligentiſſimè ſtudent: Quod cum ita ſit, nullus profecto eſt, qui te hoc tanto præmio dignum eſſe non arbitretur. Peragratis enim quàmplurimis ac nobilibus Hiſpaniarum locis, Dei eccleſiam, & ſplendore ſapientiæ, & vitæ integritate olim proculdubio illuſtraſti: nunc autem eidem negotio intendens, eodem ſanctitatis zelo, & ingenti charitatis ardore flagrans vltima bonæ ſenectutis ætate vigente, ne poſteros tanto beneficio orbatos relinqueres, quæ viuens in ſuggeſtis propoſueras, in lucem edere voluiſti. Denique opus illud titulo locorum communium à te nuperrime elaboratum, vt prælo mundari liceat, tibi, & libentiſſimè concedimus, & te exoratum cupimus. Fœliciter valeas. E Cœnobio noſtro Salmaticenſi, Idibus Aprilis. 1588.

Frater Franciſcus Aldrete
Miniſter Prouincialis.

APPROBATIO DOCTISSIMI PATRIS FRATRES DOMINICI BAÑES

Primariæ Theologorum Cathedræ in Academia Salmaticenſi præfecti.

HANC Locorum Communium ſummam ab egregio admodum concionatore Fratre Philippo Diez ordinis Minorum elaboratam, attentiſſime perlegi, & in ea præclara multa, ſcituque digniſſima, necnon quàmplurima ſacræ ſcripturæ myſteria recondita omnibus verbi diuini concionatoribus vtiliſſima, & ad prauos hominum mores in meliorem vitæ normam reducendos inueni. Ex ea nanque quilibet concionator tanquam ex amœniſſimo topiario diuerſis herbis, ac fructuoſis arboribus conſito, odoriferos, ſuaues, & vtiliſſimos flores carpere valebit: ex ea etiam quicunque peccator tela fortiſſima, atque efficaciſſima remedia ad ſpiritualis hoſtis nequitias ſuperandas poterit depromere. Quapropter cum opus hoc, ſicut & alia huius euangelici prædicatoris ſcripta, non ſolum ſapientiam, doctrinam, ac variam eruditionem; ſed etiam ſpiritualem meditationem, contemplationem, & ſanctitatem redoleat, dignum iudico, vt ad omnium commodum, atque vtilitatem in lucem prodeat, & literis nunquam perituris mandetur. In cuius rei fidem hæc propria manu ſubſcripſimus. Tertio Calendas Ianuarij. Anno 1588.

Frater Dominicus Bañes.

INDEX EORVM QVAE IN HAC SVMMA CONTINENTVR.

A

ABſtinentia,pag.1.2.3
Adoleſcentia,pag. 4
Adoleſcentes.pag. 6.
Adoratio quid ſignificet. pag.10
Adorationis definitio. pag. 12
Aduentus Domini efficaciſſimis rationibus probatur & quòd Meſſias ſit uerus Deus à pag.13.per totum vſq; ad pag.29
Adulatio.pag.29
Ambitio.pag.32
Amicitia.pag. 38
Amor Dei erga hominem miris rationibus, locis ſacræ ſcripturæ, & ſimilitudinibus probatur & declaratur à pagina.41. uſque ad paginam.48
Amor hominis erga Deum quam plurimis modis docetur & eximijs laudibus extollitur à pag 48. uſque ad pag.63
Amor proximorum notabilibus multis explicatur & commendatur à pa. 64. uſque ad pag.70
Amor patriç,pag.70
Amor inimicorum efficaciſſimis medijs ſuadetur à pa. 70.vſq; ad pa.85
Angeli.pag.85
Angelorum numerus innumerabilis. pag.89
Angelorum cuſtodia.pag.90
Apoſtoli Domini. 91
Apoſtolorum fortitudo.93
Apoſtolorum dignitas.pag. 94
Apoſtoli comæ Chriſti dicuntur. pag. 96
Apoſtoli res & ſtillæ uocantur. pagina 97
Apoſtolorum prædicatio,pag.98
Apoſtolorum uocatio.pag. 99
Aſcenſio Domini.pa.100
Aſcenſionis Domini altiſſima myſteria & ſubtiliſſimæ quæſtiones tractantur à pag.100. vſque ad pagi. 108
Aſcenſionis Domini modus. pagina. 109
Aſcenſionis Domini fructus. pagina 111
Auaritia maximum malum eſt. pagi. 113
Auaritiá facit auarum inſanabilem. pag.116
Auaritia quaſi ignis nulla re corporali extinguitur.pag 117
Auaritiæ Pæna ſolet eſſe uitæ abbreuiatio,pag.119
Auaritia error Balaam appellatur, pa. 120
Auaritia fuit ruina Synagogæ. pagina 121
Auxilium dei paratiſſimum eſt pa.123
Auxilium dei duplex eſt. pa. 124

Auxi-

Auxilium dei cum libero arbitrio concurrit. pag. 125
Auxilij dei neceſſitas pa. 127
Auxilia dei aliqua aliquando uidentur deeſſe iuſtis pa. 127

B

Beatitudo quomodo conſequitur, pag. 130
Beatitudo ob ſui excellentiam abſolute dicitur uita pag. 132
Beatitudo uim patitur pag. 133
Beatitudo gratiæ, & meritis iuſtorum proportionatur pag. 135
Beatitudinis qualitates, & excellentię a pagina. 135. vſque ad paginam 139
Beatitudo, ſatietas, & ebrietas dicitur, pag. 139
Beatitudo quare multis rebus comparatur pag. 141
Bellum inter corpus, & animam pag. 142
Bellum ſpirituale aduerſus principes tenebrarum pag. 144
Bellum ſpirituale continuum eſt iuſtis pag. 145
Bellum ſpirituale terribile pag. 147
Bellum ſpirituale omnibus iuſtis commune eſt pag. 149
Bellum ſpirituale quid habet ſolaminis pag. 152
Bellum corporale pag. 155
In bello corporali non in ſuis uiribus milites fiduciam habeant pag. 157
In bello corporali multoties deus pro ſuis ſeruis pugnat pag. 158
Belli labores & mala non caſu, ſed dei ſolent eſſe flagella pag. 159
Ad bellum iuſtum quid requiritur. pa. 159
Duæ integrę conciones habentur a pagina. 160. uſque ad pagi. 165

C

Carnis maceratio pa. 165
Carnis maceratio commendatur ab apoſtolo. pag. 166
Carnis macerationis utilitas. pag. 166
Carnis maceratio præfigurata, & multis rationibus exaggerata pagi. 167
Carnis macerationis neceſſitas. pagi. 168
Carnis macerationis defectus animam carnalem reddit. pag. 170
Carnis macerationis optimum exemplum. pag. 170
Carnis macerationis perſeuerantia. pagina 171
Carnis macerationis modus. pagina 172
Caſtitas maximé commendata pagi. 172
Catherinę ſanctæ laudes pag. 174
Ceremonię pag. 176
Charitas pag. 179
Charitatis effectus pag. 179
Charitas omnium uirtutum finis eſt pagina. 180
Charitas ueſtis eſt nobiliſſima pagi. 181
Charitas cum zelotypia non coniungitur pag 183
Charitas Chriſti pag. 185
Charitas quare faſciculus myrrhæ dicatur pag. 187
Charitas quare languor, & morbus dicatur pag. 188
Charitas fons gratitudinis pag. 190
Ad charitatem nos debemus inuitare pag. 191
Chriſtianus & quæ ſub nomine hoc ſignificantur pag. 195
Circunciſio domini, eximiaque myſteria, quæ ad illam pertinent, & de ſaciatiſſimo nomine Ieſu tractantur à pag. 197. vſque ad pag. 208.
Clauſura pag. 208
Clauſura ſeniuum pag. 210
Cogitatio pag. 211
Cogitationem cordis humani ſolus Deus cognoſcit pag 211
Cogitatio praua à natura corrupta procedit pag. 211
Cogitatio praua radix mali eſt. pagina. 212

Co-

Cogitationes luxurioſæ quare repellendæ ſunt pag.213
Cogitationis otioſitas pag. 213
Cogitatio inutilis pag. 214
Cognitio dei per creaturas pag.215.& 220
Cognitio dei cauſa eſt amoris ipſius, pag.216
Cognitio dei per opera redemptionis, pag.217
Cognitio ſui ipſius cauſa eſt humilitatis pag.221
Cognitio ſui ipſius optimos effectus producit pag.223
Cognitio ſui ipſius maxime neceſſaria pag.223
Concio quàm neceſſaria pag.225
Concionis ſuauitas pag.226
Concionator imitator dei debet eſſe, pag.227
Concionatoris eloquentia, pagina. 228
Concionator quare uocatur canis.pa. 229
Concionatoris vita.230
Concionatoris opera.231
Concionatoris finis.234
Concionatoris prudentia.235
Concionatoris fidelitas.236
Concionatoris munus præclarum, 237
Concionatoris neceſſitas. 237
Concionator prius faciat, quàm doceat.238
Concionatoris zelus & deſiderium, 240
Concionatoris pigritia, aut audacia. 241
Concionatoris prudentia & zelus, pa. 241
Concionis auditor cum præparatione accedat.242
Concionis auditor ad quid attendere debet pa.242
Concionis auditor ad curioſitatem. 244
Concionis auditoris inobedientia.pa. 245
Concionis auditor auidus.246
Confeſſio ſacramentalis.247
Confeſſio ſine excuſatione.248
Confeſſio integre & cum feſtinatione eſt facienda. 249
Confeſſio eſt quędam ultio. 250
Conſcientia.252
Conſcientia pura.252
Conſcientiæ malæ remorſus.254
Conſideratio diuinorum myſteriorum 255
Conſiderationis optima ſimilitudo. 256
Conſilium ſemper neceſſarium,& ſalubre 256
Conſortium bonum.257
Conſortium prauum.258
Conſortium peruerſarum mulierum 259
Conſortium prauum, ſiue bonum. 260
Conſortium prauum fugiendum.pa. 261
Circa conſortium quid dixerunt philoſophi.262
Conſuetudo mala.263
Conſuetudinis peccandi peſtiferi effectus.264
Conſuetudo peccandi pernicioſa. pa. 264
Conſuetudini peccandi difficile medetur.267
Contemplatio quid ſit.268
Contemplationis effectus.269
Contemplatio vitæ Chriſti redemptoris noſtri.270
Contemplatio uitę Chriſti dulcis & ſuauis.271
Contemplatio vitæ Chriſti inflammans.273
Contritio 275
Correctio fraterna.277
Correctionis fraternæ obligatio. pag. 278
Correctiones fraternæ quales.280
Correctio fraterna libenter ſuſcipienda 281
Conuerſio peccatoris Deo requirente ſit.283
Conuerſio peccatoris unde oritur.284

Con-

Conuerſio peccatoris uera. 284
Conuerſio non differenda. 285
Conuerſio peccatoris à Deo procurata. 287
Conuerſio peccatoris opus Dei admirabile. 287
Conuerſio peccatoris animam ditat. 288
Conuerſionis peccatoris prolongatio. 288
Conuerſio peccatoris potenti uirtute Chriſti fit. 290
Cordis durities. 290
Cordis duritiei effectus. 292
Cordis durities periculoſiſſima. 295
Cordis munditia. 298
Cordis perturbatio. 300
Crux. 301
Crucis altiſſima myſteria, excellentiæ & fructus tractantur à pa. 301. uſq; ad pa. 308
Pro crucis inuentione. 308
Pro crucis exaltatione. 309

D

Delitiæ mundi. 316
Delitiæ carnales. 317
Deſideria ſancta oportet quòd ſint efficacia. 316. & 322
Deſideria ſancta ſiti comparantur. 318
Deſideria ſancta adiuuanda ſunt bonis operibus. 319
Deſideria ſancta præcipue in iuſtis reperiuntur. 321
Deſperatio. 322
Deſperatio hominis impij. 323
Detractio. 324
Detractores quàm pernicioſi ſint. 325
Detractores nimis Deo odibiles. 327
Detractio ſeu detractores à ſanctis doctoribus execrantur. 328
Deuotio. 329
Deus unus, & trinus & nomen Deus quid ſignificet. 330
Circa hoc myſterium maxima ignorãtia eſt in multis Chriſtianis. 333
De nomine Dei Elohim, & quomodo per illud Beatiſſima trinitas inſinuatur. 333
Exhortatio pro myſterio beatiſſimę Trinitatis. 334
Diabolus & aſtutia eius. 337
Diligentia in operatione uirtutũ. 340
Ad diligentiam hanc duo ſunt quę magis mouent. 341
Diligentia continuo floret in iuſtis. 342
Diligentia in operatione uirtutum cũ diuino fauore fit. 343
Diligentia ſatis à doctoribus commendatur. 345
Diligentia in operatione uirtutum nimis Deo grata eſt. 346
Diligentia in operatione uirtutum ad cumulum perfectionis adducit. 347
Diligentiæ in operatione uirtutum mirabiles effectus. 348
Diuitiæ & qualitates eius peſſimæ. 350
Diuitiæ poſſeſſæ ab iniquis. 353
Diuitiæ contemptæ à iuſtis. 354
Domini potentes. Vide literam P. titulo potentes tyranni.

E

Eccleſia & Eccleſiæ fortitudo & firmitas. 358
Eccleſia multis rebus ſimilis dicitur. 359
Eccleſiæ dedicatio & quàm plures notabiles Euangelij, quæ declarationes tractantur à pag. 357. vſque ad 366
Educatio & inſtitutio puerorum. 366
Educatio filiorum. 368
Educatio filiorum non conuenit cum maledictione. 369
Educatio filiorum ingenti cura eſt facienda. 369
Educationis filiorum optimum exemplum oſtenditur in S. Iob. 371
Educatio filiorum quam grata ſit Deo manifeſtatur in Sancto Iob. 372
Educationis filiorum exemplum poteſt accipi a Lacedæmonijs. 373
Electio prelatorum, uel magiſtratuum 374

Electio nō de indignis debet fieri.375
Electio ſi fieri poſſit de ſenioribus & grauioribus eſt facienda.376
De electionis modo & circumſtantijs multa præclara reperiuntur à pag. 377 uſque ad 381
Eleemoſyna.381
Eleemoſyna de ſacro eloquio commēdatur.382
Eleemoſynæ ſingularis effectus.383
Eleemoſynam tribuentis prærogatiua. 384
Eleemoſynæ excellentia. 384
Eleemoſyna à tribus oritur.386
Eleemoſyna à ſanctis doctoribus laudatur.388
Eloquentia.392
Eloquentia ſanctorum in quo conſiſtit 393
Epiphania Domini, & eius profunda myſteria, annotationeſq; circa eam quàmplurimę tractantur à pa. 395 uſque ad 390
Euangelium & uirtus eius vnde exierunt.400
Euangelium ſiue lex Domini pluribus nominibus nuncupatur.401
Euangelium, ſiue lex Dei, ſuaue.402
Euangelij ſiue legis Dei plures effectus.404
Euangelium ſiue lex Dei quare iugum uocatur.407
Euchariſtia opus ſingulariſſimi amoris.409
Euchariſtiæ admirabile myſteriū.412
Euchariſtia ſingularis inuentio Dei. 416
Euchariſtia ſignum diuini amoris.418
Euchariſtia quomodo recipienda.420
Euchariſtia à ſanctis doctoribus commendata. 421
Euchariſtiæ exhortatio 423
Euchariſtiæ exhortatio.431
Euchariſtia memoriale Dei 437
Euchariſtiæ figura. 438
Euchariſtia amore & honore maximo complectenda.439
Euchariſtia qua cordis puritate ſumenda ſit.442
Euchariſtia quare manna uocatur. 443
Exemplum bonum omnibus Chriſtianis præceptum.445
Exemplum bonum nimis efficax eſt, 446
Exemplum bonum in omnibus neceſſarium.447
Exemplum bonum à ſanctis doctoribus laudatur.448
Exemplum bonum maiorum.449
Exemplum bonum coram omnibus ponendum.450
Exemplum malum Dominorum. pa. 450
Exemplum malum omnibus interdicitur. 451
Exemplum malum prælatorum. pag. 452
Exemplum malum grauiter punitur. 452

F

Feſtus dies.454
Fides quando rationibus roboranda eſt.456
Fides traditionum. 457
Fidei eſt donum Dei.458
Fidem iuſti hominis quomodo Deus probat.
Fidei confeſſio.459
Fidei mediatoris omnibus neceſſaria. 460
Fides magnum eſt Dei beneficium. 461
Fides à ſanctis doctoribus commendatur.462
Fidei myſteria non ſunt curioſius ſcrutanda.465
Defferentia inter articulos fidei noui & ueteris teſtamenti.467
Fidei definitio.468
Fidei amiſſio.468
Fidei efficacia.469
Fiducia quid ſit.471
Fiducia in bonitate Dei fundatur. 472
Fiducia in chirographo Dei fundatur. 472

Fiduciꝫ cauſa.474
Fiduciæ ratio.475
Fiduciꝫ exemplum.476
Ad fiduciam inuitatio.576
Fortitudo commendata.477
Fortitudinis definitio.478
Fortitudo auferri ſolet propter peccata.479
Fortitudo animæ aſſimilatur curribus Pharaonis.480
Franciſci patris noſtri encomia.481
Pro ſacris ſtigmatibus Beati Patris noſtri Franciſci.pag.758. & 766
Ad declarationem literꝫ ſancti Euangelij huius feſtiuitatis multa traduntur à pag.487. uſque ad 493.
Furtum.493

G

GLoria inanis.494
Gratia Dei.497
Gratia iuſtificans,& gratia gratis data. 498
Gratia præueniens exponitur litera V. titulo,uocatio Dei, notabili ante penultimo,
Gratiæ incertitudo maximi emolumẽti cauſa eſt iuſto.499
Gratiæ incertitudo non in omnibus ꝫqualis eſt.500
Gratiæ incertitudinem ſtultum eſt negare.401
Gratiꝫ incertitudo compatitur cum fiducia quod quis eam adeptus eſt. 502
Gratiarum actio. 505
Gratitudo beneficiorum. 506
Gratitudo beneficiorum quomodo generatur.507
Gratitudo beneficiorum ex conſideratione eorum oritur,& amoris inflammatio.510
Gratitudo beneficiorum admirationẽ in anima producit.511
Gratitudo beneficiorum verecundiam in iuſto operatur. 512
Gratitudinis exemplum. 513
Gula fons eſt omnium uitiorum. 514.
Gula à ſacris doctoribus execratur 515
Gula maxime deteſtanda eſt. 517
Gula origo eſt multorum malorum. 517
Gula uirtutum ſubuertrix eſt. 518

H

HYpocrita ſcirpo abſque humore comparatur.520
Hypocritæ fundamenta & radices quꝫ ſunt.521
Hypocrita contrarius eſt ſimplicitati iuſtorum.522
Hypocriſis & propietates eius deſcribuntur.523
Hypocriſis nimis fugienda.525
Hypocriſis à ſacris doctoribus deteſtatur.525
Pro hypocriſi ſimilitudines. 527
Hominis fragilitas & impotentia.529
Honor debitus parentibus. 531
Honor proximis debitus. 535
Hoſpitalitas.536
Humilitas.537
Humilitas comparatione melioris augetur.539
Humilitas uirtus acquiſita eſſe ſolet multoties. 540
Humilitas quomodo probatur. 541
Humilitas conuerſis maxime neceſſaria.542
Humilitas quomodo acquiritur. 543
Humilitas Dæmones ſuperat.544
Humilitas quomodo cõſeruatur. 545
Humilitas à ſacris doctoribus commendatur.546
Humilitas omnia bona Deo tribuit. 547

I

IAcobi Apoſtoli laudes. 551
Ieiunium quadrageſimale,& de eius antiqua inſtitutione.553
Ieiunij comes eſt oratio 555
Ieiunium à ſacris doctoribus commendatur.

datur. 556
Imitatio Chriſti. 558
Imitatio Chriſti diuerſimode exercetur. 559
Imitationis Chriſti vtilitas. 560
Imitatio Chriſti ubi eximie docetur. 561
Imitatio ſanctorum. 563
Imitatio ſanctorum maxime neceſſaria prælatis. 564
Imitatio ſanctorum quomodo palæſtris aſſimilatur. 565
Incarnatio uerbi diuini. 567
Incarnatio amoris diuini fuit admirabilis manifeſtatio. 568
Incarnatio uerbi maximam in hominibus generauit fiduciam. 570
Incarnatio uerbi diuini nimis fructifera fuit. 571
Incarnatio uerbi diuini conuenientiſſima fuit. 572
Incarnatio uerbi diuini pura gratia fuit. 573
Incarnationis Domini notabilis ſermo. 575
Inconſtantia. 581
Inconſtantia maximum malum. 581
Inconſtantia expectatis oritur. 584
Infernus. 585
Infernus à ſanctis Prophetis ignis deuorans nuncupatur. 586
Infernus qualiter à ſanctis Doctoribus deſcribitur. 587
Infernus quare calix nuncupatur. 588
Infernus quare ſine ordine dicitur. 590
Inferni quę pæna maior. 591
In inferno de quibus recordantur damnati. 592
In inferno uitia ſpiritualia uigent. 592
Ingratitudo. 593
Ingratitudo beneficiorum maxime apud potentes uerſatur. 594
Ingratitudo hominis unde euidenter comprobatur. 595
Ingratitudo hominem deteriorem brutis facit. 596
Iniuria. 597
Intentio bona. 599
Intentio bona in paucis reperitur. 599
Intentio bona plurimum bonis operibus confert. 600
Inueſtigatio Dei. 602
Inueſtigatio Dei multiplex. 603
Inuidia. 604
Inuidia à ſanctis doctoribus deteſtatur. 604
Inuidia maximum tormentum. 606
Inuidia malum pertinax. 607
Ioannis Baptiſtæ encomia. 608
Ioannis Baptiſtæ optimum ſimile. 615
Ioannis Baptiſtæ martyrium. 616
Ioannis Euangeliſtæ martyrium. 617
Ioannis Euangeliſtæ ſingulare nomen. 618
Ioannis Euangeliſtæ encomia. 619
Ira 620
Ira effigiem Dæmonis imprimit in homine. 621
Ira hominem extra ſe exire facit. 621
Ira à ſacris doctoribus & Ethnicis execratur. 622
Ira paſſio eſt indita à Deo noſtræ naturæ. 624
Iudex. 626
Iudex conſtans & plenus fortitudine eſſe debet. 627
Iudex executiuus oportet quod ſit. 628
Iudex immunis à paſſione ſit. 629
Iudex non ſit cupidus. 630
Iudex improbus dure punietur. 631
Iudex ignauus multorum malorum cauſa eſt. 631
Iudex ſiue Rex iniquus ruina eſt populi. 632
Iudex præditus zelo multorum bonorum cauſa eſt. 634
Iudicum inſtructio. 635
Iudicia Dei incomprehenſibilia. 636
Iudicium extremum. 637
Iudicium extremum iuſtificatum in ſemetipſo. 638
Iudicium extremum mutos reddet impios. 639
Iudicij horribilia ſigna. 640
Iudicium extremum inexcuſabiles oſtendet impios. 642
Iudicij extremi concio integra. 1009

De

De iudicio quid aliqui doctores dixerunt. 650
In iudicio iuſti iudices erunt. 651
Iudicij extremi ſingulares annotationes. 653
Iudicij notabilis exaggeratio. 654
Iudicium ubi locorum fiet. 655
Iudicij extremi ſententia. 655
Iudicium temerarium. 657
Iuramentum. 662
Iuramentum quid ſit. 665
Iurandi peſſima conſuetudo. 666
Iuramenti tres comites. 667
Iuſtitia Dei. 668
Iuſtitia hominis. 669
Iuſtitię iudicium. 670
Iuſtus quis ſit. 671
Iuſtus à ſacris doctoribus multis modis aſſimilatur. 673
Iuſtus ab Abacuc propheta miro deſcribitur 675
Iuſtus quomodo miſellus homo poſſit nuncupari. 676
Iuſtus intus & foris iuſtus eſt. 677

FINIS.

ABSTINENTIA

Ad Ro. 6. QVANDO B.Paulus ſcribẽs ad Romanos, dicebat, Sed nec exhibeatis corpora veſtra,arma iniquitatis peccato, crapulam,ebrietatẽ, & intemperantiam interdicebat:quando uero dixit, Sed exhibete corpora ueſtra,arma iuſtitiæ Deo, abſtinentiã & orationem docebat: vt per ea, per quæ inimicus vincere ſolebat, uincatur: nimirum per corpora noſtra ex abſtinentia,liuida,& mortificata. Vnde in noſtra pœnitentia primum man- *Ioelis. 2.* datum habemus Ieiunium apud Ioelem:ubi dicitur. Conuertimini ad me in toto corde ueſtro,in ieiunio, fletu, *Euſe. Emiſſe homil. de S.Ioan.* & planctu. Atque ita Euſebius Emiſſenus ſuper illa verba, Erit magnus coram Domino, uinum, & ſiceram non bibet,ſic ait. Abſtinentiæ merita, & iter arduum militiæ ſpiritualis humano generi inſinuare curauit, ſcilicet B. Ioannes. Sciuit quòd non ſufficeret eligentis gratia, niſi collaborantis inuigilaret induſtria: ſanctificatus eſt, & nondum tamen de ſola Dei electione ſecurus:ſed nihilominus agonibus ieiuniorum, & laboribus abſtinentiæ, atq; iuſtitiæ diuina in ſe uota ſeruare contendit. Qui in hac abſtinentia hũc *D. Augu. li. ad ſacras uirgines.* beatum uirũ ſequutus fuerit, ab ebrietate ſecurus erit, quæ tam ingens malum eſt,ut D.Auguſtinus ad ſacras uirgines dicat. Ebrietas eſt flagitiorum omnium maius, culparum materia,radix criminum,origo uitiorum, turbatio capitis,ſubuerſio ſenſus,tempeſtas linguę, procella corporis,naufragium caſtitatis,amiſſio temporis,inſania uoluntaria,ignominioſus langor,turpitudo morum,dedecus uitę,honeſtatis infamia,animæ corruptela. Liberet nos Deus à tam pernicioſa peſte, ut uideatis,quot mala ex intemperantia, & maximè uini prodeunt. Vinum enim, *Eccl. 31. c.* (ait Eccleſiaſticus)in iucunditatẽ creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ,& corporis uinũ moderate potatum.Sanitas eſt animę, & corpori ſobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ uinum multum potatum. Hinc colliges,omnia bona à bono conditore condita eſſe,quę tamen ab humana malitia deprauantur. Si quidem ergo B.Ioannes in utero ſanctificatus, & in gratia confirmatus,tantæ abſtinentiæ ſe dedit: quid nos qui tam fragiles ſumus,oportet facere? Merito igitur B. Petrus nos admonet dicens. Chariſſi- *S. Petrus. 1. cano. 2. c.* mi,obſecro uos tanquam aduenas, & peregrinos,abſtinere uos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.Carnale deſiderium eſt delicata & mollis ueſtis. Carnale deſideriũ eſt ſuauis lectus,& molle ſtratum ad luxuriandum.Carnale deſiderium eſt ciborum apparatus,& luxus. Quæ omnia militant aduerſus animam. Et uæ nobis,ſi uictoriam obtinuerint.Qui hanc abſtinentiam ſectantur, optime regulas urbaniſſimas, quas Eccleſiaſticus *Eccle. 31.*

de modeſtia ad menſam ſeruanda do-
cet,adimplebunt. Ait enim. Supra mē
ſam magnam ſediſti? nō aperias ſuper
illam faucem tuam prior. Ne extēdas
manum tuā prior. Vtere quaſi homo
frugi his,quæ tibi apponuntur,ut nō,
cum manducas multum, odio habea
ris.Ceſſa prior cauſa diſciplinę: & no
li nimius eſſe,ne forte offendas. Et ſi
in medio multorū ſediſti, prior illis
non extendas manum tuam,nec prior
poſcas bibere. Vigilia, & cholera,
& tortura uiro infrunito, &c. Non ſo-
lum autem hæc homo abſtinēs adim-
plebit, ſed etiam religioſos uiros, qui
in benedictione menſæ ſapientia pro-
phetæ utuntur, imitabitur dicens.
Oculi omnium in te ſperant Domi-
ne & tu das illis eſcam in tempore op
portuno. Tu das, inquit Propheta.
Nam etiam ſi diu inſudaſti, & laborē
magnum ſuſtinuiſti pro cibo tuæ men
ſę,Dominus tamen illum tibi dat.Nec
enim qui plantat,aut qui rigat eſt ali-
quid, ſed qui incrementum dat Deus,
1. ad Cori. inquit B.Paulus. Intuere ergo in cæ-
3.c. lum in menſa tua, recogita diuinam
erga te curam & liberalitatem,& gra-
tias age. Non pro magnatibus, & po-
tentibus hęc ſcripta ſunt,quibus Altiſ
ſimus omnia dedit, cibos, potum, ue-
ſtes pretioſas,domos ſuperbas, uillas
munitiſſimas,ſeruos fideles & uigiles,
Ironia. &c. qui ad menſam ſedent ut beſtiæ
campi ad præſepium, & uelut pecora
inſipientia, qui de menſa deſpumātes
uina aſſurgunt, ebrietatem halitu, ſu-
dore, & ſiccitate oris demonſtrantes.
Væ illis,& menſæ eorum. Væ qui potē
tes eſtis ad ſectandam ebrietatem, &
Iſaia. 5. ad bibendum uinum defæcatum. Væ
qui bibitis uinum ad ſonitum fiſtulæ.
Hi non intuentur in cælum in ſuis con
uiuijs, ſed oculos ſuos ſtatuerunt de-
clinare in terram, ibi etenim eorum
mens & ſenſus omnes ſunt.

Abſtinentia.

INduimini dominum noſtrū Ieſum
Chriſtum,& carnis curam ne feceri
tis in deſiderijs, ait Beatiſſimus Pau- *Ad Rom.*
lus.Quid ad hoc anxia ſolicitudo mor *13.*
talis, & cito peritura hominis dicet?
Quiſnam ſui corporis ſolicitudinem
plus iuſto geret? Illā philoſophię par
tem eleganter docuit Dominus Ieſus,
& exornauit pulcherrimis exemplis
apud Matthæum dicens.Nolite ſolici- *Matth. 6.*
ti eſſe animæ ueſtræ quid manducetis, *c.*
nec corpori ueſtro quid induamini,
&c. Quærite primum regnum Dei, &
iuſtitiam eius,&c. Hanc cœleſtem do-
ctrinam ſequuti ſunt patres antiqui,
antequàm eam diuinus magiſter ſacra
tiſſimo ſuo ore in mundo doceret.San
ctus enim Hieremias ſic affatus eſt.
Pars mea Dominus,dixit anima mea.
Et Rex Dauid altiori ſpiritu ait. Pars *Thren. 3.*
mea Deus in æternum. Multi autem *c.*
impij Chriſtiani, poſtquàm ſacroſan-
ſum Euangelium receperunt, dicunt.
Fruamur bonis,quę ſunt, quoniā hæc *Pſal.72.*
eſt pars noſtra. Si uero conferas uer-
bum hoc impiorum hominum cum il
lis,quæ in Deuteronomio ſcripta ſunt *Sapiētiæ.*
firmum erit argumentum ad confuſio *2.c.*
nem eorum. Quid illic inquit ſan-
ctus Moyſes? Pars Dñi populus eius. *Deutero.*
Heu,heu, heu, & millies heu quomo- *32.*
do audes uerbum hoc exarare ô ſacer
Propheta? Nunquid Dominus æter-
naliter beatus non eſt, & fons gloriæ
atque lętitię? Nunquid apud illum
nō eſt fons uitæ?Quomodo ergo Iſrael
pars eius? Quomodo puluis & cinis,
pars Domini? Quomodo hæreditas
eius caro,quæ facile corrumpitur?Vti
nam ſic comprobaret homo mortalis
quòd uerè Deus hęreditas ſua eſt, ſi-
cut & immortalis Deus illud in mille
demonſtrauit argumentis, de quibus
non ſupereſt ad loquendum. Optimū
ergo cōmercium eſt,ut qui nos in nul
lo noſtri indigens dixit eſſe partem
ſuam,

ſuam, ſit ipſe pars noſtra. O æterne
Ioan. 19. Deus, quale eſt hoc commerciũ? Quan
tum lucri ex illo accidit homini pau-
peri? Quales diuitias prodigit altiſſi-
mus? Nec mortuus in cruce puſillum
ſanguinis, & aquæ ſacramentalis ſibi
ſeruauit. Vnus enim militum lancea la
tus eius aperuit, & continuo exiuit ſan
guis & aqua. Sit ergo pars tua Deus, ò
anima mea, nec ad tempus ſicut uſq;
in diem hanc, ſed cum Dauide ſancto
dic. In æternum pars mea Dominus.
In hoc carnis cura tenuis ualde reddi-
tur, immo deſpicit, & caſtigatur, & in
ſeruitutem redigitur ſpiritus vel cæle
ſtis, uel ipſius hominis, qui cum diui-
no afflatu regitur, ut iam non cum im-
pijs dicat, Nullũ ſit pratum, quod non
pertranſeat luxuria noſtra, quoniam
Simile. hæc eſt pars noſtra. Quando aliqui in
urbe obſidentur, eis cibus duntaxat ad
Iudith. 7. c. uitæ ſuſtentationem præſtatur, & non
ad uoluptatem ſeu abundantiam: ut
uidere eſt in afflictione, quã ciues Be-
thuliæ urbis in obſidione ab exercitu
Olofernis patiebantur. Hæc uniuerſa
lis Eccleſia, quę dicitur militans, eſt
ueluti ciuitas à plurimis ac crudeliſſi-
mis hoſtibus, uidelicet dæmonibus cir
cundata: illis autem qui intus ſunt, ſuf
ficiunt tantummodo neceſſaria ad ui-
tæ propagationem, nec ſe uoluptati-
bus, illecebris, aut rerum abundantijs
tradere debent. Qui autem abſtinen-
tiam ſeruare nolunt, ſignum oſtendũt
ſe exiſtimare non eſſe circundatos, ſed
liberos: quód quidem à magno errore
non uacat, ſicut glorioſus Apoſtolus
1. Petri. 5. c. nos docuit inquiens. Fratres ſobrij
eſtote & uigilate quia aduerſarius ue-
ſter diabolus tanquam Leo rugiẽs cir
cuit quærens, quem deuoret. Quod
perindè eſt ac ſi diceret. Siquidem cir-
Simile. cundati eſtis, abſtinentiam obſeruate.
Sol non attrahit ad ſe niſi tenues &
ſubtiles uapores groſſis, ac grauibus
omiſſis. Sic ſol iuſtitiæ Ieſus Chriſtus
Deus noſter tenues per abſtinentiam
ad ſe attrahit, carnales autem pec-
catores, ſaturos, & terra plenos re-
linquit.

Abſtinentia.

BEatus Baſilius in homilia de ieiu *B. Baſi. ho.*
nio abſtinentiam amplificat di- *1. de ieiu-*
cens, An ignoras quòd perinde atque *nio.*
in acie hinc atque hinc inſtructa ad
conflictum, qui alteri parti fert ſuppe *Simile.*
tias facit ut altera uincatur? ita qui car
ni ſe adiungit expugnat ſpiritum, &
qui ſtat cum ſpiritu, carnem in ſerui-
tutem redigit. Proinde ſi cupis men-
tem reddere ualidam, fac carnem do- *B Baſil. ho*
mes ieiunio. Et alibi idem Sanctus uir *mil. 2.*
inquit. Qui bellicis in rebus exercen-
tur, quique in palæſtris luctando de-
ſudant, conuenit, ut copia ciborũ red- *B. Baſil. ho*
dant ſe ipſos corpulentos & obeſos, ui *mil. 2.*
delicet quò ualidioribus neruis labo-
res queant capeſſere: contra uero qui
bus non eſt colluctatio aduerſus car-
nem & ſanguinem (hoc eſt aduerſus
alios homines,) ſed aduerſus principa
tus, aduerſus poteſtates tenebrarum
harum, hos oportet per ſobrietatẽ &
ieiuniũ ad certamen exercere. Etenim
quemadmodum oleũ oblinit athletã, *Simile.*
ita ieiunium robur addit ei, qui ad pie
tatem ſe exercet. Et beatus Chryſoſto
mus homilia de reſurrectione ait. Si- *Simile.*
cut miles ſi geſtarit arma ſeſe grauan-
tia non eſt terrori hoſtibus, qui ſciunt
armaturæ grauitatem, pedum ueloci-
tati, & bellandi uſui obeſſe, ſin leuia ac
ceperit, & tractabilia ſicut auis aliqua
obicem ſe feret hoſtibus; ſic & qui car
nem ſuam non ebrietate, nec indulgẽ
tia, nec delicijs incraſſarit, ſed ieiu-
nijs, & precibus, diuturnaq; afflictio-
num ſuſtinentia, leuiorem & tenuiorẽ
effecerit, ſicut uolucris aliqua ſupernè *Simile.*
deuolans, ita ualido impetu in phalan
ges Dæmonum irruet, & occurrentes *D. Aug. de*
uirtutes facile inuadet, ſibique ſubij- *ſalutari-*
ciet. Et Beatus Auguſtinus de ſalutari *bus docu-*
bus documentis ait. Sicut equis fræna *mentis. c.*
ſunt imponẽda: ita corpora noſtra ie- *10.*

iunijs,uigilijs, & orationibus ſunt infrænanda. Nam quemadmodum aurigæ, ſi fræna laxauerint,per præcipitia deijciuntur: ita anima noſtra cum ipſo corpore, ſi ei frænum non impoſuerit,ad inferni præcipitia delabetur.

Omnia, quæ habentur litera, I. titulo, Ieiunium,deſeruiunt huic materiæ.

ADOLESCENTIA.

SENTENTIA Theologorũ eſt, hominem, cum primum ad uſum rationis peruenerit, in primo actu ipſius teneri ad Dominum ſe conuertere. Itaque primus actus uſus rationis debet eſſe conuerſio ad ſuum finem. Ideoq; quamuis Arnobius uerba illa Pſalmi; Præueni in maturitate, & clamaui, quia in uerba tua ſuper ſperaui,ſic exponat. Fui puer,poſtea adoleſcens, itemque iuuenis, nunc ecce iam ſenui: & uitæ meæ finem attendens, in hac maturitate clamo, & præueniunt oculi mei: alius tamen interpres ſic hunc uerſiculum interpretatur. Statim ut ad maturitatem præueni, & primum illuxit mihi rationis uſus, ante omnia alia præueni, ut ad te Domine clamarem. Itaque cum primus actus uſus rationis debeat eſſe ad Deum conuerſio, protinus cum ad illam maturitatem quis peruenerit: hoc præſtare debet. Nam hæ ſunt primitię noſtræ,quas Deo debemus offerre,quod uidetur hic Regius Propheta fateri ſe feciſſe. Hoc autem perquam utile eſt, ut in adoleſcentia dirigatur homo in uia Domini, ubi pericula multa ei occurrere ſolent.

Pro quo notandum eſt, Diuum Paulum in uno eodemque homine ponere duos homines, alterum interiorẽ, alterum exteriorem, & pluſquam ciuile bellum inter iſtos duos homines, ſcilicet inter corpus,& animam uerſari. Ait enim. Video aliam legem in
Roma.7.c. membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,quę eſt in membris meis. Adoleſcentiores autem, ut in plurimum partes corporis agunt, easque ſequuntur: primum propter abundantiã ſanguinis,& caloris,& propter multiplicationes ſpirituum, quæ eos faciunt uoluptatum audaciores, atque audiores ad quodcunque facinus aggrediendum: uiget enim ætas,& calor, concitaque in inferiori parte uehementiores impetus: & ſicut concupiſcibilis maior eſt,ita & iraſcibilis propter eandem rationem audacior, concitatiorque ad quæuis pericula ſubeunda. Secundo etiam propter defectum experientiæ omnia eis tentanda uidentur. Vnde dicit Ariſtoteles,quòd propter *Ariſt. 2.*
has rationes adoleſcentuli, & iuuenes *Ethicor.*
ſunt maioris ſpei,& audaciæ. Frænanda eſt ergo hæc ferocitas in principio: nam,ut in prouerbijs dicitur,prouerbium eſt, Adoleſcens iuxta uiam ſuã, *Prouerb.*
etiam cum ſenuerit, non recedet ab *22.*
ea. Nec aliud aptius frænum inueniri poteſt ad frænandam adoleſcentiã, quàm obſeruatio mandatorum Dei, ut Beatus Baſilius docet. Quare Regius Propheta interrogat. In quo corrigit *Baſil.ſuper Pſal. 118.*
adoleſcentior uiam ſuam? Et ipſe reſpondet,in cuſtodiendo ſermones tuos. Quod clarius Diui Hieronymi uerſio indicat,ſic enim uertit: In quo corrigit adoleſcens ſemitam ſuam? Cum cuſtodierit uerba tua. Quod uidetur Dominus indicaſſe iuueni illi, *Matth.19.*
qui ab eo quęſiuit,quid faceret,ut haberet uitam æternam. Cui ipſe reſpondit. Si uis ad uitam ingredi,ſerua mandata. Nam licet hæc ſit regalis,communisque omnibus illuc pergentibus uia,

uia, tamen adoleſcentibus & iuuenibus alijs rationibus proprior propter ferociores impetus, quos niſi fræno legis Dei, & ſubiectione maiorum domare non poſſent. Quod Dominus ſuo exemplo nos docuit. Dicitur enim apud Diuum Lucam, quòd erat ſubditus ſuis parentibus, cũ puer duodecim annorum eſſet. Et in contextu Græco eſt dictio quædam, quæ ad uerbum expreſſa ſignificat, quòd erat ſub ordinatus illis, ac ſi in ſeipſo exprimere uoluiſſet naturæ prouidentiam, qua minora in quolibet genere uoluit eſſe ſubordinata maioribus.

Ad hoc autem plenè adimplẽdum opus eſt adoleſcentulis, fauorem à Patre luminum petere. Ideo enim ſtatim in ſequenti uerſu ſequitur. In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Vbi Beatus Augustinus ait. Ecce orat, ut adiuuetur ad cuſtodienda uerba Dei, in quo dixerat, uiam ſuam corrigere adoleſcentiorem, nam utique hoc eſt, Ne repellas me à mandatis tuis. Quid eſt eum à Deo repelli, niſi non adiuuari? Quod clarius explicat Diui Hieronymi tranſlatio, dicens: Ne aberrare me facias à mandatis tuis. Dicitur enim in ſacra ſcriptura ea facere Deus, quæ permittit, vt fiant. Vnde illud Iſaiæ. Quare errare nos feciſti Domine de uijs tuis? Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te, id eſt, permiſiſti nos errare. Et illud. Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, ut faciant ea, quæ non oportet, id eſt, permiſit, eos tradi. Orate ergo ò adoleſcentuli, miſericordiæ parentem, ne aberrare uos faciat à mandatis ſuis.

Luc. 2. c. *S. Auguſt. ſuper. Pſa. 118.* *D. Hiero.* *Iſaiæ. 63.*

Optimum etiam effrænatæ adoleſcentiæ frenum eſt bona educatio parentum. Qui enim optimis moribus educat puerum ſuum, uſque ad martyrij gloriam deducit animam illius. De quo habes ſuauiſſimum exemplũ in uenerando illo uiro Eleazaro: qui ductus ad ſacrilegium carnis porcinæ, aut ad martyrium; hoc elegit reſpuens legis uiolationem, aut ſimulationem, dicebatque intra ſe ipſum, & cogitare cœpit ætatis, ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuerſationis actus, &c. Vide quomodo à pueritia in optimis moribus, & actibus inſtituendi ſunt pueri. Vide in uxore huius nobilis martyris cæleſtem uirtutem erga filiorum dilectionem. Quem ad ſeptimum filium egit ſermonem tantummodo commemorabo cum expoſitione Diui Gregorij Nazianzeni. Licet omnes filios ſuos hortaretur ſacra fœmina, uxor quondam Eleazari, ut forti animo pro patrijs legibus decertarẽt uſque ad mortem, cum ultimum filium in magno poſitum diſcrimine ex promiſſis Antiochi cerneret, ad illum inquit. Fili mi miſerere mei, quæ te in utero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi: peto à te nate, ut in cælum aſpicias &c. Suſcipe mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Nouiſſime autem poſt filios mater conſumpta eſt. O familiam aulæ cæleſtis? O educationem diuinam? Pater, & mater, & ſeptem filij cum gloria & palma martyrij de hac mortali uita diſcedunt, & quam habuerunt genitricem ad uitam, ſuſcipiunt hortatricem ad palmam per mortem. De hac illuſtri fœmina Beatus Gregorius Nazianzenus in ſermone de Eleazaro ſic ait. Erat ibi fortis, & generoſa mater puerorum ſimul, ac Dei amans, cuius materna viſcera ſupra naturæ conſuetudinem dilaniabantur; non enim filiorum, qui in tormentis erant, miſerebatur; ſed timore angebatur, ne non ea ſuſtinerent; nec magis eos, qui è uita migrauerant deſiderabat, quàm precabatur, ut reliqui cum illis coniũgerentur, de quibus filijs magis, quàm de mortuis erat ſolicita; horum dubium erat certamen, illorum ſeuera diſ-

2. Macha. 6. cap. *2. Machæ. 7. c.* *Greg. Nazianzenus*

diſſolutio. Atque illos quidem adduxerat Deo, de his uero quomodo eos Deus ſuſciperet, laborabat. O uirilem animum in corpore muliebri? O admirabile, magni animi incrementum? In hunc modum, diligendi ſunt filij, & educandi ad Dei ſui gloriam, & honorem: ſic ſacrum coniugium, cumulum bonorum operum intra ſinum ſuum reponit, & ad palmam laborum cum ingenti gaudio accedit. Vide quomodo pater ſanctus, & bonus, quem iure optimo Nazianzenus primitias martyrum legis Moyſi appellauit, uiam parauit uirtuti filiorum, non tantum in eorum educatione, ſed etiam in conſtantia, & fortitudine martyrij pro patrijs legibus, & poſt ſe coniugem dereliquit, quæ in bono martyrij ſolidaret dulciſſima pignora. Vnde Omnes magnam, gloriam conſecuti ſunt apud Deum, & apud homines. Diligentia itaque parentum non ſolum ad hunc finem neceſſaria eſt, ſed etiam ſedula cura prælatorum atque ſolicitudo. Quod & Chriſtus Dominus apud D. Ioannem

Ioan. 21. inſinuauit. Cum enim eccleſiam ſuam B. Petro tradidit, ipſumque uniuerſalem conſtituit paſtorem, bis ei dixit, Paſce agnos meos, poſtea uero ſemel tantum ait. Paſce oues meas. In quo cæleſtis magiſter docuit, prælatum, quamuis ex obligatione teneatur & oues, & agnos paſcere, oportere tamẽ maiorem agnorum, quàm ouium, hoc eſt, maiorem filiorum quàm parentum curam, & ſolicitudinem habere. Nam cum filij, pueri & adoleſcentes, atque propter rationes ſupra adductas ſint debiliores, plus ſpirituali paſtu prelatorum egent, quam illi qui iam ſunt oues, quique ob maiorem rerum experientiam & ætatem ſolent fundamenta alijus in uirtute collocata habere.

Adoleſcentes.

BEatus Thomas tenet quòd adoleſcens, cùm primum peruenit ad uſum rationis, tenetur ſe conuertere in Deũ ſub pœna peccati mortalis. Quæ ſententia multis dura uidetur, tamen ſic eſt intelligenda: quòd homo perueniens ad uſum rationis, tenetur ſe conuertere in Deum eo modo, quo poteſt ſecundum cognitionem, quam habet: ſi enim cognoſcit Deum, tenetur habere hunc actum. Volo colere Deum, vel uolo aut propono ſeruare legẽ Dei ſi autem Deum non cognoſcit, ſatis eſt ut proponat bene uiuere conformiter ad dictamen rectæ rationis: ut uolo honeſte uiuere, nolo malè agere. Hoc expreſſe dicit hic ſanctus Doctor in q̃oſne de ueritate, q 14. art. 11. ad primũ, & in loco citato in ſolutione ad tertiũ. Et ſic explicata hæc ſententia de homine, cum primum peruenit ad uſum rationis, eſt uero ſimilis, & ualde probabilis: cuius ueri probabilitatẽ hæc argumenta ſuadent. Quilibet tenetur accipere fidem, & legem Chriſti, cum primum ei fuerit ſufficienter promulgata, nec liceret alicui differre in certum tempus, nec ſatis eſſet accipere ſemel in uita, ſed tenetur proponere uiuere in lege Chriſti, & ipſum colere. Ergo etiã cum primum ei eſt promulgata lex naturalis, tenetur eam recipere: Sed nõ recipit, niſi in propoſito ſeruandi illam, & uiuẽdi conformiter ad legem, ergo tenetur habere tale propoſitum. Conſequentia uidetur nota, quã non minus obligat lex naturalis, quã Chriſtiana, cum ſit æque diuina. Promulgatur autem lex naturalis, cum homo peruenit ad annos diſcretionis, & cognoſcit quòd uiuendum eſt conformiter ad rectam rationem, & quòd nõ eſt nocendum proximo, vel aliquid ſimile agendum. Deinde ex tunc uidetur, quòd inſtet tẽpus, ut homo de ſua ſalute cogitet, & ei operam det: & omnino

B. Tho. 1. q. 89. ar. 6

nino

nino eſt grauiſſima negligentia, quòd aliquis non diſponat de ratione uitæ ſuæ, ex qua dependet ſalus & damnatio eius: & cum ſtatim oporteat bene aut male agere, uidetur certe quòd ſtatim oporteat diſponere de ſumma uitæ ſuæ, aliàs uidetur grauiſſima negligentia. Hoc ipſum confirmatur. nam ſi quis haberet curã alterius quo ad omnes actiones eius, & dependeret ex eo ſalus vel perditio illius, uidetur quòd peccaret mortaliter ſi non ſtatim prouideret de ſalute illius ſi ſtatim poſſet ille periclitari, ergo multo plus obligatur de ſeipſo. Item ſi non tenetur ſtatim, ergo poterit tunc ſolum peccare uenialiter, & tunc ſi ille ſit in peccato originali quia filius alicuius infidelis eſt, erit peccatum ueniale cum ſolo originali: quod videtur inconueniens, qa tale peccatum veniale non haberet, ſi tunc moreretur ille adoleſcens, locum ubi puniretur, quia non puniretur in lymbo, cum ibi non ſit pœna ſenſus, nec in purgatorio, quia eſt via ad gloriam, nec in inferno damnatorum: nã in eo tantum puniuntur, qui ſunt in peccato mortali.

Certe quòd non poſſit eſſe ueniale peccatum cum ſolo originali ſupponunt pro certo Innocentius Tertius, & concilium Florentinum. Ad hunc ergo ſenſum intelligenda eſt celebrata opinio beati Thomæ de conuerſione in Deum, de primo inſtanti uſus rationis. Et hæc eſt doctrina etiam Philoſophorum de qua nobilem illam fabulam veteres prodiderunt de Hercule, cui peruenienti ad uſum rationis, & de æquo, & bono deliberanti occurrunt duę matronę pulcherrimę, ſcilicet uirtus, & uoluptas, & utraque ſuis allectamentis puerum ad ſe trahere conata eſt, ſed uiciſſe tandem uirtutem. Sed & Pythagoras hoc ipſum docuit ſub inuolucris quibuſdam, & tegumentis: nã uitæ humanæ ſpeciem vnius literæ ſimilitudine ſic adumbrauit, ut totum eius curſum facile deprehẽdere liceat.

Innocẽ. ca. maiores de baptiſmo. Concil. Floren. decreto de unione Græcorum.

Cũ enim in pueritiam nec uirtus, nec alicuius uitæ generis inſtituendi deliberatio incidat, eo quod electionis cõpos non ſit, nec ſuo regatur arbitrio, eam nimirum ob cauſam hic unam, communemq; facit uiam. Ineunte uero adoleſcentia (quòd hoc tempus à natura ad eligendum quam quiſque uiuendi uiam ſit ingreſſurus, datũ eſt) eam diuidit, uirtutis alteram, alteram uitiorum faciens. Quod eleganter deſcripſit Virgilius in opuſculo, cui titulus eſt de littera Y.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nã via virtutis dextrum petit ardua callẽ
Difficileq; aditũ primũ ſpectantibus offert:
Sed requiẽ præbet feſſis in vertice ſummo:
Molle oſtẽtat iter via lata, ſed vltima meta
Præcipitat captos, voluitq; per ardua ſaxa.

Seruitia, quę adoleſcentes in ſua adoleſcentia Deo exhibent, diuinæ maieſtati nimis grata ſunt. Quod Regius uates aperte ſignificauit: qui poſtquã dixerat: Laudabo nomen Dei cum cantico, ut amplificaret, quam gratæ erãt ſummo Deo diuinæ laudes, adiecit dicens. Et placebit Deo ſuper uitulum nouellum, cornua produ centem, & ungulas. Nunquid (ut ait Diuus Paulus) de bobus cura eſt Deo? Sicut præcepit Deus, Non alligabis os boui triturãti, non tantum propter ipſum bouem, quantum ad ſignificandam obligationem, qua fideles aſtringuntur, vt prælatum ſuum, & paſtorem ſuſtentẽt. Sic non placebat Deo tantum ſacrificiũ, quod ei offerebatur per uitulum tenerum, quando uires habere incipit, & ungues ac cornua ei naſci incipiunt, [*Por lo que ello en ſi era,*] ſed proptereą quòd ſignificabat ſacrificiũ quod adoleſcẽs de ipſo Deo facere debet, quando ſe totum in ſua adoleſcentia offert, quando uidelicet incipit habere uires corporales, & diſpoſitionẽ, firmam ualetudinem, & teneritatẽ cordis,

Pſal. 68.

1. ad Co. 9.

dis, ac rationis uſum ad ei ſeruiẽdum, & ad diuinam legem ſuper humeros ſuos portandam, hoc enim eſt ſacrificium diuinæ maieſtati gratiſſimum, & maximè debitum. Nam ſi pictor aliquis inſignis omni ſtudio imaginem perfectiſſimis coloribus, atq; excellẽtiſſimis lineamentis ornatam depingere conaretur, in quem, obſecro, imago illa (ſi iudicij & rationis particeps eſſet) prius oculos ſuos deberet intendere? Certiſſimum eſt, ipſam eos in pictore, qui eam depinxit, & tam perfectum eſſe dedit, collocare debere; eſſetque nimis ingrata, ſi prius oculos ſuos in alio, quàm in authore ſuo figeret, cui plurimas gratias pro iam ſingulari beneficio agere deberet. Cum igitur homo acceperit à ſummo Deo animam ad imaginem, & ſimilitudinẽ eius depictam, & in ſacroſancto baptiſmate donis, ac gratijs, quæ ibi infunduntur, adornatam; ubi primum ad uſum rationis peruenerit, maxima obligatione aſtringitur, oculos ſuæ affectionis, & amoris ponere in diuino pictore, qui ſic animam eius pinxit, & pulchram reddidit; eſſetq; pergrandis ingratitudo, eos prius in creaturis, quàm in ſuo creatore collocare.

2. ad Timot. 2. ca. 1. ad Cor. 3. ca. Beatus Paulus ad Timotheum ſcribens, ſic ait. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Et ſiquidem (ut ipſe alibi inquit) Dei agricultura eſtis, oportet Deum noſtrum tãquam agricolam primum de hominis fructibus accipere, & ꝙ homo ei offerat animæ ſuæ primitias. Sed, uæ, uæ, & millies uæ, quam aliter hoc ſit à plurimis hominibus, ſiquidẽ experientia uidemus, quòd ubi primũ rationis uſum habere incipiunt, quando ſummo Deo ſe offerre & dicare, eique magna cordis puritate, & amore ſeruire debebant, omnes ferè aut maior pars eorum ſe polluere, peruertere, profanare incipiunt, & tam altas radices in ſceleribus, & offenſionibus Dei iaciunt, ut, poſtquam ad maiorẽ ætatem perueniunt, uix ab illis poſſint ſeparari, atq; ita in ira & indignatione Dei uſque ad mortem perſeuerãt. Sicut de quolibet eorum in libro Iob dicitur his uerbis. Oſſa eius implebũtur uitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Ad ſignificandã autem hanc tam uniuerſalem adoleſcentulorum perditionem, diuina prouidentia inſtituit, ut ſacratiſſima virgo Maria ſanctiſſimum puerum Ieſum amitteret, cum factus eſſet annorum duodecim, tempus uidelicet, quo communiter pueri vſum rationis habere incipiunt. De ipſo itaque ait Euangeliſta Lucas, Conſummatis diebus remanſit puer Ieſus in Hieruſalem. *Lucæ. 2.*

Simile. [*Los anadinos ſon tan inclinados al agua, que aunque nunca la ayan viſto, ſi aciertan a paſſar cerca de algun rio dexan à ſus padres, y ſe entran en el agua y ſe çabullen en ella con gran deleyte y regozijo. O diuino y celeſtial anadino Ieſu Chriſto hijo de Dios,*] qui cum natus eſſes in ſtabulo Bethlehẽ, & in peregrinatione Ægypti procreatus, nec adhuc proprijs oculis corporalibus templum cęleſtis patris tui vidiſſes (nam ut aliqui Doctores teſtantur, tunc primum clementiſſimus Ieſus in templum iuit, quod antea non viderat) ubi primum illud conſpexiſti, tanquam anaticulus uidẽs aquam, in illud ingreſſus fuiſti, & ibi te recreaſti, ſacratiſſimam matrẽ tuã, & ſanctum Ioſeph patrem tuum putatiuum abire permittens, ibi in negotijs æterni patris tui te exercere incipiens. [*Y perderte deſta manera de viſta à los doze años de tu edad, tu ſacratiſſima madre fue vn pronoſtico y ſignificacion que en eſte tiempo, y en eſta edad te auiã de perder los mas de los mãcebos.*]

Sed maxima conſideratione digna ſunt verba, quæ glorioſa virgo Maria ſanctiſſimo puero Ieſu dixit, quando ipſum in templo cum Doctoribus diſputantem inuenit. Scilicet, fili quid feciſti nobis ſic? Ecce, pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Non legitur

gitur in omni ſacrorum Euangeliorũ diſcurſu, hanc ſacratiſſimam reginam nuncupaſſe filium Chriſtum Saluatorem mundi, niſi in hoc dumtaxat loco: nam ut erat humiliſſima, [*y el ſer madre de Dios es vna tan ineffable, y tan ſingular dignidad,*] ſicut ſe indignam reputabat eſſe matrem Dei, ſic ſe indignam etiam reputabat, Deum filium ſuum uocare: quòd ſi hic eum filium ſuum appellauit, uis doloris, quem tribus illis diebus eum quærens paſſa fuerat, & maximum gaudium, quod accepit, dum ipſum inuenit, ſimul cum inflammatiſſimo amore, quo eum proſequebatur, linguam ſanctiſſimæ uirginis mouerunt & incitarunt, ut diceret, Fili quid feciſti nobis ſic? [*O hijo dulciſſimo como que ſiendo yo vueſtra madre, y vos mi hijo, y tan querido me ayays tratado aſſi? Verme yo pobriſſima al tiempo de mi parto virginal, y que la neceſſidad me conſtriño à pariros en vn eſtablo, y à reclinaros en vn peſebre ſiendo vos heredero vniuerſal de todo lo criado, y yr peregrinando y huyendo por los aſperos deſiertos à Egypto y viuir alla ſiete años en ſumma pobreza entre idolatras, todo me fue à mi muy tolerable por teneros en mi compañia, que trabajo ni que neceſſidad me podia ſer muy moleſta, ni cauſar mucha triſteza eſtando con vos, alegria de los Angeles y regozijo de los ſpiritus bienauenturados? Pero ver me ſola y ſin vos tres dias enteros, fue para mi amargura y triſteza intolerable.* Siquidem ergo cum hæc ſacratiſſima virgo culpa ſua pijſſimum Ieſum non amiſerit, eum tanto dolore, & cordis amaritudine quæſiuit, ęquum eſt & rationi conſentaneũ, vt omnes, qui illum culpa ſua amiſerunt, maximo dolore cordis ac triſtitia inquirant; quem, poſtquam per ueram pœnitentiam inuenerint, maxima perſeuerantia oportet conſeruare. Etenim aliqui ſunt pueri, qui in pueritia ſua Deum inueniunt, & ita uirtutis ſtudioſi ſunt, ut de eis dici poſſit, [*Que quando niños ſon viejos, y deſpues de viejos ſe bueluen niños, porque viuen como niños y hazen obras de niños, como ſino tuuieran juyzio ni razon.*] Loquens Propheta Iſaias de lege gratiæ, inquit. Nõ erit ibi amplius infans dierũ, & ſenex, qui non impleat dies ſuos, hoc eſt, Tẽpore legis gratiæ infantes, ſiue pueri ſancti erunt, & ut prudentes ſenes uiuent: nam ſenectus uenerabilis eſt, nõ diuturna tẽpore, nec annorum numero computata: cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis uita immaculata. Senes etiam eodem gratiæ tẽpore erunt ſenes in diebus & in operibus, & habebunt dies plenos meritis: nullus eos uirtute & ſanctitate uacuos habebit. O Deus infinitę maieſtatis & ueritatis infallibilis, ut quid Domine hæc tua promiſſio non adimpletur, ſiquidem nunc in lege gratiæ uidemus pueros corruptos & deperditos, ſenes uero adeo abominabiles, ut nullis uerbis eorum malitia amplificari poſſit? Itaque ſi dum pueri erant turpes, cupidi, ultiui, & ambitioni uacabant; poſtquam ſenes facti ſunt, & pedes iam in ſepultura habẽt, hæc omnia uitia multo magis radicitus amplectuntur: quo modo ergo adimpletur hæc promiſſio? Non erit ibi amplius infans dierũ, & ſenex qui non impleat dies ſuos; ſiquidem plurimi ſunt, qui eos tam uacuos nunc habent, ſicut olim in antiquis temporibus? Ad hoc reſpondetur, promiſſionem Dei in hoc loco eſſe, quòd ipſe Deus tot tantaque beneficia hominibus legis gratiæ facturus erat, tamq́; abundanter illis ſua diuina dona communicaturus, ut pueros ipſos, & ſenes ſanctos, ac nimis perfectos eſſe obligaret. Itaque non hic ait Dominus, nec ſignificat quales nunc ſumus, ſed quales eſſe debebamus; cũ tanta obligatione, tantaq́; opportunitate, ac tã diuinis fauoribus ad id modo in lege gratię faciẽdũ aſtringamur.

Iſaia. 65

Sapientiæ. 4.

ADO-

ADORATIO.

Nicæna ſynodus tomo. 3. fol. 189.

ADORATIO & uenerationem, & deſiderium, & timorem ſignificat. Quæ uerba ex ſecunda ſynodo Nicæna in fine ſeptimæ actionis ſunt deprompta. Eſt adoratio, quæ tantūmodo timorem ſignificat; quemadmodum Iacob fratrem ſuum Eſau adorauit. *Geneſ. 33.* Eſt alia, quæ gratiam notat: quomodo Abraham pro agro, quem accepit à filijs Heth in ſepulchrum uxoris ſuæ, adorauit eos. *Geneſ. 23.* Rurſus qui ſperant ſe beneficium à potētioribus accepturos, illos adorant: quemadmodum Iacob Pharaonem adorauit. *Geneſ. 47.* Latriæ uero adoratio eſt, quæ ſoli Deo debetur: ut in Deuteronomio præcipitur, ubi ſic dicitur. *Deuterono. 6. c.* Dominū Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Quid autem ſit adoratio, quomodo etiam ſit duplex adoratio, altera intellectus, altera intellectus & uoluntatis ſimul, in ſermone quarto Epiphaniæ, in noſtro Aduentuali reperies. Sanctus Moyſes famulus Domini non tantum in ædificanda fide, amore, & adoratione unius Dei laborauit, uerum etiam de fundamento ſolicitus fuit, ut firmum eſſet. Propter quod ſtudio multo in timore Domini tradidit unius Dei fidelem doctrinam, dicens. *Exodi. 20.* Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, nec eorū, quæ ſunt in aquis. Non adorabis ea, neq; coles: ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, & uiſitās iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Quid eſt. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes? Quaſi diceret. Si adoraueris Deos alienos, in caput tuum malum grande & graue machinaberis. Non tantum ſum ego Deus fortis, & tu puluis, & fœnum aridum, ſed etiam ſum zelotes, qui gloriam meam alteri non do. Primò igitur omnium docetur, quòd Deus ſit unus Dominus, creator, gubernator, pater, & magiſter ſuper omnia diligendus, & adorandus, & quòd oporteat ſummo ſtudio Deos gentium calce abijcere, ſi quidem turpiſsimi homines fuerunt. Quapropter ſanctus Dauid decantabat. *Pſalm. 5.* Mane aſtabo tibi, & uidebo, quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es: ſicut dij gentium, qui omnibus criminibus & libidinibus oblectantur, ab eisq; cultores eorum didicerunt abominationes multas. Vnde B. Athanaſius in oratione cōtra idola ait. *B. Athanaſius in oratione contra idola.* Arbitror certe à nolentibus Poetis uitas deorum prolatas eſſe, quia enim Dei incommutabilem appellationem, & honorem illis, qui nō dij, ſed homines mortales ſunt, attribuerunt, tantumq; nefas in ſe admiſerunt, ideo ueritas uiciſsim ab his expreſsit, ut nolētes putatiuorum Deorum flagitia exponerent, quò omnibus poſteris pro argumento conſtaret non eſſe eos Deos, de quibus talia ſcripta proderentur. Quod autem dicitur, Non facies tibi ſculptile, perinde eſt, ac ſi diceretur. Ne facias imagines in adorationem: nam in Exodo iuſsit Dominus Moyſi, ut duorum Cherubin cōflaret imagines. *Exodi. 25.* Nec ob hanc cauſam Chriſti Redemptoris noſtri, & Sāctorum eius imagines damnantur, has. n. non adoramus principaliter propter ſe, ſed propter ipſum Ieſum Chriſtum Deum noſtrum, ac Dominum, ſanctosque eius, quorum ſunt imagines, & ut nos ad pietatem incitent, & commoueant, atque idcirco in illis huic cæleſti reparatori, & ſanctis eius reuerentiam exhibemus. Si autem contigerit,

vt aliqui errore labentes eaſdemmet imagines, non prout decet, adorauerint, non ideo ipſarum cultus, & adoratio, ut oportet, damnanda eſt, quin potius inſipientes, & ignorantes reprehendendi, atque docendi ſunt. *Simile.* Nunquid uites omnes oportet euellere, & diſſipare, eo quòd aliqui uino illarum inebrientur, & amentes fiant? Nequaquam profectò: ſed ſolummodo decet, & æquum eſt, ebrietatem ipſam prohiberi. Sic in hoc non ſunt damnandæ imagines ex eo, quia aliqui illis abutantur, nobis enim perutiles ſunt. Quocirca, fratres mei, ſi quidem noſter altiſsimus Deus tam ſingulare nobis beneficium contulit, ut nos ab illis infernalibus eripuerit idololatrijs, in quas innumeræ gentes ceciderunt, per hūc met altiſsimum Deum uos obſecro, ne uitia, quæ ipſi à ſuis peruerſis Dijs didicerunt, uidelicet ambitionem, cupiditatem, irrisionem, luxuriam, auaritiã, & cætera huius generis adoretis, ſed illa ſupra modum odio habeatis, & deteſtemini, Deum noſtrum incommutabilem, & infinitum continuo diligentes, & adorantes, atque ei ſedula cura, & animi ſubmiſsione obedientes.

Adoratio.

B. Augu. lib. 10. de Ciuitate Dei c. 5. VT Beatus Auguſtinus docet: ſicut nomen Hebræum, Adonai, non vtcunque Dominum ſignificat, ſed eũ, qui proprie eſt Dominus, & ſolus eſt vniuerſorum Rex: ſic verbum Græcum, Latria, ſeruitutem importat, non vtcunque, ſed eam, quę ſoli Deo exhibetur. Hæc autem adoratio latriæ hoc genus reuerentiæ exigit: quæ cum ſeruitutem, adorationem, honorem, ac reuerentiam ſoli Deo debitam, & exhibendam ſignificet, eſt nobis pręſtanda corde per fidem, ſpem, & Charitatem ſummam in Deum: & corpore etiam per adorationem exteriorem, quę fit per inclinationem capitis, manuum complauſus, genuum flexionem, pectoris tunſionem, laudem Dei vocalem, aurium ad laudem Dei arrectionem, carnis maceratione, & per ſimiles actiones, quas omnes ad cultum diuinum ſpectare ſcriptura ſancta tam vetus, quàm noua docet. Hac adoratione latriæ adoramus ſanctam & indiuiduam Trinitatem, Ieſũ Chriſtum, ſacroſanctam Euchariſtiã. Virginem autem Mariam ſanctiſſimã honore hyperdulię: crucem etiam adorare & venerari honore latrię iubemur, quatenus nobis Chriſtum Deum verum repręſentat.

Adoramus & Angelos, vniuerſoſq; alios ſanctos, & eorum reliquias, verũ honore duliæ, hoc eſt, non collocantes in ipſis primarias partes noſtræ ſpei, cum ſcriptura ſacra, & Eccleſia ſancta nos doceant, in Deo nos facere virtutẽ ipſumque eſſe fontem, & authorem totius boni. Verum ſanctos adoramus, & veneramur tanquam Dei amicos, filios per gratiam, tẽpla viua Spiritus ſancti, hęredesque vitæ ęternę. In quorum interceſſione licet Chriſtianis cõfidere. Nã, vt docet Beatus Auguſtinus multa Deus Chriſtianis, interceſſionibus ſanctorum largiri ab ęterno cõſtituit, alioqui non largiturus. Proinde docet catholica Eccleſia, ſanctos adorare, non vti authores noſtrę ſalutis, ſed vt interceſſores.

Adoratio.

SICVT ſummus Dei cultus eſt adoratio latriæ: ſic ſumma peruerſitas eſt idolatria. Nam qui Dij nominãtur inter gẽtes, nõ ſunt Dij, ſed ficta falſorũ deorum ſimulachra, prout Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens, dicit. *1. ad Cor. 8.* Scimus quia nihil eſt idolũ in mundo, & quia nullus eſt Deus niſi vnus. Nam ſi ſunt qui dicuntur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen non eſt niſi vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illo, & vnus dominus Ieſus

Chriſtus, per quem omnia,& nos per illum. Sed non in omnibus eſt ſcientia,ideſt, clara, & certa huius rei notitia. Sed quęro quomodo idolum eſt nihil,cum certũ ſit idolum eſſe figurã ligneam, auream,aut lapideam? Pro huius declaratione notandum eſt, idolum & ſimulachrum,vnum & idem ſignificare, licet in diuerſo idiomate. Simulachrũ vox latina eſt à ſimulãdo dicta. Idolũ vero Græca vox ab Idos, hoc eſt,ſpecies, quòd ſpeciem & imaginem inanem præſe ferat, cum abſit veritas. Hinc quæ nos ſimulachra vocamus; illa Græci vocant idola. Hæc eſt vera & germana ſignificatio vocabulorum. Verum in ſcripturis ſanctis ſunt hęc vocabula appropriata ad ſtatuas & imagines eius, quod falſo numen creditur, ſicut baptiſmus ſignificans ex ſe omnem ablutionem, appropriatus eſt ut nobis ſignificet ablutionem ſacramentalem. Idolum igitur hic, atq; in alijs locis diuinæ ſcripturæ accipitur ꝓ ſtatuis,atq; ſimulachris,& imaginibus erectis ad repręſẽtandũ id quod falſo creditur Deus,repręſẽtans quidẽ Deũ,ſed mendaciter; quia omnino nõ eſt Deus,qđ pro Deo repręſẽtatur.Ideoq; beatus Apoſtolus veriſſimè dixit:Idolum nihil eſſe, hoc eſt,nihil habere in ſe eius, quod creditur numinis, aut veritatis. Siquidem ficta, falſaque eſt effigies eius, quod non ſubeſt. Quam ob cauſam ſtatuæ, & imagines ſanctorum inter Chriſtianos nequaquam dici poſſunt ſimulachra,aut idola; qa nihil tanquã Deũ, & nihil itẽ mẽdaciter repręſentãt, ſed vera eſt earum repręſentatio,eius ſcilicet,quod re vera eſt;& ſub ea quidẽ ratione eſt,qua repręſentat,ut ſtatua Diuæ uirginis repræſentat nobis beatiſſimã virginẽ Mariã,tanquam matrem Domini, & ſpeculum virtutis, quod re vera ita eſt: non autem repręſentat eam tanquam Deum, quomodo idolum Dianę repręſẽtabat Dianam tanquam Deam, idque mendaciſſimè. Si certe fieret apud nos ſtatua alicuius ſancti ad repręſentandum ſanctum illum tanquam Deum Chriſtianorum, iam verum eſſet idolum ſicuti idolum Iouis, aut Solis

Adorationis definitio.

Beatus Thomas adorationem deſfininens inquit. Adoratio eſt exhibitio reuerẽtię alicui perſonę ratione dignitatis, & excellentiæ in ea habitę. Quid autem reuerentia ſit,explicat Scotus dicens. Reuerentia exhibere, eſt bona propria ęſtimare parua in comparatione illius, cuius bona reputas magna; tunc enim alicui reuerentiam exhibemus,cum nos ipſos in eius comparationem parui facimus, & eo inferiores, & viliores nos eſſe æſtimamus. Hæc autem ęſtimatio duobus modis fit, vel intellectu, quando aliquid maioris eſſe valoris, quàm aliud iudicamus, & tunc cum intellectus illud pluris æſtimat, reueretur: vel voluntate, cum ſcilicet voluntas pluris hoc æſtimat,quàm illud;& tunc pluris æſtimare eſt plus amare. Exemplo hoc facilius intelligetis. Fingite duo hic eſſe lintea,vnum quidẽ ſerico eleganter & artificioſe elaboratum,aliud uero auro ſed non tanto artificio elaboratum: ſi vobis daretur electio, intellectu quidem aureum linteum maioris valoris & pretij iudicaretis nihilominus tamen ſericum plurimi eligerent, quia illud non intellectu, ſed voluntate pluris æſtimãt. Hinc intelligetis bonorum & malorum differentiã:Chriſtiani enim omnes per fidem, & rerum diuinarum cognitionem,quã habent,intellectu credunt & æſtimãt, Deum infiniti eſſe valoris, & gloriæ bona humanis & caducis præſtãtiora eſſe,& ita intellectu omnes Deũ adorant & reuerentur. Mali vero quamuis intellectu Deum, & cæleſtia bona pluris æſtimant,quàm humana: volũtate tamen pluris æſtimant humana, hæc

Beat. Tho. 2 2. q. 84. art. 1. & q. 103. ar. 1. Scot. in 3. ſentent. diſtin. 9. q. vnica, littera. a.

Simile.

quæ

quærunt, hæc amant, hæc eligunt Dei obliti,& ita veram & perfectam reuerentiam Deo non exhibent : in qua tam intellectus quàm voluntatis æſtimatio requiritur, fides ſcilicet & charitas : quia (vt ait Beatus Auguſtinus) verus Dei cultus fide inchoatur, ſpe,tenetur, charitate perficitur. Hinc patet quã pauci vere & perfecte Deũ adorent : peccatores enim omnes, qui humanas res pluris quàm Deum voluntate ęſtimant, verè illum non adorant.

Beatus Aug. in Enchirid. c. 4.

Præter hanc interiorẽ adorationẽ, eſt alia adoratio exterior,quę corpore fit, quia(vt Damaſcenus ait)quoniam ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali, ſcilicet, & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerre debemus:exterior autem adoratio ex his corporis motibus conſtat, cũ ſcilicet dimittimus corpus, genua flectimus, Deum tanquam Regem noſtrum venerantes, cum pectus tundimus erraſſe nos confitentes, & alijs huiuſmodi cæremonijs vtimur; quibus cæteros ad deuotionem prouocamus: Interior enim adoratio per exteriorẽ tantũ cognoſci poteſt: ijs etiam in nobis ipſis deuotionis excitatur affectus;& quemadmodum & animam, & corpus à Deo accepimus, ita etiam æquum eſt vtroque illi ſeruire.

B. Damaſ. lib. 4. Orthodo. fidei. c. 13. in princi. D. Tho. 22. q. 84. ar. 2.

ADVENTVS
Domini.

CVM Sacroſancta mr̃ Eccleſia hoc ſacrato tempore ineffabilẽ vnigeniti filij Dei ĩ carne humana aduentum in mundum celebret, & in Chriſtianorum memoriam reuocet, his diebus Dominicis aliqua proponit Euangelia,in quibus clariſſima continẽtur teſtimonia, qualiter Ieſus Chriſtus Redẽptor noſter ſit verus in lege veteri promiſſus Meſſias;idcirco ea,quę hic adnotauimus, his diebus Chriſtianis proponẽda eſſe decẽs,atq; expediẽs iudicaui.Prouidus autẽ concionator illa poterit inſerere, ſuper illa verba,Tues qui venturus es, an alium expectamus? aut ſuper illa. Medius autem Veſtrum ſtetit, quẽ vos neſcitis, maxime ſi concionem habiturus eſt ad populos,in quibus cõuerſi ex genere Hebręorum habitant: hęc namq́ue doctrina nimis efficax eſt ad ipſos in ſacratiſſima fide noſtra confirmandos.

Pertinaces Iudęi liberè fatẽtur,Brachiũ illud de quo Propheta Iſaias ait, Brachium Domini cui reuelatum eſt? Meſſiam eſſe,quem ipſi falſo expectãt, dicuntq́ue eum futurum eſſe brachiũ Dei, atque inimicorum ſuorum victoriam : credunt tamen hos inimicos, quos Deus hoc potenti brachio ſuperaturus eſt, hoſtes viſibiles populi Hebræorum eſſe,qui ipſos Hebræos euerterunt, & in diuturna collocarunt captiuitate, quales fuerunt Chaldęi, Gręci, Romani, ac cęterę barbarę gentes Iudæorum aduerſariæ, de quibus ipſi vindictam per manũ Meſſiæ ſumpturos ſe eſſe expectãt.Deus enim vt illi aiunt,promiſit ſe Meſſiam,uelut fortiſſimum, & bellicoſiſſimũ Ducem miſſurum, illumq; omnes has gentes vi armorum, & belli ſtratagemate victurum, ipſos denique non ſolum in libertate conſtituturum,verum etiam imperium,& glorioſum dominium eis daturum. Et ad hoc afferunt in ſuam ſententiam Regium Prophetam, qui cum Meſſia loquens, ei ſic ait, Accin

Iſaias 53. *Pſalm. 44.*

gere

gere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſime. Sagittę tuę acutę, populi ſub te cadent in corda inimico rum Regis. Et rurſus de eodem Meſſia verba faciens inquit, Dominus regnauit exultet terra &c. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et Sanctus Eſaias, Erit (ait) in die illa &c & leuabit ſignum in nationes, & cógregabit profugos Iſrael, & hoſtes Iuda peribūt. Et iterum apud eundem Iſaiam dicit Dominus. Ego poſuite quaſi plauſtrum triturans nouum, habēs roſtra ſerrātia. Triturabis montes, & comminuues eos, & colles quaſi puluerem pones.

Pſalm. 96.

Iſaia. 11.

Iſaia. 41.

Sed pro uera explicatione horum locorū obſeruare oportet, certiſſimū eſſe, Aſſyrios, & Babylonicos uiros fuiſſe in omni armorum genere ſtrenuos, plurimoſque eorum Reges extitiſſe, qui ingentes de hoſtibus ſuis victorias reportarunt, ſuoque imperio totum ferè terrarū orbem ſubegerūt. Perſę vero, ac Medi, qui his ſucceſſerunt, fuerūt etiam maximi bellatores, terramque dominati ſunt, de quorū numero fuit Cyrus, ac Xerxes. Gręci autem hos omnes ſuperauere: inuictus enim Alexāder inſtar fulminis breuiſſimo tempore totum ferè terrarum orbem peragrauit ipſumque deuicit & ſuę ditioni ſubiecit Poſtea denique Romani de totius orbis populis triumpharunt, innumeraſq; uictorias adepti ſunt. Ex quibus præcipue numerantur Scipiones, Marcelli, Marij, Pōpeij, & Cæſares; ad quorum fœlicitatem orbis terræ perexiguus fuit. Has autem omnes uictorias & imperia nō per ſe, ſed diuina prouidentia ſunt cōſequuti. Nam Dominus dicit. Per me Reges regnant, per me Principes imperant. At uero ante quàm Deus illis has victorias concederet, nec illas promiſit, nec exaggerauit, nec per aliquē nuntium eis ſe illas daturum nunciauit. Quis ergo humani iudicij, ac mētis particeps ſibi perſuadere poteſt, Deum uictorias regna, ditiones, & imperia, quæ his barbaris nationibus infidelitate, atque abominati onibus plenis conceſsit, & quotidie concedit, hæc, inquam, omnia abſque promiſſione, ponderatione, atque exaggeratione, & tanquam ſi eis nihil elargiretur, dediſſe; id ipſum eundem Deum populo ſuo electo, & quē nimio amore proſequebatur magna cum exaggeratione (hoc eſt, [*Encareſciendoſelo mucho*] ac multis ante ſæculis promiſiſſe? Et ad hoc eis conſtitutis temporibus Prophetas mittebat, qui ipſos de eiſdem promiſsionibus nouiter confirmarent; & tam alto pretio eis promiſſa illa uendebat, ipſoſque in tanta admiratione poſitos tam longo tempore expectare faciebat, vt etiam hodie, quando poſt primam promiſsionem plus quàm tria millia annorum ſunt transacta, nondum impletum ſit, quod ipſi miſeri expectāt, nec vllo unquam tempore adimplebitur, non enim hoc eſt, quod illis Deus promitebat. Magna ergo profectò cæcitas eſt credere amores, promiſſa, amplificationes, atque exaggerationes Dei in armis, bellis, uexillis, & morte plurimorum innocentium, atque in hoſtium captiuitate finem & impletionem ſuam eſſe habitura. Tantum ne robur eſt mortem mortalibus inferre, muroſque, ac turres (quæ de ſe corruunt) demoliri, & labefactare ut Deo ipſi aut conueniens, aut glorioſum eſſet, ad id facere brachium ualidum, ac tale ut ob hoc fortitudo ipſius Dei uocaretur? O quā uerum eſt id, quod de illis Propheta Iſaias Dei nomine dixit, ſcilicet. Non enim cogitationes meæ, cogitationes ueſtræ, nec uiæ ueſtræ, uiæ meę, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt uiæ meæ à uijs ueſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus ueſtris. Hæc ſunt uerba, quæ ſtatim in mentem eius, qui has inſanias cogitat, uenire debent. Aliæ victoriæ, ò gens cæca, & miſerabilis, alii

Iſaia. 59.

alii triumphi, alia libertas, alii principatus, & imperia longe maiora, ac meliora ſunt, quæ uobis Deus promittit. Aliud eſt brachium eius, & alia fortitudo ualde differens, & quę nimis id quod cogitatis antecellit. Vos terram, quæ perit & conſumitur, expectatis, Deus autem nobis cœleſtem terram promittit, uos libertatem corporis maxima cum abundantia, & proſperitate (qua mens perire ſolet) praſtolamini Deus uero libertatem uitiorum & animæ uitam promittit, uos ſperatis aliorum domini eſſe, Deus autem promittebat uos facere dominos ueſtrorum ipſorum, uos expectatis ſucceſſorem Dauidis, qui ueſtram uobis primã terram reſtituat, ſed Deus, qui abſq; comparatione aliqua eo liberalior eſt pollicebatur non filium Dauid tantum; ſed filiũ ſuum, & ipſius Dauidis ſimul, qui infinita uirtute ſua uos à Dęmonis & peccati poteſtate liberaret, & in terram uitæ ac ſempiternæ gloriæ aſportaret. Propter quod Malachias Propheta dixit. Statim ueniet ad templũ ſanctum ſuum Dominator, quem uos quæritis. In quo ſanctus Propheta docuit, Meſſiam eſſe uerum Deum, cum templum Hieruſalem ſuum eſſe dixit, non quidem ſuum, quod manus eius erexerunt, aut ſerui de ipſius mãdato, ſed ſuum id eſt, ipſi tãquam uero Deo conſecratum, & in eius honorem erectum, & ideo ſanctum templum, & nõ prophanum. Hoc demonſtrationis genere B. Athanaſius aduerſus Arianos utitur. Quod autem de Meſſia ſit ſermo in Propheta Malachia ipſemet demonſtrat cum ait. Quem uos uultis. Hoc ſummis uotis erat priſcis illis hominibus, ut Rex Meſſias ueniret in mũdum. Poſtea uero addit ſanctus Propheta effectus aduentus eius dicens. Et colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.

Malachiæ. 3. cap.

Beat. Athanaſius.

Hęc ſunt bona digna immenſi Dei, & ſimiles donationes, & non aliæ exaggerationem ac multitudinem illarum promiſsionum adimplent, & cum illis conueniunt.

Si autem dicitis. Quid ſupracitatis locis in quibus obcęcati Iudæi fundantur reſponderi? Ad hoc uobis dico debilem eſſe defenſionem, literam magis, quam rationem uelle ſequi, maxime cum ipſa euidens ratio uerum ſenſum aperit ſcripturæ. Sed & id in hoc negotio aliquem haberet colorem, ſi ipſæmet diuinæ literæ in alijs locis ueram ſuam intelligentiam non patefacerent. Nam idem Propheta Iſaias, dum ſine ambagibus, & figuris de Meſſia loquitur, eum nomine Dei in hunc modum depingit. Ecce ſeruus meus, electus meus; complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet, non clamabit nec accipiet perſonam, nec audietur uox eius foris, calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, in ueritate educet iudicium, non erit triſtis nec turbulentus. In his uerbis manifeſtiſsime oſtenditur brachium hoc, & fortitudinem Dei, uidelicet Chriſtum Redemptorem noſtrum non eſſe militarẽ fortitudinem, nec facta pręclara humilis, & manſueti agni (qualem hic Sanctus Iſaias depingit) eſſe factabelli corporalis, ubi ira & crudelitas dominantur. Nec minus apertum, & manifeſtũ eſt id, quod idem Propheta alibi aſſeruit dicens. Et percutiet terram uirga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiũ. Si enim arma, quibus terram percutit & impium uita priuat ſunt uiua, & ardentia uerba, aperte cõſtat opus huius brachii non eſſe aduerſus corpora armis carnalibus dimicare, ſed armis ſpiritualibus contra uitia agere. Atque ita iuxta hoc idem Propheta eum omnibus bellicis ornamentis armat dicens. Indutus eſt iuſtitia ut lorica, & galea ſalutis ĩ capite eius; indu-

Iſaiæ. 42.

Iſai. 11. c.

Iſaiæ

induτus eſt veſtimẽtis ultionis,& oper
tus eſt quaſi pallio zeli. Regius etiam
Propheta,poſtquam dixit, Accingere
Pſal. 44. gladio tuo ſuper fæmur tuum poten-
tiſſime,ſtatim explicuit de quo gladio
loquebatur,dicens. Specie tua,& pul-
chritudine tua intende, proſpere pro-
cede, & regna, id eſt. Pulchritudine
tuarum ingentium uirtutum,& magni
ficẽtia pulchrorum beneficiorum tuę
excellentis charitatis (quibus percuſ-
ſiſti, & amore maximo attraxiſti mor
tales) his, inquam, ſpiritualibus ar-
mis, quæ non corpora, ſed corda fe-
riunt, & penetrant, intende proſpere,
procede, & regna. Et ab excellentia
huius pulchritudinis ſequitur id,quod
inferius dicit: Sagittę tuæ acutæ (po-
puli ſub te cadent) in corda inimico-
rum Regis: hoc eſt. Ex hac ſpiritua-
li tuę charitatis, & bonitatis pulchri-
tudine,ſagittæ illæ tuo amore incenſę,
atque inflammatæ prodiere, quæ qui-
dem dulcia tua uerba fuerunt: quibus
tuorum inimicorum corda percuſſiſti:
& ita amici tui effecti ſe ſe tibi ſubiece
runt. Ignis autem de quo Rex Dauid
Pſal. 96. ait, Ignis in circuitu eius, ineffabilis
eius amor eſt,quo in circuitu inimicos
ſuos inflammabit.Deniq; ut finem fa-
ciamus, (hoc enim negotium perquã
Iſai. 61. neceſſarium eſt)idem Propheta Iſaias
apertiſſimè,& abſque ambagibus offi
cium Ieſu Chriſti Saluatoris mundi
robur,& fortitudinem eius, atq; bello
rum ipſius qualitatem deſcribit,intro-
ducens Chriſtum Dominum ſic dicen
tem. Spiritus Domini ſuper me, eo ꝙ
vnxerit me: ad annuntiandum man-
ſuetis miſit me: vt mederer contritis
corde, & prędicarem captiuis indul-
gentiam,& clauſis apertionem:ut præ
dicarem annum placabilem Domino,
& diem ultionis Deo noſtro, ut conſo
larer omnes lugentes, ut ponerem for
titudinem lugentibus in Sion, & darẽ
eis coronam pro cinere. Vt autem in
his verbis nullum dubium remaneret,
concludit dicens. Et uocabuntur in
ea fortes iuſtitiæ plantatio Domini
ad glorificandum. Vbi ſunt modo hi,
qui ſe ipſos decipientes promittunt ſi
bi armorum fortitudinem, cum Deus
ipſis fortitudinem virtutis, & iuſtitiæ
aperte promiſerit? Nonne videtis quã
clare dicat,ſe ad bonum nuntium man
ſuetis afferendum, & nuntiandum ue-
nire,non autem ad muros expugnan-
dos, nec ad corporales hoſtes debel-
landos? Non ad interficiendas gladio
gentes, ſed ad medendum cordibus.
Nõ ad bellum inferendum,ſed ad prę-
dicandum. Verum placet nunc inter
rogare quare Deus,ſiquidem tanti be-
neficij populo ſuo promiſſionem fa-
ciebat, eam ſub carnalibus bonis, &
uiſibilibus illis operuit,ſciens optime
hoc eſſe uelum,quod oculos debiles il
lorum hominum poterat obcęcare?
Ad hoc reſpondere poſſumus cum
uerbis Apoſtoli dicentis. O altitudo Ad Rom.
diuitiarum ſapientiæ, & ſcientię Dei, 11.
quam incomprehenſibilia ſunt iudi-
cia eius,& inueſtigabiles uiæ eius?quis
enim cognouit ſenſum Domini? Quã-
uis autem hoc ita ſit, aliquot tamen
huius rei ſolent rationes aſſignari, ex
quibus unam tantummodo in præſen
tiarum afferam, uidelicet propter il-
lius gentis duritiem, & paruam fidu-
ciam,quam ſemper in Domino habue
runt, nec non propter ingentia crimi-
na, & horrenda peccata, quæ in diui-
nam maieſtatem commiſerunt. Et
hęc iuſtiſſimæ cauſę Deo fuerunt, ut
ænigmatice, & figuratiuè eis loqui di-
gnaretur. Quod & uoluit facere, quia
intellexit id eis,qui tunc boni ac fide-
les erant, & poſtea futuri erant, ſat
eſſe & ſufficere: perditis autem,& con
tumacibus clariorem lucem non debe
ri. Itaque uidit altiſſimus Deus ueri
tatem illam mediocriter occultam qui
buſdam honeſtum exercitium futurã,
cum illam inquirerent,& ſanctam uo-
luptatem, cum illam inuenirent: id
autem ipſum aſpexit futurum eſſe alijs
laqueum,& offenſionem emeritum,ta-

men

men propter grauia,& horrenda ipſorum peccata. Magnum profectò, ac iuſtum ſupplicium fuit illatum illis, qui cum haberent coram oculis uitã, mortem turpiſſimè amplexi ſunt, & odio habuerunt id, quod tantopere cõcupiuerant, &, ut melius dicam, uidentes non uiderunt, & audientes non audierunt, ac denique cum eſſent luce circundati, inertes tenebras explorarunt,& peccando amplius peccare meruerunt,quouſque mortem Deo ſuo inferre non dubitarunt, in quo quidem peccatum ſuum uſque ad ultimum perduxerunt. Quæ omnia Deus illis per *Iſaiæ.6.c.* Iſaiam Prophetam multo antea prædixerat his uerbis. Vade, & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, & uidete uiſionem,& nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua & oculos eius claude, ne forte uideat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat,& corde ſuo intelligat, & conuertatur,& ſanem eum. Quod autem ad hanc cæcitatem,& ſurditatem deſeruierit illis Deum figuratiue,& parabolice loqui, ſumma ueritas Ieſus Chriſtus oſtendit *Lucæ.8.* dicens. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei,cæteris autem in parabolis,ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. O ſeuerum Dei ſupplicium? Cauete fratres mei, ne peccata peccatis addatis:ſi peccatũ commiſiſtis, ſtatim pœnitentiam agite,ne uobis ſimile contingat. Si apertis oculis mentis ueſtræ has omnes rationes contemplati eſtis, apertiſſime conſpicietis, quam efficaciter hęc teſtimonia comprobant, Chriſtum Redemptorem noſtrum,uerum eſſe in lege promiſſum Meſſiam, cuius infinitis meritis à peccato redempti fuimus, & æterno patri reconciliati. Simus igitur Deo gratiſſimi, eius benedictum nomen continuo glorificantes, & diuinis eius præceptis obedientes.

Aduentus Domini.

NOn ſatis mirari poſſum quomodo Iudæi Meſſiam ſuum domini ſuæ,& genti ſuæ repromiſſum,expectatum,deſideratum, non cognouerunt, uerum cęli & terræ Deum in humana natura hominem factum, ſed purum hominem,quamuis excellenter iuſtũ, & Deo charum ſunt arbitrati: cum mille ſuorum Prophetarum ſcripturæ clament, ac præconizent Meſſiã Deũ cœli,& terræ eſſe creatorem, & Dominũ,immo nec ut peccati generis humani Redemptorem, ſed Regem magnũ potentiſſimum,qui uel omnem mundi gloriam, honores, diuitias,delicias ad nutum ſuis Iudæis poſſit concedere.Talem expectabant Meſſiam ſuum. Ab hoc autem ſecundo placet hoc argumentum ordiri. Quid obſecro eſt, *Geneſ.4.* quòd moriens Iacob Patriarcha in Ægypto in has uoces animam exhalauit, vel aliquantulum ante confeſſus eſt ſuæ fidei ſpem certiſſimam Salutare tuum expectabo Domine. Quid ſenex multorum dierum,qui uiam vniuerſæ carnis ingrediebatur,& à morte abſorbebatur, quid inquit, Salutare tuum expectabo?Nunquid in hanc vitam regreſſum ſibi pollicebatur ſub Meſſia, ut bonis carnalibus cum cæteris filijs frueretur? Minime gentium, Sciebat optime, quòd homo ſpiritus *Pſal.77.* uadens eſt,& non reuertens, niſi in magni iudicij reſurrectione. Quid ergo expectabat cum inquit.Salutare tuum expectabo Domine?Qui Meſſiam ſalutare Dei compellat?Infirmitatem magnam profitetur, nõ qualis ab Auicenna uel Hippocrate curari poſſit: non enim corpus,quod mandat filijs aſportari in terram ſibi promiſſam,curandũ erat medicamine materiali. Quid ergo ſalutare Dei moriens expectat? Quem fructum ab illo deſiderat, qui iam moriebatur?Pro huius quæſtionis reſponſione obſeruandum eſt, hunc

virum licet iuſtum, & Deo charum, morientem ad patriam cœleſtem non aſcēdiſſe, quod ipſe fide illuminatus certiſſime ſciebat. In diebus nāq; proxime elapſis, cum Ioſeph crederetur mortuus, gemens & lachrymans dicebat. Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Nunquid cum Ioſeph uenditus eſt, in Ægyptum non erat iuſtus, & ſanctus Iacob pater eius? nunquid & Ioſeph iuſtus non erat? Ecce de illo

Geneſ 37. dicit. Deſcendam ad filium in infernum. Ergo ibidem eſſet anima Ioſeph, ergo ſi tunc ageret animam Iacob, in infernum deſcendiſſet: non enim in patriam, & gaudia regni cœleſtis abiret, ſed lugens deſcendiſſet in infernum: ergo tunc, cum collectis filijs mortuus fuit, in infernum deſcendit. In ſpem ergo redemptionis per Meſſiam quem ſalutare Dei expectabat, exhalauit animam Iacob. Opus ergo illi erat redemptore, ut redemptor eſt; ergo expectandus erat à Iudæis Meſſias ſuus, ſiquidē ſummi illi patres talem illum profitentur. Quod poſtmodum Propheta Za-

Zachar. 6. ea. charias clariſſimis uocibus decantauit inquiens. Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti uinctos tuos, q erant in lacu, in quo nō erat aqua. Obſecro, attende, ô Iſrael, ad quem dirigit Propheta ſermonem cum inquit. Tu quoque. Vtrumque in oratione dicit Propheta: Tu, & quoque. Sic legis in Propheta Zacharia. Exulta ſatis filia Siō, Iubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus uenit tibi iuſtus, & Saluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum aſinæ. Vobis loquitur Propheta ad gaudium, & lætitiam, meritiſſime inuitat pro ingreſſu regis Meſſiæ

3. Reg. 11. in ciuitatem ueſtram. Olim dixerat Dauid. Vocate mihi Sadoch ſacerdotem, & Nathan Prophetam, & Benaiā filium Ioiadæ, qui cum ingreſſi eſſent coram rege, dixit ad eos. Tollite uobiſcum ſeruos Domini ueſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, & ungāt ibi eum Sádoch ſacerdos, & Nathā Propheta in regē ſuper Iſrael, & canetis buccina, atque dicetis, uiuat rex Salomon. Non agit Propheta Zacharias ſermonem de mula Regis, de apparatu bellico, de buccina, & tibijs, quæ inuenta ſunt in Rege Salomone: ſed aſinam, & pullum filium aſinæ cōmemorat, & iuſtè, cum de Rege ſuo ageret ſermonem, quam pauperem profitebatur, cui ſat eſt aſinam, & pullum habere, quos aſcēdat. Pauper (inquit) aſcendens aſinam & pullum. In aduentu pauperis Meſſiæ iubet Propheta gaudere et iubilare Hieruſalem, et filiam Sion: ſublimius multo, quā olim ſub Salomone: de quo clamore, & gaudio dicit ſcriptura. Et inſonuit terra à clamore eorum. Pauper ergo eſt Rex veſter, non ſolum cum in mundum uenit, uerum & cum ciuitatem ueſtram ingreditur ſolenniter, et in laudibus, et iubilis uniuerſæ gentis. Quod in ſacratiſſimo Ieſu Domino noſtro com- Matt. 21.
pletum eſt, qui ingrediens ciuitatem Hieruſalem, iuſſit aſinam & pullum filium eius adduci ſibi à diſcipulis, ſuper quo ſedens ingreſſus eſt in hymnis, & laudibus, & in Ramis palmarū, & oliuarum, & in oſanna filio Dauid. Vbi, id quod in Pſalmo ſcriptum eſt, completur. Ex ore infantium perfe- Pſal. 8.
ciſti laudem, & illud. O Domine ſaluum me fac, O Domine bene proſpe- Pſal. 117.
rare, benedictus qui venit in nomine Domini: conſtituite diem ſolemnem vſq; ad cornu altaris. Quod & factum eſt in die palmarū. Et ibidem decantat ingredienti Meſſiæ uſque ad cornu altaris, poſtquam deſcendit de aſina & pullo: Deus meus es tu, & confitebor tibi Deus meus es tu, & exaltabo te. Quare? Quia factus es mihi in ſalutem? Nunquid non mortuus erat tunc Dauid? Certè ſic: ſed factus eſt in ſalutem ei, ſicut & Iacob. Deus ergo, & Saluator in ſanguine ſuo Meſſias Redemptor. Ad hunc ergo dirigit ſtatim ſuum Propheta Zacharias ſermonem,

cum

tum inquit. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos, qui erant in lacu, in quo non erat aqua in ſanguine, quem effudiſti pauper, ſed iuſtus. Propter hoc quidem emittere potuiſti vinctos tuos, quia ſanguine & iuſtitia actum à te eſt contra diabolũ, & peccatum primi hominis. Hoc nimirum erat uinculum, quod eos detinebat in carcere, & lacu ſine aqua, id eſt, lymbo, qui quamuis uincti erant, tui erant. Quid eſt, Tu emiſiſti vinctos tuos: ut inquit Propheta? Tui eſſe non poſſunt, ſi purus homo ô Rex Meſſia tu es. Quomodo tuus Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſes, & Samuel, & Dauid, qui ante te per millia annorum fuerunt in mundo? immo tu, ô Rex, Meſſia illorum es, & poſterior, & filius, unde nec Dauidis Dominus eſſes. Cuius cõtrarium in Pſalmo ipſe decantat. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. *Pſal. 119.* Tui ergo ſunt, quia tu illorũ Deus, Dominus, & Redemptor. In hoc, ſalutare Dei, te compellat Patriarcha Iacob, & te expectat moriẽs, vt Saluator illius ſis in ſanguine tuo, quia iuſtus, & Saluator tu es. De quo manifeſtiſſime Iſaias Propheta inquit. *Iſaie. 53.* Si poſuerit pro peccato animam ſuam (non pro peccato ſuo, qui iuſtus eſt, ſed pro peccato totius mundi) uidebit ſemen longæuum. Quod nunc inquit, peccatum, paulò antea dixit. Poſuit in eo Dominus iniquitatẽ omnium noſtrũ. Hoc igitur ſalutare Dei expectabat Iacob, cum moriebatur, pauperem, ſed iuſtum, vt Redemptorem, vt Saluatorem, non gloriam temporalem regni temporalis, aut dierũ lõgitudinem, qui iam uitam finiebat. Et certe ſi purus homo, quantumuis ſanctus, & Deo charus eſſet Rex Meſſias, & non ſimul verus, & naturalis Deus eſſet, ex ordinatione diuina Redemptorem agere non potuiſſet. Non enim ſine pretij ſolutione, quod magnum & infinitum erat, cum diuina iuſtitia ſit infinita, voluit Deus Redemptionem fieri generis humani. Hoc autem pretium nec purus homo, aut angelus ſupremus factus homo exoluere potuit. Oportebat ergo, quòd ſimul eſſet Deus & homo, mediator, & Redemptor generis humani. Quod mille uoces Prophetarum ſonant. *Iſaie. 35.* In primis nobiliſſimus Propheta Iſaias cum fœliciſſima tempora Meſſiæ deſcriberet, & digito demonſtraret, in quibus ſignis illum agnoſcerent, inter alia ſic loquutus eſt. Ante omnia deſcribens gentium fidem, & deuotionẽ, dicit. Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi liliũ, &c. Confortans aũt debiles, & imbecilles tanquam qui nõ poterant de manu & ſeruitute peccati ſe ſe liberare, inquit. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate, dicite. Puſillanimes confortamini, & nolite timere. Quare cũ ſit diabolus princeps huius mundi. Ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis. O bonum, iucundiſſimumq; nuntium. Sed quomodo ſciemus, quòd uere ſaluare nos poterit hic, quem Deum dicis? Multa enim ſignificat nomen Deus, & iudicem, & Principem, & Sacerdotem, &c. Attendite, quem prædico uenturum, nullus horum eſt. Immo Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos, Deus ipſe omnipotens. Aduentum eius agnoſcetis multis argumentis, & ſignis. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorũ. Quæ omnia per dulciſſimum Ieſum Dominum noſtrum dudum facta ſunt. Deus ergo ipſe eſt, qui venit & ſaluauit nos, non purus homo quãtumuis ſanctus, ac propterea ſigna ad eius cognitionẽ dedit: quia non manifeſtus uenit in gloria regni ſui, ſed ſub carne noſtra mortali, & paſſibili: de quo ſtatim dixit: Hæc dicit Dominus. *Iſaie. 45.* Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabain uiri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt (ad Meſſiam agit ſermonẽ) poſt

te ambulabunt uincti manicis pergẽt, & te adorabunt, te deprecabuntur. Tãtum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus, uere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Saluator. Miror etiam, quoſdam ex noſtris dicere non eſſe ſcripturam, per quam demonſtrare poſſimus Iudæis, Meſſiam uerum eſſe Deum, cũ tam aperte Iſaias Propheta hanc ueritatem in præſenti loco demonſtrauerit, tanto cum uerborũ pondere hac replicatione nominis, Deus: In quo maxime notandum eſt quòd dicit. Et non eſt abſque te Deus. Quòd ſi de uero Deo ſermonem non ageret, falſa eſſet propoſitio, & erroris plena. Si Meſſias purus homo, & propter excellentiam ſanctitatis, & officii Deus diceretur, & non quia naturalis Deus, falſum eſſet, & hæreticum dicere illi: abſque te non eſt Deus. Cum autem Deus uerus, & naturalis ſit; non eſt certè abſq; illo Deus alius. Pater namque non eſt alius Deus, alius in perſona eſt, alius Deus non eſt. Pater & filius unũ ſunt. propter quod & unus Deus, ergo Deus in quo eſt Deus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt, qui in Euangelio loquitur: Ego in Patre, & pater in me eſt. Qui Deus appellatur abſconditus propter aſſumpti corporis ſacramentum: & Deus Iſrael Saluator, quod interpretatur Ieſus. Seruiſſe autem ei Ægyptum, & Æthiopes, & Sabain excelſos uiros, atque ſublimes nemo dubitat, cum ei mundus fuerit ſubiectus ab exordio prædicationis Apoſtolorum.

Baruch. 3. cap. Apertiſſime etiam Baruch Propheta hanc ueritatem confirmat, cum de Domino, & Deo uero ſermonem faciens inquit. O Iſrael quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius? Magnus eſt, & non habet finem, Verbum hoc de Rege, aut de ſacerdote ſummo, aut de iudice dici non poteſt. Non de Dauide, aut Salomone, nec etiam de Aaron aut Samuele, qui omnes etſi magni, finem tamen habuerunt, & alij loco eorum ſurrexerunt. Sed nec ſequentia uerba ulli eorum conuenire poſſunt. Sed Deo cæli, & Domino uniuerſorum, de quo manifeſtiſſimè inquit. Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus. At dices; Viſus eſt aliquando in terris ſicut de Abraham, & Iacob ſcriptura enarrat, & ſacri Magiſtri Eccleſiæ exponunt, ſcilicet Beatus Athanaſius, Beatus Hieronymus, Beatus Damaſcenus, Beatus Irenæus. Verum hoc eſt, ſed cum nullo eorum conuerſatus eſt aliquando Deus cæli, qui eis apparuit. Deus ergo omnipotens in terris uiſus eſt: de quo Beatus Ioannes Baptiſta dixit. Medius autem ueſtrum ſtetit, quem uos neſcitis. Iam apertiſſime (ſicut demonſtrat Iſaias Propheta) conſtat, de quo Baruch ſermonem faciat, dicens. Hic eſt Deus noſter, & non eſtimabitur alius aduerſus eum. Meſſias ergo in lege, & Prophetis promiſſus, uerus, & naturalis Deus eſt ſecundum ſcripturas, quod ipſe ſufficienter oſtẽdit apud Iudæos, quibus inexpugnabilia ſigna ſuæ diuinitatis conceſſit, quibus ipſi diuinitatem illius agnoſcere potuerunt. Multi tamen eorum ad id cæcitatis uenerũt, ut uelamen, quo operiebatur Moyſes, ut eius faciem non aſpicerent Hebræi, maneat hodie illis in lectione ueteris teſtamenti, & ut ait. B. Paulus, uelamen poſitum eſt ſuper cor Iudæorum. Legem Moyſi ſecum portant, exiſtimantes eam eſſe uitam illis tributuram. Et non uident inſipientes homines, inde ſibi ipſis mortem conflari, unde uitam conſequi arbitrantur. Eadem enim lex æternum illis minatur excidium, qui Chriſtum recipere noluerunt. Quemadmodum Vrias literas Dauidis ſecum portans quibus rex duci exercitus præcipiebat, vt ipſi Vriæ cędem moliretur, exiſtimãs magnũ aliquid literis afferre, in illis mortem ſibi portauit. Sic perfidi Iudęi ſecum literas Dei portant, quibus ipſi damnantur, & ad mortem ſempiternam

Athan. ſerm. 4. con. Ariã. Hieron. ſup. Iſaç. ca. 6. Damaſc. li. 4. Orthodoxa fides c. 16. Irenæus. li. 4. aduerſ. hære. c. 2.

2. ad Cor. 3. c.

2. Reg. 11.

nam ducuntur. Ideo eis ipſa ſumma ueritas apud Ioannem dixit. Eſt qui accuſat uos Moyſes, in quo uos ſperatis. Hoc eſt, ipſa lex Moyſi, & omnis denique ſancta ſcriptura, qua uos Iudæi gloriamini, oſtédunt me eſſe Meſſiam, & Chriſtum Saluatorem mundi, & ipſa accuſat uos, quia me recipere non uultis. Vna ex præcipuis cauſis, ob quam Beatus ille Apoſtolus maxima admiratione commotus exclamauit ad Romanos, ſcribens, O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, fuit quia admirabatur glorioſus uir, quòd Deus abſtulerit regnum Dei Iudæis & cótulerit eum gentibus barbaris, idolatriæ cultricibus. Quid domine, hæc conueniunt cum promiſſionibus tuis? Non ne uerba tua ſunt; Hic habitabo quoniam elegi eam? Et Rurſum; In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam? Illud etiam. Filij eorum uſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedé tuam. Quonam ergo modo poſtea dixiſti. Auferétur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius? Hic obſerua, huiuſmodi promiſsiones De conditionem ſubintellectam ſecú ſemper afferre, quod ſi filij ſempiterni, & lex ſempiterna; ſi enim illi Deum nó derelinquerent, neque à Deo derelinquerentur; ſi illi teſtamentú Dei ſemper cuſtodirent; ſemper Dominus eſſet illorum Deus. Sed cum non ſolum Deo non ſeruierunt, ſed filium eius unigenitum occiderunt; æquum non erat, ut Deus ſtaret promiſsis. Hoc apertiſsimè multis retrò temporibus Prophetauerat Azarias, vt in ſecundo Paralipomenon ſcriptum eſt, vbi dicitur. Azarias autem filius Obed, facto in ſe ſpiritu Dei, egreſſus eſt in occurſum Aſſa, & dixit ei: Audite me Aſſa, & oís Iuda, & Béiamin. Dominus vobiſcum quia fuiſtis cum eo. Si quæſieritis eum, inuenietis. Si autem dereliqueretis eum, derelinquet vos. Tranſibunt auté multi Dies in Iſrael abſq; Deo vero: & abſque ſacerdote, abſque doctore quoque & abſque lege. Cumque reuerſi fuerint in anguſtia ſua, & clamauerint ad Dominú Deum Iſrael & quæſierint eum, reperient eum. Obſeruare quam euidenter miſerum & infelicem ſtatum, in quo nunc ſunt perfidi Iudæi hic ſanctus Propheta his verbis depinxit. Lapis ille angularis, quem ipſi reprobauerun, ſuper eos cecidit, & cófregit eos ſicut modo con fracti ſunt. Hic eſt lapis ille, de quo dominus apud Eſaiam ait. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem lapidem probatum, angularem pretioſum, in fundamento fundatum. Vbi aduerte, Iſaiam dicere hunc lapidem eſſe à Deo probatum, Dauid autem inquit eſſe reprobatum ab ædificantibus. Ad id amentiæ & prauitatis uenerunt homines, ut reprobent id, quòd Deus approbat. Solent qui magnificú aliquod ædificium conſtruunt, in lapide quodam angulari arma ſua & ſtemmata pingere, aut quocunque alio modo collocare. Fecit Deus templú quoddam uſque adeo magnificum, & excellens, ut nec noſter quidem intellectus poſsit eius dignitatem complecti. Eſt autem hoc templum Eccleſia Catholica, ædificium nobiliſſimum; ad quod cæleſtis pater miſit lapidem admirabilem, hoc eſt filium ſuum, qui non ſolú eſſet huius ædificij fundamentum; ſed etiam lapis angularis in pulcherrimo loco conſtitutus. Et eſt hic lapis ſcutú quoddam, de quo dicitur in libro Regum. Deus Dominus fortis meus ſperabo in eum, ſcutum meum & cornu ſalutis meæ. Arma, & ſtemmata huius lapidis, huius cæleſtis ſcuti, ſunt quinque ſtellæ aureæ in campo ſanguineo, hoc eſt; quinque illa ſacratiſſima Chriſti uulnera, arma glorioſa, & diuina trophæa, & inſignia noſtrarum uictoriarum. Tu uero conſidera uerború Prophetæ amplitudinem. Poterat enim dicere; Mittam uobis Meſſiá, ſed uoluit

Ioan. 5. *Ad Rom. 11.c.* *Pſal. 131.* *Pſal. 88.* *Pſal. 131.* *2. Parali. 25.* *Iſa. 28* *Pſal. 117.* *Simile.* *2. Re. 22.*

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

tam inſigne beneficium verbis inſignibus, & metaphoricis explicare. Eſt enim tranſlatio ſumpta ab ædificantibus, quæ verborũ amplitudine innuit rei magnificentiam, & maieſtatem. Appellatur autem Chriſtus Ieſus lapis angularis: quia vtrumque populum in vna Eccleſia copulauit. Ipſe enim eſt pax noſtra (vt Paulus ait) qui fecit vtraque vnum. Duo itaque populi inter ſe diſcrepantes Iudaicus, & Gentilicus in vnam fidem, in unam Eccleſiam, in unam Chriſtianam religionem conuenerunt. Hoc vaticinatus eſt Propheta Zacharias dicens. Erit Dominus rex ſuper vniuerſam terram in die illa, erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum: ac ſi diceret: Propagabitur Eccleſia ex gentibus, & Iudæis congregata, cuius Rex erit Ieſus Chriſtus. Ille coletur in tempore illo, & in omni Eccleſia nomen eius inuocabitur. Hic vero lapis angularis ſuper eos, qui eum reprobauerunt, & in eum credere noluerunt, cecidit, & confregit eos in pœnam ſuæ infidelitatis.

Ad Ephe. 1.

Zacha. 14. 6.

Aduentus Domini ſiue pro imitatione eius.

Michææ. 2.

DE aduentu Domini in carne loquens Propheta Michæas inquit. Congregatione congregabo Iacob totum te, in unum conducam reliquias Iſrael, pariter ponã illũ quaſi gregẽ in ouili, quaſi pecus in medio caularũ, tumultuabuntur à multitudine hominũ. Aſcendit.n. pandẽs iter ante eos, diuident & trãſibunt portã, & egredientur per eã: & tranſibit Rex eorũ corã eis, & Dñs in capite eorum. Hęc verba Paraphraſtes Chaldæus Ionathas, qui Chriſtum Redemptorẽ noſtrũ multo tẽpore præceſſit, ad tẽpora Meſſię deducit. Merito ergo doctores Chriſtiani hunc locum ad Chriſtũ Dominũ referunt, & Prophetiam eſſe aſſerunt, quæ explicet id, quod Chriſtus Ieſus erat facturus. Verũ aliqui hæc uerba intelligũt de cõuerſione generali Iudæorũ futura in fine mũdi per prædicationẽ Heliæ, ſicut dixit Chriſtus Redẽptor noſter apud Matthæũ. Helias cũ venerit, reſtituet omnia. Euſebius tamẽ lib. 2. de demonſtratione Euãgelica, cũ ſeptuaginta interpretũ interpretationẽ ſequatur, detorquet hæc verba ad Apoſtolorũ chorũ. Liranus autẽ ea intelligit, de cõgregatione patrum in lymbo, & de eorum eductione per Chriſtũ Saluatorẽ mundi. Erant, inquit, ibi conſtituti à Deo, vſq; ad tempus, & ſic aſcendit Chriſtus Dominus pandens iter ante eos: quia ſua morte aperuit cœlũ & diuiſit exiſtẽtes in inferno, & electi tranſierũt portã egrediendo, & Dñs in capite eorũ. Verũ ſi recte cõſideremus quæ antecedũt, & quæ ſequũtur non omnino hic ſenſus cohęret. Vnde cũ de Ieſu Chriſti regno, & eius fœlicitate uellet agere Propheta, hac forſan de cauſa, ne ipſum ſemper mala vaticinari arbitrarẽtur, qua ratione efficiebatur, ne ipſum audirẽt, ſicut inſinuare viſus eſt, dicit modo. Congregãs congregabo Iacob, colligendo colligã reſiduũ Iſrael. Quaſi dicat, modo permittã Iacob diſpergi, ob huius gẽtis immania ſcelera, & peccata: at licet tã acerba, & dura filij Iacob patiantur: veniet tẽpus quando omnes Iſraelitas quantumcunq; diſperſos cõ gregẽ, & ſimul in uno loco habitare faciã. At ne perfidi Iudæi, ex iſto loco aliquã ſibi ſumant occaſionẽ in ſua perfidia manendi, donec ab omnipotenti Deo in vnũ locũ congregẽtur, ſicut aliqui eorũ infœliciſſimè arbitrantur, attendant, quòd Propheta hic appellat Iacob non carnaliter deſcendentes ab Abrahã & Iacob: ſed illos, q̃ fidẽ Abrahę imitanť, & qui ſecundũ promiſſionẽ ſunt filij Iacob. Sic.n. ad Romanos ſcribẽs dicit Paulus. Nõ oẽs, qui ex circũciſione ſunt Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ, neq; qui ſemen ſunt Abrahę: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemẽ. Et ad Romanos quarto ait. Abrahã nõ ſolũ pater dr̃ circuncisorũ, ſed eorũ, qui ſectantur veſtigia fidei

Matth 17.

Euſeb. li. 2. de demõſt. cap. 50.

Ad Ro. 9.

fidei eius.Oẽs ergo huiuſmodi filios Iacob in vnũ cógregabo locũ,in vnã Eccleſiã:nó erit niſi unũ ouile,& vnus paſtor. Et ſic erũt oẽs filij Iacob, ſecundũ promiſsioné cógregati in unũ, hoc eſt in una fide quantũcunq; ſint diſperſi locis & corporibus,ſicut oues cógregari ſolẽt in ouili. Et erũt tã multi vt præ *Ad Gala.* multitudine tumultuentur: non quòd erũt in quieti,ſed ut oſtẽdat maximam copiã futurã id explicuit per effectum hunc;non erit illis cauſa tumultus aliqua,aut rixæ,& cótentionis:in Chriſto .n. Ieſu nõ eſt diſtinctio Iudæi.& Græci, oẽs ſimul in vno ouili laudabunt Deum. Et quia dubitare poſſet aliquis quomodo tãta, tamq; diuerſa hominũ ingenia in vnũ ouile congregari poterũt,& in unã ſententiã adduci: reſpondet: Aſcendit.n. pãdens iter ante eos. Quia aſcẽdet in crucẽ (præteritũ pro futuro,) patiẽdo pro omnibus & ſic ꝑ morté & crucẽ ſuã omnes ad ſe trahet, ſicut ipſe aſſeruit apud Ioanné his uer *Ioan. 12.* bis:Si exaltatus fuero à terra,omnia trahã ad me. Aſcendendo oſtendit fortitudiné ſuã:& ſic in oratione Abacuc dicitur. Et cornua in manibus eius. Quid auté per cornua intelligeret,explicuit: ibi eſt fortitudo eius, & pãdit iter ſuis, quo veniendum erat ad hoc ouile. Nã ipſe paſſus eſt pro nobis, uobis relinquẽs exemplum, vt ſequamini veſtigia *1.Petri.2.* eius.Non enim niſi per mortem Chriſti,& ſimul moriendo cum Chriſto, in hoc ouile ingredi licet: non niſi baptizemur, ad gregem Chriſti pertinere poſſumus,vel in re,vel in voto. At baptizari eſt mori cum Chriſto, dicente Paulo ad Romanos.Nolo vos ignorare fratres quoniam quotquot baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius *Ad Ro.6.* baptizati ſumus, conſepulti ſumus cũ illo iam ſi viuimus non ſumus illi priores,qui eramus, antequam baptizarentur. Sed iam noui homines ſumus, & poſtquã ipſe oſtendit iter, multi ẽt eadẽ uia gradiũtur,& gloriãtur,cũ tali itinere gradiãtur.Diuident, inquit,& trãſibũt portã,& egredictur per eã. Vnica eſt via vnica eſt porta ſalutis, ipſamet paſsio Chriſti: niſi ꝑ hãc portã nulli in Eccleſiã ingredi licet,ſicut ĩ Pſalmo di *Pſal.117.* citur:Hæc eſt porta Domini iuſti intra *Ioan. 10.* bunt per eã.Sic Chriſtus dicebat apud Ioãnem:Ego ſum oſtiũ, ſiquis introierit per me ingrediet,& egrediet,& paſcua inueniet. Et trãſibit Rex eorũ corã eis, ipſe prius patientiæ eis pręb ebit exemplũ, ipſe prius onera ſuſfert tentatus ꝑ omnia abſq; peccato: & ipſe dux erit,& ante eos præcedet. Sic Paulus dicebat ad Hebræos ſcribens. Recogitate eũ,qui talẽ à peccatoribus paſſus eſt *Ad Hebr. 4.* contradictioné ut nõ affligamini animabus ueſtris:nondũ.n. vſq; ad ſanguiné reſtitiſtis fratres:& Dñs in capite eorũ,hoc eſt ipſe lóge duriora patiet,longe acerbiora ſubibit tormẽta: uel ipſe erit in capite eorũ,ideſt,ſemper pręſto *Ad Hebr. 12.* aderit,ſemper opem feret:ut leuia, atque facilia omnia aduerſa ſuis eſſe uideantur,faciet,ut non attendant ad ea, quæ uidentur, ſed ad ea, quæ non uidentur. *1.Ad Cor. 4.*

Aduentus Domini.

De Aduentu Domini in carne lo- *Michææ 4.* quens Propheta Michæas inquit. Et erit in nouiſsimo dierũ, erit mons domus Domini præparatus in uertice montium, & ſublimis ſuper colles; & fluẽt ad eũ populi, & properabunt gentes multæ,& dicent: uenite aſcẽdamus ad montem Domini, & ad domũ Dei Iacob:& docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius:quia de Sion egredietur lex et uerbũ Domini de Hieruſalé. Cũ Propheta dura nimis,et grauia Hebræis ꝑ ipſorũ ſcelera uẽtura cõminatus fuiſſet moré prophetarũ ſeruans. (Nam, ut doctiſsimè annotat B. Chryſoſtomus ſuper Iſaiam, ſolebant Prophetæ, poſtquam triſtia, atque lugubria annuntiauerant, ut *B. Chryſo. ſuper Iſaiam.c. 1.* animos audientium leuarent, mentionem ingerere, de fœlicitate re-

ni Chriſti Ieſu, vt vel ſic auditores in officio continerēt ſpe Aduentus Meſſiæ) vt ſolatium præberet, & in ſpē eri geret, fœlicitatis regni Meſſiæ mentio nē ingerit, & ea prædicit, quæ eo tempore erant futura. Illud tamen notandū duximus, quod cum Micheas, & Iſaias eodem tempore prophetauerint, eadē prorſus paucis verbis variatis ſuis prę dicarunt propheтijs: cū enim eſſet res tanti momenti plurimum referre arbitrandum eſt, quę a Spiritu Sancto in ſcripturis congeminantur, & quæ ſub eiſdem uerbis ijſdem hominibus repetuntur. Ideo Dominus per prophetas iterum, atque iterum multa repetiuit. Iſaias ergo eadem, quæ hic Michæas ſecundo capitulo uaticinatur. Non ſolum autem Chriſtiani patres in hoc loco conueniunt, verum & ipſi Iudæi nobiſcum in hac parte conſentiunt, de Meſſia eſſe quę hic prædicantur, intelligenda: ſed miſeri, & cæci ex iſto loco colligunt aliqua argumenta, quibus perfidi homines in ſua perſiſtant perfidia, atque contendunt Chriſtum Redemptorem noſtrum, quem nos Chriſtiani fatemur verum fuiſſe Meſſiam, in ſcripturis ſanctis toties promiſſum, non fuiſſe Meſſiam, ſed adhuc oportere nos alium expectare cum illis Meſſiam. Nam duo iſti prophetæ Iſaias, & Michæas tempus aduentus Meſſię aſſignantes illum uenturum affirmarunt in nouiſſimis diebus. Verum cum ab aduentu Meſſiæ noſtri tot iam fluxerint anni, non (inquiunt) fuit uerus Meſſias, qui tempus à Prophetis prędictum tantum præuenerit. At quam miſere errent, & quam leui argumento nitantur, facile eſſet illis uidere, niſi velamen poſitum haberent ante oculos, ut dicit Paulus; & niſi liber ſacer illis eſſet ſignatus, ut prædixit Eſaias. Quid vero nouiſſimi dies in Scriptura ſancta appellentur, non niſi ex ipſa ſcriptura petamus? Sic & tempus aduentus Meſſiæ conſtabit, ſi oſtenderimus, quos nouiſſimos dies prophetæ appellent. Sancti patres nouiſſimos dies dicūt appellare ſcripturā finem Regni, ſacerdotijq́; Iudaici, & in illis diebus Meſſiam uenturum. Nam cum toties per Prophetas vaticinatum ſit, eum eſſe futurum lumen ad reuelationem gentium, eum futurum eſſe doctorem, & quem debere mus audire, ſi in fine mūdi veniſſet, non adeo vtilis fuiſſet eius aduentus. Ideo ſine dubio eſſe aſſerendum arbitror, ſcripturam ueteris teſtamenti nouiſſimos dies appellaſſe tempus illud, in quo Meſſias erat uenturus. Erant namq́ue illi dies nouiſſimi, in quibus tradenda erat lex, qua tradita nō erat alia expectanda, nec alius ſtatus Reipublicæ inferioris. Ideo Beatus Paulus ad Hebræ. ſcribens inquit. Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. Hoc firmiſsimè aſſerit Iulianus Pometus Archiepiſcopus Toletanus, ex Iudæo conuerſus ad fidem; lib. 1. ex tribus quos aduerſus Iudæos ſcripſit. At quod hoc ita ſit nec ſolum noſtrorum authoritati fidere uideamur, manifeſte colligitur ex illo loco Geneſis, cum Iacob Patriarcha ſuos alloqueretur filios. Congregamini filij mei (dicebat) ut annuntiē uobis, quæ uentura ſunt in nouiſſimis diebus. Et inter alia ſic ait; Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec ueniat, qui mittendus eſt. Quē locum & ipſi Iudæi cum Paraphraſte Chaldæo de Meſsia intelligūt. Ecce nouiſsimos dies Iacob appellauit tempus illud, in quo Meſsias erat uenturus. Eſt & alius locus in Daniele, ubi dicitur. Eſt Deus in cœlo, reuelans myſteria, qui reuelauit tibi, quæ uentura ſunt in nouiſſimis temporibus: & tamen multa ibi commemorat, ut uidere eſt, quæ in regno Chriſti, & eius aduentu fuere adimpleta. Nouiſsimos ergo dies appellat, ut diximus, tempus, in quo Chriſtus aduenit. Eſt tertius locus, qui hoc aperte conuincit, apud Ioelem. Vbi dicitur. In nouiſsimis diebus

2. Ad Cor. 3. — *Iſai. 28.* — *Ad Heb. 9* — *Gene. 49.* — *Daniel. 2.* — *Ioel. 2.*

bus effundā de ſpiritu meo ſuper omnem carnē. Quam prophetiam fuiſſe
Actuū. 3. illis diebus adimpletam præclare docuit optimus ſcripturarum interpres Beatus Petrus de uiſione uiſibili Spiritus Sancti, quæ ſuper illos uidentibus ipſis Iudæis facta eſt. Non ergo ex iſto loco colligere poſſunt aduerſarij aliquid contra nos, cum potius ex eo fidē firmemus noſtram, cum Chriſtum noſtrum Meſſiam in nouiſſimo dierū ueniſſe uideamus, & hoc à duobus cōcorditer dici Prophetis. Non equidē diffitemur ſcripturam ſacram, nouiſsimos dies etiam appellare ſolnam, illos ſecundi aduentus Chriſti Redemptoris noſtri poſtremos dies, quando in fine
Iob. 19. mūdi in maieſtate ueniet, ut omnibus
2. Petri. 1. pro meritis, & dignitate retribuat. Sic Sanctus Iob, dixit. Credo, ꝙ Redēptor meus uiuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum. Et Beatus Petrus, dixit: Nos regeneratos in ſpē uiuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, paratam reuelari in tēpore nouiſsimo Ridiculū uero eſt audire, quæ miſeri Iudæi de hac Prophetia, (ſcilicet, Erit mōs domus Domini præparatus in uertice montium, & ſublimis ſuper omnes colles) proponūt. Dicunt enim, hic à Propheta prædici Meſsiam (cum uenerit) adoraturū mōtē Sinai, Thabor, & Carmeli, & ſuper eos cōſtituere debere, ac attollere mōtem domus Domini, ideſt, montē Siō. Hinc colligunt ſuū eſſe expectandum Meſsiam, cum hæc adimpleta non uideant. At quam ſint indigna iſta, quæ à uiris doctis proferantur, nemo certe eſt, qui non uideat. Ideo Rabbi Salomon Gallus in expoſitione ſuper Iſaiam tractans iſta uerba, hanc eleuationem non niſi ſpiritualiter futuram intelligit; Eleuandumque eſſe montem Sion quantum ad dignitatem, quippe in illo ait, longe maiora, atque præſtātiora opera efficientur, quàm alibi reperiamus facta; quod nobis clarè ex Euangelio conſtat, cum ibi Chriſtum Redemptorem noſtrum tam multa feciſſe miracula legamus, cum in illo loco Spiritum Sanctum è cœlis miſerit, cum ibi homines docuerit, ibi legem Euangelicam uiua uoce tradiderit, ibique ineffabile Sacramentum altaris inſtituerit. Quia uero miſeri Iudæi, & cæci ex Iſaiæ uerbis argumentum ſumunt contra noſtram religionem (de hac enim re uerba faciens, dixit. Et fluent ad eum omnes gentes, neque tamen omnes ueniſſe gentes conſpiciunt) libuit hic breuiter annotare Prophetam Michæam, Iſaiam explicuiſſe, & uniuerſalem illam enunciationem non tam amplè eſſe ſumendam, quàm miſeri blacterant, oſtendiſſe; ſed quomodo frequenter huiuſmodi phraſes loquendi in ſcriptura reperiuntur? Annotatum enim legimus à Rabbi Dauid Kimhi Doctiſsimo inter Hebræos in libro Seraſim, ut etiam ex eorum teſtimonio ueritatem noſtram comprobemus, dictionem uniuerſalem, omnis, aliquando comprehendere ſingula, & aliquando partem multitudinis, quod oſtenditur ex
eo quod legimus in Geneſi. Et omnia *Geneſ. 24.*
bona Domini in manu eius, & alibi. *Geneſ. 41.*
Omnis terra uenit in Ægyptum, & in *4. Reg. 8.*
lib. Regum. Accepit omnia bona Damaſci. Tempus me deficeret in citandis teſtimonijs. Et hoc etiam annotatum legimus à Beato Auguſtino lib. 4. contra Iulianum cap. 8. Sed certe, quòd ſic ſint ſumenda Iſaiæ uerba clarius Michæas Propheta docet, quàm ut explicatione egeat. *B. Auguſt. li. 4. contra Iulianum. c. 8.* Cum uniuerſalem illam enunciationem ſic explicuerit, dicens ad montem illum, de quo illi erat ſermo, uenturos populos, & properaturas gentes multas: Idem per populos, & gentes intelligens, ſed alijs, atque alijs uerbis, quod frequens eſt in ſacra ſcriptura, quibus uerbis Eccleſiæ amplitudinem declarare uoluit, & illam futuram populoſiſsimam, ad quam multæ gentes cōfluere deberent, quod etiam per Re-

gium Prophetam dictum legimus. In conſpectu eius procident Æthiopes. Et alibi: omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te. Tanta erit Eccleſiæ magnificentia, & amplitudo, vt non ſolum Iudæos, verũ etiam gentiles multos recipiat, quod templo Iudæorum, de quo ipſi tantum gloriabantur, conuenire nequit. Gentibus enim illa lege interdictus erat ingreſſus templi, & hoc vehementer dolebat Hieremias non obſeruari, quam calamitatem acerrime in threnis deplorabat, dicens. Vidi gentes ingreſſas ſanctuarium, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam. At vero Eccleſia non tam anguſtis limitibus continetur, ſed vniuerſas vndecunque terrarum gentes expanſis manibus recipit. Vtitur autẽ Michæas, cum hoc dicit, verbo Nahar, quo ſignificatur impetus ille, quo flumina ad mare tendunt ſua ſponte: vt promptam, & alacrem gentium obedientiam oſtendat, & quod ſolo verbo obedierint, ſicut dictum eſt in Pſalmo. In auditu auris obediuit mihi. Et dicent, inquit Propheta: venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: illi, inquam, qui tam prompto animo ad montem iſtum venerint, cum guſtare cœperint ſuauitatem bonorum, quæ in illo reperiuntur, nõ contenti erunt, ſe ſolos illorum bonorum participes eſſe, ſed & alios inuitabunt, & exhortabuntur: vt ad eundem montem conſcendant, & ſtatim ſe præbebuntur aliorum doctòres, quod maximum eſt charitatis ſignum, non ſolum de ſua ſalute ſolicitos eſſe, ſed etiam aliorum ſalutem anxiè, & ſolicitè curare. Sed illud etiam aduertendum eſt, quãtum inter iſtum montem, atque illum in quo lex data eſt, interſit. Ad illum enim montẽ nemo accedere audebat, vt ex ſacro Exodi textu conſtat. Ad iſtũ vero montem ſine metu aliquo, aut pauore accedunt, & alios ad aſcendendum hortantur. Quem autem montem Domini dixerat, exornandæ orationis gratia, domum Dei Iacob nominat. Cum enim Iacob Deo valde fuerit gratioſus, & illi multum familiaris, ſæpius in ſcriptuis Deus Iacob dici ſolet. Verum aliud Iudæorum argumentum ſe ſtatim offert, quod ex iſtis uerbis miſeri ſumunt, ut Chriſtum Redemptorem noſtrum nõ fuiſſe Meſſiam contendant: quod nunquam nos qui eius fidem ſumus amplexi, inuicemus alios ad domum Dei Iacob conſcendendam: ſed quoſdam ad domum Diui Pauli alios ad domum Diui Franciſci, aut alterius ſancti. At ſi aduerterent, & oculos aperire uellent, facile cognoſcerent Chriſtianos uiros ad Chriſtum, & eius Eccleſiam conſcendere, & in illo ſuam ſpem collocare ſolitos eſſe. Quòd ſi dicunt. Eamus ad domum Diui Petri, aut alterius Sancti, non eo quidem, quòd templum Petro, aut Paulo dicatum ſit: templa namque non niſi Deo dicantur. Eſt enim cultus latriæ, qui ſoli Deo debetur. At in memoriam, & honorem ſanctorum, eorum nominibus templa inſignimus. Sicque in conſecratione Eccleſiarum non dicitur. Tibi Petro, aut Paulo hanc dicamus Eccleſiam, aut conſecramus, ſed Deo tantummodo. Et licet multa templa Deo dicentur: una tamen eſt domus Dei Iacob, una Eccleſia Catholica, quæ eſt omnium fidelium conuentus. Sequitur amplius: docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius. Quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Volens Sanctus Propheta rationem reddere, quare ſe ad ueniendum inuitabunt, hoc inquit: nam lex quædam à Chriſto mundi Redemptore concedenda ibi erat, quę non ad unam familiam pertineret, non ad vnum populum, ſed ad omnes omnino gentes, à Sion uero & Hieruſalem ſuum habuit initium prædicatio Euangelij: eo enim in loco dictum eſt diſcipulis. Euntes in mundum uniuer-

ſum

tum prędicate Euangelium omni creaturę. Maxime equidem perpendendum eſt, hæc uerba ſatis aperta eſſe ad demonſtrandum legem aliam à Deo eſſe concedendam pręter priorem, quam antea per Moyſem tradiderat. Ita ut nullo modo his uerbis ualeant ipſi Iudęi reſpondere, qui in hoc perpetuo uerſantur errore, legem illam priorem in ęternum duraturam, neque unquam abolendam, quod maximas excitaſſe tragædias in primitiua Eccleſia legimus. Aduerſus quos acerrimè ad Galatas, & ad Philippenſes, & ad Hebręos Beatus Paulus inuehitur docens illam priorem per hanc nouam eſſe euacuatam. At quomodo debeant intelligi loca, quę dicunt, illud teſtamentum futurum fuiſſe ęternum, docet Beatus Auguſtinus. Nam dandam eſſe aliam diuerſam ab illa, ex iſto loco conſtat: primum à loco: nam illa in monte Sinay, hęc autem in monte Sion: à perſona, nam illa ſolum populo Iudaico, hęc autem omnibus hominibus data fuit: à tempore, nam illa ante tempora Michæę, hęc autem multis poſt annis danda: de hac enim dictum eſt per Iſaiam: Feriam uobiſcum pactum, miſericordias Dauid fideles. Quem locum Beatus Paulus adducit ad hoc probandum in Actorum libro. De eadem etiam loquitur Hieremias, dicens. Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quòd feci patribus eorum. Qui locus ad hoc probandum à Beato Paulo adducitur, dū ad Hebræos ſcribit. Et Iſaias, ait. Attendite ad me popule meus, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum innoteſcet. Et Baruc quoque inquit: & ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum.

Marci. ultim. — *B. Auguſt. li. quæſt. ſuper Exod. q. 43. & 124. & li. 17. de Ciuit. c. 6.* — *Eſai. 55.* — *Actor. 13.* — *Hiere. 31.* — *Ad Heb. 8* — *Iſai. 51.* — *Baruc. 3.*

Aduentus Domini.

DOctiſſimus Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis plurimis uerbis exequitur, cur Spiritus Sanctus unum quendam præſcripſit locum Hieroſolyma, intra quem, & alibi nuſquam veteris legis ſacrificia perfici poſſent: unde dirutis Hieroſolymis ad noſtra uſque tempora Iudæi, neque habent ſacrificia, neque altare excitant, neque ungunt Sacerdotes, neque Reges, neque celebrant feſtos dies ueteris legis, neque dona Deo offerunt, quod intra Hieroſolyma tantum hæc facere licebat: hic enim locus præſcriptus eſt, & præfinitus ueteris legis, & cæremonijs, alibi nuſquam licet hæc facere: unde Iudæi obnoxij maledictioni Moyſis ſunt, qui quidem quædam ſeruare contendunt in uniuerſis regionibus mundi, quę niſi Hieroſolymis, facere non poſſunt: vnde maledictioni Moyſis ſunt obnoxij, qui apertè ſcripſit: Maledictus omnis, qui non manet in omnibus ſcriptis in lege, ut faciat ipſa: quæ ſcripſiſſe Moyſem credimus, eo quòd Spiritu Sancto plenus proſpexerit teſtamentum nouum per Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum faciendum, & dandum omnibus nationibus, & ſuperuacuam uidit eſſe eo tempore legem ueterem: quam meritò intra vnum concluſit locum ea cauſa, vt ſi pellerentur Iudæi illo loco, & excluderentur ea regione, intra quam ſolam præfiniſſet celebrari poſſe ſacrificia veteris legis, & cæremonias: non poſſent vllo modo legem veterem ſeruare Iudæi, & intelligerent nouum teſtamentum, quod per Chriſtum erat faciēdum, recipere oportere.

Euſeb. lib. 1. c. 4. — *Deute. 12.* — *Deut. 27.*

Lata igitū à Chriſto Ieſu vero legiſlatore lege noua, ſtatim Romani ab imo vertere Hieroſolyma, & incendere templum Domini: & ſic antiquata eſt lex Moyſis, eo quòd Hieroſolymis tantum ſeruari poterat, alibi non poterat:

poterat: & iam ex eo tempore Iudæi maledicto Moyſis ſunt obnoxij, quòd quædam ex lege faciunt alibi, quàm Hieroſolymis. Hoc prædicit Iſaias cũ præſignificaſſet vaſtitatem Hieroſolymorum, quaſi reſpondeat Dominus tacitæ obiectioni, quæ poterat eſſe, ſi vrbs Hieroſolyma ſubuertatur, ſacrificia veteris legis offerri non poſſe: eo quòd cautum ſit in lege Moyſis, ne alibi hæc fiant quàm Hieroſolymis, quaſi tacitæ, inquam, obiectioni reſpondeat Dominus, ſe iam nolle ſacrificia veteris legis, peracta œconomia redemptionis, his uerbis. Quo mihi multitudinem victimarum ueſtrarum? dicit Dominus: Plenus ſum holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem uitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Vnde Beatus Ambroſius ſuper Pſalmos inquit: ubi uenit ueritas, ceſſauit figura, quare in Iſaia dicitur: Quo mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum: ubi abrogatio ueteris legis ſignificatur? ſic etiam hunc locum explanat Hirenæus martyr, & Beatus Cyprianus aduerſus Iudæos, & Tertullianus etiam aduerſus Iudæos in fine primi capituli. Quia uero Iudæi ſunt oppreſſi hoc teſtimonio, diſpungunt hũc locum hoc modo: plenus ſum, holocauſta arietum, &c. Quæ litera trecentis annis ante tempora Chriſti ita erat diſtincta, ut diſtinguunt Septuaginta interpretes, ſcilicet, plenus ſum holocauſtis arietum: & ſanguinem taurorum, & hircorum non uolo. Magna ergo neceſſitas fuit, quę perfidos Iudęos coegit aliter diſtinguere lectionem Hebræam, neque certè ulla alia, quam ut rimam aliquam aperirent, qua elabi poſſent, nam cur mutaret interpunctionem antiquam? Nihilo ſecius tamen utraque diſtinctio abrogationem ueteris legis ſignificat. Beatus etiam Chryſoſtomus oratione prima aduerſus Iudæos ſic hũc locum explanat. Vbi ait, Qua gratia ò Iudæe tuam urbem Hieroſolymam demolitus eſt Deus? Nam ſi uoluiſſet ſacrificia ueteris legis remanere, alterum è duobus illi faciendum fuit, aut non debebat præcipere, ut uos Iudæi uno tantum in loco ſacrificia faceretis, cum uos per omnes mũdi plagas eſſet diſperſurus: aut ſi uolebat, uos in ea tantum urbe ſacrificare, illam erat ſeruaturus: ergo Deus, qui uoluit abrogare legem ueterem, non ſolum debuit uos per uniuerſum orbem diſſipare, uerum etiam ſolam illam ciuitatem deſertam & inacceſſam reddere, in qua ſola uictimas iuſſerat immolare. An ſecum pugnat Deus, qui uno in loco ſacrificare iuſſerat, & rurſus ab hoc ipſo loco, quem præſcribit, excludat? Nequaquam &c. Ergo hoc inſolubile argumentum eſt, hoc diluant Iudæi, & Iudaizantes, quod eſt argumentum omnium ueterum patrũ aduerſum Iudæos, & quo facile ipſi euincuntur: nam dirutis Hieroſolymis, ubi tantum poterant fieri ſacrificia ueteris legis, abrogata eſſe omnia ſacrificia ueteris legis apertiſſime conſtat. Quod ut pauló infra ait idem Chryſoſtomus, nullo orbis loco permiſit Deus ſacrificia fieri, niſi in unis Hieroſolymis: dirutis Hieroſolymis, uel inuitos abducere uoluit illos à uictimis, nam ſi palàm dixiſſet. Deſiſtite, nequaquã facile ab immolandi inſania deſtitiſſent: ergo ſubuerſo templo neceſſario deſtiterunt. Ait etiam idem ſanctus Doctor: Centies inſtaurari in inuidiã Chriſtianorum à tyrannis inimiciſſimis Chriſtiano nomini in gratiam Iudæorum eſſe cęptum templum, & miraculo ſunt impediti à Domino: neque enim templum, neque Hieroſolyma, neque urbes Iudææ paſſus eſt unquam inſtaurari, neque patietur ullo unquam tempore. Hæc diluant Iudæi, his reſpondeant, quæ planè ſignificat tranſlatio Septuaginta interpretum.

Eſai. 1.

B. Ambro. in Pſa. 45.

Hirenæus. 4. cap. 32.
B. Cypria. lib. 1. aduerſ. Iudæos. c. 13.

B. Chryſo. orat. 7. ad uerſus Iudæos.

Ad-

Aduentus Domini.

OMnes infideles poſſumus cōuincere non ſolum argumentis,quę ſancti Doctores aſſerunt , quippe quæ efficaciſſima ſunt ad probandum, Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei, & mundi Redemptorem, ſed etiam propriis eorum hiſtoriis,quę huius diuini reparatoris prodigioſa miracula referunt.
Ioſephus. lib. 18. de antiq.c.6. Et in primis Ioſephus uir quidē apud illos magnæ auctoritatis, & inſignis hiſtoriographus,licet infidelis,nō potuit tamen uei itatem non cōfiteri quoniam munus hiſtoriographi gerebat, hæc ſuo libro de antiquitatibus dicit, loquens de perſonis memorabilibus, & de egiegiis factis, quæ in illis ſæculis euenerunt.Fuit,inquit,eiſdem temporibus Ieſus ſapiens uir(ſi tamen uirum nominare fas eſt) erat enim mirabilium effector operum,&doctor eorum hominum, qui libenter , quæ uera ſunt audiunt, & multos quidem Iudæorum,& ex gentibus ſibi adiunxit, Chriſtus hic erat . Hunc accuſatione primoium noſtræ gentis uirorum , cū Pilatus in crucem agendum decreuiſſet,non deſeruerunt hi , qui ab initio dilexerunt eum . Apparuit tertia die iterum uiuus ſecundum quod diuinitus inſpirati Prophetæ,uel hæc, uel alia de eo innumera miracula futura prædixerunt.Sed in hodiernum Chriſtianorum (qui ab ipſo nūcupati ſunt) & nomen perſeuerat , & genus . Voco hic omnes infideles,pręcipue perfidos Iudæos ſiquidem huic teſtimonio in confirmationem fidei noſtræ adducto ab uno eorum nequaquam credere uoluerunt. Eos.igitur obteſtor,ut ſi nouo teſtamento credere nolunt,ueteri fidē adhibeāt, ubi ſaciatiſſima reſurrectio Ieſu Chriſti ueri Dei , & reparatoris noſtri multo antea in ſacris uaticiniis apertiſſime prędicta fuit , quæ etiam (ut hic Iudęus auctor fatetur)ſimul cū aliis mirabilibus , quæ hic referuntur omnino adimpleta eſt. Si autem dixerint hac in re illi non eſſe credēdum, tunc quæro à uobis ò perfidi Iudæi , ſi huic auctori ueſtro in omnibus aliis rebus,quas in hiſtoria ſua refert creditis,quare in hoc ei fidem non adhibebitis ? Quòd ſi in hoc ei credere non uultis,nec in aliis credere debetis: nullum enim fundamētum uobis eſſe poteſt,quò minus in una, quàm in alia re ei credatis. Veſtra igitur malitia uos obcæcat,ne rem tam lucidam, & apertam uideatis. Audite, audite quod Spi *Pſal. 45.*
ritus Sāctus uobis per os regij Prophetæ dicit, Vacate, & uidere,quoniā ego ſum Deus. Auferte cataractas,quas ſuper oculos animæ habetis;vacate, [*Deſocupad el coracon dela malicia, que ciega el entendimiento,*]& uidete,hoc eſt,examinate argumenta quibus ſacroſancta lex Chriſtiana fundatur,& lucide atq; apertè cognoſcetis, quoniam ego ſum Deus,quod nullus alius ſit Deus præter me , qui exaltabor in gentibus , & exaltabor in terra ut per totum terrarum orbem, & in omnibus mundi partibus experiētia apertiſsima cōſpicitū.

ADVLATIO.

ADVLANTIVM linguæ homines in peccatis ligant,quos delectat ea facere,in quibus non ſolū non metuitur reprehenſor,ſed etiam laudatur operator. Aduerſus quos eſt ſermo Domini in Ezechiele Propheta ubi dicitur.Væ qui faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Vbi. B. Gregor.inquit.Quiſquis male uiuentibus adulatur,puluillū ſub capite iacentis ponit , ut qui corripi ex culpa debuerat

Ezech.13.

B. Grego. homil. 12. ſuper Ezechielem.

buerat in ea fulcitus laude quieſcat. Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus,ſalue, dicit; prodigos uocat liberales;auaros parcos & ſapientes, laſciuos curiales,garrulos affabiles,obſtinatos conſtantes, pigros maturos & graues,hæc ſagitta leuiter uolat,& cito infigitur.Deniq; facit, vt Chriſtus Dominus in animas peccatorum non reuertatur.Gratum fuit omnibus reſponſum Diogenis,quod Valerius Maximus refert, cui cum olera lauanti Ariſtippus dixiſſet;ſi Dionyſio adulari uelles,iſta nō ederes. Immo(reſpōdit Philoſophus)ſi tu iſta edere uelles, Dionyſio non adulareris.Hæc ueridicus ueritatis annunciator docuit, malens oleribus ſuſtentari, quàm magiſtratibus adulari.Vitium hoc animi anguſti eſt, uiri mendacis,ignaui,ſeruilis, futilis, & abiecti,manatq; à timore. Vnde Ageſilaus optimus ille Lacedęmoniorū rex,non ſecus aſpernandum adulatorē inſectandumq; eſſe dicebat, quā propriæ uitæ inſidiatores: & Socrates vir ſapientia, & eloquentia peritiſsimus affirmat, nullam Principibus peſtem adulatore pernicioſiorē eſſe, regemq; ſuum monuit,vt omnes illos uitaret & caueret, qui quæcunq; feciſſet, aut dixiſſet,laudabant: illis autem auſcultaſſet,atq; obtemperaſſet,qui eū monere auderēt.Sapienterq; Demetrius Phalereus Ptolemęū regē monuit, ut libros illos legeret,in quibus, præcepta Regibus,ac Ducibus tradūtur, quādoquidē doctiſsimi illi uiri ea ſcribunt,quæ nemo unquā Regibus, Ducibusve dicere audet. O ſapiētiſsimi uiri ſingulare documentum. Athenienſes priſcis temporibus adulatores capitali ſupplicio ex ueteribus legibus afficiebant. Legimus enim,Timagoram adulatorem dari ab illis publico conſilio, morte mulctatum, ne vnius ciuis mollitiſsimis blanditijs,et Perſica corruptione,tota ciuitas inficeretur. De hac re lege ſi placet Senecam in ſuis Tuſculanis quæſtionibus. De quo etiā Propheta Iſaias nos docet in hunc modum. Populę meus,qui te beatum dicunt,ipſi te decipiunt,& viam greſſuū tuorū diſſipant. Et in Propheta Ezechiele de quibuſdam adulatoribus dicitur.Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant cum luto abſque paleis. Populus Hebræorum ædificabat parietem,hoc eſt,peccatum;nam ſicut paries vicinū ab alio diuidit, ſic peccatū homines à Deo ſeparat. Vnde Sanctus Iſaias ait. Iniquitates veſtrę diuiſerūt inter uos,& Deū ueſtrū.Falſi Prophetæ atq; adulatores parietē peccatorū cū luto abſq; paleis liniunt. Hoc Sanctus Propheta ſic dicebat; eo quòd id, quod liniebatur luto, quā citiſſimè caſurū erat,ſi quidem paleis non miſcebatur,& inſerebatur,atq; ita deformitas parietis detecta appareret. Vtitur autem hac metaphora Sanctus Propheta,quoniam adulatores peccatoribus,quos Deus minis terrebat ſecuritatem præbebāt, & ſuis adulationibus faciebant,ut eorū peccata eis tam turpia,ac deformia, ſicut erāt, nequaquā viderētur:& quia colores iſti, atq; aſſentationes facile incidunt, ſiquidē in falſitate fundātur,& peccata ipſa turpiſſima in omniū oculis apparēt, peccatoresq; propter illa ignominijs fœdantur, & polluuntur; idcirco eas lutum ſine paleis uocat. O quot hodie in mundo his ſimiles reperiuntur?Qui quidem non ſequuntur doctrinam.B. Bernardi dicentis,uera amicitia habet nonnunquam obiurgationem; adulationem nunquam. Ex qua ſententia colligitur, adulatores non eſſe ueros amicos. Atque ita,D. Iſidor. inquit in lib.de ſummo bono. Non ſunt fideles in amicitia,quos munus nō gratia copulat.Hi citò deſerūt,niſi ſemper acceperint;dilectio enim, quæ munere glutinatur,eo ſuſpenſo diſſoluitur. Quapropter adulatores merito locuſtæ cōparantur, quæ una fuit ex plagis, quibus Deus Ægyptū flagellauit. Propriū eſt locuſtarū hyberno tēpore non apparere,

Valerius Maximus. lib.4.

Seneca li. 8. Tuſcul. quæſtion. & epiſto. 77.60.81

Iſaiæ 3.c.

Ezech.13.

Iſaiæ 59.

B. Bernar. in epiſt.

B. Iſidorus. lib.de ſummo bono.

Exod. 10. ca.

parere, nec etiã in locis, vbi cibus non reperitur; at verno tẽpore cũ in cãpis frugũ abũdantia conſpicitur, tũc hinc inde ſaltat, & ebullit. Sic adulatores nõ in domibus cõparent pauperũ vbi omnia frigus, & hyẽs ſunt, nec cibus, aut potus uel lucri aliquod expectatur: in domibus autẽ diuitum, ac potentum, vbi ſemper eſt ver, & magna rerũ affluentia, ibi ſaltant, mentiũtur & aſſentantur. Comparantur etiam ſpeculis, quæ in ſe rem repræſentant, ſicuti ipſis obijcitur: ita adulatores cũ rides, illi etiam ridere finguntur: ſi plórâs ſimiliter plorant: ſi taces, ſilentium approbãt: ſi loqueris uerba tua magnificant: ſi audaciam oſtendis, protinus aiunt fortunam audacibus fauere: ſi uero timorem, & ignauiam ſigno aliquo demonſtras, ſtatim inquiunt, homines non debere eſſe temerarios, ſed mites, & in perferendis iniurijs patientes: denique in tuam naturam, & ingenium rebus omnibus transformantur, tuaq; omnia ſuis coloribus depingunt ac repręſentant, præpoſtero tamen & inuerſo ordine inſtar ſpeculorum, quæ res nobis demonſtrant ordine uerſo: nam ſi faciem uerſus Orientem habeas, ſpeculum uerſus Occidentem repręſentat: ſic aſſentatores res tuas præpoſtere repræſentant, eorum enim intẽtum non eſt, te laudare, ſed à te commodũ, atque utilitatem educere. Quam ob cauſam antiqui adulatorem proprie depingebant, uidelicet cum lingua extra os, manu ſiniſtra ſuper oculos, dextera uero marſupium nummis plenum comprimente. Linguam extra os habebat: ut ſignificaretur adulator linguam ſuam paratiſſimam habere ad illã cuicunque condutẽdam. Oculos clauſos habebat, ut inſinuaret ſe cæcutiẽdo & quaſi diuinando dicere quæcunque dicit, nec intellectu ſentire ea quæ ore ꝓferr. Nummos in manu tenet, eo quòd omnibus ſuis actibus nihil aliud, quã pecuniã, ac diuitias acquirere intẽdit.

Simile.

Simile.

Adulatio.

PLutarchus in ſuis moralibus, ait. Simiam, cum nec domum poſſit ſeruare more canis, nec onus uehere ſicut equus, nec arare ſicuti boues, riſũ mouere, & paraſitare uidebis. Sic adulator cũ in ſerijs, ac grauibus rebus neſciat eſſe uſui, uoluptatũ miniſter eſt. Et ibidem inquit. Simia, dum hominẽ imitari conatur, ſæpe capitur, & adulator idem faciens alios capit, & allicit. De eiſdem etiam fert uir doctiſſimus. Quidam male pinxerat gallos gallinaceos iuſſitq; puero, ut ueros gallinaceos ꝓcul abigeret à tabula, ne collatione deprehenderetur. Sic adulator ueros amicos pro uiribus abigit, ne ex illorum comparatione deprehẽdatur fictus amicus. Rurſus ait idem. Vt qui uenantur, facilius feras decipiunt, ſi aliud agentes, hoc eſt, iter facientes, & agricolantes id faciant; ita maxime adulator laudat, cum nõ apparet, eum laudare. Et iterum. Qui alunt belluam, primũ accommodant ſe illius ingenio, & animaduertunt, quibus rebus offendatur, aut placetur, donec aſſuefacta ſit tractabilis; Sic adulator omnibus amici ſtudijs, & affectibus ſe ſe accõmodat. Seneca loquẽs de adulatione, ait. Quẽ admodum, qui audierunt ſymphoniã, ferunt ſecum in auribus modulationẽ, & illa ad dulcedinem, cantumq; cogitationes impellit, nec ad ſeria patitur intendi, ſic adulatorum, & prauus laudantium ſermo diutius hæret, quàm auditur, nec facile eſt animo dulcẽ ſonum excutere, proſequitur, & durat, & ex interuallo recurrit.

Plutarch. in moralibus.

Seneca. li. 2. Epiſt. 129.

AMBITIO.

Eccle. 7. c.

NOli quærere ab homine ducatũ, nec à rege cathedram honoris: inquit Sapiẽs. Quã tũ periculũ & peccãdi occaſiohominibus ĩ cautis ſit ĩ *1. Reg. 13.* dignitatib. eſſe, aperte conſpicit in regis Saulis euentu, qui (vt ſacra refert ſcriptura) filius vnius anni erat, cũ regnare cępiſſet. Super q̃ verba Chaldaicus gloſſator ait. In quo nulla erãt peccata. Itaque quando Saul in culmẽ, & dignitatem regiam erectus eſt, purus, & abſque peccato erat, veluti puer vnius anni, poſtea vero dignitatẽ illa Regia ita ſe peruertit, vt in ſtatu damnationis mortuus fuerit. Si igitur ille, qui à Deo in regalem dignitatem electus eſt, hunc finem habuit, quid, obſecro, de illis erit, quos homines eligunt? Et ſi ille, qui cum regni poſſeſſio *1. Reg. 10. c.* nem capturus erat (ut ex ſacro textu apparet) ſe abſcondit, poſtea quando in regni dignitate ſedit, ita corruptus eſt, quid de illis erit, qui dignitates tanta cum efficacia, atque animi ardore concupiſcunt? Qui enim illas cupit, & animi ſtudio cõtendit, apertum eſt, & manifeſtum eum ipſas non in Dei honorem, ſed in ſuum commodum, & vtilitatem quærere. O pernicioſam inſaniam velle hominẽ ſuper humeros ſuos tam graue onus imponere. Vnuſquiſque mortalium iure optimo de ſe dicere poteſt verba illa, quæ in officio defunctorum Eccleſia canit. Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea, quid faciam miſer, vbi fugiam, niſi ad te Deus meus? miſerere mei dum veneris in nouiſſimo die. Meamet peccata efficiunt, vt iudicium timeam, & ego inſuper alienis me volo onerare: magna profecto ſtultitia. Siquidem omnia crimina, quæ ſubditi negligentia prælatorum committunt, ſuper humeros ipſorum prælatorum imponuntur. Valde ergo inimici ſibi ipſis ſunt illi, qui propria voluntate tanto ſe periculo exponunt. Agens Da *Danielis. 7. c.* niel Propheta de quatuor mundi monarchjis, videlicet, Perſarũ, Chaldæorum, Græcorum, & Romanorũ, inquit. Videbam in uiſione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. Illas monarchias ſanctus Propheta uẽtos appellat, tum quia omnia imperia & mundi pompæ, aer, & uentus ſunt; nunquam enim permanent; tũ quia hę dignitates, & poteſtates, tanquam uehementes, ac impetuoſi uẽti, homines in ſuperbiam, tyrannidem, atque alia plurima crimina deijciunt, & præcipitant. Vocat etiam illas beſtias grãdes, & indomitas quoniam imperia, & dignitates tanquã bruta indomita mordent, & uulnera multa illis, qui ea poſſident, infigunt; tum etiam quia cum illis tanquam belluæ uiuere ſolent, non ratione, ſed propria paſſione ſe ducentes, & gubernantes. Ex quibus omnibus infertur quanto te offeras periculo ò miſer homo, dũ talia quærere ſtudes. Diſcat ergo unuſquiſque mortem potius eligere, quàm mundi dignitates ambitione inueſtigare. Celebre uobis exemplum adducam cuiuſdam ſancti uiri, cuius nomen erat Gaufredus Clareuallenſis Prior, ut quæ diximus altius percipiatis. Hic quidem electus Epiſcopus Tornacenſis, & ab Eugenio Papa, & ab Abbate Sancto Bernardo coactus, ut onus ſubiret, omnino tenuit, ſed proſtratus in modum crucis ad pedes Sancti Bernardi, dixit. Monachus fugitiuus ſi me eijcis, eſſe potero, epiſcopus uero nunquã ero; unde poſt

mor-

mortem apparens cuidam monacho ſibi clariſſimo illi interroganti. Quomodo tibi eſt? Dixit. Bene,ſed reuelatum eſt mihi à Beatiſſima Trinitate, quòd ſi in epiſcopum promotus eſſem,in numero reproborum fuiſſem:ſed cum eſſem ex electis,omnipotens pater miſericordiarum, ne dignitatem mihi pernicioſam,& nociuam reciperem,ordinauit. Audi hoc,& time o homo ambitione magnas ſæculi dignitates per fas, & nefas procurans, conſideraque quòd nunc in rogo inferni quondam dignitate ſublimati,cremantur, qui ob malũ dignitatum vſum damnati ſunt.

B. Hiero. lib. 3. in Matth.37 cap.

Væ nobis miſeris, ait Beatus Hieronymus ad quos Phariſæorum uitia tranſierunt, cum enim Chriſti diſcipuli ſimus, primas cathedras in Synagogis, & primos accubitus in cœnis amamus, ſicut illi.

Simile.

Penula,qua homo à pluuiarũ infortunio defenditur,non debet ſuperbire,quia ſuper omnes alias ueſtes locum habeat, & uideatur illis præeſſe. Non enim ideo illis ſuperponitur ut charior à portãte habeatur, ſed potius ut ſola deturpetur, porteque pondus pluuiæ,& niuis,& grandinis,unde aliæ ueſtes magis dilectæ penulæ diſpendio ſeruentur. Audite hæc, obſecro, qui alijs præeſſe totis uiribus contenditis. Nihil aliud vultis quàm penulã eſſe vẽtis,tentationibus, & lupis infernalibus expoſitam, ut alij fideles Deo chariores à tẽtationibus, dæmonisq; morſibus ſeruentur, & omnia ſuper uos cadant ſoliq; deturpemini, ſi peruigiles, quaſi rationẽ pro illorũ animabus reddituri non fueritis. Ne igitur ſuperbias ò homo in dignitate conſtitute: quia ſi male officiũ peragis,te,aliosq; deſtruis ſi aũt bene in magno tamẽ es periculo cõſtitutus,quãquidẽ omnes alios cooperires debes omniaq; tela cõtra te nequiſſimi hoſtis ſpiritualia, & ignita,nõ uero aqua aut grãdo incidere debẽt,vt nõ glorieris in tali dignitate,ſed potius corã Deo humilieris: quia ad ſubditorũ vtilitatẽ poſitus es in tã ingenti tuæ ſalutis periculo.

B.Hiero.in epiſto. ad Heliodorũ

Ideo B. Hieronymus ait. Nõ eſt facile ſtare in loco Petri, & Pauli,ſcilicet tenere cathedrã regnantiũ cũ Chriſto,quia hinc dicitur. Non ſanctorum filij ſunt, qui tenent loca ſanctorũ,ſed qui exercent opera eorũ. O ſingularẽ tã ſancti Doctoris ſententiã.

B.Gregor. lib.6.Epiſtol.39.

Beatusque Gregorius Anaſthaſio presbytero ait. Non loca vel ordines creatori noſtro nos proximos faciunt, ſed nos aut merita bona ei cõiungunt, aut mala diſiũgunt.

D. Chryſo. Hom.10.in Matt. 22. cap.

Beatus etiã Chryſoſtomus inquit. Homo Chriſtianus fortiter cadit in peccatũ propter duas cauſas, aut propter magnitudinẽ peccati aut ob altitudinẽ dignitatis.

B.Auguſt. epiſt.148.

Audite quoq; uos,rogo,B. Auguſtin. ad Valeriũ dicentẽ. Nihil eſt in hac uita & maxime in hoc tẽpore difficilius, & laborioſius epiſcopi,& presbyteri,aut Diaconi officio: ſed apud Deũ nihil beatius, ſi eo modo militetur quo noſter imperator Ieſus Chriſtus præcepit. Quis aũt ſit modus rectè animas gubernandi,nec à pueritia, nec ab adoleſcentia mea didici,& eo tẽpore, quo diſcere cœperã,vis mihi facta eſt merito peccatorũ meorũ. Nã quid aliud exiſtimẽ neſcio,nec in alio uideo, Deũ mihi magis iratũ ob ſcelera mea pterita, niſi in hoc,vt ſecũdus locus gubernaculorum mihi traditur, qui remũ tenere nõ nouerã, & cũ indignus eſſem poni ad remũ,poſitus ſim ad gubernaculũ,& animarũ regimen. O Sãcte Auguſtine Hæreticorũ mallee,& Eccleſiæ lumẽ ſi talia de re affirmas,quid faciũt ambitioſi audiẽtes magnũ Doctorẽ, plenũque uirtute,& gratia dicentẽ ſe indignũ Eccleſiæ ſubditũ eſſe quãtomagis gubernatorẽ? Audite ẽt aliũ prudentiſſimum Doctorẽ,& grauiſſimũ concionatorem

B. Chryſo. Homil.35. in Matthæum. 20.c.

Diuũ Chryſoſtomũ Conſtãtinopolitanũ meritiſſimũ Epiſcopũ dicentẽ. Multi ſacerdotes,multi Epiſcopi, multi parochi,& pauci ſacerdotes,pauci Epiſcopi & parochi. Si pauci, quo multi? Si multi quomodo pauci ò Epiſcope ſancte? Quomodo quæritis? Multi in no-

mine,& dignitate, & pauci in opere, & bonitate,non omnis ſacerdos ſanctus. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit cathedræ,qui male ſederit,iniuriã facit cathedrę, imo & Deo: & ipſe ſibi damnationẽ acquirit.Quod autem nobis magis timorem incutere debet, eſt quod idem ſanctus Doctor his uerbis ait. Quicunq; deſiderauerit primatum in terra, inueniet confuſionem in cœlo, nec de primatu tractans inter ſeruos Chriſti computabitur:nullus feſtinet quomodo maior alijs appareat,ſed quomodo inferior omnibus uideatur:quoniã non qui maior fuerit in honore inter homines, ille eſt iuſtior, ſed qui fuerit iuſtior,ille eſt maior. Auditis fratres dilectiſſimi quid sãcti iſti dicant contra uermiculos dignitates ſęculares,uel Eccleſiaſticas appetentes? Si aũt talia contra laicos dominari affectantes dicunt, quid cõtra mundo iam mortuos religioſos, in ſuaq; cellula ſepultos,& habitu funeratos tanquã ſindone inuolutos dicerẽt,ſi illos in deſerto ſanctę religionis de Prioratu,& Abbatia diſputantes, honoresq; omnibus uijs procurantes viderent? Monſtrum certe eſſe in natura affirmarent, mortuum uidere à ſepulchro ſurgentem,& magno deſiderio dignitatẽ petentẽ, cũ mortuus eſſet,& in ſindone inuolutus. Ecce(ut apud Iob dr̃)Gigantes gemũt ſub aquis,& qui habitant cũ eis.Et uos miſeri, terreniq; homunculi ſine ſcientia,& uirtute creditis poſſe ſub tantorum periculorũ aquis vſq; ad portum mortis ſecuri,& ſine culpæ ſuffocatione natare? Sancti illi,quos numerauimus Gigãtes proceri uirtute, & ſciẽtia ſub aquis dignitatũ gemebant,orabãt, & plorabãt,ualdeq; dolebant ob periculum eminens ſuis animabus: etiãq; eorum diſcipuli, qui cum eis habitauerunt,ſicut illi gemebant,& dolebant:& uos homines imperfecti, & qui nondũ uirtutem á limine ſalutaſtis nonueremini talia appetere? Si autem dicitis. Beatus Paulus ad Timotheum ſcribẽs ait.Qui epiſcopatum deſiderat,bonum opus deſiderat. Verum eſt,ſed perpendite, ſanctum Apoſtolum non dixiſſe bonam dignitatem, bonas diuitias, bonas uoluptates, bonosque honores eũ deſiderare:ſed bonum opus,hoc eſt,bonum laborem. Qui enim dignitatem, & honorem deſiderat, ſcandalum deſiderat,in quo offendat,& cadat. In circuitu impij ambulant, ait regius Propheta. Qui circum circa ambulans rotatur, caput eius facile euaneſcit, & putat totum etiam mundum inuolui, atq; ita mente captus in humum incidit:& cum in terra cadens proſternitur adhuc exiſtimat,ſe circum circa ambulare propter impreſſionem, quam ex gyris in capite habet.O ambitioſi,quis uos euaneſcere fecit, atque in tot malorum genera, & offenſiones Dei incidere,niſi plurimi gyri, & rotatus, atque itus,& reditus,quos negotiantes,& ſolicitè procurantes,quod deſideratis,diligentiſſime facitis? Vnde optimo iure ambitioſi filij Diaboli nuncupantur; nam pro eo,quòd nos legimus; homo naſcitur ad laborem,& auis ad uolatũ, Chaldæus interpres aſſentiens multis Hebræis ſic uertit. Homo naſcitur ad laborem,& filij Dæmonum ad uolatũ: quæ admirabilis eſt ſimilitudo rem declarans inauditam, ad eos uehemẽter, ſi ſapient,retardandos,qui potentiam, & dignitatem auide quærunt, ut filij Dęmonum,ideſt, ualde iniqui, & profligati homines naſcantur,ut hoc ſæculo clari,& eximij ſint. Quare nomine hominis ſic iuſtus appellatur, qui naſcitur ad laborem in hac uita ſubeundum,ut in alia gloria æterna fruatur. Auis uero,ideſt,uanus peccator, naſcitur,ut hic gaudeat; poſtea uero in æternum patiatur.

S. Chryſo. Homi.35. in Matth. 20. c. *Iob. 26.c.* *Ad Timo.* *Pſal.11.* *Simile.* *Iob.5.*

Ambitio.

QVemadmodum prioris ſæculi homines,ut legitur in Geneſi, Babylonis turrim ad cœlum uſque erigere nite-

Gene. 11.

nitebantur, quo in ea poſt diluuium à ſimili eluuione tuti eſſent: ita modo plerique hominum ad imméſas opes, & ſublimes dignitatum gradus aſpirãt, rati uidelicet ſe in eis uel fælices futuros, uel certe minus miſeros, quàm qui humili fortuna degunt. Qui enim hoc animo ſunt, non uident ſe quidem non miſerias effugere, ſed mutare. Diuina enim prouidentia, quæ in hac etiam uita unumquemque pro eo, atque eius opera merentur, diuerſis afficit commodis, & incommodis, uaria habet tela, quibus & potentes, & infirmos, ſublimes & humiles, diuites & pauperes feriat. Itaque ſi tu ſecunda fortuna uſus paupertatem diuitijs, uel humiliorem ſtatum ſublimiori commutaſti, non te quidem pauperum, ſed diuitum curę, labores, ac moleſtiæ premunt, quæ frequenter ſæpeque grauiores eſſe ſolent. Hinc Ariſtoteles mediocrem fortunam magis, quàm amplam à communibus quidem huius uitæ iniurijs tutam eſſe putat ideoque ſapienti uiro magis optandam. Vnde colligimus eos, qui mutatione ſtatus effugere huius uitę incommoda putant, ſimiles ijs eſſe, qui odio hyberni frigoris æſtiuum tempus optant: eos enim conſtat non temporum moleſtias effugere, ſed mutare, cum ij non quidem frigore ſed æſtu grauius affligãtur. His igitur euenire ſolet, quod per Prophetam Dominus comminatur his uerbis. Quomodo ſi fugiat uir à facie leonis, & occurrit ei urſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem: & mordeat eum coluber. Feriunt enim ſummos fulmina ipſa montes. *Amos. 5.*

Simile. Quemadmodum Bucephalus ille Alexandri Magni equus cum ſine fræno erat, ephippio, antilena, poſtilena, atque cæteris id genus pretioſis phaleris, quemcunque perfacilè ſuſtinebat ſeſſoré: at ubi exornatus eiſdem erat, ſolum Alexandrum præterea neminẽ admittebat, quemadmodum prodidit Plinius: ita pleriq́ue cum nulla dignitate, nulloq́ue magiſtratu conſpicui ſunt omnibus ſe ſe affabiles familiares, per humanosq́ue exhibent: at ſi aliquo honoris gradu afficiantur, illico cæteros deſpiciunt, eiſdemq́ue ſe inexorabiles reddunt, neminemq́ue ferè admittunt, & reuerentur præter Alexandrum, hoc eſt eum, per quem in tali dignitate fouentur, & conſeruantur. *Pli. lib. 8.*

Simile. Sicut gemmæ ipſæ ſplendorem ſuũ in obſcuro loco longe melius emittũt, quàm in meridiana luce: ſic multi cum priuatam agunt perſonam, longe prę clarius ſe gerunt, & odorem quendam ſuauiorem boni nominis redolent, quàm cum publicam obtinent dignitatem: ſiquidem indignius agunt, tum inplures incurrunt lapſus, atque defectui.

Quam timenda, & execranda ſit ambitio, peccatum, quod pontifices Hebræorum Chriſtum dominum occidendo commiſerunt manifeſtè declarãt. Percuſſus enim hoc ambitionis telo Caiphas, cum eſſet pontifex anni illius dixit: Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat. Sed ſuboritur hoc loco quęſtio non perfunctoriè prætereunda. Quomodo hic dicatur pontifex anni illius ipſe Caiphas, cum Dominus in lege præcepiſſet, ut unus duntaxat eſſet ſummus ſacerdos, cui mortuo filius ſuccederet, & loco patris ſacerdotium adminiſtraret? Sed reſponſio adhibenda, quód illo tempore lex illa Domini nó obſeruabatur apud eos, abrogata per ambitionem Iudæorum, & auaritiam Romanorum, qui in annos ſingulos ſacerdotium tunc pecunia uenditabant. Erat itaque illa tempeſtate pontificatus duntaxat annuus, & tranſacto anni curriculo, uni ſuccedebat alter, qui pontificalem dignitatem ſibi pecunia comparaſſet. Nempe de hoc Caipha referunt probati hiſtorici, quòd pretio ſibi unius anni ſacerdotium rede- *Ioan. 11.* *Exod. 28.*

demerit ab Herode. Et hanc morum corruptelam tunc Synagogę irrepſiſſe, haud difficile eſt ex Machabęorum hiſtoria deprehendere. Vbi nonnulli memorantur ad ſummum ſacerdotiū data grandi pecunia contendiſſe. Cum autem refert ſacer Euangeliſta de Caipha, quòd erat pontifex anni illius, magnitudinem impietatis, & grauitatem ſceleris eius præcipue demõſtrat. Quia enim cæteros dignitati pontificali pręibat, & auctoritate, debuiſſet maiori pietate, & religione in Deum effulgere, quo cæteris exemplo eſſet virtutem colendi, & diuina mandata ſeruandi. Ipſe uero reliquis immanior præcipitatior ad ſcelus, & ad cædem paratior, alios quaſi tardius agentes hortatur ad facinus dicens. Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit unius hominis uitam pro tota republica negligi. Quid ab homine ambitione pleno, niſi hoc expectari poterat? Liberet nos clementiſſimus Deus à tam lethali peſte.

2. Macha. 4.

B Cyrillus ſuper Ioannem li. 8. cap. 2.

Beatus uero Auguſtinus ſuper Ioannem inquit, quòd propter ambitiones, & contentiones inter Iudęos conſtitutum fuit, ut plures eſſent pontifices, & per annos ſingulos vicibus miniſtrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur. Factum eſt autem, cum ſacerdotio fungeretur Zacharia hoc dicitur. Factum eſt autem, cum ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis ſuæ ante Deum ſecundnm conſuetudinem ſacerdotij: ſorte exijt, ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini. Vbi apparet plures eos fuiſſe, & uices ſuas habuiſſe. Nam incenſum non licebat ponere niſi ſummo ſacerdoti, & forte etiã unum annum plures adminiſtrabant, quibus alio anno alij ſuccedebant, ex quibus ſorte exibat quis, vt incenſum poneret.

B. Auguſt. ſuper Ioa. tractatu. 45. 10.9.

Luc. 1.

Inter alia multa. quæ nos dehortari debent à dignitatū ambitu, & ſiti, illud maximū eſt ẽt, ne ex illis anſam, & occaſionẽ arripiamus diuinã maieſtatem offendẽdi, cũ præſertim qui dignitatibus præeminẽt, minus habere videantur, qui eos audeãt corrigere, atq; corripere. Mẽs quippe humana ad licentiã magis & uoluptatẽ, quã ad honeſtatem procliuis, magis à nobilitatis dignitate ſuperbiẽdi, quã patrias uirtutes imitandi occaſionẽ arripere ſolet. Quod Dionyſij ſenioris Syracuſanorũ tyranni filius exẽplo ſuo oſtẽdit, qui cũ à patre corriperetur, quòd Syracuſani cuiuſdã uiri uxoris uim intuliſſet, atq; inter alia diceret, ſi unquã audiſſet à ſe rem ſimilem factam fuiſſe, filius ita ei reſpondit. Hoc accidit, quod nunquam patrẽ Regem habuiſſt. At unus hic Regis filius multos habet intemperantiæ ſuæ ſectatores, qui nobilitatis occaſione omnia ſibi licere arbitrantur, cum tamen in maxima potentia minima eſſe licentia debeat.

Exemplũ.

Sic agũt illi qui mundi huius honores appetũt ueluti pueri papilionẽ animalculũ notiſſimũ ſectãtes: Papiliones etenim uolitãtes rectũ trãmitẽ nunquã tenent, ſed huc atque illuc inordinate uolitãtes, ſe ſe ſubinde agitant, & commouent: cumq; interdum alicubi ſedere uideantur, non longã tamen ducunt moram, ſed breuem, ac rapidiſſimam: pueri ergo hæc animalcula incertiſſimo uolatu diſcurrentia captare affectãtes, ſe ſe maxime commouent, hinc inde curſitant magno cum ſudore, & ꝙ intolerabilius eſt, cum papilionem ſe manibus iam apprehenſum tenere putant, in ſcrobem quandam improuidi, & incauti, quæ ante pedes erat, prolabuntur, & papilionem nulla ratione ſibi comparant. Quod ſi forte tandem aliquando poſt longam curſitationem, comprehenderint, exultant de re nullius momenti, quaſi ſi ingentes theſauros perpetuo duraturos inueniſſent: ita plane ſe gerunt qui mundanos honores ſitiunt, & affectant: hi etenim pariter incertiſſimo curſu uoluuntur & uagantur, ſuosq; uenatores, & ambitioſos homines non raro, ſed frequentiſſime fallunt, atque fruſtrantur.

Simile. B. Anſcelmus lib. de ſimi. c. 72.

Beatus

B. Aug. li. de cathe. c. 16. Iſaiæ. 40.

Beatus Auguſtinus libro de Catechizandis rudibus inquit. Quid ſunt honores ſæculi niſi vanitas quædam, & ruinæ populorum? Quia ſic Scriptura ſancta dicit. Omnis caro fœnum: & claritas hominis, ut flos fœni: fœnum aruit, & flos cecidit: uerbum autem Domini manet in æternum. Ideo qui ueram fœlicitatem deſiderat, debet tollere ſpem ſuam de rebus mortalibus, & prætereũtibus, & eam collocare in uerbo Domini: ut hærens ei, quod manet in æternum, ipſe etiam cum eo maneat in æternum. Porrò de ambitione etiam ſic ait Beatus Chryſoſtomus. *B. Chryſo. homi. 13. ad Populũ. tit. 5.* Quemadmodum ſæui quidam uenti in tranquillũ mare delati, totum ab imo ſubruũt, ut & arena cum undis miſceatur: ſic & ambitio, & turpis quæſtus animam ſubeuntes, omnia ſubuertunt: excæcant mentis intuitum præſertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere uolenti facile ſatis eſt, honorem autem à multis collatum deſpicere, multi laboris indiget, magnæ ſapientiæ, angelicæ cuiuſdam animę, ipſum cæleſtis teſtudinis uerticem tangentis. Non eſt enim, non eſt inquam uitium ità tyrannicum, & ubiq; dominans ex maiori quidem, uel ex minori parte, attamen ubique ipſum. Ergo quomodo uincemus? Et ſi non penitus ſi Deum ante oculos habeamus, ſi de terrenis maiorem capiamus cogitationem & cognitionem. Cogita cum gloriam concupiſcis, quod eam ſis aſſecutus, & diſce finem, & nihil inuenies. Cogita quantam ea res habeat iacturam, quot, & quibus bonis priuet: de terra recede, & ad illud cœleſte reſpicias theatrum. Homines licet laudauerint, mox tamẽ accuſant, uel inuident, uel carpunt. Sed hoc ſi non fecerint, nihil omnino proſunt. Deus autem non ita, ſed gaudet, noſtra laudans merita.

Lucæ. 18. Qui ſe exaltat, humiliabitur: inquit Dominus. Sæpiſſime quidem dæmon multis exaltationem, & propriam iactationem perſuadet ut inde eos tamẽ ignominioſius deturbet. Quare tibi diligenter cauere debes, ne diabolum etiam imiteris, qui propter ſuam arrogantiam atque ſuperbiam, miſere pręcipitatus eſt. Superbe enim dicebat. Super aſt a conſcendam & exaltabo ſolium meum. Sed uide, quid ſequatur. Verumtamen ad infernum detraheris. *Iſaiæ. 14.* Hoc ergo modo ſicut ipſe exaltatus cecidit, uult etiam homines exaltare, ut miſere corruant. *Simile.* Aquila in altum admodum teſtitudinem eleuat, indeq; inter immania ſaxa, ut manducet, miſere præcipitat: ita dę non plurimos in honores, & dignitates eleuat, ut maior ſit in infernum caſus. Vnde Iob ſuperbi perſonam agens ait. *Iob 30.* Eleuaſti me, & quaſi ſuper uentum tollens alliſiſti me ualidè. *Simile.* Item ſicut uas luteum, quod frangere uis, extollis à terra, ut fortius comminuatur: Sic diabolus extollit hominem, ut miſerabilius in infernum eundem præcipitet. Vnde in Prouerbijs dicitur: *Prouer. 18.* Ante ruinam exaltatur cor. Si quando aliquem uideris in honoribus, & mundanis rebus aſcendere, cum uirtutibus non ſit præditus: mihi crede, illud eſſe, ut maior ſit caſus eius.

Simile. Demoſthenes, per quãdam Emphaſim dicere ſolitus erat: Quòd ſi nobis promouerẽtur duæ uiæ, altera quidem quæ nos ad interitum adduceret, altera uero ad dominia, & imperia: illam potius, quàm hanc eligere deberemus. Hęc ſcribit Plutarchus in uita eiuſdem Demoſthenis.

Horatius quidem rempublicam appellat uarietatem quandam indomitorum equorum, cuius qui inſolenter ambit gubernationem, nihil aliud uidetur conari, quàm leuiuſculo uno fræno uarios equos indomitos domare, & ingẽtem nauem in tempeſtate ſæua ſolus gubernare.

Velim hic, chariſſimi, paulò altius mecũ expendatis, quàm fuerit natura humana ſauciata, ac deprauata poſt primi parentis piaculum, ita ut ſemper

in deteriorem partem ſit procliuior, ſic ſcriptum eſt. Senſus, & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentiā ſua. *Geneſ.8.* Non quòd Deus optimus talem creauerit naturam, ſed fecit hominem rectum: ipſe uero ſcientiā Dei perperam affectans miſerè cecidit, ita ut iam comparatus ſit iumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſit illis. *Eccleſ.7.* Quod ultimis ſuſpitijs deplorat regalis Propheta. *Pſal.48.* Itaq; homo quum puluis, & cinis ſit, humilia nihilominus fugit, alta frequenter appetit, cunctis præeſſe conatur auidus gloriæ, quamuis ſeipſum gubernare neſciat, ſibique præeſſe nequeat, ſuis & prauis affectibus non dominetur. Hinc filij Zebedęi ſedere ad dexteram, & ſiniſtram Chriſti expetunt. Hinc contentio excitatur inter eos, quis illorum uideretur eſſe maior, iam iam Saluatoris morte imminēte. O nos infœlices, de nobis quid erit, *Luca.22.* quando diſcipuli Domini, organa Spiritus ſancti, totius orbis lumina, humanæ ambitionis fomite titillantur? Sed profectò Spiritu ſancto repleti adhuc non erant, ſed uti infirmi dignitates appetebant. Quare, fratres, maxime oportet hanc lethalem peſtem fugere, & iterum atq; iterum illud ſapientis ſæpe ſæpius repetere. *Eccle.23.* Deus & pater uitæ meæ, extollentiam oculorum ne dederis mihi. Et quidem uitium hoc uel maxime præclaros uiros uexat, & in militia huius uitę nouiſſimū eſt. Vnde iure, ſuperbia uitę ultimum locū ſortitur inter uitia huius mundi. Omne quod eſt in mundo (ait Beatus Ioannes) aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt concupiſcētia oculorum, aut eſt ſuperbia uitæ. Obſeruanda hic eſt ſeries verborum. Quandoquidem autem ambitio importat inordinatum honoris appetitū, ſemper eſt peccatum, vt egregie docet Beatus Thomas. *B. Tho. 2.2.q.13.ar.1.* Hinc B. Paulus ad Corinthios ſcribēs clamat. Charitas non eſt ambitioſa, nō q̃rit, quę ſua ſunt. *1. Ad Cor. 13.* Qui ergo ſupra id quod eſt, cupit honorari, uel honorem non refert in Deum, uel in aliorum vtilitatem, is ambitioſus eſt. Tantum abeſt, vt primatu ſit dignus.

AMICITIA.

OMNI tēpore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur: inquit Salomon in ſuis Prouerbijs. *Prouer.7.* Et Eccleſiaſticus ait. Si poſſides amicū, in tētatione poſſide eum: *Eccle. 6.c.* & ne facile te credas ei: eſt enim amicus ſecundū tēpus (id eſt, quando tuo auxilio opus habet) & nō permanebit in die tribulationis. *Simile.* Peſſimi amici ſunt uelut torrētes amniculi, qui hyberno tempore, cū nulla neceſſitas aquarum urget, prę abundantia inundant: uerno autem tempore, quando aqua maxime neceſſaria eſt, nihil in eis præter quam duriſſimos lapides quibus dētes confringere, & pedes offendere poſſitis, reperietis. Sic falſi & infideles amici ſūt, in quibus nihil boni, cū opus fuerit, & ſe occaſio obtulerit inuenietis. Poſtquā S. Thobias oculorū uiſum recepit, & in priſtinū uitæ proſperæ ſtatū peruenit, inquit ſacer textus. Venerunt conſobrini Thobiæ gaudentes ad Thobiam, & *Thobiæ.11.c.* congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illū oſtenderat Deus, & per ſeptē dies epulantes omnes cū gaudio magno gauiſi ſunt. Nō īquit ſacra Scriptura, quod qñ Thobias cæcus erat, & pauper, conſobrini eius ad ipſum conſolandū uenerant, ſed tpe fortunæ proſperæ venerūt. Improbi amici manum porrigere ſolēt nō cadēti, ſed poſtquā quis à luto ſurrexit. Dicere ēt ſolemus Amicitia puerorū aqua in corbi, hoc eſt

eſt[*Amiſtad de niño, agua en ceſto.*]Nam pueri poſtquã prandendi finẽ faciunt, ſtatim ſe ad inuicẽ lapidibus petũt, & depilant: eſt deniq; eorũ amicitia fragilis, quæ cito contrahitur, & cito remittitur. Nec ẽt primus parẽs Adã ueram amicitiã, ac ſolidã cũ uxore ſua ſeruauit: ſiquidẽ cũ Deus utrumq; pp peccatũ caſtigare uellet, ipſe Adã ad Dominũ dixit. Mulier, quã dediſti mihi ſociã, dedit mihi de ligno, & comedi. B. Bernardus ſuper hunc locũ, hominem reprehendit, ipſum arguẽs de improba erga uxorẽ ſuã amicitia, ſiquidẽ pp illã peccare uoluit, & pp illã noluit peccati pœnã ſoluere. E contra certe iuſti tanquã boni amici facere ſolent, qui nullo modo pro amicis ſuis crimen aliquod cõmittent, quãuis pro illis quamcunq; pœnã ſubibunt, & pp eorũ amorẽ labores, etſi difficiles, libẽtiſſime patiẽtur. Vnũ in hac materia idemq; ſingulare uelim noteris, uidelicet q cum Sanctus Ioſeph (ut ſacra refert ſcriptura) in Ægypto uenditus eſſet, inuenit gratiã corã Domino. O rẽ mirabilem. Id quod probus iuuenis inter fratres ſuos non inuenit, inter extraneos cõperit. Sic ſæpe numero euenire ſolet ut firmiorẽ, ac ueriorẽ amicitiã apud extraneos, quã apud fratres noſtros, & ꝓpinquos inueniamus. Fratres Ioſeph, ipſum in ciſternã incluſerũt & crudeliter aduenis uendiderũt: extraneus aũt hõ & infidelis erga eũ miſericordia cõmotus eſt, illumq; protexit, & honorauit. Cicero in libro de amicitia ait. Vt monere, & moneri eſt uerae amicitiæ; & alterũ libere facere nõ aſpere: Sic habendũ eſt nullã in amicitijs peſtẽ eſſe maiorẽ, quã adulationẽ blãditias, & aſſentationẽ. Plinius inquit. Vt adamas, ſi frangi contingat malleis, imminutiſſimas diſſilit cruſtas, adeo ut uix oculis cerni ualeant. Ita arctiſſimã neceſſitudo, ſi qñ cõtingat dirimi, in ſummã uertitur ſimultatẽ, & ex arctiſſimis fœderibus, ſi ſemel rumpãtur, maxima naſcũtur diffidia, aut ſupra modũ incandeſcit ſemel uicta neceſſitas. Et alibi idẽ Philoſophus inquit. Sicut criſtalli fragmenta ſarciri nullo modo poſſunt, ita difficillimum eſt reconciliari eos, q ex arctiſſima neceſſitate in mutuũ odium deuenerunt. Et rurſus idẽ Plinius ait. Quemadmodum Luna quò propior eſt Soli hoc minus habet luminis: ita plus fructus, ac dignitatis eſt ijs, qui ꝓcul abſunt à magnis Principibus.

Geneſ. 3. *Geneſ. 39.* *Cic. 10.* *Pli. lib. 37 cap. 4.* *Pli. li. 17. cap. 31.* *Pli. li. 2. de amici Principum.* *Simile.*

De uera amicitia ait B. Cyprianus. Sicut oculus uerti non poteſt, quin & alius uertatur: ita & quidquid unus amicus uoluerit, eo & aliorum uoluntas uertetur. Intellige, ſi bonum eſt, quod unus amicus uult, aliter enim non ſequendus eſt.

B. Cyprianus de ſingulari. clericorum.

Diuus ẽt Maximus de amicitia loquẽs inquit. Quot amicos paraſis, tot oculos habes, qbus q uelis, uideas, tot aures quibus, quę decet, audias, tot conſilia, quibus de his, quæ conducunt, cõſultare, & proſpicere poſſis. Non. n. aliter ſe habet plurium amicitia, quàm ſi cui Deus unum corpus habẽti multas daret animas, quæ omnes illi prouiderent, atquè conſulerent. Plutarchus de hac materia ſic loquitur. Qui reiectis cognatis peregrinos aſciſcit amicos, perinde facit, ac ſi quis amputato pede carneo, ligneum addat.

D. Maxim. ſerm. 6. *Simile.*

Amicitia.

QVi tollit ab amico miſericordiã, timorẽ Dñi derelinquet, inquit Sanctus Iob. nã amicũ deſerere, cũ tua ope maxime eget, iniquũ ſane eſt: neq; id fieri põt ſine graui numinis cõtumelia. Neq; .n. ab officio diſcedere poſſis, quin ẽt declines à religione, quã Sanctus Iob timorẽ Dñi appellat. Nã ut rebus proſperis, & optimo rerũ ſucceſſu, proximũ, & amicũ diligere debeas: ſed tũc multomagis amicitiæ iura & dilectionis officia præſtanda ſunt, cũ id neceſſitas poſtulat, & miſerandus aliquis amici caſus, ubi ſi amicũ deſeras, & naturæ leges uiolaſti, & contẽpſiſti præterea

Iob. 6.

rea diuina iura. Ariſtominus quidã de falſis & ſimulatis amicis, & qui ſub illuſtri amicitiæ prætextu adulatores ſunt, & aſſentatores, ſapienter aiebat, eos ſimiles eſſe ignibus: opes uero atq; diuitias, ſimiles lignis, quæ, dũ ignem augent, ab ipſo conſumuntur. Non ſecus opes, dũ adulatores (qui ſe falſo amicos dicũt) alunt, & nutriunt: ab ipſis nullũ aliud beneficiũ conſequuntur pter interitum, & conſumptionẽ. Recte à uiro quodã ſapiẽte dictũ accepimus, nullã mercẽ difficiliorẽ coemptu, quã hominẽ; ita ut difficillimum ſit amicũ tibi comparare. Omnis fortuna amicitijs eget: illi tñ amicorum copia maior eſt, cui cæterarũ rerũ eſt indigentia minor. Sic inopiã rei familiaris ſemper inopia amicorũ ſequitur, atq; copia copiã comitatur. Creſcat egeſtas (ut inquit Iob) decreſcent profecto ſeu abibunt amici: Tunc certe intelliges, qui fuerunt tui amici & qui fuerunt amici tuæ fortunæ: te tui ſequentur illam ſui. Neq; eſt quod mirari debeas vaſe exhauſto illos abſcedere, qui ſolam uini dulcedinem ſequebantur: fæx potorem abigit, aduerſitas vero ſimulatorẽ. Vt enim abſumpto uino, cum ad fæces puentum eſt, potator diſcedit: ita etiam, cum ad infelicem fortunam abſumptis opibus amicus deuenerit, recedit ſimulator. Vbi uero nos legimus ibi inferius in lib. Iob: fratres mei præterierũt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in cõuallibus, qui timent pruinam irruet ſuper eos nix, Hebræa exemplaria videntur ſonare. Fratres mei feſellerunt fidem, vt torrens, ut qui uallem tranſeunt torrentes, qui turbidi ſunt glacie & niue, quæ in eos reſoluitur. Elegantiſſima metaphora conſanguineos, & cognatos, & inconſtantes amicos torrentibus comparat, qui tempore ueris aucti niualibus aquis magno impetu feruntur, æſtate uero exareſcũt: ad quos cum accedunt mercatores ſitibundi, ac currentes ſpe potus falluntur.

Ariſtominus. *Simile.* *Simile.* *Exemplũ amicitiæ.*

Admirabilis fuit amicitia, quam habuerũt inter ſe Damon, & Pythias; quorũ cũ alter à Dionyſio tyranno morte mulctãdus eſſet, ſupplexq; poſtularet, ut breue aliquod ſibi tẽpus ſaltẽ concederetur, quo poſſet ad ſuos accedẽs de bonis diſponere, quæ poſſidebat: relicturus interim amicũ ſuo loco, qui uas fieret, donec rediret: pro illo in carcerẽ, ac repagula coniectus amicus fuit. Cum aũt aduentus differri videretur, interim multi deridebant amicum, qui in alterius locum carceri traditus fuerat, arbitrantes alterũ non eſſe uenturum. Ecce igitur inſtante hora ſupplicij inopinato amicus reuerſus eſt non ſine maxima omnium admiratione, & gaudio, & præſertim ipſius Dionyſij tyranni, qui videns tam fidelem amicitiam utrunque liberum dimiſit, ſubiecitq; hęc verba, & me in ueſtram etiam amicitiam recipiatis vellem.

Amicitia.

VEra, & efficax amicitia, atq; proximitas, in aduerſitatibus dignoſcitur; ut enim cor ipſum in medio ſitum corporis loco, in ſiniſtram tamen, & læuam partem uidetur magis quodammodo propendere, licet re uera toti corpori & membris uniuerſis uitam inſpiret: ita planè quamuis tam in proſperis, quàm in aduerſis amicus, & proximus debeat fauere ſuo amico, aut pximo: in aduerſis tamen debet magis eius amicitia, humanitas, & liberalitas tanquam in ſæua quadam tempeſtate, in medijsque tenebris elucere. Cæterũ cum duo aliquando, quorum unus locupletiſſimus, alter uero pauperrimus erat, ante Theophraſtum Philoſophum pertranſirent, & diſcipuli huius Philoſophi dicerent magiſtro ſuo illos maxima eſſe inter ſe amicitia, familiaritateque coniunctos: reſpondit Theophraſtus. Quorſum igitur alter eorum diues eſt, alter uero pauper? Significare ſcilicet uolens, ueram amicitiam inter eos non reperiri,

Simile. *Exemplũ.*

periri,cum alter diuitijs abundaret: alter vero extremam ſuſtineret pauperriem,atque miſeriam. Eſt ſiquidem uerus amicus ac ſimplex inſtar ſanguinis in corpore,qui humor, cũ aliqua exoriri ſolet in ipſo corpore neceſſitas ſtatim ad partes confluit egentes magis, eiſdemq́; auxilium præbet,atque ſubſidium. Id experimur in meticuloſis, & his qui rubore perfunduntur:in illis enim cum cor ipſum magis indigere uideatur, eo ſtatim retrahitur ſanguis deſtituitur uero facies, & non perinde iuuatur: in his uero, qui rubore perfunduntur, cum facies ipſa egeat magis,ac patiatur,ſolet ſtatim ſanguis eo confluere,atque concurrere.Sic ſincera amicitia debet ſtatim egenti amico ſuccurrere, & ſubuenire. Vnde Ariſtoteles inquit,eum qui ueris amicis deſtitutus eſt, eſſe ueluti oculis orbatũ, qui paſſim labi ſoleat, & incommoda uaria ſuſtinere. Idem etiam cum rogaretur aliquando (ut refert Diogenes Laertius) quid nam eſſet uera amicitia,reſpondiſſe fertur eſſe ueluti animã unam in duplici corpore. Qui & in Ethicis inquit, quòd amicus eſt alter ego. Menander uero dicere ſolitus erat, eum qui ueros haberet amicos ingentes quoſdam, ac locupletiſſimos habere theſauros. Quod exemplo ſuo confirmaſſe uiſus eſt Alexander ille Magnus: cum enim aliquãdo Darius eum deſpiciens & contemnens tanquã inopem rogaret ubinam haberet theſauros ſuos ad bellum mouendum,& proſequendum paratos,reſpõdiſſe fertur: Darij quidem Theſauros arcæ concluſos aſſeruari,ſe uero ſuos depoſuiſſe in amicorum animis ſynceris atque ſolidis. Plautus præterea,& Quintilianus, lib. 5. ſuarum inſtitutionum amicos ipſos diuitias appellant,atque opes.Cæterũ & Menander referẽte Atheneeo, inquit,nonnullos quidem fieri amicos tantiſperdum aquam lauandis eorum manibus dederis, hoc eſt, quandiu emolumenti aliquid referunt, quandiu cibis explentur,atque conuiuijs. Vnde colligas, & ueros, & falſos amicos reperiri.

Simile.

8.Ethic.

Ariſt.lib. 2.Rhet.

AMOR DEI
Erga hominem.

B. Dionyſ. epiſt.8.

BEATVS Dionyſius in epiſt.8. ardentiſſimis uerbis Dei amorem magnificans, inquit. Audebimus&hoc pro ueritate dicere, quòd ipſe quoque Deus pro magnitudine amoris extra ſe fit,prouidens creaturis,& amore ex ſupremo ſuo ſtatu adhoc ſe demittit,ut inter omnia ſit.Quare & zelotes dicitur ut uehemens ad ea,quę ſunt amanda: ptoi ſusq́; ipſius eſt,vt ſit amabilis & amor. Conſiderans autem Regius Propheta huius diuini amoris erga homines excellentiam,ait. Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam uiſitas eum? Et in Hebræo habetur. Quid eſt Enos,quòd memor es eius? aut filius Adam, quia uiſitas eum? In hoc loco Sanctus Rex, (ut doctiſſimus Euſebius aduertit)duobus utitur nominibus,nempe,Enos,& Adam, quorum alterũ homini eſt impoſitum ad dãna,atque defectus, quos ob culpam anima incurrit manifeſtandos;alterum uero ad mortalitatem,miſeriamq́; quam in corpore ex ſua natura retinet,ſignificandam. Nam Enos à quodam uerbo obliuionem ſignificante deducitur:& ſic,Enos, idem eſt atq; obliuioſus,ſeu memoria carens. Adam uero id,qđ terrenũmortaleq́; eſt,ſignificat.

Exodi 20.

Pſal.8.

Euſe.li.11 præpar.euangelica c.4.

ficat. Hoc in tantam admirationem ſanctum Prophetam rapit, ut dicat: Quis eſt,ô Domine,hō,qui tui immemor,tuamq; maieſtatem oſtendens in tua ſemper fixus eſt memoria? Eius, qui tui obliuiſcitur recordaris? Te fugientem quæris,& uiſitas,ac ſingulari amore proſequeris? Stupēda certe res, ut uidelicet infinitæ maieſtatis Deus ſuum amorem in re adeo miſerabili conſtituat. Vnde illa diuini Pſalmographi uerba. Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt, qui ſimilis ſit tibi: in hunc modum D Hieronymus exponit. Multa mirabilia, ſapientia & potentia tua digna, operatus es Domine Deus meus: ſed omnium potiſſimum hoc eſt, ut cogitationes tuas in fauore, quam hominibus præbes,in amore,quo,illos diligis,in auxilio quod eis prǽſtas, atque in iuſtificatione impendas. Non ne hoc omnium mirabilium præcipuū eſt? Deum videlicet tanto amore homines proſequi, ſuoſque cogitatus in ipſis adeo intētos hebere, vt dicat. Deliciæ meæ eſſe cū filijs hominum? Vere equidem arcanum hoc ſoli diuino pectori eſt pateſactum,quod cum altiſſimus Deus ſuum, eſſe perſonale, & in eo ſimul diuinas proprietates Angelis non communicauerit(vt & Apoſtolus perpēdit,dicens, Nuſquam Angelos apprehendit) qui, quantum humana mēs iudicare poteſt nō ita fortaſſe immemores beneficiorum, ſed magis grati, quàm homines extitiſſent, cum(inquam) hæc omnia Angelis non conceſſerit, illa hominibus ingratis atque miſerrimis liberaliſſime elargiri, & communicare dignatus eſt. Ex quo ineffabili amore prouenit,vt bona,quæ nobis facit, ſibi facere dicat. Quare Patriarca Iacob inter benedictiones filij ſui Dan ſubito in Meſſiam conuerſus loquens cum æterno patre dixit. Salutare tuum expecta bo Domine. Quod Chaldaica paraphraſis ad literam de Meſſia intelligit.

Pſal.39. *B. Hieron. ſuper Pſ.* *Prouer.9.* *Ad Heb.2*

Vaticinabatur enim moriturus Iacob de Sanſone, qui ex tribu Dan oriūdus erat, atque à Philiſtinorum tyrannide populum Hebræum ſaluaturus; ſed ut inſinuaret,quod non eſſet ipſe futurus uerus Saluator, ueluti in extaſim raptus in talia uerba prorupit. Salutare tuum expectabo Domine. Ac ſi diceret. Nec Sanſonē, nec Gedeonem, nec Iephte, nec alios expecto tanquam ueros Saluatores: ſed adhuc præſtolabor uerum Meſſiam, qui uerus Saluator mundi ueniet. Tali etiam, ac tam magnifico titulo eum nominauit Simeon dicens. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.&c. Quia uiderunt oculi mei Salutare tuum. Regius Propheta quoque ſic eum appellat. Et ueniet ſuper me miſericordia tua;Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuū. Dicitur Chriſtus Dei miſericordia, quia principium, & fundamentum eſt omnium miſericordiarum Dei. In hac enim miſericordia, qua uerbum factū eſt caro, cæteræ omnes fundamentum habent. Ideo B. Paulus ad Epheſ.inquit. Per quem habemus redemptionem per ſanguinem eius,remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius. Et ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum:id eſt ſecundum promiſſum tuum. In his omnibus locis Chriſtus Dominus, qui ſalutare noſtrū eſt, uocatur ſalutare Dei: quia pater æternus propter nimiam charitatem ſuā, qua nos diligit, ſuum ſalutare uocat, quod noſtrum eſt. Quare etiam Propheta Iſaias nomine Dei loquens ait. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. O benedictus, & glorificatus ſit talis Deus, qui ità nos diligit ut ſalutem noſtram, ſuam dicat. Hunc etiam amorem oſtendit B. Paulus dicens. Obſecro uos ut ambuletis quomodo oportet uos ambulare,& placere Deo. Scitis enim quę præcepta dederim uobis per Dominū Ieſum hæc eſt enim uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra. Videte,obſecro, qualia

Geneſ.49. *Luc.2.c.* *Pſal.118* *Ad Epheſ. 1.c.* *Iſa.42.c.* *B.Pauli 1. ad Theſ.4*

lia ſint hæc præcepta,& quæ ſit hęc uoluntas Dei. Antecedentia uerba uidebantur exigere ut ſubiungeret, hæc eſt uoluntas Dei, ut illum laudibus celebretis, illi ſacrificium offeratis: & tamen præmiſſa illa præfatione ſubiungit,uoluntatem Dei eſſe,ſanctificationem noſtram, quæ inter maxima hominis bona computantur. Agite ergo fratres gratias Deo propter ſingularē amorem,quo uos proſequitur, ſi quidem uoluntas eius eſt, utilitas ueſtra. Hunc amorem,quo nos altiſſimus diligit,funiculos, quibus nos ad ſe attrahit,uocat,dum apud Oſæam ait. In funiculis Adam traham eos,id eſt. Quo affectu primum parentem Adam ſanctum feci,in gratiaq; creaui (ut inquit gloſſa interlinealis) eadem dilectione iſtos uolui ſanctificare,quod exponendo ſubdit:in uinculis charitatis, id eſt affectu dilectionis. Vbi alia translatio habet,in funiculis hominum traham eos,id eſt,ea charitate,qua aſtrinxi mihi Abraham,Iſaac,& cæteros Patriarchas,coniungam & iſtos mihi.Quamuis Lyranus ſic exponat. In funiculis, hoc eſt,in beneficiis exhibitis,quæ attrahunt cor hominis; & ſunt quędam uincula dilectionis. B. uerò Hieronymus aliter interpretatur,ſcilicet,cùraui autem eos propter funiculos, & uincula charitatis,quibus mihi Abraham Iſaac,& Iacob aſtrinxeram. Vę autem nobis ſi ad tam ſingularem amorem grati,ſicut illi patres fuerunt, non extiterimus.

Oſe. 11.6.

Amor Chriſti Redemptoris noſtri.

Cantic. 1.

VBi nos legimus in canticis, Botrus cipri dilectus meus mihi: alia litera habet:Racemus cāforę amor meus,mihi. [*Mi amor Ieſu Chriſto es para mi razimo de alcanfor.*]O diuina atq; appoſitiſſima ſimilitudo. Alcamphor arbor eſt quædam,cuius gumi hāc habet proprietatem,ut ſi granum eius incendatur igne,& in lāpade plena aquę collocetur,ardet,& ex ſe claram, & nitentem flammam emittit.Res quidem admirabilis eſt, flammam illam aqua non extingui ſed ardere & clarius coruſcare. Granum igitur, & non ſolum granum,ſed etiam racemus ideſt,[*Vna pinna de alcanfor*] eſt Ieſus Chriſtus Redemptor noſter,ſiquidem aquæ illę ingratitudinis ſuorum inimicorum, & aquæ illę tot,ac tātorum tormentorū, quę intrauerūt vſque ad animam eius, non ſolum non extinxerunt eius amorem, verum etiam illum niteſcere, & magis coruſare fecerunt, dum magis ſuum ineffabilem amorem,patiētiam, manſuetudinem,&liberalitatem oſtendit:cum ea nocte,qua tradebatur,altiſſimum ſacramentum ſui ſacratiſſimi corporis & ſanguinis inſtituit, & in cruce pēdens pro ſuis inimicis orauit. Diſcamus igitur ab hoc cęleſti magiſtro,amorē erga inimicos noſtros oſtēdere, & in maioribus laboribus maiorem patientiam habere.

Simile.

Amor Dei erga hominem.

DEus (ait Lactantius Firmianus) homines tanquam filios diligit, quos produxit non generatione, ſed creatione.Hoc generaliter de vniuerſis hominibus,quantum ad eſſe naturale, quod à Deo acceperunt, intelligitur: verum iuſti, qui vltra eſſe naturale, aliud ſupernaturale, & gratuitum habent,filij nuncupantur: nō ſolum quia à Deo conditi, ſed etiam quia ab ipſo per gratiam geniti ſunt. Atque ita Propheta Iſaias inquit. Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus ē de terra uiuentium. Vbi alia litera habet. Quia tolletur de terra uiuentium.Hoc eſt.Quoniam moriturus eſt, ideo innumeros filios ſua morte gignet. O admirandum myſterium? cæteri homines, dum uitā fruuntur, filios generant: at Ieſus Chriſtus uerus Deus multos ſpirituales filios moriens generauit. Et paulò inferius Sanctus Propheta de Iſa.53.

hac

tia contuſo diuino inflammatus amore totus iam crucifixi deſiderio ardebat. Et hoc eſt quod ex illa ſacratiſſima morte elicitur. Cum Dominus Ieſus in horto Gethſemani ſimul cum ſacris diſcipulis eſſet, & paululũ ab eis orandi cauſa receſſiſſet, rurſus ad eos ueniens cum dormientes inueniret, ipſos in hunc modum eſt alloquutus.

Mat. 26. Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquauit hora & filius hominis tradetur in manus peccatorum. His uerbis multi doctores cæleſtem magiſtrum diſcipulos ſuos ualde increpaſſe teſtantur, & ironicè loquutum fuiſſe aſſerunt, eo quòd cum Dominum in tanto periculo conſtitutum cernerent, ipſi ſe magna cum animi tranquillitate ſomno traderent. Sed mihi ualde placet Diui Hilarii ſuper Matthæum expoſitio, qui aſſerit diuinum Magiſtrum his uerbis eos docuiſſe, quam merito poſſent iam ſecure, & tranquillè requieſcere: ſi quidem hora acceſſerat, in qua ipſe morte ſua omnes metus, pauores, ac timores noſtros ſuſcepturus erat. Itaque perueniſſe horam, qua Ieſus Chriſtus filius Dei inimicorum ſuorum uoluntati tradendus erat, præcipua noſtri remedii, otii, tranquillitatis, atque fiduciæ ratio eſt. Tam pio enim remedio, quale à Chriſto accepimus, & tam efficaci protectore, qualis eſt filius Dei pro hominibus mortuus, quid pertimeſcere potero? Siquidem huius ſanctiſſimi Domini pro me mortui, atque huius ſacratiſſimi ſanguinis fructus, & huius crucis uirtus mea eſt, ſi ab ea commodum, atque utilitatem elicere uolo. Ergo dormite iam, & requieſcite, hoc eſt, tranquillè, & confidenter uitam ducite. Quandoquidem talem patrem, talemq́; ueſtri amatorẽ habetis. Ad hoc ferè propoſitum Beatus Auguſtinus uerſiculos illos Pſalmi centeſimi decimi ſeptimi interpretatur. Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorũ. Quare hoc? Quia dextera Domini fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me. In cruce, & in morte ſua hanc uirtutẽ Dominus operatus eſt, nos ſcilicet exaltauit, ac filios ſuos effecit: in quo maximum nobis lætitiæ, & conſolationis dedit incitamentum. Vnum tamen hoc loco abſque ponderatione prætereundum non eſt, uidelicet Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum ea die, qua amorem ſuũ ita hominibus oſtendit ut extra ripas quodammodo exiens ipſum Dominũ in cruce poſuerit (in quo, ut ait Beatus Cyprianus, amor eius quò peruenire poterat, aſcendit hac, inquam, die itá in præſtandis beneficijs parcum fuiſſe, hoc ẽ [*Fueſſe tan limitado,*] ut ex duobus latronibus, qui cum eo crucifixi erant, unum dumtaxat ſaluum fieri dignaretur. Non paruam quidem audiẽtibus admirationem inijcit benigniſſimum huius cæleſtis Redemptoris pectus, quando magis hominum amore flagrabat, permittere potuiſſe, ut ex latere ſuo homo, ob quem ipſe moriebatur, & qui iuxta eius crucem erat, dãnaretur. Ratio, quæ ad hoc reddi poteſt, hæc eſt, uoluiſſe Dominum in latrone conuerſo, mundo patefacere, q̃s ipſe erga homines ſit in latrone autem damnato quales erga ipſum homines ſe præbeant. Talis enim hic potentiſſimus Dominus erga homines ſe exhibet, ut in medio blaſphemiarum & cõuiciorum, quæ in illum ſanctus latro inferebat, ipſum ad ſe cõuerterit & ſanctificauerit. Tales vero erga eum homines ſunt, ut etiam tot tantisq́; circũdati beneficijs, (qualia diuinum illud corpus, & ſanguis continebant, eiusq́; crux fidelibus quotidie communicat) ipſum Dominum non agnoſcunt, ac inſtar infidelium, & non credentium impudentiſſimæ offendunt, & aliquo modo ſicut ille latro in medio tantorum mirabilium, tantorumq́; beneficiorum indurati remanent. Quam ob cauſam Beatus Anſelmus exponens illa D. Pauli uerba: Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei, inquit, Sanctum

Hilar. ſuper Mat.

B. Aug. ſuper Pſal. 117.

B. Anſelm. ad Heb. 12.

Apo-

Apoſtolum uoluiſſe ſignificare gratiā, & fauorem Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri in domos, & animas noſtras ultro ſe mittere, at ſæpenumero plus ingratitudinem noſtram poſſe, quā eius bonitatem, noſtramq́ue obſtinationē (ſi ſic fas eſt dicere) eius potentiam ſuperare. Confundamur igitur, fratres mei, & uerecūdia afficiamur, nos adeo ingratos ei eſſe, qui nos tam ſingulari amore proſequitur, tantisq́ue beneficijs inuitat, & unuſquiſque puro corde eum Beati Auguſtini uerbis in hūc modum alloquatur. O lux quæ illuminas omnia, medice ſpirituum te deprecor per te ipſum ne derelinquas me. Feciſti me, cum non eſſem: redemiſti me, cum periiſſem, mortuus fuerā ad mortuum deſcendiſti, mortalitatem ſuſcepiſti, ut ſeruū redimeres, te ipſum tradidiſti, & tantum me dilexiſti, ut ſanguinem tuum in pretiū dares pro me. Dilexiſti me Domine pluſquā te, quia mori uoluiſti pro me. En in manibus tuis deſcripſiſti me, ut ſemper ſit memoria mea apud te, ſi tamen memoria tua iugiter fuerit apud me: ſic igitur gratia tua ſemper, & miſericordia præuenerunt me. Ex his omnibus acceptis beneficiis infertur, quanta obligatione aſtringamur ad id quod pater æternus nobis imperat faciendum. Nam pro eo quòd nos legimus. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, plerique ex Hebræo uertunt. Oſculamini filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de uia iuſta. Quibus uerbis ſingularis quidam erga ſalutis noſtræ uindicem ac parentem amoris affectus, oſculi nomine exigitur: hoc enim ſalutis noſtræ initium, ac fundamentum eſt: iuxta illud Beati Ioannis: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Et rurſus apud eundē Apoſtolum ait Dominus. Ipſe enim pater amat uos, quia uos me amaſtis, & crediſtis, quia à Deo exiui. Cum ſubuerteret Dominus ciuitatem Sodomorum: Recordatus eſt (inquit ſacer textus) Abrahæ, & liberauit Loth de ſubuerſione vrbium. Vides hoc loco pietatem Domini, qui amicorum ſuorum merito aliorum curat ſalutem. Si hoc igitur meritis Abrahæ impenſum eſt. Quid de Chriſti meritis polliceri ſibi poſſunt omnes, qui diligunt, & credunt in eum, ſeq́ue illius tutelæ, & præſidio commiſerunt?

D. Aug. li. medi. c. 13. · *Pſal. 2.* · *Ioan. 14. c.* · *Ioan. 16.* · *Gen. 19. c.*

Amor Dei erga hominem.

DOminus (ait Sanctus Moyſes) Zelotes nomen eius. Deus eſt æmulator, ſiue, ut alii uerterunt, Zelans. In hoc loco ſic inquit Origenes. Vide benignitatem Dei quomodo ut nos doceat, & perfectos faciat, ipſe fragilitatē humanorum non recuſat affectuum. Videamus ergo quid eſt hoc, quod dicit, quia Deus zelans ego ſum. Dominus zelans dicitur, eo quòd animam ſibi mancipatam, & charitate deſponſatam non patitur Dæmonibus admiſceri, ſed flagellis retrahit, atque caſtigat. Quod ex eius immēſo in animas amore naſcitur. Quemadmodum enim ſi quis meretricem uideat omnibus proſtitutam non iraſcitur; ſi uero uxorem aut filiam ſuam uiderit meretricantē, furore ſuccenditur: ita ſanè Dominus ſi uiderit animam Dæmonibus proſtitutam & plurimos amatores habentē, ita ut intret ad eam modo quidam ſpiritus auaritiæ, poſt hunc ueniat ſpiritus ſuperbiæ, inde iræ, inde inuidiæ &c. non perinde curat, dicit enim, Auferetur zelus meus à te, & non iraſcar amplius: ſi uero legitimo coniuncta ſit ei matrimonio & cū adulteris miſceatur excitatur ſuper eam zelus eius. Ex quibus aperte colligitur flagella, & correptiones Domini amoris eius erga nos & ueluti zelotypiæ cuiuſdam ſignum eſſe, impunitatem uero reprobationis: pro illo enim dicitur. Flagellat omnem filium, quem recipit. Propter aliud uero per Ezechielem ait. Auferetur

Exo. 34. · *Simile.* · *Ezec. 16. c.* · *Hebr. 12.*

tur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius:& licet zelo diuini amoris corripiat dilectos, temperatur tamen eius iuſtitia miſericordiæ lenitate, quod uerba illa Sapientiæ ſatis in dicant. Te autem Dominator uirtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia, ſiue (ut alii uerterunt) moderatione diſponis eos. Si enim inimicos ſeruorum tuorũ, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, & locum, per quæ mutari poſſent à malitia, quid facies cum amicis tuis? Vnde cum Dominus in Exodo dixit. Non habebis Deos alienos, addidit. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes. Vbi alia trauslatio habet. Ego ſum Deus indigne ferens iniuriã, hoc eſt, ex nimio amore, quo te diligo, prouenit ut ita indigne feram, me à te offendi. Zelus namque (ut docet B. Thomas) amoris effectus eſt. Quia quãto aliqua uirtus inteſiori ui in aliquid tendit, tanto fortius repellit contrarium, & repugnans ſibi, id quod inten dit: ſed amor eſt quidam motus, & propenſio in rem amatam, ut Beatus Auguſtinus ait. Vnde intenſus amor, & feruens quidquid ſibi repugnat, excludere quærit. Ideo zelus in ſancta Scriptura ſignificat iram, non illam quidem, quæ eſt inter inimicos, ſed eam, quę ex ardenti animo proficiſcitur: ut cum parentes liberis ſuccenſent, non eis perperam uolunt, ſed quia diligunt, nam per correptionem, quam eis adhibẽt, præcauent ne rurſus ſcelera iterẽt quo grauius puniãtur. Hic autem zelus (ut diximus) in Deo inuenitur erga homines. Et ita Beatus Dionyſius inquit. Deus zelotes appellatur propter multum amorem, quem ad exiſtentia habet. Vnde cum Pientiſſimus pater mũdum illuuione propter peccata delere uellet, tactus dolore cordis intrinſecus fuiſſe dicitur. Dolor autem ex amore naſcitur, non enim doleret, ſi non diligeret, quamuis hoc in loco ſacra Scriptura humano more de Deo loquatur. aliter enim dolor in Deo, aliter in nobis intelligitur. Huius autem amoris, ac doloris effectus fuit, quod ſubdit: & præcauens in futurũ. Satis enim magna cautio ad peccati deteſtationẽ erat, uniuerſum mundum aquis diluuii propter peccata euertere, & tamen ne hoc quidem tanto terrore amentes homines à peccato coercentur. Quia autem non tantum exigit Dominus, ut illum diligamus, ſed ut illum toto corde, tota mente, omnibusq; uiribus diligamus, ac illud etiam ne creaturis nimio amore (qui nos ab eius dilectioue diuellere poſſit) hęreamus. Hoc quoque indicant iſta Moyſis uerba. Dominus, zelotes nomen eius. Quia uero res ab eo, quod in eis præcipuum eſt, denominantur, apparet ſanè hoc maxime in Deo obſeruandum, à quo ipſe zelotis nomẽ accepit. Zelotypus autem amor omnem alium amorem reformidat, ne quod alteri tribuitur, ſibi adimatur. Hic autem zelus tantum apud Deum ualuit, ut filium ſuum unigenitum hominibus daret, quo totum eorum amorem à creaturis auulſum ſibi uni uendicaret. Sic enim Propheta Iſaias ait. Zelus Domini exercituum faciet hæc. O incomprehenſibilẽ Dei amorem, propter quem tam ſtupenda mirabilia operatus eſt? Amor, cum ingreditur in alicuius cor, efficit, ut indigna ipſius operantis faciat, ſed non ipſius amoris indigna. Ignis ſuo calore efficit, ut aqua feruens faciat illa, quæ ipſi aquæ ſunt contraria, ſed non igni ſunt aduerſa. Aqua enim, quę de ſe frigida eſt, concepto calore ignis feruet, ebullit, ſaltat, & ſcaturit, quæ omnia ipſi aquæ non autem igni, qui ea operatur, aduerſantur. Sic Deum flagellari, crucifigi, & opprobriis affici res quidẽ fuit indigna perſonę filij Dei, ſed non indigna amore eius, qui talia patiebatur. Amor enim illa omnia perferendi cauſa erat. Cum Barbarus, & infidelis dicere audit, Deum fuiſſe crucifixum, in admirationem rapitur & ſcandalizatur;

Sap. 12. *D. Tho. 1. 2. q. 28. artic. 4.* *B. Aug. li. 83. q. 31. & 36.* *D. Dion. li. de diuin. nomi. c. 4.* *Gen. 6. c.* *Iſa. 37. &* *4. Reg. 19.* *Simile.*

ratur:fidelis autem minime:Quoniam intelligit,& pro comperto habet Deũ optimum maximum amoris cauſa illa omnia fuiſſe perpeſſum. Vnde Apoſtolus ad Corinth. ſcribens ſic ait. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem uocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam. Vehementer ſacratiſſima uirgo Maria Dei mater, & Sanctus Ioſeph admirati ſunt illa, quæ Simeon, & Anna de pretioſiſſimo atque ineffabili infante Ieſu dicebant, contemplantes infinitum amorem ex quo opera illa promanabant. At multo magis Chriſtus Ieſus humani generis reparator in quantum homo admirabatur eo quòd altius hunc infinitum amorem intellexit, & penetrauit. Atq; ita poſtquam de ſacratiſſima morte ſua cum Sancto Nicodemo uerba fecit, ſtatim adiecit. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret. O chariſſimi in Ieſu Chriſto fratres utinam huius diuini amoris ſcintillam aliquam haberetis: multa profecto indigna perſonis ueſtris ſed non indigna amoris, quo ea operamini, faceretis. De Imperatrice Placilla imperatoris Theodoſii maioris uxore hiſtoriæ referunt Eccleſiaſticæ, quòd cum tam magna eſſet imperatrix per ſe ipſam hoſpitalia & pauperum ægrotorũ domos inuiſebat, eiſq; propriis manibus præſtabat medicamina, patinarumque & ollarum, atque aliorum uaſorum, quibus neceſſaria ad uictum ſumenda erant, ſordes abluebat, deniq; lectum ſternebat & cætera omnia ipſis tam ſanctè, quam diligenter adminiſtrabat. Cumque à ſeruis & uaſſallis ſuis ipſi diceretur, ut attenderet illa, in quibus tam humiliter ſe exercebat, regia perſona indigna eſſe: illa eis ſic reſpondit. Cerno equidem, & contemplor hæc mea auctoritate regia, ſed nõ amore, quem Deo meo debeo, indigna eſſe. Alij etiam quamplurimi Sancti reges, & reginæ ſimilia pietatis opera erga Ieſu Chriſti pauperes leguntur exercuiſſe, in illis namque idem diuinus amor dominabatur. Quis igitur talibus exemplis ad ſimilia faciẽda nõ incitabitur? Deum fratres mei deprecamini, ut diuino ſuo amore corda ueſtra ad hos ſupernos effectus operandum inflammet.

AMOR HOMINIS erga Deum.

Mat. 12. QVIA ſummus mũdi prædicator Ieſus Chriſtus Saluator nr̃ de Dei amore loquens apud D.Matthæum dixit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota uirtute tua operæpretium erit propriam ſententiam in re hac anteponere. Satis comprobatum eſt ab antiquioribus ſapientibus, nomenque ipſum indicat, quòd mens nobiliorem excellentioremque partem animi ſignificet, parumque pendere in ſuis operationibus (ipſius enim eſt æterna contemplari, ac percipere) à ſenſibus, quaſi quæ eleuata ſit ſupra animam. Vnde Apoſtolus Paulus ad Corinthios ſic ait. Siue *2.Cor.5.* mente excedimus Deo, ſiue ſobrii ſumus uobis. Mentis eſt exceſſus, ſeu eleuatio in Deum per contemplationis ſtudium, animæ uero, & corporalium ſenſuum eſt ſobrietas in abſtinentia,

potus cibi,& ſermonis,&c. Antiquiores.n.ſapientes mentem, animam animæ appellarunt,ſicut & pupillam,oculum oculi. Huic ſoli facile eſſet cũ Dei adiutorio ipſum diligere ſuper omnia, in hanc.n.ſublimem dilectionem,quodam quaſi naturali,& mirabili appetitu fertur.Vnde ſi cum illa tantum eſſet negotium,libentiſſimo animo ſe ſe ſubderet,ac pareret.Inde tamen labor eſt in hoc pręcepto, quia cum anima habet mens familiare contubernium, ac indiſſolubilem amicitiam, niſi in gladio uerbi Dei fiat diuiſio. Anima namque, cum ubique per totum corpus ſe diffundat, ipſumque uiuificet, dans ei uitam, & motum, confœderationem indiuiſibilem habet cum eo niſi fiat ſeparatio per mortem.Iá ergo ſequitur, quę corporales ſenſus delectant, delectari & ipſam eiſdé. Qua propter Beatus Paulus ad Romanos ſcribens attentiſſime dixit. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Non dixit,repugnantem legĩ animæ meæ. Lex enim membrorum ſenſualium non legi animæ repugnat, imnio quæ illis ſunt ſuauia, animæ nõ diſplicent.Propter hoc ipſe Beatus Apoſtolus,cum de efficacia uerbi Dei diſputabat,dixit.Penetrabilior eſt ſermo Dei omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diuiſionem animę & ſpiritus, id eſt,mẽtis.In hoc ergo cõprobabitur dilectio Dei ex tota mente, ſi ſpiritus, mens,ratioq; ſuperior, (quæ pro eodẽ uſurpantur in præſenti conſideratione)dominentur animæ, quæ non tantum ſequitur partes corporalium ſenſuum,uerum & illas ſæpenumero agit. Dominabitur autem illi, ſi imperauerit omnibus ſenſibus ſecundum regulas diuinæ legis, nihilque contrarium admiſerit. A difficilioribus ergo incipit,& uenit ad facilius:difficilius nãque eſt ſecundum hanc ſententiam Deum diligere ex tota anima, quàm ex tota mente. In hac expoſitione intelliges illas graues ſententias Saluatoris dicentis. Qui amat animam ſuam perdet eam,qui non odit animam ſuã, &c. Et iterum. Qui uult uenire poſt me abneget ſemetipſum. Animam prout coniuncta eſt corpori, & corporalibus delectationibus,intelligit, quam tunc amat homo,cum ei ſenſuũ gaudia inordinata concedit: & tunc odit, cum retrahit eam à corpore,& ſibĩ connaturalibus delectationibus. Propter hæc, quæ ſupradiximus tradens Beatus Petrus doctrinam caſtitatis, ſedem eius fixam demonſtrat,cum dicit.Eſtote ſuccincti lumbos mentis ueſtræ.A lumbis mentis, quæ facile ad amorem caſtitatis afficitur, cum ſuum ſit conſiderare æterna,incipit amor caſtitatis,alias facile marceſcet,cum anima coniunctiſſima ſit corpori. Iam ſecundum locum teneat anima, & ipſum corpus in aſſidua mortificatione per ieiunia, & flagella,&c. Firmiter ergo ædificatur arx regia caſtitatis, cum ab ipſa mente amor eius amplectitur, quæ agnoſcit mendacium præſentium gaudiorum, quæ deprehendit inſidias carnalis concupiſcentiæ, quæ coniunctiſſima eſt animæ: denique quæ breuitatem delectationis ſcit,in luctum ęternum conuertendum. Ab illa ergo incipiat præcinctio bonorum, ut tenor caſtitatis permaneat in decorem animæ ſpiritus,mentis, & corporis. Hoc eſt diligere Deum ex tota mẽte, & ex tota uirtute tua,uel ex tota fortitudine tua: ſicut in Deuteronomio dicitur. In ſumma autem præceptum hoc ex parte eſt affirmatiuum, & ex parte negatiuum: affirmatiuum eſt,quia exigit, ut diligamus Deum, & ei omnibus noſtris uiribus interioribus,& exterioribus,pro loco,& tempore,uere & non ficte ſeruiamus: negatiuum uero eſt,quia cum totum cor, totam animam, totam mentem,& totam uirtutem requirat,eo ipſo poſtulat,ut nulli alij, ut uero Deo, actu uel uirtute iſtis uiribus noſtris ſeruiamus. Vide iam quam eleganter totus homo ad honorem, & gloriam

D. Paul. ad Rom. 7.c. *Ad Hebr. 4.* *Luc. 14.c.* *Luce.6.c.* *B. Petr. 1. Cano.1.c.* *Deutero. 6.c.*

creatoris ſui interius, exteriusque ornatur in fimbrijs aureis huius magni mandati. Non ergo graui iugo oppreſſum te deplores, ſed gratias Deo age, quòd tãti muneris compos eſſe potes, quòd dignus ſic diuino amore inuenia ris & regno. Nõ cõtriſtatur dux, cui rex magnificus arma, equos, aurũ, argentũ, copias militũ conceſſit, cũ aduerſus ini micũ regni bellum ei demandat, certò ſciens ex hoc triumphũ, & coronã ſibi, ſi ſtrenue rẽ gerat, repromitti. Maiora tibi, ò homo, conceſſit altiſſimus, qui & dilectionẽ ſuã ſuper omnia demandauit, & in negotio non tantũ animæ, ſed & corporis officia iuſſit præſtare. In quo mihi crede, immo vero crede Deo, beata reſurrectio corpori tuo, quæ gratiſſima tibi eſſe debet, ſi forſan illud diligis, repromittitur. Ad iuſtitiam enim ſpectat, ut qui laborat manducet, q̃ decertat, donatiuũ accipiat: qui vincit, coronetur. Cum ergo labor nõ vulgaris, ſed aliquando ingens, imo aliquando ſummus, nimirũ cum mors corpori demandetur, cum caſus occurrit, aut negandi Dominum aut occumbendi; certe æquum, & iuſtum eſt, vt coronetur in beata reſurrectione. Quia ieiunia, q̃ patitur hic in præſentiarum coronari poſſunt, aut diuturna ſalute aut vitæ lõgitudine, uel luctus in gaudium cõuerti ualent. Quid obſecro de ſacris martyribus dices, qui corpora ſua tradiderunt pp legem Dei ſui? Vbi eſt merces laboris, ſi corpora non reſurgant? Vbi eſt corona uictori, ſi corpora in ſpe beatæ reſurrectionis non requieſcant? Certe reſurrectio futura eſt, ſiquidem corpus, quod corrumpitur in opere dilectionis aſſumitur tanquam inſtrumentũ neceſſarium, cum intra illud mens, ſpiritus, & anima inhabitent. Eadẽ eſt ratio, & argumentum pro reſurrectione peccatorum, ut puniantur in corpore, ſecundum quod iniquè egerunt. Aperi ergo oculos tuos, ò homo, & conſidera, tibi namque dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, vt certo ſcias ſupra patrem, ſupra matrem, ſupra uxorem, ſupra liberos, & ſupra carnem tuã debere eũ diligere, ac optimo, & ſupremo loco reponere. Iacta igitur in ipſum omnem ſpem, & cogitatum tuum, ab ipſo auxilium quære, & inuenies in tempore opportuno.

Simile.

Amor hominis erga Deum.

TAnta eſt celſitudo, dignitasq́; humanæ uoluntatis, ut Beatus Thomas doceat, quod immediatè Deo ſubeſt, & quãtum ad eſſe, & quantum ad moueri. Cum.n. ſit potentia rationalis animæ, à nullo alio cõditam dices, præter quã à ſolo Deo, qui eadẽ animã rationalẽ per creationẽ ſibi ſoli poſſibilẽ condidit. Quare eadẽ uoluntas à nullo alio principio extrinſeco põt directè, & efficienter moueri, preterquã à ſolo Deo. Nã etſi dicatur, intellectum mouere uoluntatẽ efficienter, id duntaxat eſt, quantũ ad ſpecificationem (ut Theologorũ uocibus utar) hoc eſt, repræſentando ei obiectum, ad quod determinetur, ut uelit, poſtea autem ipſa ſe mouet quo ad exercitium, id eſt, ipſa per ſeipſam vult illud bonum, quod ei ab intellectu proponitur & ad quod determinatur uolendum. Quod ſi ab aliquo extrinſeco principio mouetur, illud ſolus Deus eſt. Cum ergo ſolus Deus author ſit animæ rationalis, uoluntas autem ſit talis animæ potentia; manifeſtè ſequitur, quòd ſolus Deus eam mouere poteſt, non ſolum conferendo naturam, uerũ etiam dando uolutionem boni, & finis, qui clauditur in omni uolutione. Oportet ergo, ut ab eo ſummis precibus petamus cum Propheta regio. Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua. Non enim poteſt ſecunda rium agens quidpiam niſi uirtute primi agentis fulciatur. Anima noſtra (ut Beatus Dionyſius ait) aſſimilatur ſpeculo, nam quò quò uerſus uerteris illud, id in ipſo reſplendet. Si.n. uerſus cælum ſpeculi faciem poſueris, cælum

D. Tho. 1. 2. q. 9. art. 6.

Pſal. 118.

Simile.

lum ipſum cæruleum, lucidiſſimaque
lumina eius in ipſo ſplendoribus ſuis
micabunt ſpeculo, ſi uero contra terrã
uerſaueris, iam lutoſas paludes, ſterqui
liniaq́;, ac cæteræ ſpurcitiæ, quibus ſca
tet, in eo cernes reflexas; ſic nimirum
anima ſi aciẽ mentis in ſuperiora eleua
uerit, id in ea reſplendet: quòd ſi ad ter
rã reſpexerit, eius immunditia cõma-
culabitur: uoluntas. n. ad ea, quæ amat,
rapitur, & in ea transformatur, ſecun-
Oſeæ. 9. dũ illud Oſeæ Prophetę. Facti ſunt abo
B. Auguſt. minabiles ſicut ea, quæ dilexerũt. Vn-
Simile. de B. Auguſtinus inquit. Si terrã diligis
terra es, ſi cœlum diligis, cœlũ es: minus
dixi. Si Deum diligis, Deus es. Si alicui
puellæ, quæ ſummopere deſiderat ſpe
cioſa in oculis hominũ apparere, dice
retur, quòd quoties uultus ad ſidera ere-
ctos haberet, eius facies ſolis, ac cœli
pulchritudinẽ acciperet, aureosq́; ca-
pillos, rubicundas genas, nimioq́; ſplẽ
dore fulgentẽ uultũ mutuaretur. Quòd
ſi ad terrã depreſſerit oculos atq; faciẽ
iã illa pulchritudine amiſſa, pallida lu
tulenta, ac deformis appareret, quanta
cura cœlũ reſpicere ſatageret? nec terrã
unquã dignaretur cernere, ut ſpecies,
ac pulchritudo, quam cupit permane-
ret. Tibi, ò anima, hæc à Deo ſententia
intimatur. Si ad ſidera reſpicis, ſi Deũ-
que factorem tuũ amaueris, pulchrior
cunctis aſtris eris: quòd ſi in terrã vul-
tum depreſſeris, amoreq́; terreno ca-
piaris, iam deformior cunctis immun-
ditijs apparebis. Reſpice ergo cœlum,
ut ſpecioſior ſole ſis, nec terram digne
ris aſpicere, à qua turpiſſima effigie de
decoraris. Hanc mentis deformitatem
in ſuis lamẽtationibus Hieremias Pro
Threnor. pheta deplorabat, dicens. Candidiores
c. 4. niue, nitidiores lacte, rubicũdiores ebo
re antiquo, Saphiro pulchriores: deni-
grata eſt ſuper carbones facies eorum,
& non ſunt cogniti in plateis. Nix, &
lac naturali fulgent candore, per quẽ
naturalis animæ pulchritudo à lumine
naturæ deſignatur. Ebur (ait Beatus
Gregorius) fertur uetuſtate ex albo ru-
beſcere, per quod ſignificatur ſpecies,
& color, quem ex habitu, & longo exer
citio uirtutum animus acquirit. At per
ſaphirum, cuius color cęlum imitatur,
ſupernaturalis oſtenditur ſpecies ani-
mę, quę à gratia & charitate, cæterisq́;
uirtutibus, quæ à Deo iniungũtur, pro-
uenit, quibus anima ſupra omnes alias
pulchritudines decoratur. Per peccatũ
ergo adeo anima commaculatur, ut
utraque pulchritudo pereat, cum & na
turali, & ſuper naturali lumini aduerſe
tur culpa, nec iam candido colore ful-
geat, ſed tetro, ac turpiſſimo deturpet,
ita ut iam non agnoſcatur in plateis.
Et Dominus in platea campi Ioſaphat
reſpondebit illis. Neſcio uos. His ma-
culis poſt peccatum ſe ſentiebat aſper
ſum Dauid, cum clamabat dicens. Am *Pſal. 50.*
plius laua me ab iniquitate mea, & à
peccato meo munda me. Vbi aliæ tran
ſlationes habent. Multum laua me, ma
gis, ac magis laua me. Vt pannum ſor- *D. Bernar.*
didiſſimum lauanti dicimus. Iterũ, at-
que iterum aliaq́; uice, munda eum, ut
expellantur ſordes: ſic anima deturpa-
ta culpa millies lauari debet, donec im
maculata maneat. Et poſtquam clama
ueris & ploraueris, confitere peccata
tua. Vnde Beatus Bernardus in epiſto-
la ad quandam uirginem ait. Ama con
feſſionem, ob quam amaris. Ama con-
feſſionem, ſi affectas decorem, confeſ-
ſioni iungitur decor, iungitur pulchri-
tudo. Etiã ad hoc multum conducit ui
tæ auſteritas. Sicut enim uas melius *Simile.*
mundatur cum linteo aſpero, ac groſ-
ſiori: ſic ad munditiam animæ maxi-
me pſtat aſperior cultus, & victus cor-
poris. Hac autem puritate amandus eſt
Deus, ut gratus ſit ei amor, nobisq́; uti *Pſal. 36.*
lis. Nam (ut Propheta regius inquit)
nouit Dominus dies immaculatorum,
id eſt, approbauit: Et hæreditas eorum
in æternum erit, nec confundentur in
tempore malo, hoc eſt, in tempore la-
borioſo mortis, & iudicij. Hæc autem
omnia, ut perfectè adimpleantur, cõti
nuè toto cordis affectu clamare debe-

mus. Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua. Vt enim Beatus Ambroſius ait. Ille verè diligit, qui ſine triſtitia, ſine timore, ſed potius voluntario ſtudio, non coactè diuina præcepta obſeruat. In libris de vitis Philoſophorum narratur, interrogatus fuiſſe Ariſtoteles, quid ſibi de philoſophia acquiſiſſet? Ex philoſophia, inquit, didici non coactè facere, quod aliqui faciunt propter legis timorem. Ariſtippus etiam Philoſophus interrogatus quid Philoſophus præ cęteris haberet? Reſpōdit. Si leges perditæ eſſent, omnes ſimiliter viueremus, vt viuimus legibus manentibus: Hoc. n. facere docet Philoſophia non coactè ſed uoluntariè operari. Id ergo charitas Dei, eiuſq; diuinus fauor in cordibus fideliū operabitur. Quare Beatus Auguſtinus in regula inquit. Nō ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti, voluntariè legi Dei obedire debetis. Sic intelligitur illud B. Apoſtoli. Iuſto non eſt impoſita lex, quia ſi nulla eſſet lex ſcripta, iuſtitiam operaretur, quoniam amore omnia facit: ſicut S. Dauid dicebat. Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.

D. Ambro. ſuper Pſal. 118.

B. Augu.

1. ad Cor. 1.

Pſal. 118.

Amor hominis erga Deum.

Diligendus eſt Deus tanquam omnium bonorum fons. Vnde in nomine, iehoua, quod eſt nomen Dei, in quantum eſt fons eſſendi, eſt reduplicatum verbum ſum, es, fui: quoniam duæ primæ uocales ſunt ultimæ uerbi, Haiah, quod eſt fui; & duæ ultimæ ſunt ultimæ participij, ſum es fui, quod eſt, Oueh, id eſt, ens. Inquo uidetur deſignari Deum eſſe principium, & fontē totius eſſe tam naturæ, quam gratiæ. Ex quo ſequitur miſerandam nimium eſſe hominum cæcitatem, & dementiam, qui cum fælicitatem ardentiſſima auiditate & ſitiant, & quærant, illam non in ſummo bono Deo, ſed in ſu gitiuis, caducis, ac fallacibus huius mūdi bonis quærere contendunt. De quo Dominus per Hieremiam Prophetam conqueritur, dicens. Grex perditus factus eſt populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntq; uagari in montibus, de monte in collem tranſierunt obliti ſunt cubilis ſui. Cubile, in quo anima noſtra ſecure dormit, & quieſcit Deus eſt, cæca autem mens hominum ſecuritatis, & quietis cubili derelicto, per montes errabunda uagatur, uaria huius mundi bona conſectans; in quibus quietem ſe, & fœlicitatem adepturam putat. Proprium verò priuilegium diuini amoris, quem charitatem appellant Theologi, eſt Deum in ſe ipſo quærere, in ſeipſo diligere, in Deum ipſum, ſecundum quod in ſe eſt, tendere: virtutes enim morales non habent Deum pro obiecto immediato, nec ſe ipſis illum attingunt, inter Theologos autem fides Deum attingit; non tamē prout eſt in ſe, ſed quatenus à nobis cognoſcitur, ſpes quatenus bonum noſtrum, unde ſperat eum ſibi: quod amoris concupiſcentiæ proprius quam amicitiæ eſt. Charitas vero Deum in ſe ipſo attingit eum diligit prout in ſe eſt, & propter ſe ipſum, & ſi bonum noſtrum non eſſet, eum diligeret propter bonitatem, quam in ſe habet. Quare inter cæteras uirtutes aquilæ comparatur, quæ ſolem in ſe ipſo ſuis ſplendoribus micantem irreuerberatis intuetur oculis, ſic charitas iubar ipſum inconniuentibus obtutibus reſpicit. Quocirca de ea Apoſtolus dicit. Maior autem horum eſt charitas. Et ſicut hic amor, & charitas Deum in ſe ipſum attingit, ſic eum habentes cum ipſo Deo immediate loquuntur. Sicut uidere eſt in pſalmis & Prophetis: ubi illi Sancti Prophetæ cum Deo quaſi facie ad faciem loquebantur. Amor enim facit hominem audacem, quo, neſcio quas ſibi facultates aſſumit, quas, niſi amaret, trepidaret accipere. Videmus. n. illum Dei amicū Patriarchā Abrahā, q cū uidiſſet beneuolentiam

Hier. 50.

1. Ad Cor. 10.

tiam Dei erga ipſum reuelando ea, q́ fa ≀cturus erat Sodomitis, & quaſi conſiliū capiendo dicens. Nū celare potero Abrahā, quę facturus ſum? fiduciam magnam ſibi aſſumpſiſſe, quam niſi amor cóceſſiſſet intolerabilis videretur, imò & temeraria nimis, & ſuperbia, atq; audacia contra Dei maieſtatē. Septies. n. auſus fuit eū interrogare, an pp quinquaginta quadraginta, & quinque, quadraginta, triginta, viginti, vel decē iuſtos vniuerſæ multitudini peccatorum parceret? Ad quæ omnia ei bene vole reſpondit Dñs., quoniā nō ex tumido ſpiritu, ſed ex humili, & amantiſſimo corde procedebat talis interrogatio. Et ille ſingulari priuilegio electus, & dilectus Chriſti diſcipulus Ioannes Euāgeliſta, q priuilegio amoris à Chriſto virgo fuit electus, ac inter cæteros magis dilectus cū Dñs in cœna dixiſſet, quod vnus ex recumbentibus eum erat traditurus cæteris diſcipulis trepidantibus, ſolus ille auſus eſt eum interrogare de proditore. Quis te præ cæteris audaciorem fecit ò B. Ioannes, præſertim cum iunior alijs te modeſtiorem eſſe decuiſſet? Reſpódebit: Amor, qui amantium conditiones inæqualitatesq; adæquat. Apoſtolorum etiam princeps Petrus, cum iterum, atq; iterum à Chriſto interrogaretur, ān ſe plus cęteris diligeret, vt eum paſtorem eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus cōſtituēret, auſus ſtatim fuit de condiſcipulo ſuo Ioanne ipſum interrogare, quidnam de illo decreuiſſet facere. Sic nimirum anima amans, quæ prius, nec oculos ad cœlum leuare audebat, amoris conſuetudine ſubleuata iam cum ipſomet Deo miſcere colloquia, cōfabulari, delectari, quæri, omnia ſua commoda, & incommoda, illi referre, immo & ſe totā effundere & reſerare corā Deo audet, & dicere cū ſancto Dauide. Effundo corā eo orationē meā, & tribulationē meā ante ipſum pnuncio. Vnde ſponſa in canticis prius veluti opreſſa timore in tertia perſona loquitur ad eum dicens. Oſculetur me

Pſal. 141.

Cant. 1. *c.*

oſculo oris ſui. Sed ſtatim amoris confidentia eleuata, in ſecundā perſonam eum alloquitur dicens. Quia meliora ſunt ubera tua uino. Et poſtea ipſum ſpōſum deprecatur, Trahe me poſt te. Amemus ergo hoc ſummū bonum ardenter, & ex toto corde, & cum eo os ad os ut ſponſa loquamur, dicētes, meliora ſunt vbera tua uino. Vbi alij tranſtulerunt. Meliores ſunt amores tui uino. In viro. n. minus proprie ubera laudantur. Amor autem merito uino comparatur: uinum namque cor hominis lętificat, incendit, corroborat, mentéq; alienat. Diuini ēt amoris proprium eſt animū lætificare, idē quoq; incendit, quia nimirū in bonorū operum ſtudio homines ardere facit, idéq; contra aduerſitatē munit, ac roborat, idē ēt hominis mentē inebriādo alienat, & in Deū rapit, quod illa Apoſtoli uerba ſignificāt, ſiue mēte excedimus Deo ſiue ſobrij ſimus uobis. Hoc uinum eſt, de quo regius Propheta loquēs ait. Calix meus inebriās quā pręclarus eſt. Quod quidē uerbū in Hebræis exēplaribus minime reperitur ſed ſolummodo Sanctus Propheta inquit. Calix meus inebrians. Et hic uelut ſuſpenſus ſtetit ac ultra progredi noluit, non. n. uerbū inuenit, quod pro menſura ſui cordis, & eius, quod ſentiebat, penitus explicaret, & idcirco ſicuti quadā umbra id, quod coloribus depingere nō poterat ſilētio cōtegit. Ex his patet latius inter utramq; ebrietatē eſſe diſcrimē. Vinū n. alienat hominis dignitatē eū infra ſe deijciendo, amor autem Dei eleuando ipſum ſupra ſe, & diuinæ menti coniungendo. Hic autem aduertendum duxi pro eo quod nos in cāticis legimus, Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt ubera tua uino, & odor ueſtimentorū tuorum ſuper aromata, aliquos tranſtuliſſe, Quam pulchri ſunt amores tui. Ex quibus uerbis intelligimus, quā ſit grata, & iucunda cæleſti ſponſo uirtus dilectionis, quā ille uino, hoc eſt omnibus

Pſal. 22.

Cantic. 4.

alijs delicijs,& opibus præfert. Odoré autẽ veſtimentorũ eius ſuper omnia aromata eſſe ait. Quibus verbis, quã grata Deo præclara virtutũ officia ſint, q̃ charitatem ipſam conſequuntur deſignat, ſi quidẽ poſtquã laudauit vbera, id eſt, amores, laudauit & ueſtimenta. Poſtquam vero ſponſa dixit, meliores ſunt amores tui vino, ſtatim addidit. Trahe me poſt te. Quia ut Beatus Dionyſius in libro de diuinis nominibus ait, Deus aliquando dicitur amor, aliquando amabilis. Amabilis dicitur, quia ſui ipſius & ſibi ipſi prouocator é, & amator: amor autem quia mouet & prouehit ad ſe. Ergo, dilectiſſimi, ſi quidem amor eſt Deus, quia mouet, & prouehit, toto mentis affectu dicat vnuſquiſq; veſtrũ cũ ſponſa. Trahe me poſt te. Sicut B. Auguſtinus in ſuis meditationibus dicebat in hunc modum. Fac, precor, me Domine guſtare per amoré, quod guſto per agnitioné: ſentiam per affectũ, quod ſentio per intellectũ: plus tibi debeo, quàm me ipſum totum ſed nec plus habeo, ſed nec hoc ipſum per me totum poſſum reddere. Trahe Domine in amorem tuum, vel hoc ipſum quod poſſum. Non tamen ſufficit hoc petere: ſed cum amoris obiectum, & incitamentum ſit pulchtum, ſicut voluntatis bonum, ideo quiſquis ad cœleſtis ſponſi amorem aſpirat, ineſtimabilem eius pulchritudinem animo ſæpe, multumq; verſare debet. Hac enim de cauſa magnam ſermonis partem in libro Canticorum ſponſa in laudibus, & commendatione pulchritudinis ſpõſi ſui conſumit, quo illum & ſibi, & omnibus maxime amabilem oſtendat. Multum etiam conſideratio pulchritudinis creaturarum & lectio ſacrarum ſcripturarum ad hoc confert, ſicut B. Auguſtinus docet, cũ inquit. Scriptura, & creatura ad hoc ſunt, ut ipſe quæratur, ipſe diligatur, qui ipſam creauit, & illam inſpirauit.

B. Dionyſius lib. de diuinis nominib.

B. Auguſtin. medit.

B. Augu. l. De Trini.

Amor hominis erga Deum.

AMor voluntati dominatur, ipſam que cũ re armata cõglutinat, volũtas uero cæteras poſt ſe vires animæ trahit. Hinc illud B. Auguſtini: Pondus meum amor meus; illo feror quocũq; feror. In quibus verbis amoré eſſe omnis motus noſtri principiũ aperte diffinit. Quo fit, vt tales animi noſtri motus & affectus ſint, qualis amor noſter eſt. Itaq; terrenorum amor, terrenos atque carnales; Dei uero atq; cæleſtiũ rerũ amor cæleſtes atq; diuinos facit. Ideo, ut idẽ B. Auguſtinus ait, Dñs admonet mẽbra ſua, vt ſurſum corda habeant. Audiãt ergo (inquit ipſe ſanctus uir) & faciẽ leuent ad cœlũ, quæ male ẽ in terra: ibi enim non putreſcit cor, ſi eleuetur ad Deũ. Frumentum ſi haberes in inferioribus, ne putreſceret, leuares ad ſuperiora. Frumento quæris mutare locum, & cor permittis in terra putreſcere? Stans in terra in cœlo es, ſi diligas Deũ. Non. n. ſic leuatur cor, quomodo corpus. Corpus ut leuetur locũ mutat: cor vt leuetur uoluntatem mutat. Surſum ergo fratres corda ueſtra leuate, & in ipſo ſummo bono firmiter configite. Sunt namq́ue multi amorem Dei in corde gerentes eo modo, quo quis Gariophilatum florem (*vn clauel, o clauellina*) uerſat in ore vel in manu, nam cum exciſus ſit à radice, nec humorem habeat, quo ſuſtentetur ſtatim marceſcit, & perit, atque utinam nõ ita compluribus Chriſti cultoribus contingat, aliquantulum enim bene ſibi olet Deus, ſapit, iucundusq; cordi eius ſentitur: ſed cum nec radicẽ intus, nec humorem habeat, protinus macreſcit in corde deuotio, atque à memoria excidit, quod antea delectabat. Facillime autem Dei amor in corde hominis locum inueniet, & eum occupabit, altasq́ue radices in eo aget, ſi immoderatus ſui amor ab anima pellatur. Ex præcipuis etenim, quę amori Dei contradicunt

D. Aug. in lib. cõfeſſ.

B. Aug. ſuper pſ. 85.

Simile.

Simile.

dicunt,eſt amor proprius, qui affectus adeò viſceribus noſtris infixus eſt, ut (quemadmodum uir quidam ſpiritu Dei plenus dixit) ſi fieri poſſet, ut in torculari aliquo totus homo expreſſus hunc à ſe amorem excutere uellet, ex omnibus eius neruis, uenis, oſſibus, & medullis, uix quidquam aliud, quàm hic ſui amor exprimeretur,qui tamen, cum immodicus eſt,malorum omnium ſeminarium extitit. Vnde fit,ut cũ maxime glorioſum ſit, immoderatos animæ motus ſubegiſſe glorioſiſſima inter omnes nictorias ſit, hunc amorem ſuperaſſe, qui inter omnes animæ motus potentiſſimus eſt,vt pote à quo omnes alij oriuntur. Ab hoc enim oritur odium,& ira, & deſideriũ, & timor & gaudium & mœror,cæteraque ſimilia:ut cum ab ingenti radice, rami etiã arboris ingentes procedunt, hinc eſt q̃ cum affectus omnes ab amore ſui tanquam à radice prodeunt,ut ſi amor ſui uehementiſſimus eſt, affectus etiam uehementes pariat. Hic autem amor à Græcis Philautia & totius prauitatis cauſa eſſe dicitur,quem in finem ſæculi abundaturum B. Paulus ſcripſit his uerbis. In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; erunt enim homines ſe ipſos amantes.Quiſquis uero ſe, ideſt,carnem ſuam, & uitam ſuam nimis amat,nimis quoque carnis,& uitæ huius bona amat, quæ ſunt honores, opes, ac deliciæ. Incredibile autem dictu eſt,quam uim ad rationis iudiciũ euertendũ omnis ingens affectus habeat. Sicut enim denſiſſima aliqua nebula meridianũ ſolis ſplendorem ita non nunquã obſcurat, ut nec ueſtigiũ quidem eius appareat: ita quæcunque uehemẽs & immoderata paſſio rationis lucẽ tantis tenebris obruit, ut uix aliquod eius ueſtigiũ in homine relinquat quod quidẽ non obſcure ſapiens inſinuauit,cũ ait.Vinũ,& mulieres apoſtatare faciũt ſapientes. Mulieris autẽ nomine quancunq; uehementẽ,& inſanam cupiditatẽ ſignificauit, quam uino parẽ eſſe dixit;quod ea ſapiẽtis quoque hominis mentẽ obruat,& inebriet atque omni fere iudicio ſpoliet. Ideo Eccleſiaſticus ingẽti cordis affectu orat. Animo irreuerenti, & infrunito (hoc ẽ,effrenato & impudẽti)ne tradas me.Recte quidẽ orat. Ne tradas me:uidelicet tanquã tortori, ac tyranno,qui me pro libidine ſua tanquã mancipio ſibi tradito abutatur. Qui ſic traditur ad hoc perducitur,ut dicat. Omnia, q̃ deſiderauerunt oculi mei non negaui eis,nec prohibui cor meũ, quin omni voluptate frueretur.De hoc loquens regius Propheta ait. Noli æmulari in homine faciẽte iniuſtitias.Vbi B. Hierony.ex Hebræo uertit. Noli æmulari aduerſus uirũ, qui facit quæ cogitat. Nun potuit breuius abſoluta hominis prauitas,& nequitia explicari.nullũ.n. facinus recuſat quiſquis facit quæcunque cogitat,quæque illi ſuggerit libido.Quo circa vos vehementer ẽt, atq; ẽt moneo,fratres,ut frænũ amori huic inijciatis, & quatenus fieri poſſit, vos ipſos fugere ſemper ſtudeatis, ut hunc propriũ amorem ex quo tot mala prodeunt,mortificetis.Nulla aũt commodior ratio fugiendi vos reperiri poteſt quã ſi per diuinatũ rerũ conſiderationẽ,ſtudiumq; deuotæ orationis ſpiritũ Dei hauriatis: vt natura perfuſa & informata gratia extra ſe quodammodo ponatur. Itaq; ſi vos fugere vultis, in Deũ trãſite:nunquã.n.vos melius fugietis, quã ſi in illũ per amorẽ cõceſſeritis.Terra quidẽ frigida, & ſicca ex natura ſua ad germinandũ inepta eſt,quę tamen aquis irrigata alieno humore fęcũda fit,ita quod ex ſe nõ habet,aliũde mutuat.Simili ergo ratione depravatã affectibus naturam ſtudeat homo reformare diuinis fauoribus, & auxilijs,vt nullã rẽ quãlibet eximiã immoderatè cupiatis, nec filijs, nec vxoribus, nec affinibus, nec deniq; honori opibus immoderato amori adhæreatis: fugiendũ eſt.n. quidquid nimium ẽ,& q̃quid hominis mentẽ inebriat,

Simile.
1. Tim. 3.
Simile.
Eccl. 19. c.
Eccleſ. 2. c.
Pſal. 36.
Simile.

& mediocritatē in omnibus rebus ſeruare ſtudendū eſt, in qua omnis virtus, & honeſtatis ratio ſita eſt. Quod B. Paulus ad Corinthios ſcribens, admonet dicens. Hoc itaq; dico fratres, tempus breue eſt. Reliquū eſt, vt qui habēt vxores tanquam non habentes ſicut, & qui gaudent, tanquā non gaudentes ſint, & qui vtentur hoc mundo, tanquam non vtātur. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Vnū ſolū bonū incōmutabile eſt, cætera omnia cōmutabilia ſunt caduca, momētanea, fragilia. Ideo in illo vno ſolū acquieſcere, in illo ſpē omnē, & amorē collocare debemus, cætera uero omnia indigna ſunt, quibus homo nitaſ, & in quibus acquieſcere velit: quippe baculis arūdineis ſimilia non modo illis innitentē deludunt, ſed frequenter et lędunt & innitentis manum diſrumpunt. Quod intelligens Beatus Auguſtinus in principio ſuarum meditationū ait. Domine Deus meus da cordi meo te deſiderare, deſiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando, mala mea redimere redempta non iterare & ſtatim addidit. Ecce plaſmator meus multa rogaui, cū nec pauca promerui, fateor heu fateor, non ſolum, quæ poſtulo, non debentur dona, ſed multa & inexquiſita ſupplicia. Hæc fratres mei continuo ab altiſſimo Deo ſummis precibus poſtulemus. Sicut enim non ſufficit, ut ſol terræ orbem ad fructus producendos illuminet ſed oportet ipſam calefaciat, & inflammet: ſic non ſa t eſt nos huius diuini ſolis fide illuminari, ſed eius nos ardentiſſimo amore inflammari neceſſum eſt, vt ſic bonorum, ac meritorum operum fructus vberrimos præbere valeamus.

1. Ad Cor. 7. — *B. Auguſt. in prin ſuarū medit.* — *B. Auguſt. ſupra. c. 1.* — *Simile.*

Amor hominis erga Deum.

QVandoque Deus zelotes dicitur, vt anima fidelis aliquo modo ſuo factori correſpondeat, etiam zelum erga illum habens: qualem ſponſus ſponſæ ſignificauit dicēs. Fortis eſt, vt mors, dilectio: dura ſicut infernus æmulatio. Hoc eſt talis, ac tantā eſſe debet erga me tua dilectio, vt morti, & inferno cōparetur. Mors .n. inſenſibilem hominē ad omnes mūdi affectus ad omniaque tum aduerſa, tum proſpera reddit. Talis autē debet eſſe in ſponſum Chriſtū charitas, quæ efficiat, ut nos mortui ſimus mundo, viuentes autem Deo. Infernus porrò inexorabilis eſt quem enim ſemel arripuerit, nunquam reddit. Talem diuinæ gloriæ zelum à nobis Dominus iure ſuo exigit, qui nullis vel mundi huius, vel hoſtis antiqui machinis poſſit nos ab eius amore diuellere. Talem certe zelum, talemque dilectionis vim oſtendit Beatus Paulus, cum ait. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, &c. Certus ſum enim quia nec mors, nec vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quæ omnia mire hunc charitatis, & æmulationis affectum exprimunt. O nos miſeros, quos ab hac dilectione toties leuiſſima rerum momēta diuellūnt à qua nec tota infernum potentia ſeparare debuiſſet. Quam merito hæc diuina uerba Sancti Apoſtoli conſiderans Beatus Chryſoſtomus exclamat dicens. O Paule cœli ciuis, eccleſiarum columna Angelus terreſtris, cęleſtis homo: ſicut enim miſſum in igne ferrum totum profecto ignis efficitur, ſic Paulus charitate ſuccenſus totus effectus eſt charitas. Et ſicut ignis ubicunque ſit, eoſdem effectus producit: ſic amor in hominibus aliquomodo eoſdem effectus ſicut in Deo operatur. Vt enim amor Deum pro hominibus mori fecit: ita ipſe amor homines ad uitam pro Domino offerendam impellit. Sic Diuus Paulus hoc diuino amore inflammatus ad Corinthios ſcribens ait. Æmulor enim vos Dei æmulatione: hoc eſt, tam efficaci amore vos proſequor, ueſtramque ſaluationem deſidero, ut ſi opus

Cātic. 8. — *Ad Ro. 8.* — *Simile.* — *2. Ad Cor. 11. c.*

ſi cpus eſſet, propter illam libenter mori non recuſarem. Vbi ualde perpendendum eſt Sanctum Apoſtolum amorem,& zelum ſuum Dei æmulationem appellare, eo quòd zelus eius ſit aliquomodo ſimilis Dei æmulationi. O utinam hic amor,& hic zelus cordibus noſtris dominaretur, qualiter uiribus omnibus contenderemus, ut omnes Deum ardentiſſime diligerent. Nā (ut ait B.Gregorius) ille in amore Dei maior eſt, qui ad eius amorem plures trahit. Et Diuus Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana inquit. O ſi poſſemus incitare homines, & cum ipſis pariter excitari,ut tales eſſemus amatores uitæ permanētis, quales ſunt homines amatores uitæ fugientis.

B Greg. in quad. Homi.

B. Aug. li. de doctrina Chriſtiana.

Amor hominis erga Deum.

Eſdræ. li. 4

IN libro Eſdræ legitur quidam Angelus illi S.Prophetę hæc verba dixiſſe. Vade pondera mihi pondus. Impoſſibile uidetur hunc materialem ignē, quo vtimur, poſſe aliquo modo ponderari: at ignis ſpiritualis, qui eſt diuinus amor ponderari poteſt, imo, & unum ex præcipuis exercitijs, in q̄bus Chriſtianus homo ſe debet exercere, eſt in ponderando hunc diuinum ignem ſtatera ſui intellectus, ut uidelicet quomodo intelligēs eius ualorem (hoc eſt [*ſus quilates*]) pro uirili parte laboret ſummo illi, ac cęleſti amatori alio ſimili amore p̄ſoluere. Incipe ergo o Chriſtiane cęleſtem illum ignem perpendere, ſtateraq́; tui cordis pōderare et clariſſimē reperies in erimis illum diuinum amorem gratis fuiſſe nobis conceſſum: nos enim abſq; meritis noſtris uel ſeruitijs dilexit Dominus. Idcirco D. Ioannes ait. In hoc eſt charitas non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Et D.Paulus ad Romanos ſcribens ait. Cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo. O admirabilem,& incōprehenſibilem Dei charitatem? Cum homo aduerſus altiſſimam maieſtatem per peccatum bellum gereret infeſtiſſimum,& ueniā ab ipſo Deo poſtulare nequaquam uoluiſſet, immenſus Deus ſe ſe ita humiliauit, ut cum prima pace eundem hominem inuitauerit, ac ſi uires ad uindictam de eo ſumendam non haberet, uel ſi miſerrimo mortali minor eſſet, eiq́ue offenſionis occaſionem ante prębere. Secundo reperies Deum ipſum propter aliquod lucrum quod à nobis intendat nos minimè diligere. Atque ita Sanctus Iob inquit. Si peccaueris, quid ei nocebis? aut ſi multiplicatę fuerint iniquitates tuę; quid facies contra eum? porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei? Aut quid de manu tua accipiet? Siue bonum agat ſiue malum homo, ſibi ipſi agit: Deo enim nullum malum aut bonum propter bonam, ſeu malam hominis operationem, prouenire poteſt. Tertio inuenies hunc diuinum amorē ualde utilem eſſe: propter illum nāque Deus omnia nobis bona confert, inter quæ, & ex quibus maius fuit ſuum nobis unigenitum filium dediſſe, ſicut ipſe apud Beatum Ioannem teſtatur, dicens. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum unigenitum daret. Viſum eſt æterno patri, ſe nobis ſufficientem amoris ſui infiniti nequaquam oſtendiſſe probationem, cum cœlum ad habitaculum noſtrum, mundum ad ſuſtētationem noſtram, Angelos ad nobis ſeruiendum conceſſerit: vt autem demonſtraret ſummum erga nos amorē, vnigenitum ſuum nobis donauit. Itaq; videns ignorantiam noſtram, ipſum unigenitum ſuum nobis, vt magiſtrum, largitus eſt: contemplans exilium noſtrum, eum ut ſociū dedit: animaduertēs orbitatē noſtrā illū ut tutorē cōceſſit: cernēs captiuitatē noſtrā, eundē ad noſtrorum redemptionem donauit, attendens famem noſtram, eum in cibū præſtitit: uidens nos ægrotos, eum ut medicinam exhibuit. Quid amplius dicam? cernens denique nos in omni malorum genere immerſos omne nobis bo-

1. Ioan. 4.

Ad Ro. 5.

Iob 35.

Ioan. 3.

bonum elargiri dignatus eſt:& quoniã hoc in ſolo Deo reperitur,ſuum nobis unigenitum filium donauit. Si plures ô Pater æterne filios haberes, magno nos afficeres beneficio,ſi ex illis unum tribueres : at cum unum duntaxat habeas,ex tua ſubſtantia genitum, & tuũ ita, ut una res tecum ſit, ipſum nobis dediſſe, quid amplius, & quæ clarior tui amoris ſignificatio?Vt enim Beatus

Ad Ro. 8. Apoſtolus inquit. Si pro nobis omnibus tradidit illum,quomodo etiam cũ illo non omnia nobis donauit?Videtis igitur, quam utilis,quamque frũctuoſus diuinus nobis amor exiſtat:per illũ enim peccata labentibus condonãtur, & fauor ad gloriam obtinendam con-

Apoc. 4. ceditur. Atq; ita B. Ioannes in Apocalypſi uidit quòd ꝓcidebãt uiginti quatuor ſeniores ante ſedentẽ in throno,& adorabant uiuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum. In quo ſignificabatur,eos, ſi coronas habebant,ipſas illius Domini auxilio habere: per ſe enim parum aut ferè nihil valerent. Ergo animo perpendite hunc diuinum ignem, & in eo plurimos amoris gradus inuenietis:ex quibus unus, idemq; præcipuus fuit, ipſum uſque ad mortem,mortem autẽ crucis, fortem,ac ualidum extitiſſe.Tãto enim diuinum Ieſu Chriſti pectus amore flagrabat, vt nihil,quamuis arduum,& difficile reperiretur,quòd ipſe facillimum eſſe non iudicaret. Omnia etiam quæ paſſus eſt, parum ei uidebantur.Si alicui magna febri laborã-

Simile. ti, inſatiabiliq; ſiti oppreſſo uas plenũ aquæ porrigeretur,& ipſe, poſt quam totam bibit,denuo aliam,& aliam poſtularet; non ne eius ingentem uiſcerũ ardorem miraremini? profectò dicere quiſque poſſet, ignem in pectoribus eius ardentem eſſe nimis intenſum.

Hinc ergo iudicare poteſtis ardentiſſimum amoris ignem, qui in diuino Ieſu Chriſti pectore ardebat, ſi quidem cum tantam aquæ non refrigerantis, ſed crudelium tormentorum & opprobriorum hauriret multitudinem, eius ſitis nequaquam extinguebatur, nec ipſe tot perferendis ſatiabatur laboribus,& idcirco in cruce clamauit,dicẽs: Sitio,ac ſi diceret, ueniat plus aquæ.

Veniant plura,ac plura conuitia, tormenta,& opprobria,nam denuo bibere cõcupiſco, flagrat enim pectus meũ iniurias perferendi deſiderio. Veniat ergo fel,ueniat & acetum, veniant denique omnia quæ uolueritis:ego enim illa pro hominibus accipere libenter non recuſabo.O benedictus,& glorificatus ſit talis amator, qui tam feruido nos amore proſequitur. Fœlices illi qui ex eo ſciunt commodum,& utilitatem educere. His conſiderationibus Chriſtianus homo in ſui intellectus trutina diuini amoris ignem poterit examinare atque perpendere,& ſic aliquomodo plurimos eius gradus,qualitates ſeu excellentias intelligens, pro uirili parte laboret alijs ſimilibus, in quantum ſibi poſſibile fuerit, amoris gradibus & qualitatibus gratus correſpondere. Dicimus, in quantum ſibi poſſibile fuerit, eo quòd amicus ſe debet amico pro uirium poſſibilitate cõmunicare. Nam miſer homo ſecundũ miſeriam ſuam diligere ualet:ideo qui Deum amicum habet, plurimum habet:nõ diligit Deus ſicut ipſe diligitur, ſed diligit tanquam Deus: homo autẽ tanquam homo diligit: ſed oportet, ut eius amor ſit aliquo modo amori Dei ſimilis,atque conformis.Verum eſt tamen quòd in primo gradu,hoc eſt, [*enel primer quilate*] ipſum imitari nequimus. Quoniã Deum gratis, & abſque eo quod ipſe amorem noſtrum mereatur,diligere non poſſumus:nam illũ diligere obligatione aſtringimur, eo quòd & ipſe id meretur,& nos ei hunc amorem debemus. In ſecundo uero gradu lucri,hoc eſt [*enel ſegundo quilate del intereſſe.*] eum imitari debemus:ipſum namque nos non mercenario amore,ſed propter quod duntaxat ipſe eſt diligere oportet.Qui amat(inquit

B. Chryſo. quit B. Chryſoſtom.) Deum propter lucrum ac retributionem tantummodo, ſim ilis eſt ei, qui bouem diligit, eo quòd terram, & fundum eius arat, cum autem ab eo commodum educere nequit, ipſum a ſe expellere contendit. O magnam filiorum Adæ confuſionẽ: homines alios diligunt, eiſque ſeruitutem præſtant propter ſolam amicitiã, & amorem, ad lucra, retributioneſque nequaquam attendẽtes, & uix aliquis, qui ſic Deum amore proſequatur, reperitur. O rem ſanguineis lachrymis deplorandam. Dicito mihi ò homo, nonne amicum, & ſodalem habes, à cuius conſpectu, atq; conſortio uix diſcedere ſcis, & ab ipſo diuitias nõ expectas, quia tu illo ditior es, nec fauores, quia tu ei potius fauere uales: ſed eum tantummodo beneuolentia proſequeris, quia ille bonus eſt, atque optima indole præditus? Quod igitur cum peculiari homine facis. quare cum Deo, qui infinitæ bonitatis eſt non ages? Si filius patri ſuo diceret. Pater, ego te diligo, ſolummodo quia ſcio me tuum hæredẽ futurum eſſe. Nonne huiuſmodi filius exheredari, & paternis bonis priuari merebatur? Ita ſanè. Si autem alius diceret. Pater ſũmo te amore proſequor, non propter opes, aut diuitias, quas a te expecto, illas enim cui uolueris elargiri potes, ſed duntaxat qa pater meus es, te diligo. Merito profecto talis filius præ cæteris meliorari, & hæreditate ꝓferri merebatur. Non igitur ſtulti, atq; imprudentes ſimus, qua enim uia proficere cogitamus, eadem perdimus, & qua perdere exiſtimamus, illa lucrabimur. Nam quanto magis Deum abſq; intereſſe & mercede diligimus, eiq; ſeruire contendimus, tanto plus lucri, dũ minus illud quærimus, reportabimus.

Simile.

Iob. 13. Singularis equidẽ actus, & magni meriti fuit ille Sancti Iob, cum dixit. Etiã ſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Siquidem igitur amor noſter, ſicut gratis eſſe non poteſt, ita nec utilis Deo (quæ eſt tertia diuini amoris conditio) ſaltẽ curemus, ut ueluti mors fortis ſit, &, ne quid, licet difficile, illũ a cordibus noſtris diuellere poſſit, contendamus. Talis erat Diui Pauli amor, cum dicebat. Nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per uitam, ſiue mortem: hæc enim eſt ueri, ac ſpiritualis amoris probatio. *Ad Phil. 1. c.* Vnde obſeruandum eſt, duos eſſe amores, alterum naturalem, qui a uoluntate ſola, & non à gratia proficiſcitur, (ſicut forſan antiqui Philoſophi illum erga omnium rerum creatorem habuerunt) alterum uero, qui a uoluntate, Spiritus ſancti appulſu, excitata procedit, qualem ſancti habuerunt. Eſt autem intellectu difficillima inter hos duos amores differentia, ſicut etiã erit nimis difficile intelligere diſcrimen duorum capillorum uniuſmet capitis, hi enim duo amores ſunt capilli eiuſdem capitis, id eſt, amoris Dei: & uterque animæ guſtum, & ſuauitatem affert, & idcirco decipi quiſque poteſt, dum cogitat, ſe charitatiuum amorem uidelicet, incẽſum Spiritus ſancti ignẽ habere, cum tamen naturalem duntaxat habeat, qui ad ſalutationem minime ſufficit: ſed hæc periculoſiſſima quidem res eſt. Quòd ſi hoc periculoſum iudicamus, quanto magis erit, hominẽ in ſe ipſo nullam affectionem, nullam ſuauitatem, nullumque Dei amorem ſentire? O rem miſerandam. In omnibus temporalibus rebus, cum caducæ ſint & inanes, guſtum, & uoluptatem reperire ſolemus, & ad omnes quandã in animo noſtro affectionẽ ſentimus: ſolus autem Deus, cum ſit infinita dulcedo, ac fons totius conſolationis, nobis inſipidus uidetur, & quod peius eſt, hanc miſeriam nõ attendimus, nec deploramus. Quare ò peccator non contriſtaris, cernens te ipſum omnibus mũdi rebus ita deditum, & propenſum, cũ nullam Dei optimi maximi, in te ſentias affectionem? Sentis amorem erga pallium tuum, erga uineam, erga domum, & etiam erga calceum: & nõ ſentis amorem, aut affectionem erga infinitum

nitum bonum, quod eſt Deus, ideoque in his uoluptatem capis, & illa ſectaris Deum autem immenſum faſtidis, deſeris & relinquis. Ricardus de Sancto Victore inquit unum ex præcipuis ſignis, in quo ſpiritualis amoris probatio apparet, eſſe, laborum, & ignominiarum humilem tolerantiam ſecundum illud Apoſtoli qui ad Romanos ſcribent ait. Tribulatio patientiam operatur, patiẽtia autem probationem. Hic amor pondus totius ſpiritualis ædificij ſuſtinet. Experientia patet fornacem uitream, dum in ea ignis ardet, facile conſeruari, ipſo uero extincto, ſtatim cadere, & corruere. Simile huic in animę ædificio contingit quod amore conſeruatur.

Ricardus de ſancto Victore.
Ad Ro. 5.
Simile.

Quo circa ſtudere, & omnibus uiribus nos laborare oportet, ne hic diuinus ignis in noſtris unquam cordibus extinguatur, continuo fauorem Spiritus ſancti, & auxilium poſtulantes, omni cura, & ſolicitudine operam dantes, ut quoad poterimus ab illis rebus, quæ huic amori bellum inferunt, nos diligentiſſime ſeparemus. Sicut enim luna, dum plena eſt, longius a ſole diſtat, & in hac plenitudine in hunc modum diſpoſita eſt, uidelicet terga, ſeu medium illius arcus, quem habet, ad orientem uertit, cornua uero uerſus occidentem aperta habet, ac ſi ipſum occidentem amplecti uellet: cum autem propinquior eſt ſoli magis uacua eſt, & tunc noua dicitur: quæ, dum ſic eſt, hanc diſpoſitionẽ habet ſcilicet terga ſeu medium arcus ad occidentem uertit, duo uero cornua uerſus orientem aperit. In quo uidetur Deus diſpares, ac diſſimiles diſpoſitiones, quas homo cum in gratia eius, & cum ſine amore, & in peccato eſt depinxiſſe. Quando enim plenus eſt diuitiis, ac bonis temporalibus eiuſque fama, & honor per totum terrarum orbem fulget, & coruſcat, tunc magis a uero ſole iuſtitię diſtare ſolet, tergaque per obliuionem diuino ſeruitiui delicet Deo immenſo uertere. Inter ea, quæ magis homines a Deo auertere faciunt, unum eſt, ſumma bonorum temporalium abundantia. Hæc fecit, ut de populo Iſraelitico Sanctus Moyſes diceret id, quod in Deuteronomio legitur. Incraſſatus eſt dilectus meus, & recalcitrauit: impinguatus dilatatus dereliquit Deũ factorem ſuum & receſſit a Deo ſalutari ſuo. O te ingratum hominem qui ex bonis a Deo acceptis occaſionẽ ſumis ad cor tuum aduerſus eum atque aduerſus eius gratiam occludendum: uix enim eſt aliquid cuius minus recorderis, nec cuius minorem habeas curam, quàm de eius ſeruitio, & amore: cor tuum patet, & totum apertum habes, ad occidentem, uidelicet, ad mundum, uanitatem, atque eius uoluptates. In his omnis affectio tua ſita eſt: hæc omni ſtudio quæris, & amplecteris inſtar puerorum, qui nutricem diligunt eo quod eis dulce lac ſuggendum impertitur, patres autem, qui & ipſos genuerunt, & quorum expenſis nutrix lac miniſtrat, non tanto amore proſequũtur. Sic homines ingrati hæc uiſibilia tanquam pueri ſectantur, eo quòd in illis guſtum, & ſuauitatem reperiunt. Deũ autem, per quem hæc omnia condita fuerunt, & ſuſtentantur, vt & ipſa eis pſtent, quæ quotidie præſtant, impudentiſſime derelinquunt. Euacuetur igitur luna, & fiat noua, hoc eſt homo uetera deponens per ueram pœnitentiam renouetur, expellat a ſe has terrenas affectiones, faciem uertat uerſus diuinum ſolem, illum diligat, & toto ſequatur animi affectu, mundum atque eius fallacias in dorſo per obliuionem relinquens, atque ita, ut oportet, diſpoſitus erit. In Sacra ſcriptura legitur, quod cum Dominus in montem Sinai deſcẽderet, mons ipſe fumigabat, eo quòd Dominus ad illum in igne deſcendiſſet. Quis dicere poterit hoc otioſè, & abſque myſterio fuiſſe factum. Et qd, quæſo, conuenientius per hoc ſignificari poterat, quàm naturam ignis charitatis, & naturam fumi cupiditatis bonorum temporalium oſtendi? Nã proetas

Simile.
Deut. 32.
Simile.
Exod. 19.

prietas ignis eſt, humiditatem, quę ſibi contrariatur, expellere: ex quo gignitur fumus, quem ignis a re, in qua eſt, emittit. Si hæc eſt charitatis natura, q̃ continuum bellum cupiditatibus, & appetitibus ſibi contrariis infert, conaturque illos ab anima, in qua eſt, expellere. Hinc fratres mei conijcere poteſtis, qualis erga Deum ueſter ſit amor: non enim (ut iam diximus) per dulcem animæ affectum, ita cognoſci poteſt, quam per laborum tolerantiam, & per continuum bellum; quod aduerſus carnales affectiones, ac res corporales habetis. In hoc dignoſcitur aliquis febre laborare, uidelicet quod pulſus eius palpitat & nimium mouetur. Tangit medicus pulſum, & per motionem tardam, uelocem ue intelligit quanta quã que ardens ſit febris eius. Sic quis dignoſcitur, an Dei amoris calorem habeat, cum deſideria feruida erga ſeruitium eius, atque obedientiam, ſedula cura, & diligentia apparent. Ferũt etiã naturales, quando aliquis alicuius amore inflammatur, ſi coram eo plures nominantur, ubi primum quem diligit & cuius conſpectu caret nominare audit, ſubito pulſum eius inſtanter palpitare: tunc enim ſpiritus eius ad cor ratione amoris deſcẽdunt, & cor ſic plus inflammatum magis partes mouet exteriores. In hunc modum ſpiritualiter philoſophari poſſumus. Cum homo Deum uehementi amore diligit, eiuſque charitate ſuccenſus eſt, ubi ipſius Dei præceptum audit, ſtatim ad eius executionem celeriter mouetur: quia ſicut ignis inter omnia elementa eſt magis actiuus, ſic charitas inter omnes habitus ad bona opera magis excitat: & ideo iuſtus, audito duntaxat Dei nomine ſtatim ad ſancta opera exercenda propter eius amorem incitatur. Cũ igitur, fratres hæc in uobis ſigna uideritis, Deum ipſum glorificate: ſpecimen enim, & ſignificationem præbent, diuinum eius amorem in ueſtris cordibus regnare, cumque ſummis precibus exorate, ut in illo uos perſeuerare faciat maximo cum incremẽto: hac namque de cauſa Salomon eum infinitum appellauit, dicens. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus. Hæc infinitas eſt amorem ipſum nullum terminũ in hac vita habere: nam in dies magis ac magis, dum in ea ſumus, creſcere poteſt, & dum magis augetur amor tanto magis habilitas in anima ad plus amandũ multiplicatur. Nec hoc mirum eſt, ſi quidem quidam Poetarum dixit. Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. Poteſt etiam continuo ipſe amor creſcere: quoniam qui eum cauſat, & in anima nutrit, infinitæ uirtutis eſt, & nunquam in cauſando, & producendo deficit, maxime cum amorem producit rem quidem, quam ille lubẽtiore animo præbet. Cum autem hæc ſigna in uobis metipſis non ſenſeritis, perditionem ueſtram deplorate, patremque miſericordiarum deprecamini, ut tanto malo remedium adhibeat, & uos ita diſponat, ut ipſum toto corde, totaque animi affectione diligatis. Scitis optime, illi qui plãtauit arborẽ, fructum deberi, ſi igitur hic altiſſimus Dominus uobis uoluntatem, & facultatem ad amandum præbuit, ei fructum amoris uos debere pro comperto habere, quem quidem fructum ſi ipſe uult, & deſiderat, non propter eius commodum, ſed propter ueſtram eſt utilitatẽ. Aſcribite ergo ò homines diuinæ liberalitati, & magnificentiæ Domini (qui nullo modo ſua actione pficitur, ſicut ſol illuminans mundum non redditur clarior, aut uenuſtior) aſcribite, inquã, diuinæ bonitati ſiue ueſtram uocationem, ſiue ueſtram iuſtificationem, ſiue ueſtrum amorem, ſiue magna à uobis exquiſita ſeruitia, & aſſiduum famulatum. Hæc omnia non illum honeſtant, ſed uos creſcere faciunt, & exornant.

Beatus Auguſtinus quodam tractatu inquit. Diligẽdo pulchri efficimur. Quid facit homo deformis, & diſtorta facie, ſi amat pulchram? Aut quid facit

Simile. *Sapien. 7.* *Iuuenalis ſatyra 14.* *Simile.* *Simile.* *B. Auguſt. trac. 9. in Epiſt. Ioã.*

cit fœmina deformis nigra, & diſtorta; ſi amet pulchrum? Nunquid amando poteſt eſſe formoſus? Quando in ſpeculo ſe uidet, erubeſcit faciem ſuam leuare ad illam formoſam, quã amat. Quid facit ut pulchra ſit? expectat, & expectã do ſenectus additur, quæ ipſam turpiorem facit. Non eſt ergo quòd des illi cõ ſilium, niſi ut compeſcat ſe, & non audeat amare impar imparem. Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor, qui reddat pulchram amantem? Deus ſemper pater eſt, amauit fœdos, ut ex fœdis efficeret pulchros. Primus pulchri amando eum, qui pulcher eſt. Quantũ in te creſcit amor, tanto creſcit pulchritudo, quia ipſa charitas animæ eſt pulchritudo.

Amor hominis erga Deum.

Cant. 8. FOrtis eſt ut mors dilectio, dicitur in Canticis, quòd perinde eſt, ac ſi diceretur. Quemadmodum mors hominem ab omni officio uitæ reuocat, ut non uideat, ut non audiat, neq; aliquod humanum officium præſtet: ita etiam & uera dilectio fortis eſt ut mors. Nam poſtquam ſemel cuiuſpiam animum dilectio & amor occupauerit, abſtrahit mentem ipſam ab omnium aliarum rerum curis, ita ut totus animus circa rei amatæ contemplationem uerſetur. Poſſunt etiam hæc uerba cum ſequentibus (ſcilicet dura ſicut infernus æmulatio) referri ad audaciam, & fortitudinem dilectionis, quæ non timet, nec reformidat cum grauiſſimo periculo, immo cũ morte ipſa, & inferno congredi. Aſſimilatur etiam ibidem amor ualidiſſimo igni, & flammis, & lampadibus, cum dicitur, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Multis ex cauſis amor igni aſſimilatur. Primo eò quemadmodũ ignem nemo poteſt occultare, ita etiam neq; amorem. Quãuis enim contendat amator amorem ſimulare & dilectionem, non poteſt. Nã pallidus uultus, macilentus, crebra ſuſpiria, frequentes lachrymæ, totius corporis, & membrorum iactatio, & alia multa reſtantur amorem. Secundo, quemadmodum ignis inter cætera elementa facillimè, ſummaque celeritate ſuas conficit operationes, cæteraq; omnia in ſuam naturam demutat. Ita etiã & amor ſecum rapit cęteros omnes affectus, in quam uelit partem: operatur admirabili quadam agilitate, ut ignis ſolet: ob eamq; rem a uetuſtiſſimis Philoſophis alatus depingitur. Tertio, quemadmodum difficillimum eſt, occurrere grauiſſimo incendio, & ualidiſſimo igni, omnia in gyrum deuoranti: ita etiam & amori, ſi ſemel mentem, & animum cęperit occupare: niſi enim primam illius ſcintillam extinguas, in uaſtiſſimas flammas illico irrumpit, quas nulla humana induſtria queat reſtinguere. Quarto & hac in re potiſſimum amor & ignem, & flammas, & carbones accenſos excedit, quod ignis poſſit ſaltem, uel aqua reſtingui, elemẽto ſibi aduerſante, & repugnante: ſed amor & dilectio, quamuis ignis appellentur & ſint, omnibus aquis ſunt ualidiores. Nulla enim aquarum inundatio poteſt extinguere ignem iſtum amoris, & charitatis. Sunt autem aquæ iſtę, perſequutiones, ærumnę, & mortis anguſtiæ. De his aquis dicitur in Pſalmo. Aſſumpſit me ex aquis multis. Et iterũ in alio Pſalmo. Intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam. Et alibi. Tranſiuimus per ignem, & aquam. Aquæ promde multę ueram charitatem, & dilectionem reſtinguere non poſſunt, non inũdantia flumina perſequutionum, & laborum. B. Paulus de charitate iſta Dei, quæ in Chriſto Ieſu eſt, ſe declarauit, & affirmat, nihil eſſe tam ualidum, tam potens, quod nos poſſit ab illius charitate diuellere: concepta enim ſumma confidentia dicebat. Certus ſum, quòd neque mors, neque uita, ne que Angeli,

Simile. Simile. Simile. Simile. Pſalm. 17 Pſal. 68. Pſal. 65. Ad Ro. 8.

li, neq; principatus &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare a Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Attende quæ flumina exundantia tentationum, & perſequutionũ impetum fecerũt in dilectionem Chriſti erga ſponſam ſuam, & in dilectionem ſponſæ erga ipſum ſponſum, quæ non potuerunt, nec poterunt unquam ipſos ab inuicem ſeparare.

Amor hominis erga Deum.

NOuum eſt, amorẽ tam pretioſum eſſe, quòd etiam in uili perſona, & abiecta non uileſcat. Habes Æthiopem famulum empititium, captiuum, ſi diligit te, & tu diligis eum, & bene tractas eum: quòd ſi quiſpiam amicus dixerit tibi, Tu cum ſis ingenuus, & nobilis, quomodo non dedignaris id quod eſt in te pretioſius ſcilicet amorem tuum Æthiopi famulo condonare? Statim aperta fronte ſatisfacies obiurganti dicens: Ecce diligit me, non mireris quòd diligo eum: facit hoc & illud pro me, & in omnibus mihi fidelis eſt. Quid mirum ſi diligo eum? Dicam aut ſilebo? loquar, an tacebo? Parce Domine, tacerem uerum, niſi me tua iuſtitia compelleret ad loquendum contra me. Diligis ergo deſpicabilem ſeruum, deformen, Æthiopem, nigerrimum, & non dedignaris diligere eum, nec deſpicis eius exiguitatem, & deformitatem. Propter quid ò homo? Quia diligit te, quia fidelis, & utilis eſt tibi, & non iſte tam chariſſimus uernaculus adhuc pro te flagellatus eſt, nõdum alapis afflictus, nondum a planta pedis uſque ad uerticem capitis uulneratus, iniurijs affectus, & morte turpiſſima condemnatus. Heu heu, dic obſecro, dic ò Chriſtiane, qui nomen Chriſti ſolo uerbo profiteris, deſpicis in Chriſto uero ſaluatore mundi, quod non deſpicis in uernaculo, & in filio Æthiopis? Amas Æthiopem, & multum amas, & iuſte amas, quia ipſe amat te: & amat te Deus tuus, & amore tuo gaudet, & pro tuo amore moritur; & ſolus Deus & eius dilectio contemptui habetur, nec dignus redamari putatur? Quod ſcelus iſto maius, aut quæ ingratitudo peſtilentior? Vtique ſi captus ille Æthiops, & deformis pro te paſſus eſſet, ſicut pro te filius Dei paſſus eſt, ut de morte redimeret; quod uere credis, & confiteris paſſum eſſe dominum. Deum tuum infinitæ maieſtatis, pulchritudinis, & magnitudinis, ſine dubio ſuper caput tuum ipſum poneres, & eum quaſi Deũ venerareris, ueluti liberatorem tuum. Nunc autẽ hæc omnia de Dei filio credis, et alges? Et talis muneris oblitus, ſic ad amorem eius frigidus, ſic ad honorem ſtupidus, ſic ad ſeruitium tardus es? Quaſi iſta omnia non fuiſſent, non reſipiſcis miſer? Aut credis, aut non. Si nõ credis, quare te Chriſtianum eſſe mentiris? Si autem credis, cur fidẽ tuam operibus non oſtendis? Cur huic tam grandi pietati, & charitati reſiſtis? ſed, ut uerum dicam, dicis quidem, te noſſe Deum, factis autem negas: ſola fide, & non opere Chriſtianus. Quòd ſi ad eius dilectionem non infinita eius excellentia, & pulchritudo, nec innumera pietatis, & amoris beneficia tibi collata te mouẽt mouent ſaltem te promiſſæ fœlicitatis gloria, quam ſuis dilectoribus promiſit Deus. Propter te ipſum ergo ſaltem dilige, quem adhuc propter ſe ipſum non diligis, vt ex hoc mercenario amore ad perfectum amorem deuenias.

AMOR

AMOR PROXI-morum.

EX amore Dei proximorũ amor procedit. Modũ autẽ huius amoris docuit Dominus, qui poſt quã dixerat: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo &c. hoc eſt maximum & primum mandatum, addidit. Secũdum autem ſimile eſt huic. Diliges proximũ tuum ſicut te ipſum, ac ſi diceret: me diligas ſupra te ipſum, & ſupra cuncta, q̃ facta ſunt: te diligas infra me, minus quàm me. Tertio loco non ſecundo, diliges proximum tuum. Hæc docuit cum dixit, ſicut te ipſum. Vbi illud ſicut, non æqualitatem, & identitatem ſignificat, ſed imitationem, & ſimilitudinem, vt cum idem Dominus dixit: Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Habes igitur proximum tuum in dilectione tertio loco: ſed certe diligendus tibi eſt ſicut tu ipſe. Propter hoc in Eccleſiaſtico ſic legis. Intellige quæ ſunt proximi tui ex te ipſo: ac ſi diceret. Fac illi, quod tibi vis fieri ſecundum regulam rectæ rationis, nõ depravatæ, ſicut apud multos inuenitur. Modus vero iſtius amoris non tantum conſiſtit in eo, quòd amicabiliter diligas proximum tuum, id eſt, propter illius vtilitatem non tuam (ſic enim amor concupiſcentiæ eſt, non amicitiæ): ſed etiam pro loco, & tempore quod; velis illi ſupernam beatitudinem cum Dei gratia obtinendam, & Dei amicitiam per eandem gratiam. Denique vt vnico verbo dicam, diligendus eſt proximus ex charitate, ſicut Deus: & in hoc exponitur verbum Chriſti Ieſu Domini noſtri apud Matthæum. Secundum autem ſimile eſt huic: ſimile dixit

Matt. 22.

Matth. 5.

Eccleſi. 31

quia ex charitate vtrumq; implendum eſt. Pro loco & tempore dixi, quia ad ſingulos homines non eſt neceſſarius ſpecialis animi motus & dilectionis, niſi cum caſus occurrerit ſpiritualis, vel corporalis neceſſitatis. Diligite inuicem ſicut dilexi uos (inquit Dominus Ieſus) id eſt, ad hoc amate ad quod amaui vos. Hanc doctrinam tradidit Saluator noſter in regula illa naturalis rationis. Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quia, vt ait Philoſophus, Amicabilia quæ ſunt ad alterum ueniunt ex amicabilibus, quæ ſunt ad ſe ipſum. Dum ſcilicet ita ſe habet homo ad alterum, ſicut ad ſe. Debet ergo hanc regulam in dilectione Dei obſeruare homo ſtudioſe. Nota etiam quòd aliquando dixit Apoſtolus: ſi quod eſt aliud mandatũ, in hoc uerbo inſtauratur, Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, quia in dilectione proximi, includitur, dilectio Dei quãdo proximus diligitur in Deũ, & propter Deum. Conſulto hanc ſententiam Apoſtoli propoſui ad comprobandam ſuperiorem ſententiam, quòd ſcilicet diligendus eſt proximus nõ ad bona tantum naturalia, & fortunæ, ſed etiam ad bonum diuinum, & Dei amicitiam, ſupernamque beatitudinem: quod ex verbo B. Apoſtoli, & expoſitione eius manifeſte comprobatur. Aliter quomodo in hoc uerbo, Diliges proximum tuũ ſicut te ipſum, inſtauratur, id eſt adimpletur, & perficitur uniuerſa lex, niſi eſſet neceſſarium uelle proximo bonum gratiæ, & gloriæ? Præcipue quod tenemur velle hæc nobis, ergo & proximo pro loco, & tempore. Dicitur etiam hoc præceptum ſimile primo in dulcedine, & ſuauitate, quia præceptum eſt amoris: & (ut B. Auguſtinus

Ioan. 13.

Ethicor. 9

B. Aug. Li. 13. confeſſ.

ſtinus

ſtinus inquit:) uerus amor non ſentit amaritudinem, quia ſoror amoris dulcedo, ſicut ſoror odij eſt amaritudo. Et ibidem. Qui amat non laborat. Omnis enim labor non amantibus contrarius eſt. Solus amor eſt, qui nomen difficultatis erubeſcit. Quæ uerba non amantibus incredibilia uidentur; nam B. Bernardus in ſermone inquit. Non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus, quo modo enim græce loquentem intelliget, qui gręcam linguam non nouit: ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, erit inquã ſicut æs ſonans, aut cimbalum tinniens. Fælix ergo, qui hoc præceptum tota mentis affectione amplectitur; nã (ut Hugo inquit) tranquilla conſcientia eſt, quę omnibus eſt dulcis, nulli grauis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad beneuolentiam, cui Deus nec ſua peccata imputat, quia non facit (& ſi facit pro eis pœnituit) nec aliena, quia non approbauit. Hic amor in ſanctorum cordibus tam efficaciter regnauit, ut plurimi ex illis uitam ſuam pro eius adimpletione offerre non dubitarent. De Propheta Moyſe ſic in pſalmis legitur. Dixit (id eſt propoſuit Deus) ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, ut auerteret iram eius ne diſperderet eos. Quæ autem hæc confractio fuerit, Hebræa litera explicat, Si non Moyſes electus eius ſtetiſſet in muri ruina, ut reprimeret impetum eius. Metaphora eſt ducta à ciuitate quando ab hoſtibus circundatur, & obſidetur; poſt quam enim ipſi murorum partem deiecerunt, & demoliti ſunt, fortiſſimi urbis duces ad ſuę reipublicę defenſionem in ruina muri ſe periculo opponere ſolent ingreſſum inimicorum uetantes, ac ſuorum corporum murum loco diruti facientes. Hoc Horatio cõtigit, qui rege Porſena aduerſus urbem Romanam cum magno exercitu ueniente ſe ſe ad portas Tyberinas obtulit mortis periculo. Murus Hebræi populi erat religio, & cultus diuinus ipſius populi, fidelitas, atq; obedientia, quam Domino Deo ſuo debebãt. Cũ uero ꝑ idolatriã hic murus cecidit & illac ira Dei introire poterat, eosq; maxime uexare, & laboribus opprimere Sanctus Moyſes inſtar magnanimi Ducis ſe in muri ruinã ad defendendum, & propugnandũ ingreſſum diuinæ indignationi conſtituit, dicens, Exequere Dñe in me irã, & ſuppliciũ, quod iſti merebantur, ictus, & flagella tua me feriãt. Hic profecto amor erga proximos dici poterat, & nõ ille quo nunc plurimi utuntur. Legitur ẽt, quòd cũ Dominus hũc Sanctũ Prophetã in montẽ Sinai aſcendere fecit, eiq; terrã promiſſionis oſtẽdit, atque in illam eum minime ingreſſurũ ſignificauit, ipſe nihilominus non contriſtatus eſt, & quãuis etiam ei Dominus dixiſſet, ipſum ante ingreſſum terræ promiſſionis eſſe moriturum, nõ ideo largiorem uitam poſtulauit, ſolũ petijt populo ſuo ſecuritatem, Dei altiſſimi honorem reſpiciens, & magnifaciens: atque ita dixit. Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinẽ hãc, & poſſit exire & intrare ante eos, & deducere eos, vel introducere, ne ſit populus Domini, ſicut oues abſque paſtore. Videte qualiter Sanctus vir nullam ferè ſui curam habebat, nec uxoris, aut filiorum, ſed honoris duntaxat Dei, atque proximorum utilitatis recordabatur. Amor hic etiam in Sancto Propheta Helia maxime enituit, ut ex ſacra ſcriptura conſtat, ubi dicitur, ꝙ cum magna eſſet ſterilitas temporum in omni prouincia Iſraelitica, ita ut tribus annis, & ſex menſibus non plueret: quibus finitis, Aſcendit (inquit ſacer textus) Elias in uerticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua. Quibus peractis magna ſuperuenit aquarum abundantia. Quid, obſecro, Sanctus Propheta intendebat hoc difficili, ac labo-

B. Bern. in ſermone. — *Hugo li. 2. de anima.* — *Pſal. 105.* — *Numer. 27.* — *3. Reg. 12.*

borioſo orandi modo, qualis fuit ſe ſe in terram proſternendo, caput inter genua, inſtar rotundi globi ponere, ita ut vix humanum corpus poſſet difficiliorem magisq; laborioſam formã ſumere? Euoluite humanas, ac diuinas literas, & nequaquam inuenietis quẽpiam ſimilem orãdi formam ſumpſiſſe. Et quid huius rei cauſa fuit, niſi amor, quo proximos ſuos diligebat? Creditur ſecundum huius ſancti uiri repręſentationẽ, moris fuiſſe apud Hebræos ſi herus ſeruũ punire uellet ut ipſum facilius, expeditius, & commodius flagellaret, & torqueret, caput eius inter genua, manusq; inter pedes ligabat, atq; ita miſer ſeruus, veluti globus rotundus, ad flagella paratus remanebat.

Iob. 15. Cuius cõſuetudinis vr Sanctus Iob mẽtionem facere, cũ uitã cuiuſdã tyranni depingens, inter alia inquit. Terrebit cũ tribulatio, & anguſtia uallabit eum, ſicut regẽ qui præparatur ad prælium. Vbi alia litera habet, ſicut uir, qui pręparatur ad gyrũ: id eſt ſicut ille, qui in modũ globi ad flagellandũ cogit pręparari, capite inter genua, & manibus inter pedes ligatis· cũ igitur Sãctus Propheta hanc ſciret conſuetudinẽ, in mõtis Carmeli cacumen aſcendit, & ſe in terrã proſternẽs, caput inter genua, velut ſeruus, cum à Domino flagellatur, demiſit, ac ſi hac forma Deũ alloquens diceret. Magne Deus Iſrael, tres anni ſunt, & ſex menſes tranſacti, ex quo ſuper terram non pluit: miſerere Domine populo huic, & ſiquidẽ propter peccata ſua affligitur, ego pro illis hoc ſupplicium perferam, pœnasq; libentiſſime luam: ecce adſum velut ſeruus, quẽ Dominus flagellare vult, ad omnia flagella ſum paratiſſimus. O admirabilẽ ſancti uiri amorem, qui tã uilem & difficilem formam accepit, ut in ſe flagella, quæ populus merebatur, reciperet. Quid igit dicã de ſanctorũ legis gratię amore? Ad probationẽ huius rei quędã tantummodo uerba referam, q̃ Diuus Paulus de ſe, ac ſocijs ſuis teſtatus eſt in hunc modũ. Facti ſumus paruuli in medio ueſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos: ita deſiderantes uos cupidè uolebamus tradere uobis non ſolum euangelium Dei, ſed ẽt animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Quid amplius dici poterat in amoris tanti probationem? quæ mater blãdius cum filijs, quos tenere diligit, locuta eſt? Sed quis ò dulciſſime Ieſu, Amundi reparator tuum ineffabilẽ amorem ſilentio præteribit? Siquidẽ non tãtum pro amicis tuis, ſed pro inimicis uitam obtuliſti. Figite, obſecro, fratres in memorijs ueſtris agnum illum paſchalẽ, & huius rei clariſſimũ in eo uidebitis exemplar. In Exodo iubebat Dominus, ut agnus iugularetẽ, & poſtquam pellis eius detraheretur, caro aſſa celeriter ab Hebręis manducaretur, at uero oſſa illius præcipiebat, ne confringerentur. O admirabile myſteriũ! Iubet Dominus, ut caro agni torqueatur, oſſa autem eius præcipit, ut omni attentione minime cõfringantur. Quis hic myſterium aliquod latere dubitat? Diuus Paulus ad Epheſios ſcribens explicans illud factum quando Dominus Euam ex coſta Adæ formauit, inquit. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Dormiente Adamo ſomnum myſticum (ſic enim ſeptuaginta interpretes ſignificant illum ecſtaſim, uel raptum appellantes) Dominus ab eo coſtam eduxit, & repleuit carnem pro ea. Itaque Adamus Euæ os, & fortitudinem dedit· Eua autem ei pro recompenſatione carnem, & infirmitatem communicauit. Myſterium hoc ſignificauit id, quod inter ſecundum Adam Chriſtum Ieſum, & eius eccleſiam futurum erat. Ipſe namque ei fortitudinem largitus eſt, ſicut innumerabilis multitudo martyrum, qui in ea paſſi ſunt, teſtatur: Sancta uero eccleſia ſuo ſacratiſſimo ſponſo infirmitatem dedit: ſiquidem, propter illam, carnẽ ſumpſit humanam, qua pauere, & tæ-

1. Ad Theſſalo. 2. c.

Exod. 12

B. Paul. ad Epheſ. 5.

& tædere cœpit. Denique caro agni carnem Ieſu Chriſti Saluatoris mundi ſignificat, os autem eccleſiam deſignat: & ſecundum hoc clarum, & manifeſtũ eſt agni ſacramentum. Vult ergo Dominus, vt caro agni torqueatur, oſſa vero minime tangantur inſinuans in hoc carnem illam ſanctiſſimam vnigeniti filij ſui flagellis torquendam eſſe, & in cruce tormentorum igne affligendam; dummodo homines quibus ipſe fortitudinem ſuam daturus erat, à diuina ira immunes remanerent. Ecce igitur, fratres huius diuini magiſtri amor, quo peruenit: ab illo diſcite, proximos veſtros ita diligere, vt, ſi neceſſitas poſtulauerit, vitam pro illis profundere ſitis paratiſſimi. Sed væ, væ, & millies væ qualiter uitam pro ſuo proximo offeret ille, qui diuitias ei in maxima neceſſitate poſito nequaquã impertitur? Ait Dominus, diliges proximum tuũ, ſicut te ipſum: homines autem miſerrimi illum nedũ ſicut calceum, diligũt: nam ſi calceus immũdus eſt, & vſu ſcinditur, & conteritur, ipſum reſarcire curant: ſi vero proximum in neceſſitate conſtitutum viderint, & magna inopia laborare, ei ſubuenire minime uolunt? Per viſcera igitur miſericordiæ Dei noſtri, uos obſecro, fratres, vt proximos veſtros non tantum verbis, ſed corde, & operibus ametis, ſicut B. Ioannes nos admonet dicens. Filioli mei nõ diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate. Hic B. Apoſtolus, qui hæc nos docuit magnum nobis exemplum huius dilectionis erga proximum oſtẽdit, vt Doctiſſimus Euſebius teſtatur, dicens. Ille ſanctiſſimus Ioannes, cum commendatum iuuenẽ Epiſcopo cuiuſdam ciuitatis iuxta Epheſum, vt illum erudiret apprimè ad diſciplinam eccleſiaſticam, inueniſſet poſt aliquod tẽpus Ducem eſſe Sicariorum in campis, requirebat ab epiſcopo depoſitum in hæc uerba. Iuuenem illum repeto abs te, & animam fratris. Denique cum comperiſſet facinoroſum eſſe factum, veſtem continuò, qua erat indutus, conſcidit, & cum ingenti fremitu percutiens caput ſuum, & aſcenſo equo, illum requiſiuit, nec manus, aut minas latronum, quorum iuuenis ille dux erat, reformidauit. Qui cum Ioannem vidiſſet, equo aſcenſo fugam arripuit, quem inſequens Apoſtolus clamabat: Quid fugis fili patrem tuum? quid fugis inermem ſenem? Ego Chriſto rationem reddam pro te. Certe & mortem pro te libenter excipiam, ſicut & Dominus excepit pro nobis, & pro tua anima dabo animam meam. Sta tantum, & crede mihi, quia Deus me miſit. In hunc modum bonus paſtor, qui ab exordio vocatus erat à Domino Ieſu, ſecum requiſiuit errantem ouem quæ perierat, & inuentam adduxit ſuper humeros ſuos, & ad pœnitentiam recepit, indeſinenter pro ipſo orationem fundens, & cum ipſo pariter ducens crebra ieiunia indulgentiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat, expectabat. Sed ſtupendum eſt, quod ante hæc à Clemente præmittitur. Ille iuuenis audiens Ioannem, reſtitit ac vultum dimiſit in terram, poſt hoc arma proiecit, tum deinde tremefactus flebat amariſſime & accedens genibus ſenis prouoluitur, gemitibus, & vlulatibus, quibus poterat, ſatisfaciẽs, & vberrimis lachrymarum ſuarum fontibus iterum baptizabatur occultans ſolam dexteram ſuam, qua homicidium patrauerat. Apoſtolus vero iuſiurandi ſacramento ei à ſaluatore veniam pollicebatur, ſimulque genibus eius prouolutus, atque ipſam dexteram, ex cuius cædis conſcientia torquebatur iuuenis tanquam iam per pœnitentiam purgatam deoſculans ad eccleſiam reuocat? Nec prius abſtitit, quàm eum in omnibus emendatum etiam eccleſiæ præficeret præbens in hoc ſummum exemplum dilectionis proximi. Sed væ nobis, qui tam longe ab hoc amore abſumus, ſi quidem non ſolum non curamus, ut peccatores ad Dominum ſe con-

D. Ioan. 1. Can. c. 3.

Euſebius. Cæſarieñſis. li. 3. Hiſto. Eccle. c. 23

conuertant,ſed noſtris malis exemplis efficimus,ut iuſti peruertantur, & peccatores fiant. Quantum autem hoc malum ſit, ex argumento, quod Beatus Paulus format(cum docet,omni ſtudio offendiculum, & ſcandalum paruulorum fugiendum eſſe)comprobatur, ait enim. Et peribit infirmus in tua cõſcientia,frater,propter quem Chriſtus mortuus eſt. Non eſt amplius,quo poſſit uel ipſe Beatus Apoſtolus,qui audiuit arcana Dei,cauſam proximi magnificare: nec ſic terret aliquid aliud, quã quòd pro fratre noſtro mortuus eſt Chriſtus,ut ſciamus, quantum ſit malum,eum peruertere. Obſerua ante omnia,quomodo ad dilectionem Dei beatiſſimus Apoſtolus pro ſe ipſo & recogitat,& profitetur,mortuum eſſe Chriſtum. Tradidit ſemetipſum pro me: inquit ad Galatas. Sic ad dilectionem proximi ait. Propter quem Chriſtus mortuus eſt. Expende uim argumenti,& dilata illud. Non potuit diuinus uir ſublimius philoſophari in materia hac de dilectione proximi, quàm dicens. Propter quem Chriſtus mortuus eſt. Multum eſt,quòd ad Dei imaginem conditus eſt homo,ut dignus habeatur honore, cibo, ueſtitu,hoſpitio, curatione in infirmitate, &c. Omnia hæc debita ſunt illi, cum indiguerit: Grande eſt etiam quod ab uno parente diſſeminatum eſt genus noſtrum uniuerſum ſuper terram,ualde quoque cõducit ad dilectionem proximi, quod uel uno loco nati ſumus,uel eodem ſanguine generati. Sed quanto pretioſius eſt,quòd Ieſus Chriſtus Dei filius pro illo mortuus eſt? Hæc recogita apud temetipſum, & cum primum tibi occurrerit,debilis,aut claudus, aut febricitans,dic in corde tuo. Pro hoc mortuus eſt Chriſtus Ieſus. Ex hoc autem antecedenti intulit ſacratiſſimus Ioannes ſummam illam concluſionem,quæ Chriſtianæ religionis obtinet principatum. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere. Vt autẽ magis confundamini, attendite quid Eccleſiaſticus dicat. Omne animal diligit ſibi ſimile: ſic & homo proximum ſuum. O magnam confuſionem? O noſtram uerecundiam? Quid dicis ò uir ſancte? Quid opus tibi erat dicere. Equus diligit equum, & bos bouem, & pardus pardum,ut inde inferas. Sic homo diligit proximum ſuum, niſi ut oſtendas,quòd homo, qui proximo nõ eſt beneuolus,ea odit,quę beſtiæ ad unguem complent? Nota ulterius, quòd à dilectione proximi rectiſſima uia ad dilectionem Dei aſcendimus:& ab hac iterum ardentius ad proximum afficimur,ſicut nubes aquea, quæ terram irrigat, & fæcundiſſimam reddit:à terra quidem aſcendit exhalatio,unde genita eſt,& in terram deſcendens imbrem infundit in eam,& dat panem, uinum, & oleum,&c In hunc modum dilectio Dei,& proximi ſe habent. De quo B. Ioannes inquit. Si proximum, quem uides,non diligis:Deum, quem non uides,quomodo potes diligere?

1. Ad Cor. 8. c. — *Ad Gala. 2. c.* — *1. Cano. 3. c.* — *Eccleſ. 13.* — *Simile.* — *1. Canon. 4. c.*

Amor proximorum.

EVſebius Emiſſenus in quadam homilia inquit. Alter alterius commodis ſtudeamus,& inuicem labores, & opera noſtra portemus. Quem affectum etiam feræ, & aues inter ſe habere dicuntur. Nam quoties uolucres è partibus tranſmarinis, auſtrales, ac meridianos relinquunt calores, & ad occidentalem temperiem admonente temporis qualitate tranſmigrant,cum mare magnum, ac ſpacioſum præpeti tranſmigratione tranſmittunt, ſiqua forte de ſocijs aciem ordinati agminis, atque diſtincti uolatu laſſeſcens humiliore turbauerit, continuo imbecillam ſuſcipiunt fortiores, & quaſi ſedulam, ac mutuam ad inuicem curam etiam peregrinatio docet: charo ſe oneri alarum remigio famulante

Euſeb. Emiſſen. homi. de eo quod ſcriptum, eſt, arũdinem quaſſatam nõ confringet.

lante

lante ſubijciunt, ac leuem ſarcinam iũ ctis uiribus ferunt, & lento uolatu aerem prouocātes leues aurarum flatus excitant, ac ſic ſeruatā comitem lætę difficili itineri atq; altis nubibus reparato uigore committunt. Nonnulli autem frequenter experti, & ceruorũ greges ita facere aſſerunt. Cum uicina littoribus inſularum expetunt paſcua, alter ſuper alterum capita ſua cornibus onerata componunt, & ita ſe unuſquiſque ordinat agmine, proiecta in alium ceruice ſuſtentat, ac ſic transfretandi labor mutuo ſubleuatur obſequio. Sed quia neceſſe eſt, ut dum ſuperandos lõgo ordine ſecant fluctus, unus ſemper cæteros dux præcedat, & ante ſe alterum, ſuper quem caput ſuum poſſit reclinare, non habeat: quædam ſenſu humanitatis mutatio fit laboris, & qui primus erat, poſtremus efficit in eius locum eo, qui ſequitur ſuccedente, ducatum de ſecundo prior factus aggreditur. Ille uero, qui prior fuerat, poſt omnes remanens, ab eo qui nouiſſimus erat, ſuſtentandus excipitur, & paululum immunis ab onere alio ſequente ſuffertur. At ſi inuicem laboribus ſuis animalia locata famulantur, & reddunt ſibi mutuam ſeruitutẽ, quę neſciunt charitatem: quid nos facere debemus, quibus auctor rationis cõtulit intellectum, & quibus redemptor præbuit dilectionis exemplum?

B. Chryſo. hom. 2. in 2. ad Theſſalo.

Beatus Chryſoſtomus etiam in quadam homilia de dilectione proximi agens inquit. Si oculus omnem prouidentiam, & curam quam pro uniuerſo corpore habet in ſolam manum deriuaret, ac reliquis membris omnibus contemptis, uni iſti intenderet, an non totum perderet abſque dubio? Ita & nos ſi charitatem, quam in vniuerſam eccleſiam extendere debemus, in unũ & alterum coarctauerimus, & nobis ipſis, & illis, totique eccleſiæ perniciem inferemus. Iſta namque non ſunt charitatis ſed diſſidij, Schiſmata nempe, & ſciſſuræ.

Itemq; ſuper illa uerba Beati Pauli: Conſideremus inuicem ad prouocationem charitatis, ait. Sicut ferrum aliud ferrum reddit acutum: ſic etiam cætus charitatis facit augmentum: lapis ad lapidem contritus, ignem emittit: quanto magis anima animæ commixta?

Ad Hebr. 10. Simile. B. Chryſo. Homi. 19. ad Hebr.

Beatus Auguſtinus quoque de amore proximorum tractans, ait: De ceruis nonnulli ſcripſerunt, cum fretum ad inſulam transfretant paſcuorum gratia, ſic ſe ordinant, ut onera capitum ſuorum, quæ geſtant in cornibus, ſuper ſe inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruicem collocet. Et quia neceſſe eſt unum eſſe, qui præcedens cæteros, ante ſe non habeat cui caput inclinet uicibus id agere dicuntur, ut laſſatus ſui capitis onere, & ei ſuccedat, cui ferebat caput, dum ipſe præiret. Ita inuicem onera ſua portantes fretum tranſeunt, donec ueniant ad terrę ſtabilitatem. Iſtam fortaſſe ceruorũ naturam intenderat Salomon: Ceruus amicitię, & pullus gratiarum collocatur tecum. Nihil ſic probat amicum, ſicut oneris amici portatio.

B. Auguſt. lib. 83. q. 28.

Beatus Damaſcenus ait. Quemadmodum qui ægrotantem unguento, u l alio pretioſo oleo vult inungere, prior ipſe unguendo particeps eſt unctionis, & ſic poſtea inungit laborantem morbo: ita qui pro ſalute proximi adhibito ſtudio aliquid facit, primum ſibi, deinde proximo prodeſt.

B. Damaſ. de his qui in fide hũc migrarũt. Simile.

B. Auguſtinus quodam tractatu inquit: Nõ ne uidemus in multis animalibus irrationabilibus, ubi nõ ſpiritualis charitas, ſed carnalis, & naturalis ẽ, exigi tñ magno affectu de uberibus matris lac à paruulis? Et quãuis ſuggẽs impetũ faciat in ubera melius eſt tñ matri, quã ſi nõ ſuggat, nec exigat, ꝙ charitati debeẽ. Sæpe uidemus ubera uaccarũ ẽt grãdiuſculis uitulis capite percuti & ꝓpe ipſo ĩpetu leuari matrũ corpora, nec tñ eas calce repellere, ſed, ſi deſit filius, ꝗ ſuggat mugitu ꝓuocari ad ube-

B. Auguſt. tractat. 9. in epiſtol. Ioan. Exemplũ.

ra. Sit ergo ĩ nobis illa charitas ſpiritalis,quæ in Apoſtolo,qui ait: Factus ſũ paruulus in medio veſtri, tanquam nutrix fouens filios: tunc vos diligimus, quando exigitis, pigros non amamus, quia languentibus formidamus.

Ad Ephes. 5. c. Efficaciam amoris proximorũ nos docet B. Paulus ad Epheſios ſcribens, cum ait: Eſtote imitatores Dei,ſicut filij chariſſimi,& ambulate in dilectione,ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Vbi admonere nos voluit, vt ſicut Chriſtus caput noſtrum pro ſuo ſe corpore tradidit: ita vnumquodque membrum ſe tradat pro alio.

Amor patriæ.

AMor patriæ eſt omnibus adeo naturalis,vt hiſtorici ſcriptores referant de Marco Attilio Imperatore Romano,quòd cum captus eſſet in bello Carthaginenſi, in ſua ipſius fide, & conducto miſerunt eum legatum Romam, vt peteret à Romanis quaſdam conditiones,ac leges, quibus obtentis atque firmatis in ſuam eſſet aſſertus libertatem,qui ſanè uidens pacta non eſſe talia,quę ſuæ reipublicæ, & patriæ conuenirent, non tantum non poſtulauit ab eis,vt illa acceptarent,atq; complerent,verum etiam eos uehementer hortatus fuit, vt illa nullo modo reciperent: & ita regreſſus eſt ad ſuam captiuitatem, & uincula,vbi uitam magnis laboribus atque miſerijs finiuit, ſuæ potius patriæ diligens libertatem, quàm propriam ut refert Valerius Maximus, & adducitur à Beato Auguſtino.lib.1.de Ciuitate Dei. *Val. Maxim lib 9. B. Auguſt. li.1.de Ciuita. Dei. c.15.*

Etiam de Mutio Scæuolę produ͂t hiſtorię, quòd ob patriæ libertatem maximo animi robore, & tolerantia manum ſuam comburi ſuſtinuit. Et de Marco Curtio quòd amore patriæ ductus ſe ſe in profundam Vulcani uoraginem intrepide, atq; impauide immiſerit,ut refert B. Auguſtinus. Brutus ẽt amore patriæ captus filium ſuum occidit,& Torquatus duos filios ſuos iuſſit interfici propter nonnulla ad Reipublicæ commodum ſpectantia. *B. Auguſt. li.4. de Ciuit. Dei. c. 20.* Camillus præterea tam charam habuit patriam, licet ingratam, ut quamuis ipſum relegaſſet in exilium pro præmio quam illi dederat,libertatis,nihilominus amore eius iniuriam illatam ſuperante, iterum ipſam patriam liberauit. Hæc, & alia habes apud Diuum Auguſtinum. *B. Auguſt. li.5.de Ciuitat. Dei. c.18.*

AMOR INIMICORUM.

Paul. ad Ro.12. BEATVS Paulus nos admonet, dicens: Nulli malũ pro malo reddentes (ſcilicet ſitis)ſi fieri poteſt, quod ex uobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes.Nõ uos metipſos defendentes,chariſſimi,ſed date locum iræ:ſcriptum eſt enim.Mihi uindictam,& ego retribuam,dicit Dominus.Admirand a uerba,& quæ mirabiliter docent homines,quid erga inimicos facere debeant, ut ponderat Beatus Thomas ſuper hunc locum.lect.3. quem hic ſequimur. Hæc etiam à nobis requirit. B. Petrus dicens. Non reddentes malum pro malo, nec malędictum pro maledicto,ſed è cõtrario: quia in hoc uocati eſtis,id eſt in benedictione,ut benedictionem hæreditatè poſſideatis,ſcilicet æternam. *1.Petri.3. c.* Nulli ergo malum pro malo reddentes ſimus,nec affectu odij,nec uindictæ. Nã ſi pro malo culpæ, quod quis fecit iudex

dex malum pœnæ ſecundum iuſtitiam ad compenſandam malitiam reddat, materialiter quidem malum infert, ſed formaliter, & per ſe infert bonũ. Sitis, inquit, cum hominibus pacem habentes, ſi fieri poteſt. Hoc autem addit, q̃a aliquando malitia aliorũ impedit, ne cũ eis pacem habere poſſimus, etiã volentes illam ex corde habere, niſi mali tiæ eorum conſentiamus, quam quidẽ

Matth. 10. pacem illicitam eſſe conſtat. Nec venit Dominus hanc pacem mittere, ſed gla diũ, vt ipſe teſtatus eſt. Tamen quod ex nobis eſt, facere debemus, vt bonam pacem habeamus, ſicut faciebat Dauid

Pſal. 119. qui dicebat. Cum his, qui oderunt pacem: eram pacificus: quia, quantum in me erat, pacem cum illis volebam, & omnia neceſſaria ad illam conſequendam faciebam. Non vosmetipſos defendentes, inquit vlterius. Quid ais ò Beate Apoſtole. Nonne eſt licitum nos inculpate defendere? Vtique, ſed hic, defendentes, uindictam ſumentes ſignificat: nam hoc verbum, defendere, pro vindicare in ſcripturis ſanctis aliquando capitur, vt in lib. Iudith vbi ſic dici-

Iudit, 1. c. tur. Nabuchodonoſor iurauit, quòd defenderet ſe de omnibus illis regionibus, id eſt, vindicaret ſe. Date locum iræ, id eſt diuino iudicio cauſam remit

Deute. 32. tite, nam ideo ſcriptum eſt. Mihi vindictam, & ego retribuam. Vbi notandum eſt Dominum ibi dixiſſe: Mea eſt vltio, & D. Paulus hic accepit ſenſum, & non uerba, ac ſi dixiſſet. Meum eſt iniurias vindicare, cum ſim ſummus iudex: nam ſi iniuriam irrogat homo particularis iudici, cum ipſe vindictam ſumit etiam de malefactore ſuas diuitias furante, aut aliud delictum committente, quãto magis omnipotenti Deo iniuriam irrogat homo, quando de inimico ſuo ipſe vindictam ſumit? Secundũ

B. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8. Diui Thomæ doctrinã, primum, quod in hac materia notandum venit, eſt, dilectionem inimicorum tripliciter poſſe conſiderari. Primo modo ut inimici diligantur, in quantum inimici ſunt, hoc eſt, in quantum nos odiunt, & perſequuntur, ad hoc autem minime tenemur, immo puerſum, & charitati repugnans eſſet, ſic eos diligere, quia eſſet peccatum, malum alterius diligere, cum ſit odiendum. Vnde vnaquæque res id, quod ſibi contrarium eſt, naturaliter odio habet: ſed cum inimici, in quantum inimici, nobis contrarij ſunt eos vt tales odire debemus, & hoc eſt malitiam, non naturam odire, vt ait Beatus Auguſtinus in quodam ſermone de tempore. Secundo dilectio inimicorum conſiderari poteſt quantum *Auguſt. in ſermo. 168* ad naturam odientium nos, & in vniuerſali, hoc eſt in quantum homines ſunt, beatitudiniſque capaces, ac Chriſti ſanguine redempti, & ſecundum hoc non ſunt contrarij, ideo ex neceſſitate diligendi. Si autem dicis. Hanc ſeparationem inimicitiæ & naturæ nullatenus facere poſſum, tua te certe malitia decipit, nam facillima quidẽ eſt, & hac ſimilitudine eam comprehendes. Eſt pia mater, quæ filium bonũ, *Simile.* ſibique obedientem, reuerentem, ac prouidentem, denique tanquam baculum ſenectutis ſuæ illum habens, quẽ valde diligit: contingit vero illum infirmari, & in phreneſim incidere, matrique ſeruienti iniurias dicere, atque illam contumelijs afficere, & contra eam medicamina apponentem uaſa proijcere: pia autem mater nõ ob hoc illum odio habet, nec ei mortem deſiderat, ſcit enim eum in phreneſi eſſe, atque ſenſibus deſtitutum, odio tamen habet infirmitatem, quam vellet procul à filio ſuo eſſe, nec ob hoc ei inſeruire deſinit, ſed eum diligit, & ſolicitudine non pigra medicamina exhibet. Ecce quomodo ſeparat ſolicita mater infirmitatem, quam odit à natura, quam diligit. Vade tu, & fac ſimiliter. Si inimicum habes iniuſte vitam tuam, & honorem perſequentem, & phreneſim contra te habentem, omniaque uerba tua, & opera in faciem tuam proijcientem, atque in prauum

Iudicium conuertentem, odio proſequere phreneſim, illiusque malitiam tanquam ualde periculoſam infirmitatem, Deumque obſecra, ut debitæ ſanitati illũ reddat, vt ſaluus ſit in die Domini, omittatque perſequi te. Dilige ergo eum ſaltem in generali, quia ſcilicet proximus tuus eſt, & Dei creatura. Tertio modo poteſt conſiderari inimicorum dilectio in ſpeciali, ut ſcilicet aliquis moueatur motu ſpeciali ad inimicum, & hoc non eſt abſolute de neceſſitate ſalutis, ſicut nec moueri ſingulariter ad extraneos, quamuis ſi aliquis hoc fecerit, bene faciat. Præterea notandum eſt, quòd licet præceptum de diligendis inimicis affirmatiuum ſit obligans ſemper, ſed non ad ſemper: tamen omne affirmatiuum includit in ſe negatiuum obligans ſemper, & ad ſemper. Vnde ſicut negatiuum quarti præcepti eſt, ne inhonores parentes tuos, ſic negatiuũ huius præcepti eſt, ne odio habeas inimicum tuum, & hoc præceptum ſemper, & ad ſemper nos obligat. Ex hac ueritate facillimè conuincuntur abſq; dubio aliqui Chriſtiani à dęmone decipi, putantes non contra hoc pręceptum agere, ſi uerbis, aut operibus proximum non lædant, etiam ſi corde illum odio habeant. O ſtulti, ſtulti nolite obſecro errare, Deus enim non irridetur. Diligite inimicos ueſtros ore & opere, & præcipue corde: ne miremini autem quia inimicos Deus nos permittat habere, quia ut ipſe dixit, non eſt ſeruus maior Domino ſuo: & ſiquidem tot inimicos cœleſtis Dominus habuit, ſi eum perſequuti ſunt, & nos perſequentur. Hoc etiam nos natura docet, quæ nihil cauſat in generatione ſua, atque corruptione, niſi per contrarias qualitates, atque continuas pugnas, omnia namque in lite ſunt. Interroga, obſecro, ignem quo modo generatur, herbamque & omnes alias res, quæ omnes vna uoce reſpondebunt: pugnando, inimicosque

Ioan. 13. & 15.

noſtros, ac qualitates noſtras contrarias ſuperando atq; uincendo. Quæ cũ ita ſint, uis tu, ò homo ſine cõtradictione in uirtute proficere? Falleris procul dubio. Præterea cũ ſatis pigri in Dei amore, eiusq; ſeruitio ſimus, ſtimulo indigemus, ut feſtinanter per viam mandatorũ Dei ambulemus, ſicut aſinus piger ſtimulo percutitur, ut celeriter ambulet. Aptiſſimus ſtimulus eſt inimicus homo ad pigros excitandos, ut diligenter in uia Dei ambulent, dũmodo illũ, (ut Deus imperat) diligas. Ita enim ait B. Auguſtinus. Ipſe vilis cũ ſis, iumenta uerbere, ſtimuloq; percutis, ut tibi ſubiecta ſint, nec recedant ad dexteram, uel ad ſiniſtram, ſed ambulent in uia cũ oneribus: cur nos, cum iumenta Dei ſimus, ægreferimus, & murmur in nobis reſonat, ſi inimico noſtro tanquam ſtimulo, ſiue flagello utatur, ut illi ſubditi ſimus in omnibus, nec à mandatorum uia recedamus, & laborum oneribus onuſti ſolicite & non pigri ambulemus? Vnde Diuus Chryſoſtomus dicebat. Talia nobis præſtant inimici, qualia nequeunt amici. Et optime certe dicebat: amici namq; ad peccandũ nos adiuuant, & delicta noſtra non nobis oſtendunt, ſed potius adulatione abſcõdunt: inimici uero non ſolum nos ad peccandum non adiuuant, ſed peccata à nobis commiſſa, fere q; oblita in memoriam reducunt, immo, quod aliquãdo non cogitauimus, affirmant nos perpetraſſe, quod nobis ualde utile eſt, ut ab illis delictis caueamus. Ex his omnibus optime infertur, quod idèm Sanctus Chryſoſtomus in opere imperfecto ſuper Matthæum ait: ſcilicet, puto quòd non tantum pro inimicis noſtris Chriſtus dilectionem inimicorum mãdauit, quantum pro nobis: non quòd illi digni ſint, vt ab aliquo diligãtur, ſed quia nos ſumus indigni, ut aliquẽ odio habeamus: odium enim ſpiritus eſt tenebrarum, & ubicunque inſederit, ſordidat pulchritudinem ſanctitatis. Igitur ſi inimicum in corpore lędis, te ipſum

Simile.

B. Aug. ſerm. 4. de verb. Domi.

Chryſoſt. homil. 3. de Dauid. & Saule.

Chryſoſt. homi. 13. ſuper Matth.

ſum in anima offendis: & ſi illi peperci ſti, tibi amplius peperciſti, quantum dã num animæ, corporis eſt periculoſius, & tibi requiem dediſti. Hoc etiam D. Auguſt. in epiſtola ad Fœlicitatem cõ firmat, dicens. Maiorem date operã cõ cordandis uobis, quàm redarguendis: quia ſicut acetum corrumpit uas, ſi diu tius ibi fuerit; ſic ira corrumpit cor, ſi in alium diem durauerit. Quid ergo ſi in alium menſem? Quid ſi in alium annum? O corda corrupta diligite ini micos ueſtros, aliàs ſine quietudine, & digni æterna damnatione eritis: ſuper uos enim illa maledictio, quam Regius Propheta in pſalmo protulit, incidet, nempe, Conſtitue, id eſt, conſtitues (cum ſit prophetia, & ſic debent intelli gi omnes maledictiones in eodem pſal mo poſitæ, quæ ueræ prophetiæ ſunt) ſuper eum peccatorem Domine, & Dia bolus ſtet a dextris eius. Omnes iſtæ tri ginta maledictiones proculdubio con tra Iudam primo ſuperuenient, dein de contra Iudæos, ultimo uero contra illum, qui inimicum diligere non uult, nec illi parcere, quoniam addit Sanctus Propheta. Pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam cum proximo ſuo, illi iniuriam remittẽdo, ſed potius perſequutus eſt hominem mendicum, & compunctum corde, & iam ueniam petentem, de iniuriaque dolentem noluit dimittere, ſed mortificare, & perſequi. Cum ſcriptum ſit. Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Patet hoc exemplo illo, quod de Beato Gregorio fertur, cuſtos enim Eccleſiæ Sancti Petri rogauit illum Beatum Pontificem, ut in die defunctorum ſacrum ce lebraret pro quodam defuncto, qui in illa Eccleſia altare unum dotauerat, & perpetuam miſſam quotannis celebrari ordinauerat. Cum tamen Sanctus Gregorius ſacrum inciperet, dicens; Requiem æternam dona eis Domine; audiuit uocem de cœlo dicentem: Non faciam. Credens autem S. Pontifex Dæmonis eſſe illuſionem, iterum in cepit, Requiem æternam dona eis Domine, ſecundoque audiuit. Non faciã. Proſequens uero officium uir Sanctus in canone, ubi mentio ſit defunctorum, petiuit a Domino, ut de animæ illius ſtatu ſibi reuelaret; cui dixit Dominus. Ego uocem illam, Non faciã, dedi; quia damnatus eſt miſer ille, pro quo ſacrum celebras, nam Eucharistiam ſemel in anno non recepit ob inimicitias, quas nec deponere, nec remittere uoluit, nec de hoc confeſſionem fecit. O rem ſtupẽdam? Quis hæc audiens animo non contremiſcit? diligite fratres inimicos veſtros, aliàs quid uobis proderunt bona opera ueſtra? Aliqui dicunt, ex hoc caſu conſuetudine introductum fuiſſe introitum miſſę in ſancta Eccleſia reiterari. Quare concilium Carthaginenſe, ſic ait. Oblationes diſſidẽtiũ fratrũ nec in ſacrario, nec in Gazophylatio recipiãtur. Similiter dona eorũ, qui pauperes opprimũt, a ſacerdotibus reſutãda ſunt. Nec ad Caim nec ad munera eius (vt ait. D. Cyprianus, de ſimplicitate prælatorũ) reſpexit Deus. Nec enim, placatũ Deũ habere poterat, qui cum fratre non pacem, ſed zeli diſcordiam habebat. Ideo namq; ſumma ueritas, apud Matthęũ ait. Si .n. diligitis eos, qui uos diligũt, quam mercedem habebitis? Præcepit Dñs Noe, dicens. Ex omnibus animantibus uniuerſæ carnis bina induces in arcã, ut uiuant tecũ. Si ille Sanctus Patriarcha contra Dei præceptũ dixiſſet: Agnus intret in arcã, tu lupe hùc nõ accedas, intret aquila, nõ tñ coruus, ingrediatur animal mundũ, abeat immũdũ, nóne dignus fuiſſet ſubmergi aquis diluuij, ſicut & cæteri peccatores tanquã Dei præceptũ trãſgrediẽs? Nihil tñ tale dixiſſe legitur, ſed fecit ſanctus uir omnia, q̃ ei Dñs mãdauerat, & de animãtibus mũdis, & immũdis duo, & duo in arcã introduxit. Cũ igitur idem Dñs iubet te ò homo, ut in cordis tui arcam per amorem, & dilectionem omne

Aug. epiſt. 87.

Simile.

Pſal. 108.

Iacob. 2. c.

Cõcil. Carthag. 4. ca. 93.

B. Cyprian. de ſimplic. præl. tra. 3

Matth. 5.

Geneſ. 6.

ne animal rationale intromittas, ſi à diluuio infernali cupis non ſubmergi, quomodo poteris dicere. Intret Domine Petrus mihi beneuolus, non tamen in cordis mei hoſpitium recipere dilectione poſſum Ioannem mihi lupũ affectu facultates meas rapientem. Intret conſanguineus meus, non intret ille canis famam meam rodens & tollẽs: intret animal mundum, & bonus homo habeat malus? Caue, ne talia contra Dei præceptum facias, ſi non uis in diluuio iudicij tui perire, ſed cum Sancto Noe tam bonos, quam malos intra cordis tui arcam diligendo recipe, & ſic à fluctibus mundi liber euades. Aduertẽdum vero quoque, in hac materia poſſe hominem coram iudice agere contra inimicum reconciliatum, ut iniuriam qua illum affecit ſoluat, corde tamẽ ab odio libero: poſſum enim ab amico coram iudice petere, vt mihi debitum ſoluat. Igitur magis, uel ſaltem eadẽ ratione ab inimico. Immo & hoc ab Eccleſia definitum eſt in ſanctis decretis in diſtinctione nonageſima ex Fabiano Papa. c. ſi quis: vbi ſic ait. Si quis contriſtatus noluerit reconciliari fratri ſuo ſatisfaciente eo, qui contriſtauit, acerrimis maceretur inedijs uſque dum gratanti animo ſatisfactionem recipiat. Ecce unico ſancto decreto & quòd iniuriatus teneatur ueniam petenti remittere, & quòd iniurians ſatisfacere pro iniuria teneatur, optime oſtenditur. Et in cap. qui emendat, ex Diuo Auguſtino ſumpto diſtinctione. 45. & Auguſtinus in Enchiridione uidetur dicere aliquãdo eſſe opus charitatis exigere iſtam ſatisfactionem, ne propter nimiam indulgentiam talis cauſam accipiat iterum nocendi. Sic enim ait. Non ſolum in eo quod dimittit ex corde, uel orat, vt ei dimittatur, uerum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam facit, quia miſericordiam præſtat. Idem Gelaſius Papa affirmat, & habetur in c. Si ille. 23. q. 4.

Fabianus Papa. diſt. 90. ca. ſi quis.

d. 45. c. qui emendat.

D. Aug. Enchiri. c. 72

Gelaſ. Papæ in c ſi ille. 23. q. 4.

Amor inimicorum.

ODium proximi eſt maximũ peccatorum, quæ in ipſum proximũ committũtur, quoniam per illud maximè deordinatur uoluntas erga eum, & eſt principium, & radix cuiuſcunque nocumenti, quod proximo infertur, vt docet S. Thomas. Immo uidetur uitiũ eſſe contra naturam, ut Seneca docet epiſtola. 7. dicens. Natura nobis indidit amorem mutuum, & ſociales fecit, & ex illius conſtitutione miſerabilius eſt nocere, quã lædi: & ideo qui proximo nocent, contra inſtitutionem humanæ naturæ faciunt. Quia autem tam ingẽs malum eſt odium proximi, nos Beatus Petrus admonet dicens. Ante omnia mutuam in uobis metipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum: ubi alia litera dicit. Et ſuper omnes rebelliones operiet charitas: eſt enim charitas rebellionum atq; diſſentionum pacificatrix, lites, atque bella componẽs, omniumq; animos placare contendit, uerbiſ tegens diſcriminum occaſiones, minuens ea, quæ ad iracundiam alios prouocant, blandoque ſermone deliniens ardua. Nam homo omnium animalium nobiliſſimum amore potius, quàm vi trahitur. Vnde in Prouerbijs ſic dicitur. Sermo mollis frangit irã. Sed quæro, cum odium proximi ita malum ſit, quomodo regius propheta de peccatoribus loquens ait. Perfecto odio oderam illos. Nunquid perfectio in odio proximi inueniri poteſt; poteſt certe, quando malitiam eius odio proſequeris, & hãc beneficijs perimis: hoc pacto inimiciſſimum ſibi Saulem deuicit S. Dauid, nam cum ſemel & iterum in manus eius incidiſſet, (vt ſacra Regũ narrat hiſtoria, pepercit illi Dauid, prima uice in ſpelunca quadam, ubi delitescebat Dauid cum ſociis ſuis, dum ibi forte quadam neceſſitate naturali introiſſet Saul, & poſſet eum Dauid cõfigere;

S. Tho. 2. 2 q. 23. ar. 4 & 5.

Seneca, epiſt. 7.

B. Petrus 1 epiſt. c. 4.

Prouer. 15

Pſal. 138.

1. Reg. 24.

1. Reg. 24.

ſigere; etiam ſuadentibus ſui: non acquieuit, ſed abſcidit oram chlamydis eius; quod cum ſciuiſſet Saul placatus eſt,& ceſſauit eum perſequi. Alia uice cum ad eius caſtra acceſſiſſet Dauid, & intraſſet tabernaculum Regis dormientis tulit lãceam eius, quam ibi inuenit, & ſciphum, nec uoluit eum confodere lancea cum poſſet, ſed a lõge clamauit contra Abner Principem militiæ Regis,& eum grauiter obiurgauit,quia nõ recte cuſtodierit Dominum ſuum. Quo beneficio confuſo Saule,leuauit vocem ſuam,& fleuit,abijtque,& acquieuit ab eius perſequutione. Ecce perfectum odium, quo hoſtes ſuos perſequebatur Dauid;ac inſigne trophæum ex eis tali perfecto odio lucrabatur. E contra autem dicitur odium iniquum (ſicut & ipſe Dauid dicebat,in alio pſalmo; odio iniquo oderunt me.) quando ſcilicet quis odit naturam proximi ſui, & eam vult deſtruere. Non ergo, fratres, hoc iniquo odio corda noſtra occidamus, ſed perfecto odio proximos noſtros perſequamur: illuſtris enim eſt uictoria,q̃ hoſtem beneficiis deuincit. Vnde cum quidam dixiſſet coram Rege Lacedæmoniorum Ageſilao, officium Regis eſſe amicis pręmia, inimicis mala reddere,reſpondit.Melius dixiſſes,regale officiũ eſſe ex inimicis amicos ſuis beneficijs facere. Quod ſapiens in Prouerbiis, his uerbis docet. Si ſitit inimicus tuus,potum da illi;ſi eſurierit,ciba illũ; hoc enim faciens carbones ignis cõgeres ſuper caput eius. Hoc eſt,his beneficiis odium eius extingues, atque in Dei amorem inflammabis. Et B.Paulus,Noli uinci a malo, ſed vince in bonõ malum: ideſt, non ad ſuam malitiã te trahat inimicus, ut ipſum odio habeas,ſicut & ipſe te (ſicut ignis dicitur aquam uincere, cum eam in ſe conuertit,& ad ſuam trahit naturam) ſed potius ad te conuerte, ut in te beneuolus ſit,ſicut & tu in ipſum,atque ita uaticinium illud Hieremiæ Prophetę, quod ad iuſtos dirigitur,in te adimplebitur.

Pſalm. 24 — *Proue. 25* — *Roma. 12.* — *Simile.* — *Hiere. 15.*

Ipſi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos. Huius uirtutis optimũ exemplum nobis Sanctus Moyſes, & Aaron dederunt,de quibus Origenes in homilia quadam ſic ait, uideamus, quid faciant Moyſes, & Aaron iuſſi a Deo, ut exirent ipſi de medio Synagogæ,ut illam uolentem ſanctos uiros lapidare ſimul interimeret:uideamus qd faciant iſti ſancti, & perfecti homines legis illius ueteris; tamen magis diſcipuli Euangelij,quàm legis, quia inimicos diligebant, atque pro perſequutoribus feruenter orabant. Nam Iudæis ſæuientibus,vt illos interficerent,procidunt in faciem ſuam ſuper terram,& ait Moyſes ad Aaron: Aſſume Thuribulum,& impone ſuper illud ignem ab altari,& appone illi incenſum,& effer velociter in caſtra,& exora pro ipſis:exijt enim ira à conſpectu Domini, & iam cępit uaſtare populum. Ecce quo modo Moyſes,& Aaron prius fecerunt, q̃ Euangelium poſtea docuit. In hac autem populi contra iuſtos rebellione apparet,quo modo cupientes iuſtis nocere, ſibimetipſis nocent;nam illis potius profectui ſunt. Vnde B. Auguſtinus in enchiridione ſic ait. Tam bonus eſt Deus,ut nullum permitteret malum,niſi tam ſapiens, ac tam potens eſſet, ut ex malis bona eliceret bonis, Imo ideo Deus ſuſtinet malos in hac uita, ut miniſtrent bonis, præbendo illis materiã meritorum.Sicut dicitur in prouerbiis. Qui ſtultus eſt,ſeruiet ſapienti. Omnia enim propter electos, Gabaonitæ, qui ex alia ſtirpe erant à filijs Iſrael, miniſtrabant in templo ligna,atque aquam portantes in officium ſacrificiorum, ut patet ex Ioſue libro. Sic impij,qui ex aliena ſtirpe ſunt, nempe Diaboli (ſiquidem illis dixit Dominus apud D. Ioannem: Vos ex patre Diabolo eſtis) ligna ac cruces ſubminiſtrant bonis,ut holocauſta patientię, ac pietatis ſuæ Deo offerant. Sunt ergo mali ueluti miniſtri, & operarij, qui coronam iuſtorum fabrefaciunt, ſecundum illud

Orig. ho. 9. in Nu. 16. cap. — *D. Aug. in Enchir. c. 11. & 96.* — *Proue. 11* — *Ioſue. 9.*

Iſai. 54. Iſaiæ Prophetæ. Ecce ego creaui fabrũ ſufflantem in igne prunas, & proferentem uas in ſuum opus. Hæc autem uaſa, electi ſunt, qui dicuntur a Beato Paulo uaſa in honorem fabrefacta. Veruntamen væ operarijs iſtis iniquitatis, quia non ſolum in futuro, ſed multoties in præſenti ſæculo pęnas ſoluũt. Quapropter ô homo ſi uis celeriùs, & in breuiſſimo tempore uitam finire, ſi facultates tuas perdere, ſi honorem, uitamq́; conſumere, atque animam deſtruere, iuſtũ perſequere: non enim alio ad tuam omnimodam perditionem indiges carnifice. Si autem deſideras, vt te Deus in afflictionibus conſoletur, tuiſque laboribus, & ęrumnis remedium adhibeat, damna, & iniurias, quas paſſus es, libenti animo inferentibus condona. Animaduerte hęc omnia ad uerbum in exequendo illo Semei, & in S. rege Dauid adimpleta fuiſſe. De quibus in Sacra ſcriptura dicitur. Venit ergo rex Dauid (ſcilicet fugiens a facie filij ſui Abſalõ, flens nudis pedibus, & operto capite incedens) uſque Bahurim: & ecce egrediebatur uir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatq́; lapides contra Dauid, dicens: Egredere, egredere uir ſanguinum, & uir Belial. Reddidit tibi Dominus uniuerſum ſanguinem domus Saul. Dixit autem Abiſai regi. Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo regi? uadam, & amputabo caput eius. Et ait rex. Dimitte eum, ut maledicat iuxta pręceptum Domini, ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac, die hodierna. O admirabilem ſancti uiri patientiam, propter quam ab illis laboribus, & calamitatibus meruit liberari, atque ita eum Dominus magna cum illorum uictoria exaltauit. Quòd autem hæc utilitas ex perſecutionibus hauriatur, etiam illuſtri exemplo Numerorũ declaratur: ubi multitudo temeritate populari in ſeditionem uerſa poſt Dathan, & Abironis interitum, Moyſem, & Aaron uoluit lapidare. Et murmurauerunt (ait ſacer textus) filij Iſrael aduerſus Moyſem, & Aarõ, dicentes. Vos occiditis populum Domini. Et factum eſt cum irrueret Synagoga ſuper Moyſem, & Aaron in impetu, fugerunt ad tabernaculum teſtimonij, illud uero obtexit nubes, & apparuit maieſtas Domini, & recepit intra nubem Moyſem, & Aaron. Non legimus (ait in hoc loco Origenes) antea, quia obtexerit nubes tabernaculum niſi nunc, cum inſurrexit in ſanctos populus, & lapidare uoluit. Diſcamus ex hoc, quanta ſit in perſecutionibus utilitas, ſi patienter ferantur. Quamuis enim magni eſſent uitæ merito Moyſes, & Aaron, quamuis animi uirtutibus pollerent, apparere tamen eis Dei gloria non potuiſſet, niſi in perſecutionibus, in tribulationibus, in periculis, & in ipſa penè morte iam poſitis. Sed perſequẽtibus Iſraelitis, uideamus iſti quid faciunt, qui ſancti, & perfecti ſunt, & magis euangelij diſcipuli, quã legis. Procidunt in faciem ſuam ſuper terram, & ait Moyſes ad Aaron. Aſſume batillum, & impone ſuper illud ignem ex altari, & effer uelociter in caſtra, exijt enim ira a conſpectu Dei, & cępit uaſtare populum. Ecce quæ corda hi ſancti uiri habebant, quam plena patiẽtia, & amore erga inimicos ſuos: propter quòd in illa perſecutione a Deo protegi, & conſolationem accipere meruerunt: contra uero infœlix Semei, (ut ſacra refert ſcriptura) cum a Salomone iuberetur, ne ab urbe Hieruſalem exiret, ipſamq́; pro cuſtodia haberet (quacunq́; enim die, inquit, egreſſus fueris, ſcito, te eſſe interficiendum) ipſe tranſactis aliquot diebus, Regis imperium contemnere, & uiolare non pertimuit: quam ob cauſam, cum a rege præciperetur occidi eum ipſe Salomon ſic eſt alloquutus. Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. Vbi alia litera habet. Reciprocauit malitia tua ſuper caput tuum. Sicut quando aliquis ſagit-

Margin notes: B. Paul ad Rom. 9. — 2. Reg. 16. — Num. 16. — 3. Reg. 2. — Simile.

Simile. ſagittam in columnam æream ſeu ferream immittit, & ipſa ſagitta retrocedens mittentem percutit:ſic inquit Salomon execrando Semei, lapides, & maledictiones atque iniuriæ, quas patri meo intuliſti, aduerſus te retrocedunt. Attende ergo ò peccator, quid agis, cum proximum tuum perſequeris:quidquid enim cõtra eum committis, in te retorquetur, maxime ſi ille, quem offendis,& odio proſequeris, vir iuſtus eſt. Vt autem hoc melius intelligas,animaduerte, quòd cum Salomõ de Deo loqueretur,ſic ait. Clypeus eſt *Prouer.30* omnibus ſperantibus in ſe. Clypeus opportunus, & vtilis eſt ei, qui illum habet ad ictus recipiendos, quem quidem,ſi non haberet, non tam facile hoſtis iniuriam declinaret. Dic ergo mihi, ſi ſeruo tuo imperares, vt inimi- *Simile.* cum tuum grauiter percuteret, & de eo vindictam ob iniuriam tibi illatam ſumeret: cum autem ipſe mandatum tuum exequi uellet, ecce rex terræ ſe coram eo ad illos ictus recipiendos opponit, nunquid ſeruus tuus illum ſauciare auderet? Minime profecto. Si vero tibi interroganti, quare hoſtem non percuſſit? reſponderet, Quia rex in medio noſtrum, & veluti ſcutum ſe poſuit:iuberes forſan ſeruo tuo,ut rurſus ad inimicum pergeret,eumque, licet rex ipſe inſtar clypei protector illius, & defenſor eſſe uellet crudeliter percuteret? O amens, & inſane quid præcipis? Nonne uides tuam, & ſerui tui perditionem?Si ergo Deus pro clypeo tui proximi ſe ponit,ut Sacræ literæ teſtantur,quibus tu, ſi infidelis non es,fidem adhibes, quare illum uexas, & per te ac per famulos,& amicos tuos perſequeris? Per reuerentiam huius altiſſimi Domini te obſecro,frater, ut hæc, quæ hic ſunt dicta perpendas, quorum conſideratione te a tanto malo facile retrahes,& auertes.

Amor inimicorum.

EXponens B. Chryſoſtomus uerba illa Geneſis, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram, inquit,imaginem ſignificare imperiũ: ſicut Prorex imago Regis eſt. Ita homo conditus fuit a Deo, ut ipſius Dei eſſet Prorex,& omnibus creaturis præeſſet,& imperaret. Hoc(inquit Doctor ſanctus) deſignant uerba illa. Faciamus hominem ad imaginem noſtram: Dei autem ſimilitudinem ait,eſſe pietatem,clementiã,atq; miſericordiã.Itaq; ſicut cum quis ſigillum in molli cera imprimit,remanent in ea impreſſę ipſius ſigilli figuræ: ſic Deus pietatẽ ſuã, miſericordiam, atque clementiam in homine expreſſit. Quam ob rem inter ea, quæ homini magis propria ſunt, debet eſſe clementia, pietas, & erga omnes pijſſima miſericordiæ uiſcera. Quo circa recte Beatus Ioannes dixit, hominem abſque charitate ſua uiſcera claudere. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Deus uiſcera hominis aperta, ac patentia creauit, ſiquidem in illis ſuã clementiam,ac pietatem impreſſit:ſed ipſe homo illa clauſit eiſque ſeram,videlicet,crudelitatem,& clauẽ, quæ eſt impietas,adhibuit. O magnam peruerſitatem, Homo erga alium hominem viſcera ſua claudit, cũ Deus ea aperta creauerit, ipſumq; hominẽ ad ſuã fecerit ſimilitudinẽ. Aperi ergo, ò frater uiſcera,& inimicos tuos dilige,eiſque ueniam iniuriarum tibi illatarum concede, & in hoc ſimilis tuo altiſſimo Deo eſſe contẽde,de quo Eccleſiaſticus ait. Quam magna miſericordia Domini,& propitiatio illius conuertentibus ad ſe. Vbi alia litera ſic habet. Quam magna miſericordia Domini, & quam obuiã conuertẽtibus ad ſe. In quo ineffabilis Dei miſericordia, qui obuiam exit uenientibus ad ſe,apertiſſime oſtenditur. O benedictus, & glorificatus ſit talis Dominus,qui talem clementiã habet, & ſe-

D. Chryſo. Geneſ. 1.c. Simile.

Ioã.1.Can. 1.c.

Eccleſ.17

& fœlices illi, qui eum imitari ſtudent, quiq; brachijs (ut aiunt) apertis ad ſe recipiunt eos, qui amicitiam inire, & contrahere cum ipſis volunt. Animaduertte ergo, ô homo, id quod Deus hic te docet, quodq; unigenitus filius eius loquens de inimicorum amore his uerbis erudiuit. Eſtote perfecti, ſicut pater ueſter cęleſtis perfectus eſt. Deus (ut pquàm docte B. Thomas oſtendit) cum ſit prima cauſa effectiua omnium, et pſe ſubſiſtens, eminentiori modo perfectiones omnium debet habere rerum. Vnde dictio, ſicut, impoſſibile eſt, vt hic omnimodâ dicat ſimilitudinem, & ita gloſſa interlinealis dicit, ſicut, imitatio ne, non æqualitate. Licet autem ſint multa, in quibus debemus Deũ, & ſanctos imitari: tamen (ut ait B Auguſt.) iſta præcipua ſunt, ut mites ſimus, & humiles corde, & inimicos noſtros totis uiſceribus diligamus, de quo nullus poteſt in ueritate ſe excuſare, & in quo præcipuæ religio Chriſtiana relucet. Nam quis Philoſophorum hoc unquã docuit? Audi Ciceronem in ſuis Officiis dicentem. Vir iuſtus eſt, qui nulli nocet, niſi laceſſitus iniuria. Contra hoc uero ſummus perfectionis magiſter Chriſtus prædicat, dicens. Diligite imicos ueſtros: benefacite his, qui oderunt uos: orate pro perſequentibus, & calumniãtibus uos Vt autem intelligatis, quo modo cęleſtem patrem in hoc imitari debeatis, quid de eo S. Propheta Iſaias dicat, audite. Propterea, inq̃t, expectat Dominus, ut miſereatur ueſtri, & ideo exaltabitur parcens uobis, quia Deus iudicij Dominus. O uerba omni gladio acutiſſimo acutiora, ad corda, licet duriſſima ſint, feriendum? Spiritus ſanctus ea in cordibus ueſtris imprimere dignetur. Si quæritis a me quare Deus ita peccatores expectat? Quare fulgur è cœlo cadit, & turrim Eccleſiæ, non autem domum percutit meretricis, in qua tot crimina contra diuinam maieſtatem committuntur? Quare etiam fulgur è cœlo cadit, & mõtis cacumina, & non domũ, in qua quotidie ludendo tot offenſiones in Deum perpetrantur, comburit? Quare deniq; fulgur domum uſurarij, & domum illius, qui inimici odio flagrat, non conſumit? Ad hoc idem Sanctus Propheta reſpondet, dicens. Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri. O benedictus, & glorificatus ſit talis Deus, ac talis pietas. Talis profecto tam immenſam bonitatem decebat pietas. Et inquit S. Propheta, Deum in hoc magnificari, honorati, & exaltari, quòd quidẽ magna eſt exaggeratio. In quo ſignificatur, quòd ſi gloria atque honor Dei, augeri poſſent, in condonando peccata & in ipſorum miſerendo augerentur. Sic etiam Propheta Moyſes ueniam a Domino, populo ſuo petens, his uerbis teſtatur. Magnificetur fortitudo Domini ſicut iuraſti, dicens: Dominus patiẽs, & multę miſericordiæ. Attende peccator, quam deceptus uiuas, dum cogitas ignaui eſſe, & puſilli animi iniurias cõdonare: hoc enim non niſi fortitudinis eſt; nam maiorem fortitudinem pręſefert ille, qui ſeipſum uincit, ac ſuam iram, & paſſionem, quàm qui alios ſuperat. Quoniam autem in te nulla, fortitudo eſt, te ipſum non uincis, nec inimico tuo iniurias uis remittere, cum Sanctus Moyſes aperte confiteatur fortitudinem Dei in parcendo magnificari. Quod uero Sanctus Iſaias adiecit, dicẽs: Quia Deus iudicij Dominus, explicatur per uerba, quæ Propheta Moyſes hic adducit, ſcilicet, ſicut iuraſti dicẽs. Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, hoc eſt, Si quidem Domine iuraſti, te miſericordem futurum, & peccata ignoſciturum; adimple, obſecro, quod promiſiſti, & iureiurando affirmaſti: tu enim Deus iudicij es, id eſt, Tu, cum ſis iuſtus, obligatione aſtringeris ad id, qđ iuraſti præſtandum. Optimum documentum nobis cœleſtis pater, optimãque lectionem prębet, ipſe nobis fauorem, & auxilium ad illum in hoc imitãdum elargiatur. B. Auguſtinus aſſerit, natu-

Matth. 5. *Tho. 1. p. 4. art. 1.* *D. Augu. ſer. 3. plu. marty.* *Iſaie. 30.* *Nume. 14*

naturale eſſe filijs, parentes ſuos imitari, idcirco una ex culpis, ob quas plurimi patres in inferno paſſuri ſunt tormẽta, ſine dubio futura eſt propter malum exemplum, quod filijs ſuis dederunt, cum ipſi ad eos imitandum adeo ſint propenſi. E contra uero boni parentes propter bona exempla, quæ filijs ſuis dederunt, ſempiternis pręmijs afficientur. Quapropter ſi quidem Deus pater noſter eſt, ac tanta pietate ſuis inimicis indulget, naturaleque eſt (ſecundum hanc D. Auguſtini ſententiam) filijs, parentes ſuos imitari, omnes debemus inimicis ueniam præſtare. Quamuis autem nullam in aduerſarijs noſtris eſſet ratio, ob quam amari debeant, in Deo tamen plurimæ ſunt rationes, ꝓpter quas meretur, ut non ſolum inimicos, ſed etiam omnes huius mundi labores, ac tormenta diligamus: omnia enim ſunt nobis materia ad maiorem gloriæ coronam obtinendam. Tuæ propriæ paſſiones, ô homo, tui ſunt crudeles aduerſarij, de quibus uindictam te ſumere oportet. Sicut enim tinea in pãno orta ipſum pannum deſtruit, uel cũ in ligno naſcitur, idem lignum corrodit: ſic tuæ propriæ paſſiones, cum in te ortæ ſint te ipſum deſtruunt, atque inſtar filiorum uiperæ matris uiſcera, in quibus geniti fuerunt, diſrumpunt. O quam pacifice, & tranquille uiueres, ſi uere paſſiones tuas mortificares: nam ſententiam illam ſemper ueram iudicaui, quæ ait: Neminem, niſi à ſe ipſo lędi. Iuſtiſſimum etiam eſt, ut circa hanc materiam in alia re tuum cœleſtem patrem imiteris, uidelicet, quòd cum ipſe ſit noſtrorum criminum iudex, poſſitq; nos ſtatim punire, id pro ſua miſericordia non facit, quin potius rem cum illo tractat, qui ipſum placare, eiuſque irã mitigare faciat. Cuius rei apertiſſimũ in Sacra ſcriptura reperiemus exemplum: cum enim tot, tantæq; eſſent Sodomæ, & Gomorrę abominationes, cũque eas Deus euertere, & labefactare uellet, prius negotium hoc amico ſuo

Aug. contra Fauſt. — *Simile.* — *Geneſ. 18.*

patriarchæ Abrahæ communicauit, qui cum (ut ſacer textus refert) in hunc modum eſt allocutus. Abſit a te, ut rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, non eſt hoc tuum qui iudicas omnem terram. Denique tam importunis precibus Deum obſecrauit, ut Deus ipſe ei dixerit, ſe ueniam illis urbibus pręſtaturum, ſi decem tantummodo iuſti in illis reperirentur. In quo quidem pater miſericordiarũ nos docuit, ut quoties iram, & indignationem aduerſus aliquem habuerimus propter damna, aut iniurias nobis illatas: non illos conſulamus, remque cum illis minime cõmunicemus, qui nos magis perturbent & ad uindictam ſumẽdam magis inflãment: ſed potius uiros ſanctos, ac uirtute præditos conſulamus, qui ſuis ſanctis admonitionibus iram noſtram mitigent, nobiſque perſuadeant, ut non tantum inimicis, & eis, qui nos oderũt, ignoſcamus, ſed eis benefacere omni animi affectione curemus. Sicut Beatus Apoſtolus ad Romanos ſcribens ait. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Pro quorum uerborum declaratione notandum duxi, quòd quemadmodum uolebat Deus, ut ignis thuribuli, quo ei incenſum offerebãt, ab ipſo altari Dei, & non aliunde colligeretur (ut ex Leuitico patet) ſic bona opera, quæ inimicis noſtris pręſtamus, debent eſſe inflammata igne aſſumpto ex corde Ieſu Chriſti Domini noſtri: quo inflammatus in cruce pendens patrem ſuum his uerbis alloquutus eſt. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Quæ opera, dum cum hoc amoris igne comitata fuerit, cor inimici eodem amorę inflammabunt. Sed uellem, fratres mei, ut intelligeretis cauſam, quare ſacroſãcta mater eccleſia initio quadrageſimę rem tam difficilem, qualis eſt amor inimicorum proponit. Quare a re tam ardua incipit. Nunquid non ſatius eſſet incipere a dulcioribus? communiter enim

Ad Ro. 12. — *Leuit. 12.*

enim ab his, quæ faciliora ſunt, ut ad difficilia ueniamus, ſolemus incipere: prius characteres dignoſcimus, & poſtea ipſos legendo coniungimus: cur ergo ſancta Eccleſia hunc ordinem non ſeruat relinquens hoc negotium, tanquam difficilius in finem quadrageſimæ? Ad intelligendam huius rei cauſam, hanc vos notate appoſitiſſimam ſimilitudinem. Solent aliquando contingere maximæ in vrbe aliqua diſſenſiones, & tumultus, vnde aliquot grauiter percuſſi remanſerunt, inter quos vnus in brachio vulnus nō paruum accepit, quem videns chirurgus inquit. Hoc parum eſt: poſtea videt alium habentem in cruribus aliud vulnus, cui etiam dicit. Nec hoc multum eſt. Rurſus progreditur, & oſtenditur illi alius, qui in capite grauiſſime percuſſus eſt, ita, vt ictus, vſque ad viuum penetret: tunc chirurgus ait. Hoc vulnus nimis periculoſum eſt: hinc nos oportet incipere, & ſtatim iubet, vt ſibi oua, ſtupæ, ac linteamina afferantur: denique omni celeritate conatur, vulnerato remedia poſſibilia adhibere. Quòd ſi ei dicitis, Domine oportet in his omnibus vulneratis te ordinem ſeruare, & in primis à prioribus incipere. Reſpondebit. Hoc quòd ago, magis neceſſarium eſt, & ab hoc infirmo me incipere conuenit: nā vulnus eius inter omnia periculoſius eſt. In hunc modum ſacroſancta Eccleſia, licet videat Chriſtianos varijs vulneribus percuſſos, tamen quia ex vulneribus periculoſioribus ſunt odia, & inimicitiæ, ac ſimultates: ideo prius illis mederi incepit, nos in hoc erudiens, ieiunia noſtra, eleemoſynas, atque orationes coram Deo parum valere, ſi his plagis vulnerati ſumus, hoc eſt, ſi proximos noſtros odio proſequimur.

Simile.

Amor inimicorum.

QVemadmodum credere illa, quæ rationi noſtræ magis aduerſa uidentur maioris meriti eſt: ſic etiam diligere illud, quod amori noſtro magis contrariatur, maius eſt meritum. Nihil autem eſt, quod amori ita contradicat, ſicut odium: Hæc namque duo plus, quàm ignis, & aqua ad inuicem ſunt cōtraria. In omnibus quæ diligimus propter Dei amorem, inuenimus aliquem amorem, qui efficit, vt non ſit in illis tam purus amor propter Deum: at in inimico non amorem, ſed odium reperimus, & ideo ibi amor Dei purior eſt. In regionibus, in quibus uina non producuntur, abſq; dubio ibi vina ipſa pluris fiunt, maioremque habent valorem: cū igitur nullū in aduerſario noſtro ſit amoris vinū, manifeſtè ſequitur, ſi ibi amorē reponimus, illū maximi pretij, & valoris eſſe, Deumque nobis ipſum melius ſoluturum. Prudentes mercatores mercimonias ſuas eò portare ſolent, vbi illarum maior eſt penuria. nā ibi carius venduntur. Quare ergo amorem tuum non aſportabis in terram, quæ tantam eius penuriam habet, qualis eſt inimicus tuus, vt ibi illum carius vendas? & hoc eſt vnum, quo præcipuè Chriſtiani niti debent. Nulla reſpublica extat, licet barbara ſit, & inculta, q̄ non glorietur ſe particulare aliquod ſignum ſeu ſtemma, per quod ab alijs diſtinguatur, habere. Romani ſic pro ſtemmate habebant, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Ferunt hiſtoriographi, quòd cum Romani Syriam inuaderent, vrbemq; opulentiſſimā illius regionis obſiderēt: incolæ eius nūtios miſerunt has quatuor literas portantes. S. P. Q. R. quæ ſignificabant. Syrijs populis, qui reſiſtet? Exercitus autem Romanorum eiſdemmet characteribus videlicet. S. P. Q. R. reſponſum dedit, quibus hoc inſinuabant: Senatus. Populus. Que. Romanus. Aſſyrij vero cōtemplantes, & animaduertētes, Romanos eiſdemmet literis acutiſſime reſpondiſſe, illis ſe ſubmiſerunt. Vnde Romani ipſi hunc pro ſtemmate, ſiue inſignijs acceperunt verſiculum, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Simile.

Quæ igitur inſignia ſacroſancta Eccleſia habeat, Chriſtus Dominus verus ſponſus eius, & magiſter nos docuit dicens. Diligite inimicos ueſtros. Quod quidem ſtemma noſtrũ eſſe, idem Dominus cum iam proximus eſſet morti apud D. Ioannem explicauit inquiens.

Ioan. 13. In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Cum ergo nos Chriſtianos eſſe gloriemur, oportet etiam nos de hoc diuino ſtemmate gloriari, in cuius adimpletione tanta nobis utilitas, & commodum prouenit, vt pro eius præmio ſingulares Dei promiſſiones accumulentur, vt patet ex illa oratione, & ſermone, quem Abigail ad regẽ Dauid habuit, ei perſuadere intendens

1. Reg. 25. ne de Nabal Carmelo viro ſuo vindictam ſumeret, magna enim præmia ei, qui iniurias remittit, propoſita eſſe dicebat. Cui hæc verba propoſuit. Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuũ ſuper virum iſtum iniquũ Nabal, quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & eſt ſtultitia cum eo. In primis ei dicit illum eſſe ſtultum, & ideo eum vt talem cum ſtultitia ſua eſſe omittendũ. Optima quidem, & acuta ratio hæc ẽ, qua alicui, qui alteri iniuriam intulit ad veniam perſuadere poteris dicẽdo. Maneat, obſecro, ſtultitia eius cum eo. Inſuper & adiecit prudens fœmina inquiens. Faciens. n. faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, hoc eſt: domus tua, ſi hanc condonas iniuriam ſemper ſtabit. Homini vltori, & qui iniurias ſibi illatas uindicare conatur parũ domus, ac diuitiæ ſtabunt, & permanebunt: quotidie namq; ei ſeſe offert omnia perdendi, ac deſtruendi occaſio. Nam ſpirituales diuitias certiſſimum eſt, iam amiſiſſe. Vnde apparet il-

Simile. lum, qui vindictam ſumere intendit ſimilem eſſe ei, qui lapides pretioſos in manu, & cum eis ſimul fruſta plumbi habet: at quia per uim, & uiolentiam quiſpiam ab eius manibus plumbum aufert, ipſe ira inflammatus, vt de eo vindictã ſumat, lapides pretioſos à ſe proijcit, & ſic totum amittit. Quid, quæſo, à te proximus abſtulit, quando tibi iniuriam intulit? Reſpondebis fortaſſe: honorem, & famam, qua nihil pretioſius in hac uita eſſe poteſt. Sed rurſus ego quæro. Si fama pretioſa res eſt, nunquid gratiæ, quas in anima habes non ſunt pretioſiores? Sed tu, ut ulciſcaris famam, quam amiſiſti, illas perdis, & à te proijcis, atque ita ſine fama, & ſine gratia miſerrime manes. Addidit & plura Abigail dicens. Malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus uitæ tuæ hoc eſt, ſi iniuriam ulciſci nolueris, ſemper Deum tecum habebis, nunquam illum offendes, nec inimicus eius eris, ipſe enim te à peccato eripiet. Erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viuẽtium apud Dominũ Deum tuũ, id eſt, anima tua nimis recens, nimiſq; odorifera erit, & ſecum magnum ſpiritum lenitatis, ac deuotionis ſuccum afferet, denique non ſolum anima tua à peccatis libera erit, verum & uita tua ab inimicis tuis protegetur. Si n. ſurrexerit aliquando homo perſequens te, erit anima Dñi mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum. Hoc eſt: acſi iam cum angelis in cœlo eſſes: quod profecto grandis eſt amplificatio. His itaque rationibus rex Dauid eo modo placatus eſt, vt ad Abigail dixerit. Benedictus Dominus, qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictũ eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuiſti me hodie, ne vlciſcerer me manu mea. Quamuis autem vir Sanctus propria manu uindictã nõ ſumpſit, immo iniuriam ſibi factam remiſit, Deus pro eo de ruſtico Nabal ultus eſt. Nam (ut ſtatim facet textus inquit) Dominus illum percuſſit, & mortuus eſt. Eodem modo ei cum filio ſuo Abſalon contigit. Cum. n. Duces ſuos obſecraret, eiſq; diceret. Seruate mihi puerũ Abſalon, Deus prouidentiſſimã curam de uindicta eius habuit, iuſſitque equo, in quo Abſalon vehebatur, *2. Reg. 18.*

vt ſubter quercum unam trāſiret,& aeri imperauit, ut adoleſcentis capillos ſufflando eleuaret, eosq; in arboris illius ramis inuolueret,& capillis præcepit,vt ipſum Abſalonem pendentē ſuſtinerent,quouſq; Ioab acceſſit,& tulit tres lanceas in manu ſua , & infixit eas in corde Abſalon.O incomprehenſibilia Dei iudicia, & quam digna ſunt, ut ab omnibus timeantur ? Nolite ergo fratres mei proximis ueſtris damnum inferre:licet.n.de uobis uindictam ipſi non ſumant,pertimeſcite, ne ira Dei pro illis ulciſcatur. Prophetæ Hieremiæ
Hiere.1.c. Dñs dixit.Quid tu uides Hieremia? Et ait.Virgā vigilantē ego uideo. Et dixit Dñs.Bene uidiſti.Et rurſus eum interrogauit.Quid tu uides?Et dixit.Ollam ſuccenſam ego uideo.Animaduertite , qualiter uirga ſubſequitur ollam ſuccenſam ad ipſam percutiendam. Ollā ſuccenſam uoco illum , qui plenus eſt odio,atque inimicitia, ex hoc tāquam ab olla feruente fumus iniuriarum , & conuiciorum contra proximum exit: aqua vero calida,qua illos comburit , quos iuxta ſe habet, ſunt mala opera , quibus damnum infert : à tergo igitur huius ſuccenſæ ollæ uirga iræ Dei uenit,ut illam percutiat, confringat, deſtruat,& euertat, niſi per veram pœnitentiam conuertatur . Qua propter ò Chriſtiane omni animi conatu cura facere id,quod aliquando Eliſæus Propheta feciſſe legitur. Cui cum filij prophetarum dixiſſent. Mors in olla vir
4.Reg.4. Dei,ipſe ſanctus uir parum farinæ in illam conijecit,& non fuit amplius in ea quidquam amaritudinis. Sic tu ut ipſa olla,quæ eſt inimicus tuus,non ſit amara,& vt conuertatur, & ab ira Dei non deſtruatur, in eū farinam conijce, hoc eſt,confer in illum aliqua beneficia, ut ſic ira eius mitigetur.Quod ſi remediū hoc improbo homini adhibueris, magnum ſeruitium Deo exhibebis.Scribamus ergo, fratres, in cordibus noſtris uerba illa.& rationes, quibus prudens Abigail regi Dauid perſuaſit,ne uindictā ſumeret,quin potius illatā ſibi iniuriam condonaret. Ex quibus omnibus efficacior illa eſt,uidelicet,malitia non inuenietur in te omnibus diebus vitæ tuæ,hoc eſt.Non ſolum tibi Deus parcet peccata,uerum etiam te conſeruabit,ne in alia ſimilia,aut deteriora prolabaris.Quòd ſi parcere nolueris , nec ipſe Deus tibi ueniam præſtabit.Quādo duo pueri mutuo inter ſe rixantur, Simile. & ad inuicē alter alterius capillos attrahit,& retorquet; uenit alius ad adiuuādum eum,qui ab alio uincitur,& imbecillior eſt atq; aduerſarij capillos per uim euellit , qui ubi primum ſentit , ſe ab adiutore aduerſarij ſui vexari, conqueritur,& dicit. Heu mihi, heu mihi. Qui aūt illū opprimit,ait illi. Solue, & dimitte alium,& ego dimittam te . In hunc modum Deus ſe erga illū habet qui proximū ſuum propter damnū illatum uexat,& affligit : ſolet.n. illum in hoc mundo laboribus opprimere , ipſumq; in alio æterna minatur damnatione.Cum uero iſte ſe afflictum ſic uidet ab immenſi Dei iuſtitia,miſericordiam ab eo poſtulat:ipſe autem reſpon Luc.6. c. dit id quod iam in euangelio dixit.Dimitte,& dimittemini:qui non pepercerit proximo ſuo , nec ei parcetur. Atq; Matth.18 ita Dominus explicans parabolam Regis punientis eum,qui proximo ſuo decem denarios dimittere noluit,& quomodo iratus Dominus eius tradidit eū tortoribus,quo ad uſque redderet uniuerſū debitum,concludit dicens. Sic & pater meus cæleſtis faciet uobis,ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus ueſtris.Non ait. Pater noſter, aut pater ueſter: ſed Pater meus. Deus .n.nō uult uocari pater ab illis,qui duro corde iniurias nolunt condonare . Cum autē idem Dominus apud Diuū Matthæū de illis,qui parcere debēt lo- Matth. 6. quutus eſt,dixit.Eſtote ergo perfecti,ſicut & pater ueſter cæleſtis perfectus eſt.Et paulò ante perſuadere uolēs hominibus , vt ad inuicem ſibi parcerēt, adiecit.Vt ſitis filij patris ueſtri,qui in

cælis

cęlis eſt. Quod perinde eſt, acſi diceret. Si non dimittitis, non eritis filij eius: Quòd ſi non filij, non hæredes. Quia (vt Beatus Paulus ait) ſi filij, & hæredes: ergo ſi non filij non hæredes. Beatus Auguſtinus in meditationibus exclamat dicens. O admirabile myſteriũ. O inenarrabile comerciũ? O mira ſemperq; miranda, ſemperq; amanda diuinæ propitiationis benignitas? Serui digni non fuimus, & ecce filij Dei facti ſumus, hęredes quidem Dei, cohæredes aũt Chriſti: ut hanc tantã dignitatẽ Theodoſius Imperator Chriſtianiſſimus obtineret, uiribus omnibus excellens eſſe in hac virtute curauit, ſicut Beatus Ambroſius affirmat dicens. Beneficium ſe putabat accepiſſe Auguſtæ memoriæ Theodoſius, cum rogarerur ignoſcere, & tunc proprior erat veniæ, cum fuiſſet commotior maioris iracundiæ: & optabatur in eo, quod timebatur in alijs, ut iraſceretur.

B. Paul. ad Rom 8.

B. Aug. in medit. c. 15

B. Amb. de obitu Theodoſij.

Matth. 6.

Iſidori. Clarius. oratio. 33. in Matth.

Super illa uerba Chriſti Redemptoris noſtri apud Matthæũ, Si non remiſeritis hominibus peccata ſua, nec pater ueſter remittet peccata ueſtra, inquit Iſidorius Clarius. Hęc res ſi attentius cogitaretur, optare quiſq; deberet habere aliquos, quorũ offenſiones eſſent remittendæ. Quod hac ſimilitudine poteſt intelligi. Fingamus liberaliſſimum quempiã regẽ, aut Principẽ, qui multos habeat, qui ſibi plurimũ debeant, q̃ ẽt cupiẽs ęs alienũ, quod alijs deberẽt in tota ciuitate diſſolui, legẽ promulgaret, vt quicunq; ſuis debitoribus remitterent, quod eis deberent, fore vt rex maxima quæq; debita illis remitteret. Quicunq; uero neminem haberet, qui ſibi deberet, oporteret eum, quidquid deberet regi, ad teruncium perſoluere. In hac lege quiſquis debitorem nullũ habuiſſet, & multa regi deberet, multo deteriore, quàm cæteri eſſet conditione, optaique aliquos habere, qui ſibi quidpiam deberent. At hæc ipſa eſt lex cœleſtis patris, qui etiam cupiens habere occaſionem ignoſcendi, permittit offenſiones inter homines accidere, vt omnes debitores aliquos habeamus quibus remittendum ſit, ut poſſit ipſe maxima nobis remittere debita, quæ illi debemus.

Simile.

Amor inimicorum.

Maximus inimicus ſolet eſſe homo homini: atq; ita Chriſtus Redemptor noſter, ut exaggeraret, quam inimicus ſit Diabolus homini, ipſum appellauit, Inimicus homo. Adeo crudelis inimicus eſt homo homini; Satanas [*ſe canſo de hazer mal à Chriſto nueſtro reparador. Y anſi fue a perſuadir a la muger de Pilato, que embaraçaſſe ſu muerte, y los Indios no ſe canſauan, mas deziã.*] Tolle, tolle, crucifige eum: quin etiam poſtquam illum crudeliter interfecerunt, ſanctiſſimum eius latus lãcea vulnerarũt. Et ideo ſancta Eccleſia inquit Mucrone dirę lanceæ, ut uidelicet, ſignificaret ingentem illorum improborum hominum crudelitatẽ. Cum Rex Balthaſar per uaſa templi Dei biberet, & ea ſimul cum uxoribus, & concubinis ſuis in conuiuio profanaret, ut oſtẽderet Deus ſęuerum ſupplicium, quo eos punitutus erat, depinxit illis in pariete manum hominis, quæ illud coram oculis eorum ſcribebat. Nam per manus hominum eos puniturus erat, ut ſic ſupplicium nimis crudele eſſet. Dominus etiam miniſtris iniquitatis, qui eum comprehenderunt, dixit. Hæc eſt hora ueſtra, & poteſtas tenebrarum. [*Donde parece, que en vna cuenta, y en vna iunta andan crueldad de hombres y crueldad de Sathanas, y de Demonios.*] Sed quamuis homo in alium hominem adeò crudelis ſit: tamen vult Deus ut erga ipſum pius, & miſericors ſit, eique parcat quoties ab illo offenditur. Quod uero hoc non adimpleatur admiratur Eccleſiaſticus, cum ait. Homo homini ſeruat iram, & quærit à Deo medelam. Quod perinde eſt, acſi diceret. Maximus error

eſt,& inſania uelle hominē,vt ſibi parcat Deus, cum nolit ipſe alij homini parcere quando ab illo offenditur. Parcite ergo fratres mei inimicis ueſtris, ſi vultis, vt vobis etiam Deus parcat, ſin minus nunquam ab eo miſericordiam conſequemini.

Exemplū. Cum quidam Romanorum Imperator (ut Valerius Maximus refert) ciuitatem quandā obſideret, nobilis quidam uir ex ijs, qui obſidebantur ad Romanorum caſtra confugit: quod cum obſeſſi animaduertiſſent, filium, quem is in ciuitate reliquerat in ea muri parte, quæ præcipue hoſtium telis acriter impetebatur collocauerunt. Quod cū Romanus imperator animaduertiſſet, telorum iactus in eius gratiam, qui ad ſe confugerat, ceſſare iuſſit. Quod igitur princeps hic unius hominis dignitati tribuit, nos cœleſti Imperatori negabimus, ut uidelicet in eius gratiā hominibus parcamus, quos ille ī filios adoptauit,& ſui corporis mēbra effecit?

Exemplū. Photio Atheniēſium princeps cum inſidiis ſuorum ciuium eſſet ad mortē damnatus, rogatus ab amicis ſiquid filio ſuo dicere uellet. Volo, inquit, ne illatæ mihi ab Athenienſibus iniuriæ reminiſcatur. Hæc ille homo uidelicet gentilis, & qui nihil de pręmio diligentium inimicos, uel ſomniauerat quidem, cum tamen proxime accederet ad id, quod in Leuitico dicitur. *Leuit. 19.* Nō eris memor iniuriæ ciuium tuorū. Memorabile porrò quoddam Thraſybuli ſtatutum Plutarchus refert: qui poſtquàm ciuitas Athenienſium opera ſua liberata fuit à tyrannide triginta tyrannorum, reconciliata tandem pace in ciuitate, legem tulit, ne quis antea actarū rerū accuſaretur, nec mulctaretur: quā legem obliuionis nominarunt. Cui quidem honoris corona pro tantis meritis à populo data eſt. Hanc quoque legem obliuionis noſtrates etiam maxime proſequuntur, obliuionis, dico, illius diuini præcepti: Diligite inimicos veſtros.

Plutarchus utiliſſimum eſſe homini cenſet acrem aliquem inimicum habere, ut illius oculis facile in uita ſua uidere quis poſſit, quę cæcus amor ſui in ſe uidere non ſinit: ſi enim iudex qui alteri parti infenſus, alteri amicus eſt, ipſo iure repudiatur, quomodo in propria cauſa uerus,& incorruptus ſui iudex erit, qui immoderato ſui amore tenetur? Vnde Philippus Macedonū rex *Exemplū.* Alexandri pater hoc prædicabat, qui ſibi gratulabatur, quod infenſos haberet Athenienſes, quoniam eorum maledictis, quid in moribus ſuis eſſet uituperatione dignum intelligeret, atque ita ut eos mendaces faceret, ſumma cura nitebatur. Qui autem hoc remedio carent, uehementerq; ſui amore ducuntur, aliorum quidem uitia, quos non diligunt, apertiſſime & uident & deteſtātur: ſua uero, uel extenuant uel diſſimulant, uel certe non intuentur.

Certe ſi filius electiſſimi alicuius uiri, ac præſtantiſſimi, tibi iniuriam aliquam inflixiſſet, aut contumelioſis te uerbis affeciſſet, paterque rem ſciens ſtatim eo comprehenſo uerberibusque affecto, aut aliter caſtigato ſubiungeret, ſe nolle filio parcere quin prius tu placatus eſſes, ſiue tibi ſatisfactum eſſet, adireſque patrem ut eidem ignoſceret: an non miſero adoleſcenti condoleres,& iniurię oblitus peteres à patre, ut filio indulgeret? Ecce igitur Deus ſibi aſſumit uindictam eius, qui te iniuria affecit, ille ſupplicium ſumptus eſt: cur ergo non condonabis? Cur non accedes petiturus à Deo ut ei indulgeat, qui tibi fuit iniurius? Quin certe maximo quodam afficieris honore in eo, quod Deus te quaſi ſubſtitutum quendam elegiſſe uideatur, vt fratri ignoſcas, & pro eo magnis precibus intercedas.

Amor inimicorum.

PLacuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, inqt *1. ad Cor. 1.*

Diuus Paulus. Hoc, eſt, [*puſo por precio del cielo lo que el mundo llama ſinrazony locura.*] Quemadmodum qui de nouo inſtituit maioratum, conditiones quas vult apponit, & nemo eſt, qui rationem, quare id faciat, expoſcat · [*no ay quien le pueda pedir razon o ſin razon de ſu hecho:*] Sic fecit Dominus in fundatione & inſtitutione maioratus cœli: nam, cum ipſe ſit fundator eius, conditiones, quæ ſibi placuerunt (ut ait D. Paulus) appoſuit: quarum una præcipua eſt, vt nullus homo, qui per prudentiam humanam uiueret, illum obtineret. Hinc ergo intelliges, quantũ erres quando ad iuſtificandas tuas vltiones, [*o puros del mundo*] allegas rationes qualificans occaſionẽ, quã cũ illis habuiſti: [*Pues aũque la tengas en el juyzio del mũdo no quiere Dios que ſigas eſſa razon ſi has de ſer ſaluo, ſino que viuas por la ſinrazõ acertadiſſima de ſu ſancta ley en que el te puſo el mayorazgo del cielo.*]

Eccle. 13. HVmiliare, Deo & expecta manus eius, inquit Eccleſiaſticus: quaſi dicat: uerus humilis, & qui verè Deo ſubmittitur, ipſi diſpoſitionem præbet. *Para que obre en el a dos manos y abundantemente grandes marauillas. Pero deues notar que el artifice, que obra en materiales viuos tiene neceſsidad de andar ordinariamente ſobre ſu obra, porque creciendo el miſmo material deshaze la primera forma que ſe le da, por donde el jardinero que haze la imagen de ſierpe, o de Leon en el mirto cortandolo con ſus tigeras por perfecta que la haga a pocos dias ſe le ha de boluera deſcompaſſar, ſino anda ſiempre ſobre ella cortando lo que crece en las ramas del mirto. Aſsi porque Dios labra en noſotros (que ſomos materiales viuos) ſu ſemejanca y crecen a cada paſſo en noſotros las paſiones, y imperfectiones, es neceſſario, que ſiempre nos ande cercenando y cortando eſtas ſuperfluydades y imperfectiones: y los inſtrumentos, con que eſto obra ſon las perſecuciones, y perſeguidores: ſufriamos los pues con paciencia.*

A N G E L I.

INTER creaturas omnes nulla eſt, quæ cultu, labore, induſtria, & temporis diuturnitate incrementa maiora capiat, quàm homo. Gemmę, & margaritæ uix ullum recipiunt incrementum, Sol quoque, & Luna & ſidera omnia, ipſiq́ue cœli eandem modo perfectionem, & nitorem retinent, quẽ initio conditionis ſuæ acceperunt. Angeli vero, vbi primum conditi ſunt, virtutibus cunctis, & ſapientia ſimul ornati fuere, nec enim iſta more noſtro paulatim, & peremptorum incrementa adepti ſunt. Homo uero ita paulatim, & per incrementa temporum proficit, ut primum quidem uiuat uita plantæ; ſecundo vita bruti; tertio (dum infans eſt) partim uita bruti partim uero uita hominis; quarto denique uita hominis, cum ratione utitur, & ea gubernatur; ac poſtremo ſi cum iuſtitia, & pietate ex hac luce migrauerit, uiuet deinde uita Angeli. Ait namq́; ſumma ueritas. Erunt ſimiles Angelis Dei in cœlo. Quo circa dum tempus habemus, dum merendi, ac proficiendi opportunitas adeſt, nullo modo hanc ſpiritualis profectus occaſionem prætermittere debemus. Adhoc autem proficiendi ſtudium cœleſtis ſponſus animam uocat, cum in canticis ait. Surge, propterea amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Nec ſemel hoc nouiſſe cõtentus ea- Matth. 22.

dē iterum uerba poſt pauca repetit dicēs. Surge, propera amica mea, & ueni. In quo neceſſitas urgēdi, & ſummo ſtudio, ac diligentia ad Deū eundi inſinuatur. Quia uero adhoc ut in cœlo ſimiles Angelis ſimus, nos altiſſimus creauit: ideo ipſos Angelos ad hāc celſitudinē conſequendā miniſtros dedit, qui ſua ſancta cuſtodia, & miniſterio ineſſabili ſtudio, & affectu nos protegunt: ideoq; B. Bernardus ſuper illa Geneſis uerba; Vidit Iacob ſcalā, Angelosque aſcendentes, & deſcendentes, inquit. Nunquid ſedentē quempiā, uel ſtantē uidit? Certè non, quia nō habemus hic manentē ciuitatē, nec futurā adhuc poſſidemus, ſed inquirimus, & ut eā conſequamur, & in illa eis ſimiles ſimus, Angeli ſummo ſtudio, ac diligētia aſcendūt & deſcēdunt. Vbi nos legimus, Immittit Angelus Dñi in circuitu timentiū eū, B. Hieronymus ex Hebræo uertit. Circundat Angelus Dñi in gyro timentes eum. Alij aūt tranſtulerūt. Caſtrametatur Angelus Dñi incircuitu timentiū eū. Quod ita eſſe Eliſeus trepidāti puero ſuo apertiſſimè oſtendit, cū ab exercitu Syriæ, ciuitas, in qua erat, obſideretur: orante enim illo, aperuit Dominus oculos pueri, & uidit, quia mōs plenus equorum, & curruū igneorum erat incircuitu Eliſæi, quæ omnia miniſterio Angelorum fiebant. Quòd ſi in lege ſcripta tanta cura Sancti Angeli homines cuſtodiebant, quid modo in lege gratiæ ab illis expectandum eſt, quandoquidem B. Gregorius ait. Cœleſtium ſpirituum ad nos conditor uenit, ſeq; hominē ſub ipſis exhibuit, ſicut de illo patri per Prophetam dicitur. Minuiſti eum paulò minus ab Angelis. Et quia inter nos, & eoſdem ſpiritus diſcordias uitæ ſcandalum reperit, mira pòtentia, mirabiliore etiam pietate ſumma creās, ima ſuſcipiens, ima cū ſummis iūxit. Hinc eſt, quòd eodem rege nato, Angelorū chori in eius Natiuitate prodeunt, hymnū dicūt & hos, quos dudū deſpexerant, ciues agnoſcūt conſono ore prædicantes Gloriā in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: ac ſi aperte dicant. Quos à nobis malitia diſiunxerat, iam nunc in terra natā bonitas iunxit. Is ergo, qui pp nos minor angelis extitit, æquales nos angelis uirtute ſuæ minorationis fecit: ergo ſi deſperat humana fragilitas, unigeniti ſanguinē cōſideret & in pretio ſuo cōſpiciet, quam magna eſt q̄ tāti ualet. Perpendat ſolicite quo caput præceſſit, confidat cœlos, ſperet ſupernā patriā, angelorū ſe ſociā ſciat, atq; in ſuo capite prælatā ſe ēt angelis gaudeat. Singularē ꝓuidētiā, quā Deus electorū ſuorū gerit, apertiſſime ēt illa Cāticorum uerba declarāt. En lectulū Salomonis ſexaginta fortes ambiūt ex fortiſſimis Iſrael omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi uniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuū pp timores nocturnos. Lectulum hūc, in quo Salomō noſter quieſcit, pij cuiusq; mentē eſſe apertiſſimū eſt. In illa.n. hic cœleſtis ſpōſus molliter accubat, & requieſcit, cuius deliciæ ſunt eſſe cū filijs hominū. Qui ſint aūt fortes iſti Propheta declarat, cū ait. Angelis ſuis Deus mandauit de te, ut cuſtodiāt te in oībus uijs tuis. Quæ ſit aūt horū fortitudo oſtenditur, dū dr. Bn̄dicite Dn̄o oēs angeli eius potētes uirtute faciētes uerbū illius ad audiendā uocē ſermonū eius. In quibus uerbis omnia officia angelorū includūtur. Quis igit ſub hac tā firma cuſtodia nō in pace dormiat, & requieſcat? Fœlix ꝑfectò uir pius, q tali nitit̄ patrocinio. Bene hoc intellexit ſancta illa Iudit, q̄ ait. Viuit Dn̄s quoniā cuſtodiuit me angelus eius, & hinc euntē, & ibi cōmorantē, & inde huc reuertentē. Nec paſſus eſt Dn̄s me ancillā ſuā coinquinari Hinc ēt Eccleſiaſticus canit. In cōſpectu angelorū nolite timere, uos .n. in corde ueſtro adorate, & timete eū angelus .n. eius uobiſcū eſt. Et non ſolū nos à peccatis cuſtodiūt, quantū in illis eſt, ſed ab oībus ēt offendiculis, quæ ad peccatū nos impellere poſſunt, occulta

Cant. 2. c. — Gene. 28. — Pſal. 33. — 4. Re. 6. c. — B Greg. li. 27. Mora. — Canti. 3. c. — Pſal. 90. — Pſal. 102. — Iudith. 13. c. — Eccleſ. 33.

quadã ſuggeſtione eripere nitunt. Hoc eſt.n.quod Pſalmiſta inquit In manibus portabũt te,ne forte offendas ad la- *Pſal. 90.* pidẽ pedẽ tuũ. Vt.n.fratres natu maio- *Simile.* res infantulos fratres in vlnis geſtant, ita angeli (quos maiores natu fratres appellare poſſumus)nos homũciones, hoc eſt,fraterculos ſuos ĩ manibus portãt,ut ab oĩbus peccatorũ offendiculis eripiãt.Sed proh dolor, quã rari inueniuntur,qui ex ſanctorũ angelorũ patrocinijs & obſequijs emolumenta capere velint. Quatuor.n.ſunt inter homines viuẽdi genera. Quidã nãq; mores dæmonũ imitant,ex quorũ numero erat ille,de quo dr̃. Nonne ego uos duodecim elegi, & vnus ex uobis diabolus *Ioan. 6. c.* eſt? Alij pecudes imitantur, qui videlicet non ratione,ſed affectibus more pecudũ ducuntur. Alij aũt humano more hoc eſt,partim ratione, partim affectibus agũtur, de quibus B. Paul. ſcribit. Cum.n.quis dicat: Ego quidẽ ſum Pauli,alius aũt: Ego Apollo, nonne homines eſtis. Ex his vero multi quidẽ ſalui *1. Cor. 3. c.* fiẽt ſic tñ(ut idem Apoſtolus paulò inferius ait)quaſi per ignẽ,ſi tñ cũ pietate dormitionẽ accipiãt,ad quod angelorũ miniſteria maxime conducũt. Sũt porrò alij qui puritate vitæ angelos ipſos imitant ſemper eorũ obſequijs ſe protegẽtes. Hi intelligẽtes uerba illa ſapientiæ: Fili accedẽs ad ſeruitutem Dei *Eccleſ. 2. c.* ſta in timore Dñi & prępara animam tuã ad tentationẽ, ea ſummo ſtudio obſeruant,in timore Dñi cõtinuo ſtãtes, & animas ſuas tẽtationi præparantes. Sta,inquit ſapiẽs, in timore Dñi: quia corroborat miſericordiã ſuã ſuper timentes ſe,& quia cũ homo accedit ad ſeruitutem Dei, acuit ſæuitiam ſuã diabolus cõtra ipſum,vt eũ deuoret. Et qđ eſt,præpara animã tuã ad tentationẽ? Quo,dic mihi,ſe præparat dux ſpectãs & timẽs inimici fortiſſimi aduentũ ad debellãda caſtra, aut fortalitiũ qđ ſub fide ſua de manu regis cuſtodiendũ ſu- *Simile.* ſcepit? Præparat illud in muris,in portis,ne aditus pateat inimicis: præparat in vini,& frumẽti abundãtia, & in magna militũ ſtrenuorũ multitudine,quibus uigilias noctis ipſe cuſtodit. Et tu quidẽ, ò homo, qui de propria uirtute cõfidis, certe non times inimici ſęuientis irã,potentiã,dexteritatẽ,milleq; nocendi modos, qui de manu regis æterni ſub obediẽtia ipſius Dei altiſſimi animã tuã iureiurando ſeruandã, & cuſtodiendã ſuſcepiſti: te ipſum præpara ad tentationẽ in ieiunijs multis, in orationibus,in lachrymis,&c. hęc.n. ſunt militię noſtræ arma inexpugnabilia, q̃ aduerſarius noſter diabolus ſicut ignẽ inferni reformidat. Milites uero, quos in adiutoriũ noſtrũ uocare debemus angeli potentes uirtute ſunt,quibus fideles ſerui Dei ſe protegunt, ut ſimiles illis fiãt inſuperabiles,& inuincibiles cõtra diaboli poteſtatẽ, ſicut ipſi angeli fuerunt. In uiſione illa ſublimi, quę in Geneſi Sancto Iacob demonſtrata eſt, angelorũ aſſidua noſtri cuſtodia mani- *Geneſ. 28.* feſtatur: per ſcalam.n. illam, quã uidit Sanctus Patriarcha aſcendebant, & deſcendebant angeli. Nõ,inquit ſacer textus,deſcendebant,& aſcendebant,ſed è contra,aſcendebant,& deſcendebant. Et Dominus angelorum in ſummitate ſcalæ reſidebat. Mirabilis uiſio, ꝑfecto locus natiuus Angelorum cœlum e: , & tamen quia in continua hominũ cuſtodia multi eorum ſunt,de terra aſcendunt, & uſque ad cœlum aſcendunt,ut certe intelligas deferre ſanctos angelos opera iuſtorum in conſpectu Domini, & afferre in ſinu ſuo ad ſuos clientulos dona gratiæ, & Saluatoris propitiationem. Angelis tribuuntur facies,alę, ac pedes, quamuis re ipſa incorporei *Eſa. 6.* ſunt; at qui facie, & oculis uim cognitiuam, pedibus ſedulum miniſterium, & alacrem obedientiam, alis in cuncta diſcurſum uelociſſimum capimus. Cũ ea,quæ hic ſupra dicta ſunt de ſcala,& angelis dixeris,hoc modo ipſa narrare poteris. Legimus quòd fugiens Iacob à fratre ſuo Eſau, pergensque in Meſopotamiam poſt ſolis occaſum requie-

ſcere in quodam loco uolēs, ſuppoſuit capiti ſuo lapidem, uiditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlū, angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Cōſidera, obſecro, quibus modis cōſoletur Dominus ſeruum ſuum malis oppreſſum. Tria eum grauabant. Primū quòd peregrinus in aliena terra omnibus incognitus eſſet: contra hoc oſtenditur ei ſcala è terra ad cœlum uſque pertingens: quaſi dicat Deus: Noli ob hoc ſolicitus eſſe, quòd peregrinus es in terra aliena; en tibi parata uia eſt ad cœlum. Quid igitur tibi nocebit, ſi nihil habeas in terra, dummodo cęlum tibi certum ſit? Vere ingens conſolatio. Dein de iuſtum grauabat, quòd longe à parentibus abeſſet: contra hoc Deus ſe ipſum ei oſtendit, quaſi dicat: Quid obeſt ſi longe à patre carnali ſis, dummodo ego tibi pater ſim? en adſum tibi. Poſtremo, uel maxime eum ſolicitabat odium fratris: contra hoc uidet Angelos in ſcala illa. Ac ſi diceret Dominus. Fratrē, & homines habes aduerſarios, ſed Angeli tibi ſunt amici. Plures tecū ſunt, quàm cum fratre, quid igitur times? uere ergo dicere potuit ſanctus hic uir cum regio Propheta. Secundum

Pſal. 90. multitudinem dolorū meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaue-

Thren. 3. runt animam meam: uidemus igitur, quam bonus ſit Deus confidentibus, ac ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum, uere magna Dei dignatio, ut merito pius quiſque dicat: Domine quid

Pſal. 8. eſt homo, quòd memor es eius? Angelos in obſequium noſtrum deſtinat, ſe ipſum offert, deinde poſt hanc uitam ad cœlum nobis iter aperit; ſi tamen dum hic ſumus lapidem angularē Chriſtum Ieſum ſuppoſuerimus capiti noſtro, in pace que, & in id ipſum dormiemus.

Angeli.

CVm Deus res mirabiles à ſe geſtas ad infinitam ſuam potentiam declarandam perſequeretur, loquens cū Sācto Iob, conuenienter dū lucem à ſe *Iob. 38.*
factā cōmemoraret, excluſionis impiorū mentionē fecit dicens. Excuſſiſti impios ex ea. Quod lucis conſequens eſt. Sicut.n. lucem cōſequitur, ut tenebras pellat, quia eius contraria ſunt: ita & impios, qui lucē oderūt, & tenebras amant: & ſicut lucem fecit Deus ad tenebras expellendas, ita ad impios è terra uiuentiū euertendos, ex quo non leuis coniectura eſt, ea de cauſa in hiſtoria creationis lucis primo die mentionem eſſe factā, licet quarto die luminaria effecta fuiſſe narrentur, eo quòd primo die, ſicut Angeli ſimul ſunt cū cœlis ꝓcreati, ita Iniqui Angeli eo fuerūt die è cœlo eiecti, & æternis tenebris mandati. Pro comperto.n. Theologis eſt breuiſſimo tpe iniquos angelos in cœlo fuiſſe. Quod nō niſi diuina luce factum fuit. Congruū aūt erat, ut eo die, quo tā copioſa lux creaturę ſpirituali orta fuit, oriretur ēt creaturæ materiæ corporisq; participi clara lux. Sunt autem impij luci contrarij, ſiue lux materialis, ſiue ſpiritualis ſit. Nā iniqui materialis ēt lucis odio ſunt, quia delitescere cupiūt, ut copioſe S. Iob tractauit di- *Iob. 24.*
cens. Oculus adulteri obſeruat caliginē dicens: non me uidebit oculus, & operiet uultum ſuum. Perfodit in tenebris domos ſicut in die condixerant ſibi, & ignorauerunt lucem. Lucem autē ſpiritualem, id eſt, ueram diſciplinam, nulli dubium eſt, quin eam uehemēter abhorreant. Quod & Chriſtus Ieſus *Ioan. 3.*
ſumma ueritas apud Ioannem docet, dicens. Lux uenit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras, quā lucem: erant enim eorum mala opera: utraq; etiam lux eijcit impios è terra. Lucis ſpiritualis coniectura facile de Euangelio capitur, quòd tot improbos homi-

homines, improbos mores, & improbas hæreſes lumine ſuo clariſſimo deiecit. Lux vero materialis etiam expellit eos, quia ipſe aſſiduus ortus, & occaſus Solis hominũ uitam conſumit. Quod Eccleſiaſtes indicauit, dicens. Generatio prgterit, & generatio aduenit. Cuius rei cauſam ponit ſtatim addens: Oritur ſol, & occidit, & ad locũ ſuũ reuertitur, ibiq; renaſcẽs gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonẽ. Cũ igitur ipſo lucis motu ad exitum uitæ quotidie vocẽtur appoſitè luce vita expelli dicentur. Viris bonis licet etiam ipſa dies uitam minuat, quia tamen ad aliam veram vitam vocantur, & cum morte potius reſtituantur, quam abſumantur, non ita lucis motu è terra pelli dicentur: impijs autem ſi hæc vita adimatur, nulla eis alia reliqua eſt, ſed mors tantũmodo ſempiterna. Poſtquã vero Deus ſancto Iob dixerat: Nũquid oſtendiſti aurorg locum ſuum? addidit, & tenuiſti concutiens extrema terrg, & excuſſiſti impios ex ea? Hoc eſt, tenuiſti cõcutiens per lucem, ita vt luce tua terram vniuerſam occupares, & excureres impios ex ea? Quaſi diceret: Non potentiæ humanæ, ſed ſolius diuinę hæc omnia deſcribuntur. Itaque creatio lucis, & creatio Angelorum, punicio malorum, & retributio bonorum, ſolius omnipotentiæ, & infinitæ bonitatis Dei ſunt.

Angeli.

B. Thom. 1 p. q. 50. ar. 3. Iob. 25.

NVmerus angelorum (vt B. Thomas aſſerit) ita res omnes alias ſuperat, quemadmodum cæli magnitudo longiſſimo interuallo omnium corporũ magnitudinem ſuperat. Hinc ſanctus Iob ait. Nunquid eſt numerus militum eius? Quo loquendi genere innumerabilem eſſe angelorum exercitum intelligimus. Statuamus etiam hic & illud, quod idem B. Thomas ait, ſcilicet, omnes angelos ſpecie differre, ſicut differt aquila a Columba, & ciconia a miluo, &c. Et cum hoc attendite Ariſtotelem dicere, rerũ ſpecies numerorum rationem imitari, vt videlicet, quemadmodum ſuperior numerus inferiorem continet, & aliquid ſibi proprium adijcit: ita ſuperior ſpecies, tum inferioris perfectionis, tum etiam ſuam & peculiarem continet. Ab infimo ergo angelorũ ordinamur, quem ſtatuamus, res omnes corporeas perfectionis & pulchritudinis ſuſt decore longe ſuperare, quod facile indicat angelus ille qui Danieli apparens, pulchritudinis ſuæ ſpecie, atq; fulgore prophetam pene examinauit, vt ibi narrat ſacra ſcriptura. Et ſecũdus angelus inferioris angeli pulchritudinem, & ſuam item peculiarẽ retinet. Tertius vero angelus vtriuſque præcedentis, & ſuam item ſpeciem atq; decorẽ ſuperaddit. Quartus vero angelus omnes has perfectiones amplectitur, & ſuam item, qua in noua ſpecie conſtituitur. Hac igitur ratione, per omnes angelorum ordines in hac creaturarum ſcala ab inferioribus ad ſuperiora conſcendẽtes, ad ſupremum vſq; ſeraphicũ ordinẽ, qui Deo cõiunctiſſimus eſt, perueniamus. Cũ hic igitur oẽs inferiorũ angelorũ perfectiones, pulchritudineſq;, & ſuam item cõtineat, angeli aũt (vt antea diximus) numerari nõ poſſint: qualis, q̃ſo, illa ſpecies, & pulchritudo erit, quæ vna innumeras intra ſe perfectiones, uirtutes, & pulchritudinẽ cõtinet? Eſt ne vlla dicendi facultas, quę hoc poſſit dicẽdo conſequi? Minime ſanè. Hinc ulterius gradũ ad ipſum rerũ omniũ, atq; angelorũ dñm faciamus, qui & has oẽs pfectiones, & infinitas alias, quæ diuinitatis ꝓpriæ ſunt in ſe uno continet. At ſi ante ſplẽdidiſſimũ ſolis iubar, fulgorẽ ſuum ſydera tueri nõ poſſunt, & perinde ſũt, quaſi nõ eſſent: cõſequẽs eſt, ut oẽs omniũ rerũ atq; angelorũ pfectiones, omniſq; creata pulchritudo diuinæ pulchritudini collata uix ulla ſit. Hac igitur ratione pius hõ ſe ſe angelorum choris inſerẽs ex illorũ pulchritudine imẽſam diuinæ

Daniel. 10

B. Thom. 1 p. q. 50. ar. 4. in corpore.

diuinæ maieſtatis pulchritudinem con templatur. Quam rem Dominus in libro Iob ſignificare uidetur his uerbis. Nunquid ad præceptũ tuũ eleuabitur aquila, & in arduis ponit nidum ſuum? In petris manet, in præruptis ſilicibus commoratur: inde contemplatur eſcã. Quem locum Beatus Gregorius elegãter explenat: vt uidere eſt infra litera. C. titulo, contemplatio. *Iob.39.*

Pſal. 90. Angelis ſuis Deus mandauit de te, ut cuſtodiãt te in omnibus uijs tuis, inquit regius vates. Prouidiſſimus eſt Deus ò Chriſtiane, ſiquidẽ tantis principibus mandauit de te, & quod eſt digniſſimum omni ueneratione, non vni angelo duntaxat mãdauit de te, ſed angelis ſuis. O admirabilem Dei dignationem, ò ſingularem angelorum obediẽtiam, ò hominum ſummum pretiũ, cum ipſi tamen ſint vniuerſa vanitas. Sed quid mirum, ſi Deus mandauit angelis de te, ſiquidem & filio ſuo mandauit de nobis, non ſolum vt cuſtodiret nos, ſed etiam ut moreretur pro nobis?

Angelorum cuſtodia.

Zacha.1. PRopheta Zacharias fatetur uidiſſe patrocinia angelorum iuſtis exhibita his uerbis. Vidi, & ecce uir aſcendens ſuper æquum rufum, & ipſe ſtabat in myrteta, quæ erant in profundo & poſt eũ equi rufi varij. Difficilis ſanè prophetia omnium interpretum, tam Latinorum, quam Hebræorum ſententia. Vt uatis iſtius uiſio planior fiat, conſideremus quo tempore, & ad quẽ finem ei obiecta fuerit. Tempus enim eiuſmodi erat, quo magnus timor iniectus erat populo Iſraelitico: ceſſauerant enim in ſtudio & opere urbis, & templi reſtituendi, edicto ſæuiſſimo prohibente rege Aſſuero, quò minus ul trà ędificium progrederetur: uexabant enim eos, & uarijs contumelijs appetebant homines uicini, & nomina eorum detulerunt apud regem, quòd vrbs illa ualde olim rebellis fuerit, multaq; bella geſſerit: qua propter iuſſu, & authoritate regis opus eorũ ui, & armis intermittere coegerunt: quod narratur in li. 1. Eſdræ. Tempus igitur iſtiuſmodi erat. *1. Eſdræ.4.* Ad hunc uero finem vaticinati ſunt Zacharias, & Aggæus nomine Dei omnipotentis, quò animos Iudæis facerent, & ad opus repetendum urgerent per quatuordecim annos intermiſſũ, quod eodem libro Eſdræ ſignificatur, & ex illorum prophetia cognoſcitur. *1. Eſdræ.5* Animaduertendum etiam eſt, quòd Zacharias quam primum incepit uaticinari, dixerat: Iratus eſt Dominus ſuper patres ueſtros iracundia, &c. Conuertimini ad me ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad uos. Hoc eſt, irã meã ſedabo, in meam uos gratiam recipiẽs, & calamitates, quas iratus intulit depellens, ac malis medebor omnibus quę inuexi, nec erit poſt hac, ſi uobis ego operam feram, quòd regem magnũ Perſarum timeatis: ſiquidem ego ſum Dominus exercituum, ac proinde poſſum meis copijs quemcumque hoſtem propulſare. Quod vt planius fieret, maiorque Iudęis animus accederet oſtendit tunc Deus omnipotẽs exercituum, & copias ſuas Zacharię Prophetæ eadẽ prope forma, qua olim famulo Eliſæi timenti exercitum Syrorum, Dei præſidium, quod aderat Eliſæo, demonſtratum eſt, vt ſcribitur in 4. lib. Reg. vbi dicitur. Aperuit Dominus oculos pueri, *4.Reg.6* & uidit, & ecce mons plenus æquorum, & currũ igneorum in circuitu Eliſæi. Eodem ergo modo, ut populum metu perculſum propheta excitaret, uidit p noctẽ, & ecce uir aſcendens ſuper equũ rufum, &c. Equites hi erant angeli Dei, qui ob eam rem equis vectos ſe oſtendunt, vt ſpeciem exercitus, & hominum paratorum ad auxilium ferendum pręſe ferant, vt narratur accidiſſe puero Eliſæi loco iam citato: tum, ut celeritatem ſignificent, qua Dei iuſſa exequuntur: nam is, qui vir hoc loco vocatur, paulò poſt uocatur angelus. Erant igitur angeli. Aſcendebat, ait, ſuper equũ rufum

ruſum Hebraicè, edon ſignificat rubrū. In equis autem eſt color fuluus, Hiſpane, [*alzan*] & poſt cum equi ruſi, Hiſpane [*alzanes*] & varij, Hebraice, ſerumquim, hoc eſt uarij. Et ſeptuaginta interpretes uerterunt, varijs coloribus, & maculis, fuluis, albis, atque nigris, Hiſpane [*overos remendados.*] Alij equi erant albi. Equi autem ponuntur pro iis, qui in equis ſedebant: ut colligitur ex clauſula inferius poſita, in qua dicitur reſpondiſſe angelo, qui ſtabat inter myrteta. Hi uero diuerſi colores, varia munia ſignificant, quibus funguntur angeli, dum hominum commoda procurant: neque oportet accuratius ſingulos colores ad diuerſa officij munera referre, ne dum nimis ſubtiles uideri uolumus, puerilem explanationē faciamus: non enim oportet (ut ait B Chryſoſtomus) omnia in parabolis quadrare. Equi igitur hi ſtabant inter myrteta, ideſt, in locis myrtis conſitis. Myrti Hiſpane, *arrayan*, fideles, bonos, ac pios uiros ſignificant. Vt enim myrti perpetuo viuunt, nec areſcunt vnquam, nec folia amittunt: ita in bonis uiris, quandiu tales ſunt, non areſcit charitas, ſed virore
Pſal. 1. ſemper gratię decorantur. Vnde in Pſalmo dicitur de uiro iuſto. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet, proſperabuntur. Afferunt enim myrti flores amœniſſimos, maximoque odore fragrantes. De viris uero iuſtitiæ, & virtute præditis Beatus Paulus ait. Dei bonus odor ſumus. Significant igitur myrti uiros probos, ſuntq; angeli inter myrteta, hoc eſt, inter bonos uiros verſantur, vt eos ſeruent. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, ait Dauid. Sed illud animaduer *Pſal. 90.*
tere debemus, quod dicit, huiuſmodi myrteta eſſe in profundo. Quod hiſtorice, & literaliter Vatablus, & multi Hebræi de Babylonia interpretantur. Quādo igitur myrti, ideſt, iuſti ſunt, Babyloniç, ideſt, aduerſa, & calamitoſa fortuna conflictātur, incommodis omnibus, anguſtiis, & detrimentis afficiuntur, nemo putet a Deo hominum libidine eſſe relictos, ſed maximo potius tunc angelorum præſidio muniuntur, neque ullo tempore magis boni viri opem diuinā experiuntur, quàm cum ſint hominum auxilio deſtituti. Cū infirmor, tūc potēs
ſum, ait B. Paulus. Dauid etiam inquit: *1. ad Cor. 12.*
Iuxta eſt Dominus his, qui tribulato *Pſal. 32.*
ſunt corde. Quæ conſolatio uiros ſanctos in maximis calamitatibus vehemēter ſuſtentat. Ita Chriſtus Saluator no- *Ioan. 16.*
ſter ait. Venit hora, vt me ſolum relinquatis, & non ſum ſolus, quia pater mecum eſt. Idē etiam ſibi polliceri poteſt vnuſquiſque pius, cum amicis, & cognatis in anguſtia poſitus, ſe deſtitui viderit, & ſecum meditari, quod hic noſter propheta narrat, magnam angelorum multitudinem ſtare inter myrteta, quæ erant in profundo.

APOSTOLI
Domini.

Iſa. 1. POSTQVAM ſanctus Propheta Iſaias dixit. Derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, ſicut ciuitas, quæ vaſtatur, addidit. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Quando (inquit Sanctus Irenęus) *Irenæus, li.*
relinquetur Sion? Nempe quando ue- *4. c. 8.*
nerit veritas, quando ceſſauerit typus, quando nullius erit fructus, vt ſubuertitur caſula, ſiue vmbraculum in uinea

facta

facta uindemia, quia nullus eſt iam collecto omni fructu, vſus vmbraculi, illuc enim ſe abdebat cuſtos vineæ, vt ſeruaretur fructus, collectis fructibus, vmbraculi nullus eſt vſus. Hæc omnia iam impleta ſunt. Verum Beatus Auguſtinus in Euangelium Matthæi inquit. Quomodo dicit Iſaias. Derelinquetur filia Sion, cum dixerit Dauid. Non derelinquet Dominus plebem ſuam? Gratiæ (reſpondit ſanctus Doctor) imputandum eſt, quòd plebs tua in qua tu es, electa eſt, quia vt eſſet aliquid reſiduum gratiæ in te Dei, non tuum meritũ fuit, quod Iſaias ait. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Quod interpretans B. Paulus ad Romanos ſcribens, ait. Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, ſi autem gratia, non ex operibus. Hæc autem gratia, vt ſcilicet reliquiæ Hebræorum ſaluarentur per Beatos Apoſtolos miniſtrata eſt. Nam (vt Iſichus inquit) ſi non relictum eſſet ſemen Apoſtolorum, nihil prohiberet in modum Gomorrhæ & Sodomæ omnẽ plebem Iudaicam perire, ſed Apoſtolorum cauſa non omnes perierunt. Euſebius Cæſarienſis etiam cum explanaſſet ſuperiora verba, Derelinquetur filia Siõ, & deſcripſiſſet dirutas vrbes Iudeę a Romanis, abſumpta incendio Hieroſolyma, ſubijcit. Reſiduus fuit Apoſtolorum chorus, & qui ex Iudæis crediderunt ad inſtar ſeminis, qui peragrarunt omnes terras, & ſemine Iſraelitico compleuerunt orbem, ex quo ſemine ſe ſe ſuſtulere ſpicæ pulcherrimæ, & ſpecioſiſſimæ, hoc eſt, Eccleſiæ toto orbę diſperſę, quod ſignificari ait his verbis Iſaię. Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemẽ, &c. B Auguſtinus rurſus ad Simplicianum ſcribens, hunc locum elucidãs inquit. Quod alibi reliquias, hic ſemẽ dixit, vt appareret reliquias illas paucas velut ſemen fuiſſe, unde meſſis toto orbe conſurgeret. Ex his omnibus apparet, quòd cum Hebraice ſit: Niſi Dominus reliquiſſet nobis reſiduum, vel reliquias & ſeptuaginta interpretes verterint pro reſiduo ſemen, idem eſſe reſiduum, quod ſemen. Vnde apparet, magnam Sacræ ſcripturæ lucem illos ſeptuaginta interpretes attuliſſe, interpretantur enim ſemper ad lucem euangelicam ſcripturam diuinam, trecentis annis & eo amplius ante ſcripta Euangelica ſacra, quę quidem res quantum commoditatis Eccleſiæ Catholicæ attulerit, quantumq; Dei optimi maximi in eccleſiam ſuam fuerit beneficium, nemo poterit verbis vllis explicare. Trecentis enim annis ante tempora Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri refellunt impios Iudæos, & Iudaizantes, & verba Euangelica nobis repræſentant. Dicet Iudæus, & fortaſſe etiam Theologus pientiſſimus, & vir optimus. Mallem reddidiſſent fideliſſime verba Hebræa, & ea numeraſſent mihi, nec ea interpretarentur: ita tu quidem, non certè hoc mallet ſancta Eccleſia, quę hanc interpretationem (quam illi ſeptuaginta viri non temere interpretati ſunt, ſed ex alijs Scrituræ locis fecerunt paraphraſes; vt huius loci faciunt paraphraſim, & poſtremo verſu capitis ſexti, & ſemẽ ſanctum erit, quod ſteterit in ea) habet inter alia inconcuſſum, & inexpugnabile ſuæ veritatis propugnaculum, quod ſeptuaginta interpretes tanto tẽpore ante ſcripta ſacra Euangelij verba ſonent euangelica. Vis ſcire hoc ſibi palmarium putare Eccleſiam? Hac vna re probãt omnes veteres inſtinctu Spiritus ſancti verſionem ſeptuaginta interpretum eſſe textũ, quod tanto tempore Apoſtolica, & Euangelica verba ſonent. Vis intelligere Eccleſiam Catholicam has paraphraſes amplecti & Sacram ſcripturam putare editã Sancti ſpiritus afflatu? Accipe argumẽtũ inſolubile. Doctior omnibus Rabbinis Beatus Paulus erat, & præterea ita commendatus à Sacris ſcriptoribus, vt eum ſic citent. Paulus ille, in quo Chriſtus loquebatur. Rurſus, Paulus ille, q in cœlos raptus vidit arcana Dei, interpres

B. Auguſt. ſermo. ſuper Matt.

Iſichi. li. 7 In Leui. in illa uerba quia domus uerbium leuitarum.

Euſeb. li. 2 c. 36.

B. Aug. ad Simplicia. li. 1. q. 2.

pres optimus ſcripturę, tñ hic Paulus tot nominibus cõmẽdatiſſimus, cũ ſciret Hebraice eſſe: Niſi Deus Sabaoth reliquiſſet nobis reſiduũ, citat hũc locũ iuxta trãſlationẽ Septuaginta interpretũ ad Romanos ſcribens. Et hoc eſt qđ doctiſſimi uiri adducunt oſtẽdẽtes nõ eſſe contemnendam translationem ſeptuaginta interpretum citatam ab Apoſtolis, & Euangeliſtis, etiam cum nõ reddit ad uerbum lectionem Hebræã, ſed paraphraſim facit ex alijs locis potius, quam interpretationem. Quod etiam argumentum inſolubile putat Beatus Auguſtinus, factam eſſe trãſlationem ſeptuaginta uirorum afflatu Spiritus ſancti cum æquè citetur ab Apoſtolis, & Euangeliſtis, etiam cum nõ exprimit eadem Prophetæ uerba, ſed ſenſa: quod certè fieri nullomodo potuiſſe putat, niſi Spiritus ſancti inſtinctu eſſet edita. cum ergo ſancti Apoſtoli ſemen ſint, ex quo tot fructus in ſancta Eccleſia prodierunt, manifeſte apparet, quantum illis amoris, gratitudinis, & deuotionis debitores ſimus.

Ad Ro. 9.

D. Augu. li. 15. de Ciuit. Dei. c. 14. et li. 18 c. 42. et 45 & li. 2. de doctrina Chriſtiana. c. 15.

Apoſtoli Domini.

Marci. 13.

LOquens Dñs noſter Ieſus Chriſtus cum ſuis ſanctis Apoſtolis apud Beatum Marcum dixit eis. Ante reges, & præſides ſtabitis propter me in teſtimonium illis. Vide ſapientiam ſaluatoris, ſtatim in exordio firmum fundamentum, & baculum robuſtiſſimum imbecillitati carnis humanæ conceſſit ad ædificãdum magni ponderis arcem & ad incedendum ſecure inter difficiles ac lubricos caſus uitę humanæ quod eſt hoc fundamentum, qualiſq; eſt baculus, in quo etiam inter inimicorum furias, & enſes fragilis caro ſecura incedit? Nonne audiſtis Dominum dicentem. Beati, qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum? In his uerbis dulcorabat amaritudinem præſentium laborum, qui quidem immenſum glorię pondus operantur, cũ ipſi ſint leues, & momentanei dum propter Chriſtum Dominum ſuſtinentur. Propter me, dolorem, & anguſtiam omnem in gaudium conuertit ſaluator in hoc verbo, propter me, propter amorem meum, propter exaltationem nominis mei. Quid (dic mihi) difficile in anguſtijs Apoſtolorum, cum hæc omnia patientiam illorum confirmẽt: Quid amarum, aut ferum in perſecutionibus, in carceribus, in fame, in ſiti, in frigore, in nuditate, in itineribus, in falſis fratribus, in periculis, denique in morte, cum hæc omnia propter illum, qui dilexit nos, & ſe ipſum tradidit pro nobis ſuſtineãtur? Ex hoc Apoſtoli gaudentes ibant a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu cõtumeliam pati. Rape ab ore Chriſti ò homo uerbum iſtud, propter me, abſcõde illud in medijs uiſceribus cordis tui. Hinc ignis ardentis dilectionis accenditur. In hoc uerbo dicebat Beatus Paulus: Ego non ſolum alligari, ſed & mori paratus ſum. O ſi ſciret noſtrum cor quantum eſt verbum iſtud, propter me. Cum audiſtis in Propheta propter te mortificamur tota die: ęſtimati ſumus ſicut oues occiſionis (quod propriè de Apoſtolis ſanctis prædictũ, eſt, ſicut teſtatur Beatus Paulus ad Romanos ſcribens) intellige omnia, quæ legis, iugem ſcilicet totius diei mortificationem, ita ut non concedatur reſpirare, quæ nõn nimia, non grauis nobis apparere debet, nõ fugienda ꝑpter eum, qui dilexit nos. Hic finis, & initiũ operum, vel dolorũ ornãt, magnificãt, & ſuperexaltant ſanctorũ ęrũnas, uigilias, & mortificationẽ, & occiſionẽ. Propter me, inquit. Nec Dauid expauit in uerbo Saulis: nõ habet rex ſpõſalia neceſſe, niſi tantũ ducenta pręputia Philiſtinorũ, ſed abijt in Acharõ, & percuſſis ducentis Philiſtęis annumerauit pręputia eorũ regi vt fieret gener eius. Amabat Michol Dauid, inquit Sacra ſcriptura. Denique Dominus ad Ananiã, cum

Math. 5.

Act. 21

Pſal. 43.

Ad Ro. 8.

1. Reg. 18.

Actuũ 9. cum eſſet Paulus Damaſci, de illo inquit. Ego oſtendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Vt fiat gener regius Dauid, tot uiros regi inimicos percutit, iugulat, & adducit ſigna certiſſima magnificati facinoris, præputia, inquam, ex quibus conſtabat nõ fuiſſe de filijs Iſrael, qui circũciſi erãt, præter hoc, quod notatu digniſſimum eſt verbum Dauid ad ſeruos Saulis. Nũ paruum uidetur uobis generum eſſe regis? Ego autem ſum pauper, & tenuis. Quæ uerba ſi intro aſpexeris, ſatis ardẽter & humili corde te accinges, ad diffi cilia queq; pro triumpho, & gloria regis cæleſtis. In teſtimonium illis. Quid eſt in teſtimonium illis? Perhibendum à uobis de me, ut cõuertãtur cum uideãt idiotas, & illiteratos ſupra ſapientes firmiſſimos, & cõſtantiſſimos, offerẽteſq; corpora ſua tyrranno, & carnifici ſine ſpe præſentis remunerationis. Magnũ teſtimonium hoc erit, cum facile ſit eis intelligere, quòd ſolo auctore Deo hæc fieri poſſint. Quòd ſi illud teſtimoniũ non acceperint, inexcuſabiles ſunt: unũ ex duobus ſequitur ex fideli teſtimonio aut conuerſio, & fides illis, qui crediderit teſtimonio: uel ut inexcuſabiles ſint coram Deo, quia non receperint teſtimonium hoc.

Apoſtoli Domini.

3.Reg.5.c. APoſtolorum dignitatem, & gloriã declarat lapidũ pulchritudo, quæ templo Domini fundamentum præbuerunt, de quibus ſic legimus in libris regum. Pręcepitque rex ut tollerent lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos, quos dolauerunt cementarij Salomonis, & Hiran. Hoc ad ſpiritualis templi, hoc eſt, ad eccleſię fabricam ſpectat. Quis enim ad ædificij fundamentum exculptos lapides aptari uidit, cum ad hoc rudiſſimi quique eligantur? Quo circa huiuſmodi lapidum electio myſterio vacare non potuit. Myſterium uero eſt, quia illi lapides ſanctos apoſtolos ſignificabãt, qui fundata ſunt ſanctæ Eccleſiæ, & magiſtri totius orbis, electi a Chriſto Ieſu Redemptore noſtro in teſt imoniũ omnibus gentibus. Sed dicas forſan. Omnis homo, teſte Sacra ſcriptura, mẽdax eſt, immo plus aliquid dico, nã ubi nos legimus in Pſalmo. Omnis homo mendax, alia tranſlatio habet, omnis homo mendacium. Ergo cur homines elegit Dominus in teſtimonium omnibus gẽtibus, ſiquidem omnes mendaciũ ſunt? *Pſal. 115.* Reſpondeo, non idcirco mendacium hominem dici, quòd nihil ſit ueri in ipſo, aut in ſermone eius: ſed quia plus habet de falſitate, quã de ueritate, plus de non ente, quàm de ente. plus de inſipientia, imprudentia, iniuſtitia, ſtultitia, quam de uirtutibus oppoſitis, natura impotens, animo duplex, malitia fallax, uanus, inconſtans, corde denique prauo, ac inſcrutabili. Hæc autem de homine dicta intellige pro ſtatu naturæ corruptæ, & ut homo tantum modo eſt, nec dum ſanctus, aut ſpiritu Chriſti illuſtratus: ſecus enim eſt de eo, qui uirtutibus pollet, & donis de ſurſum a patre luminum acceptis. Nam eiuſmodi plus aliquid eſt, quàm homo, quia homo diuus diuino lumine ſupra ſe eleuatus. Et certe in quantum talis, uerax eſt, & ueritatis doctrinam in alios trãſfundere poteſt ad inſtar lunæ, quæ, dũ accipit radios à ſole, poteſt & alia corpora illuminare, & quatenus ipſa participat à ſole, poteſt plus, minuſve illuſtrare alia. *Simile.* Porrò ſi aſpectum ſolis non accipiat, nec ipſa quidẽ uideri poteſt, quales fuerunt ſancti Apoſtoli, quia in illis non proprius, ſed Dei ſpiritus loquebatur, quem acceperant abunde. Hi proculdubio fuerunt ueri ſapientes. Quo titulo indignè uſi ſunt omnes infideles. Nunquid ſapiens dici poteſt, qui nec ſui quidem notitiam habet? Sui autem notitiam quomodo habere poteſt, qui neſcit Deum à quo factus eſt? Neſcit fœlicitatis æternę beatitudinem, cuius gratia factus eſt, nec uiam cogno

ſcit,

ſcit, qua itur in illam, neſcit uulnera naturæ humanæ, neſcit propriam inſufficientiam ad bonum, neſcit regenerationis, & gratię ſuperaddendæ neceſſitatē: dumque aſſequitur intellectu eſſentialia eius naturæ, quam à progenitoribus moriture carnis accepit, vix dimidiam ſui notitiam habet. Ignorat enim, quòd naſcimur omnes filij iræ venundati ſub peccato in damnationem mortis ęternæ, quam nullus vnquā hominum per ſe euadere poteſt vllo ſtudio uirtutis. Inſuper neſcit mediatorem Ieſum, & ſanguinem redemptionis eius, & modum, quo liberamur a peccato, a ſeruitute, a morte, & damnatione in vitam gratiæ, vitam gloriæ, uitam ſempiternam. Neſcit reſurrectionem ex mortuis. Deniq; & ignorat, qua tandem ratione fluxa, & caduca mundi huius tranſitura ſint in ſtatum quendam æternitatis. Hæc autē & cætera huiuſmodi, quoniam non diſcuntur niſi verbo Dei. Ideo dicendum
Eccleſia. I. eſt cum Eccleſiaſtico, quòd fons ſapientiæ ſit verbum Dei in excelſis: & ingreſſus illius mandata æterna. Ideoque & iniuſto titulo poſſederunt nomen ſapiētis ſeptem illi, quos Græci vocauerunt ſapientes. Quod animaduertens Pythagoras prudenter recuſauit appellationem Sophi, hoc eſt, ſapientis, dicens, ꝙ nullus mortalium, ſed ſolus Deus ſit ſapiens, quanquam & hoc non omnino ſapienter dixerit, addere enim oportebat, & cui voluit Deus reuelare per verbum ſuum, vel ei, qui Spiritum ſanctū
Matt. 11. c. acceperit ex Deo, dicēte Saluatore. Cōfiteor tibi pater, quoniam abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus (ſcilicet huius mundi) & reuelaſti ea paruulis. Non igitur Philoſophi mundi, ſed nos Chriſtiani ſapientes eſſe poſſumus, quia nobis factus eſt Chriſtus Ieſus ſapientia. Et etiam quia magiſtros ſapientiſſimos plenos Spiritus ſancti nobis ꝓbuit ſanctos, ſcilicet Apoſtolos ſuos.

Apoſtoli Domini.

QVæſtio eſt ſcitu digniſſima, quare ſancta mater Eccleſia in feſtiuitatibus Apoſtolorum, quando eos magis honorare debebat, defectus ipſorum refert: ſicut videre eſt in die S. Thomæ, & in die S. Ioannis Euangeliſtæ ante portam latinam & in die S. Iacobi, & in die S. Philippi: atque in die diui Matthæi, in quibus decantantur Euangelia, defectus horum ſanctorum recitantia. Referunt hiſtoriographi in legibus Romanorum ſcriptum eſſe, quòd in die triumphi alicuius, hoc eſt. [*Que en el dia del triumpho fueſſen algunos ſoldados en medio de aquellos applauſos, y loores diziendo baldones al triumphador, y dandole en la cara con las faltas que tenia, porque uiendoſe en tanta alteza aquel que triumphauaua no ſe enſoberneciesſe.*] Sed cum glorioſi apoſtoli (quorum glorioſum triumphum in feſtiuitatibus eorum ſacro ſancta celebrat Eccleſia) tam fœlici, ac ſecuro ſtatu perfruantur, vt nulla ſit ſuſpicio, quòd in eos aliqua ſuperbiæ macula poſſit incidere: idcirco merito admirari poſſumus, quòd in diebus, & feſtiuitatibus eorum ſacroſancta Eccleſia ipſos dedecore, & ignominia afficiat, maxime cum cæleſtis ſponſus huius ſanctæ Eccleſiæ de ea in Canticis dicat. Ecce Cant. I. tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum. Vbi comparat oculos eius cum oculis columbarum. Sicut enim columba oculos figit in granis, quæ magis munda ſunt, vt ipſis, & non alijs immundis ſatietur: ita ſacroſancta Eccleſia bonis exemplis ſanctorum paſcitur & conſolatur. Quare ergo in celebritatibus ſanctorum Apoſtolorum oculos collocat in imperfectionibus ipſorum, & de illorum ambitione, infidelitate, atque cupiditate agit? Ad hoc reſpondetur ipſam diuino ſpiritu afflatam, & gubernatam hoc facere, vt videlicet, apertius oſtendat gloriam

Dei, qui tam vilibus inſtrumentis tam ſublimia opera egit, qualis fuit conuerſio mundi ad ſacroſanctum Euangelium per apoſtolos ipſos de peccatoribus tam magnos ſanctos efficiens. Refert Plinius in ſua vniuerſali hiſtoria, inclitum illum pictorem Apellem nigro,ac deformi carbone figuram quandam hominis tam ad uiuum depinxiſſe, vt per illam imaginē proprius homo cuius erat illa figura facile cognitus fuerit. Et quamuis in alijs figuris, quas elegantiſſime depingebat,magnū nomē, & famā comparauit plus tamen acquiſiuit propter hanc, quam in conſpectu regis Ptolomei depinxit, ſi quidē non penicillo aut perfectis alijs coloribus, ſed rudi carbone iá viuū exemplar repente, ac perfectiſſime effecit. Nam perfectio artificis conſpicitur aperte, dum perfecta opera imperfectis inſtrumentis facit. [*Eſta es una de las prueuas de quien Chriſto Saluador del mundo era, pues con tales inſtrumentos hizo tā alta,y tan marauilloſa obra.*] Idcirco D. Paulus ad Corinthios ſcribēs inquit.Infirma mūdi elegit Deus,vt fortia cōfundat,& cōtēptibilia elegit Deus, & ea,q̄ non ſunt, ut ea,quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius,hoc eſt, vt homines non gloriarentur,ſe tantum,ac tam excellens opus feciſſe, ſiquidem Deus autor illius fuit ipſi uero uelut quædam inſtrumenta, quibus idem Deus tam admirabilem virtutem communicauit,vt fortia queque confunderet. Atque ita Diuus Hieronymus de Sanctis Apoſtolis exponit verba illa Iſaiæ Prophetæ. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali, & nouiſſimo aggrauata eſt via maris trans Iordanē Galileę gentium: populus, qui ambulabat in tenebris,vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Terra ac regio Galileę erat vilis, & contempta, quoniam ex ea nunquam uir inclytus ſcientia, prophetia, uel armis exierat, & ex illa uili & abiecta regione elegit Deus ſacroſanctos Apoſtolos, qui totum terrarum orbem illuminarunt:& ibi maxima prodigia Dominus in toto vitæ ſuæ diſcurſu operatus eſt: ibi primum publicum miraculum in nuptijs Chana fecit,vbi aquam in uinum conuertit,& ideo ait Sanctus Propheta.Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & Nephtali,hoc eſt terra Galileę, quam alleuiauit Dominus dum ab ea dedecus illud,opprobrium,& ignominiam, quam antea habebat, abſtulit, efficiēs, vt ex illa tam Sancti,tam ſapientes, ac tam inclyti viri,quales Apoſtoli extitere runt, exirent. Hic uerò vbi nos legimus, Primo tempore, alia translatio habet; primum bibite, ideſt. Accipite primum guſtum, & ſaporem:nam ibi Dominus prædicare cœpit, & Sancti Apoſtoli cęleſtem eius doctrinam, & admiranda opera deguſtare cęperunt, propter quod omnia relinquentes ipſum ſecuti ſunt. Et nouiſſimo aggrauata eſt: ideſt nouiſſime onerata eſt beneficijs uia maris Galileæ gentium. Et quomodo hoc factum eſt? Populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrę mortis lux orta eſt eis, uidelicet admirabilis ſanctorum Apoſtolorum doctrina. Non ergo attendamus patriam, aut regionem ſiue generationem, vel proauorum genus, quod mundus tantopere obſeruat, ſed uirtutem duntaxat attendamus. Nam vt Deus hanc hominum ſuperbiam confunderet,uiliſſimos homines, ignorantes, atque ex infima regione oriundos elegit, eoſque nobiliſſimos, doctiſſimos, & ſanctiſſimos effecit.

Plin li.35 c.12.

1.Ad Cor. 1.

Iſa.9.

Apoſtoli Domini.

QVando Dominus ſermonem habuit in monte, vbi legem gratiæ promulgauit inquit ſacer Euangeliſta Matthæus, quòd cum ſediſſet, docebat. Matt.5.

docebat. [*En aſſentarſe el Señor para predicar ſe denotá quan de aſſiento, y quan de repoſo ſe ha de predicar, y oyr la palabra de Dios*] Cum aliquis conuiuium opiparum, lautum & ſplendidum, atq; ciborum uarietate plenũ inuitatis proponit ſtatim eis dicere ſolet: Domini ne accelereciſ [*no os mateys que nadie os dá priſſa todo el dia es nueſtro, comedde eſpacio, que el comer no quiere prieſſa.*] Nam prima digeſtio fit in dentibus, & ſi cibus intra dentes bene manditur, melius in ſtomacho calore naturali decoquitur, & poſt quã bene digeſtus eſt ſubtiliter in corporalem ſubſtantiã conuertitur. Quando ad ſermonem conuenitis, ſcitote ueſtrum amicum Ieſum Chriſtum uobis conuiuium pręparare, [*quien os da prieſſa? aſſentaos y deſcuydaos de los negocios de mundo, quo por vna hora mas o menos no ſe han de perder: la primera digeſtion ſe ha de hazer aqui ſi agora entendeys biẽ lo que ſe os predica, y ſe os aſſienta bien en el coraçon facilmente medrara a vueſtra alma:*] Attendite etiam quomodo ſacer Euangeliſta ibi dicat, quod ſedẽte Domino, & concionem incipere uolente, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, tanquã magis cupidi cœleſtem, ac ſacratiſſimã illam doctrinam audiendi, atque ita ex ea maius commodum, & utilitatẽ eduxerunt. De ſponſa in Canticis dictũ fuerat, comæ capitis tui ſicut purpura regis tincta canalibus. Sponſa eſt ſancta Eccleſia Catholica, cuius caput ẽ Chriſtus reparator noſter, capilli uero huius ſacratiſſimi capitis ſunt ſacri Apoſtoli, qui ad hoc diuinum caput magis propinqui fuerunt, ideſt [*fueron los mas llegados à eſta diuina cabeça.*] Et ſicut capilli non habent aliam uirtutẽ, niſi eã, quam à capite recipiũt, & dum illi adhærent creſcũt, aliter uero minime. Sic ſancti Apoſtoli in uirtute creuerũt per fauorem Ieſu Chriſti ſummi boni. Hi autem capilli ſunt ſicut purpura regis tincta canalibus.

Simile.

[*La grana fina ſe haze deſta manera primero, ſe texe el paño blanco, & ſin color, pero deſpues ſe tiñe en calderas de tinta fina colorada heruiendo, y de paño blanco queda de tal manera tenida, que por mucho que le de el agua no deſdize ni pierde el color. Aſſi los ſagrados Apoſtoles eran como paño ſin color, ſin ſabiduria, ſin virtud, ſin luſtre, y ſin valor y pueſtos en el golfo de la canal de la boca del Señor recibieron tan efficazmente la grana de la charidad. y ſabiduria diuina, que por muchas aguas de tribulaciones, que ſobreuinieron en ellos, no perdieron el color fino de la charidad.*] Itaque de illis bene dici potuit. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, ut D. Pau. ad Romanos ſcribens teſtatur, dicens. Certus ſum, quòd nec mors, nec vita, nec creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu. [*Ea almas, que andays tan ſin color, y tan ſin luſtre llegaos acá, que aqui tenemos la tinta de grana de aquellas canales precioſas, que es la doctrina Euangelica, teñios con ella y cobrareys color, que no ſe os caya, ſino fuere por vueſtra culpa.*

Ad Ro. 8.

Apoſtoli Domini.

LOquens Propheta Michæas de legis gratiæ tempore, inquit. Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat uirum, & non præſtolatur filios hominum, hoc eſt: poſtquam ille dux de quo paulo antea dixerat, qui naſciturus erat in Bethlehẽ, cæperit munus ſuum exercere, reliquiæ Iacob, ideſt Apoſtoli, & illi, qui ſecundum electionem ſalui ſunt fururi inter gentes, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum. Simili metaphora uſus eſt Oſeas de Chriſto Saluatore noſtro loquens. Ero quaſi ros Iſrael. Deſcendit enim diuinus Redemptor ueluti ros, ſicut in Pſalmo dictum eſt iuxta Hebraicam literam, Ex utero auror ę tibi ros natiui-

Mic. 5.c. *Oſeæ 14.* *Pſal. 109.*

tatis ſuæ. Fuit enim ros quia in ſecredentibus, ac in bono perſeuerantibus uitorem, atque uigorem contulit, & ſicut pleraque alia quæ de Chriſto domino dicuntur, per accommodationem quandam tribuuntur Apoſtolis, ueluti ꝙ ſint lux mundi, fundamenta eccleſiæ, mediatores, & aduocati, ut docet Euthimius in Pſalmum primum.
Mat. 5. Sic etiam erunt ut ros Domini, Quaſi
1. ad Co. 5. dicat. Illi florentiſſime fæcundabunt
Ad Phi. 2 hominum corda eo modo, quo ros à
1. ad Ti. 2 cælo defluens, & ſtillæ cadentes ſuper
1. Ioan. 2. prata ſine opere alicuius, prata ipſa fæcũdãt, atq; miris modis florere faciũt. Itaque reliquiæ Iacob, id eſt Apoſtoli ſua doctrina, quam non ab hominibus acciperent, corda hominum fæcundabunt; & quemadmodum ros non hominum induſtria cadit, ſed è cælo à Deo ipſo decidit, ſic illi non in perſuaſione uerborum humanæ ſapientiæ agros cordis fæcundabunt, ſed in uirtute Dei.
Non enim, (ut inquit B. Petrus) uolun-
2. Pet. c. 1. tate humana allata eſt prophetia, ſed
Act. 1. ſpiritu Dei dictante locuti ſunt ſancti Dei homines, non præſtolabuntur, ut ab hominibus erudiantur, ſed qui idiotæ, & inſipientes erant induentur uirtute ex alto. Et erunt (addit Sanctus Propheta) reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorũ, quaſi leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum tranſierit, & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat, hoc eſt. Et erunt Apoſtoli fortiſſimi, & nullo metu deterreri poterunt, quin munus ſuum adimpleãt prædicandi, erunt ueluti leones inter greges pecudum; quo efficietur, ut multum creſcat, & fęcundetur credentium numerus. Fuerunt iſta duo euangelicis concionatoribus maxime neceſſaria, tum quod non qualemcunque doctrinam, ſed cæleſtem aununciarent, tum quod illam non aliunde, quam ueluti rorem de cælo deſuper acciperent, ut intrepidi, & ſine timore aliquo eſſent, ut nullis arceri poſſent minis à prædicatione Euangelii, ſicut ſanctum fuiſſe legimus. Et ad hoc docendũ his duob. ſimilitudinibus eleganter Ss Propheta utitur. Non deſunt tamen, qui per has duas ſimilitudines, & lenitatem ſimul, & ſeueritatem Euangelicæ doctrinę & prædicatorum eius intelligere uoluerint, qui fuerunt ualde lenes. & ſuaues in docendo, & exhortando, & ualde ſeueri in reprehendendo.

Apoſtolorum prædicatio.

VBi nos legimus: In omnẽ terram *Pſal. 18.*
exiuit ſonus eorũ: Pro ſono eſt in Hebræo, hau, quapropter poteſt uerti ex Hebræo: In omnẽ terrã exiuit regula eorũ, uel norma, uel directoriũ, uel perpendiculũ, uel ædificatio, uel architectonia eorũ. Omnia. n. hæc, quæ hoc nomen ſignificat, Apoſtolorum prędicationi optime accommodantur, & ex beato Paulo in Epiſtola ad Romanos nos conſtat, eſſe locum illum de apoſtolorum prædicatione intelligẽdum.
Nitatur Chriſtianus concionator, qui *Ad Ro. 10.*
Chriſti apoſtolos imitari deſiderat, ut ſit eius concio, regula, uitæque Chriſtianæ perpendiculum, atque ædificandi ars, & ſtructura. Tunc enim concionator ædificabit, cum eius uita uerbis reſponderit: & ut regula ut rem dirigat recta eſſe debet, ſic concionator, qui alios ad uirtutem hortatur, ſumma ope niti debet, ut ſit uirtutis rectitudine conſpicuus. Poſtquam Dauid poſtu *Pſal. 40.*
lauit dicens: ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me, & poſtea, ſpiritu principali (ſiue ut Beatus Hieronymus uertit) potenti confirma me: poſtquam hunc triplicem petit ſpiritum, ſtatim ſubdidit. Docebo iniquos uias tuas. Quo petitionis modo oſtendit maximum fauorem Spiritus ſancti eſſe neceſſarium ad hoc, quod concionator, ut decet, prædicet.
Vide littera R. titulo, renunciatio.

Apo-

Apoſtolorum vocatio.

Mat. 4. Mar. 1. B. Chryſo. hom. 7. ope. impe. Act. 4.

VEnite poſt me, faciam uos fieri piſcatores hominũ. Prius quam aliquid dicat, aut faciat Dominus Ieſus, uocat apoſtolos (inquit B. Chryſoſtomus) vt nihil eos lateat uerborum eius, neque operum, ut poſt modum fiducialiter dicere poſſint: Non poſſumus quæ uidimus, & audiuimus non loqui. Cum his piſcatoribus piſcatus eſt omnipotens Deus multa millia hominum, quamuis impius dæmon multo plures piſcatur, & cauſa eſt, quia eius eſca dulcior eſt humano appetitui, & gratior deprauatæ hominum voluntati. Eſca diaboli eſt falſa voluptas, opũ abundantia, inanis mundi gloria, diuitiæ, magiſtratus, potentia, uanitas, dominandi cupiditates. His eſcis decepti piſces non ſentiunt hamũ niſi poſtquã ſunt diabolo traditi in eius vincula miſeri coniecti. Grauiſſimus ille Plato, quẽ ſapientiſſimum philoſophorũ Homerus uocabat, eſcam malorum appellat uoluptatẽ, eo quod ea homines capiantur ueluti hamo piſces. Et Architas ille Tarentinus aſſerebat (ut refert Tullius in libro ſenectutis) libidine dominante temperantiæ nullum omnino locum, neq; etiam in uoluptatis regno uirtutem poſſe conſiſtere. At Chriſtus Dominus cæleſtis piſcator, qui uult animas noſtras in beatitudinem traducere, ad cæleſtem immortalitatem obtinendam piſcatur aſpera eſca, & corrupto appetitui inſuaui, nimirũ ieiunio, precum crebritate, uigiliis, aſperis laboribus mundi deſpicientia, paupertate ſpiritus, & aliis id genus. Porrò diabolus in iactu retis hoc utitur artificio, ut quærat aquæ uenam, qua unuſquiſque currit. Non enim omnes eodẽ modo aggreditur: hunc diuitiis tentat, illum uoluptatibus: hunc ſuperbia, illum inuidia, prout conſpicit uniuſcuiuſque propenſionem, & affectum. Os retis latiſſimum eſt, & introitus apertiſſimus, ſed exitus difficilis. Et quemadmodum piſcator, cum ingentem aliquem piſcem capit, non ſtatim uiolenter eum conſtringit, ſed extendit filũ piſcatorium, donec piſcis deuoret penitus hamum, ne ſi confeſtim nimis coherceat, ſcindatur filũ, & ſeta & ita piſcis aufugiat: ſic diabolus cum peccatorem hamo ſuo deuinctum tenet, mortifero ſcelere conſtrictum, & illecebris uoluptatum colligatum, non illum ſtatim opprimit, & exaſperat, ne vehementer à dæmone irritatus, & concitatus uincula abrumpat, & euadat. Mulcet ergo illum, & permittit in aliquas uirtutum actiones incumbere, ut paulatim hamo flagitiis irretitus, ipſe ſibimet exitium pariat. Extendit itaque dæmon ſetam ſeu filum piſcatorium, non ut peccatorem dimittat, ſed ut ſecurius teneat. Herodi, hamo ſuo comprehenſo permittebat, vt Ioannem Baptiſtam audiret, eiuſque conſilio nonnulla facta adiuſtitiæ normam dirigeret, donec illum penitus horribilibus maleficiis occiſum in ſempiternum inferni barathrum dimiſit. Cæterum præſules, & concionatores, & omnes denique piſcatores ſalutis animarum cum aliquem extraxerint, & piſcati fuerint de mundi flagitiis, non debent illum ilico conſtringere, ut uno die eum perfectũ euadere cogant, abſcindet enim filum & aufugiet tam ſubita territus difficultate: ſed arundinem mediocriter extendentes & filum prudenter interdum laxantes apprehendere debẽt animas eſca propoſita diuini amoris. Elegit Ieſus duodecim, quos Apoſtolos nominauit: inquit Beatus Lucas. Fuerunt autem duodecim Apoſtoli in duodecim pueris Dauidis adumbrati, qui fortiter occubuerunt in prælio, ſed Dauid uictoriam reportauit. Nam etſi duodecim Apoſtoli mortui ſunt aduerſus mundi dolos pro Chriſti ueritate certantes, uicit tamen Chriſtus Apoſtolorum Dominus, & per ipſos de mundo glorioſe triumphauit. Vt in mundo naturali per duodecim ſigna Zodiaci Sol conficit curſum ſuum admirabili

Simile. — Mar. 6. — Luc. 6. — 2. Reg. 2.

Simile. ordine & celeritate: ſic in mundo ſpirituali Chriſtus Ieſus verus Sol iuſtitiæ per duodecim Apoſtolos deducitur, qui eius fidem prædicauerunt, & ſanctum nomen eius per cunctas nationes celebrarunt: & per eos ipſe aſperrimā dæmonis tyrannidem euertit: & expulſis tenebris ingenti ſplendore mundū illuſtrauit. Eſt autem Zodiacus circulus in ſphæra cæleſtis duodecim continēs ſigna, dictus à nomine græco Zoi, quod ſignificat uitam, & ſubſtantiam: quoniam à vero Sole iuſtitiæ vitam habemus, & per illum ſubſiſtimus, & (vt ait Diuus Paulus in Actis Apoſtolorū) in ipſo, nimirum Deo, viuimus, mouemur, & ſumus. Vt dies artificialis fuit in duodecim horas diſtributus: ſic oportebat, vt dies gratiæ, & tempus lucis Euangelicæ duodecim haberet Apoſtolos, qui cæleſtis luminis claritatē per omnes orbis regiones propagarēt, & falſorum deorum cultum delerent. Et ne mundus Apoſtolorum uictoriam humanis uiribus tribueret, eos elegit Deus, qui eſſent in mundo pauperes, inſipientes, & abiecti. Hoc quidem eſt quod ait B. Paulus, Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quę non ſunt, ut ea, quæ ſunt deſtrueret. Accedit ad hoc, quod ea, ad quæ mittebantur Apoſtoli, cæleſtia erant, non terrena: quam ob cauſam oportebat, miſſos ad illa, ad cælum aſpirare, & non ad terram. Cū autem pauperes ſpiritu in cælum libentius, & frequentius mentis oculos coniiciant, quam ii, qui ad mundi diuitias auiditate incenſi rapiūtur, aperte oſtenditur, fuiſſe paupes cōuenięter miſſos ad euāpdicādū, nō aūt eos, q̄ diuitiis affluebāt.

Act. 17. Simile.

Miſit Chriſtus Ieſus uerus mūdi Redemptor Apoſtolos ſuos quaſi ignis ſcintillas ſuas: vt ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur, ſic in eorum miraculis, & uirtutibus, & ſapientia, & ignitis verbis diuina prouidentia agnoſceretur. De quolibet iuſto inquit Pſalmographus: Diſponit ſermones ſuos in iudicio: quod uerti poteſt: Diſponit uerba ſua in menſura, vel perpendit verba ſua ad normam. Vel menſurat verba ſua iuxta legem. Vel metitur impenſas ſuas in menſura. Si ergo quilibet iuſtus ita ſerm. ſuos diſponit, quid facerēt illi iuſti diuina gratia repleti, q ſpiritū ſanctū in linguarum figuram receperunt?

Simile. Pſal. 111.

ASCENSIO DOMINI.

Cāt. vlt. c. IN hoc ſacratiſſimo die uehemētia ſponſæ adimpleta ſunt deſideria in ult. Canticorum verbis ſignificata, ubi ipſa chariſſimum ſuum ſponſum alloquitur in hunc modū. Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloq; ceruorū ſuper montes aromatū. Quid eſt hoc ò ſponſa ſancta? Ita dulciſſimū à te expellis ſponſum, hæ ſunt anxietates, & ſolicitudines, quibus dicebas: Oſculetur me oſculo oris ſui? Hæc ſunt ſuſpiria, quæ ab imo pectore trahebas dicēs. Veniat dilectus meus in hortū ſuū, & colligat fructus pomorū ſuorum? Hæ ſunt curæ, quibus nocte palliū amittēs eū quærebas, & à cuſtodibus ciuitatis interrogaſti, Nū quē diligit aīa mea uidiſtis? Quare ergo nunc tanto feruore, & deſiderio ei dicis: Fuge dilecte mi? Tā cito te tā ſuauis ſpōſus ſatiauit? Nūquid ignoras ipſum de ſe dicere Qui edunt me adhuc eſurient? Ad hoc reſpōdetur, q cū ſponſa ardenti deſiderio poſtulat. Oſculetur me oſculo oris ſui, & ueniat dilectus meus in hortū ſuū, incarnationē verbi æterni deſiderādo petit: qn̄ autē ipſum in mundo iā uidit, poſt quam terrarū orbem cæleſti ſua prædicatione, ac miraculis coluerat, ſciens ipſa ſponſa confirmationem ac firmitatem ſanctiſſimæ fidei noſtræ conſiſtere in Spiritus ſancti Aduentu (qui non poterat eſſe, niſi prius Ieſus Chriſtus

Ioan. 16. Reparator noſter in cælum aſcenderet, ipſe enim dixit: Si enim non abiero, paraclitus non ueniet ad uos: ſi autem abiero mittam eum ad uos) idcirco ſponſa maxima cum ſolicitudine, & anxietate ab ſponſo expoſcit. Fuge dilecte mi. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Aduentus tuus ô ſponſe dilectiſſime è cælo in terram mihi gratiſſimus fuit, & humano generi ſummum bonum: redditus autem à terra in cælum non minus utilis, ac fructuoſus erit: ideo fuge dilecte ſuper montes aromatum. Vnigenitus filius Dei ingrediens mundum in ſingulare certamen cum dæmone, morte, inferno, ac culpa inimicis fortiſſimis, ac potentiſſimis deſcendit, quos omnes ſuperauit, de illiſque illuſtriſſime triumphauit, & in primis de Diabolo, ut optime Diuus
Ad Coloſſ. 2. c. Paulus ſignificat dicens. Spolians principatus & poteſtates traduxit confidēter palam triumphans illos in ſemetipſō. Non ſunt inferioris ordinis Angelorum principatus, & poteſtates, & uirtutes, ſed omnes illos euacuauit & traduxit, id eſt, mire confudit, & exemplum fecit eſſe confuſionis, cum principes malignos tenebrarum præda, quam tanto tempore occupauerunt, ſpoliauit. Eorum potencia ſupra omnium rerum uirtutem, & poteſtatem erat, adeo quòd Michaeli Archangelo unus eorum uim ſtudebat inferre ſuper reuelando corpore Moyſi, ſicut nobis tra-
B. Iudæ. 1. c. dit B. Iudas Apoſtolus. In quo conflictu Michael Archangelus non eſt auſus inferre iudicium blaſphemiæ, id eſt, non blaſphemauit eum quaſi peſſimam creaturam. ſed modeſte compeſcuit ſuperbiam illius per diuinum imperium inuocatum. Imperet, inquit tibi Deus. Quare Michael diuinum imperium, & auxilium aduerſus Diabolū diſputans implorat? Quia certè non ualet in puris naturalibus ei ullo modo reſiſtere, ſed nomine, & uirtute ipſius Dei illum, & omnes Angelos ſuos de cælo eiecit: cuius auxiliū B. Michael nunc inuocat pro hac uictoria in mōte Sina ſuper corpus Moyſi cum ipſe Satanas corpus Moyſi prodere uolebat, ut filii Iſrael ſuper illo idolo latrarent. Dei namq; proprium eſt Dæmonibus imperare, nec ullo modo poſſunt ei reſiſtere, ſicut B. Michael dicit: Imperet tibi Deus. Per huiuſmodi ergo imperium, & coarctationem Dæmoniorum uirtus diuina Ieſu Chriſti Redēptoris noſtri declarata fuit, & irrefragabiliter demōſtrata, ſiquidem nec Michael poteſt illud facere propria ac naturali uirtute, & potentia, ſed inquit. Imperet tibi Deus. Spoliauit igitur Dominus Ieſus principatus, & poteſtates, quia verus Deus eſt. Hic Sanctus Apoſtolus (vt
Theophil. ait Theophilactus, & omnes Græci interpretes) ad vſum triumphorum Romanorum alludit: in quibus ſolebāt victores eos, quos ſuperabant ligatis manibus dedecoris maioris, & opprobrij cauſa in curribus coram omnium oculis conſpiciendos aſportare: ſic ſupernus Dux Ieſus Chriſtus traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemetipſo, hoc eſt; publice illos rubore
D. Ambr. ſuper hūc locum. affecit, & confudit. Hoc, litera quam B. Ambroſius tranſtulit, confirmat, ait. n. Principatus, & poteſtates oſtentauit publice, eduxit Principes inferni, tanquā
B. Aug. li. de agone Chriſtiano. c. 2. ligatos manibus. Hoc etiam, litera B. Auguſtini teſtatur, qui ſic trāsfert. Principatus, & poteſtates ſpoliauit, hoc eſt, poſuit pro exemplo victoriæ ſuæ principatus infernorum, quod mire adumbratum fuit apud Danielem, ubi Babylonici quendam draconem, in quo diabolus loquebatur, adorare dicuntur.
Dan. 14. Tulit autem Daniel picem, & adipem, & pilos, & aggregauit pariter, fecitque maſſam, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco. Magnum myſterium (inquit B. Gregorius) hoc ſignificauit, nam buccella, quæ Draconi ſuſtētationem, & uitam allatura erat mortem attulit. Quod quidem proprie typus fuit uictoriæ Ieſu Chriſti Saluatoris mundi contra diabolum. Sanctus Daniel

buccella quadã, pice, & adipe confecta
Draconem illum materialẽ uita priua-
uit, at Chriſtus Dominus ſe ipſo (buc-
cella uidelicet in qua pix denigratę hu
manitatis, & flagellatæ, atque in crucẽ
poſitæ, & adeps pinguiſſima, ac fertiliſ
ſima diuinitatis coniuncta ſunt) anti-
quum ſerpentem Satanam crepitare, &
uiſcerarum perfecit. Hæc expoſitio eſt
B. Gregor. Emiſſenus B. Gregorij Emiſſeni. Secundus trium-
phus Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri
fuit, q̃n de morte triũphauit, atque ita
Oſeæ. 13. adimpletũ eſt id, quod Propheta Oſeas
nomine eius multo ante p̃dixerat his
uerbis. Ero o mors tua ò mors. Vitã, quã
antea mors habebat, uidelicet amarã,
ipſammet dulciſſimus Ieſus morte ſua
Ad Heb. 2. c. abſtulit: & ideo B. Paulus inquit. Vt gra
tia Dei pro omnibus guſtaret mortem;
hoc eſt. Non ſolũ diuinus Redemptor
moriendo pro nobis guſtauit (tãtus n.
fuit amor quo mortẽ ſubiuit ut pro no
bis mori guſtauerit) uerum ẽt guſtauit
mortẽ hoc eſt, ipſam dulcẽ, & ſapidã,
atq; delectabilem effecit, ab eaq́; ama-
ritudinẽ, quam antea habebat, abſtulit.
Vnde in cruce explicatum fuit ænigma
illud, quod conuiuis Sanſon propoſuit
cum poſt occiſum leonem fauum mel
lis in illo reperiſſet, propoſuit tale pro
Iudicũ. 14. blema. De comedente exiuit cibus, &
de forti egreſſa eſt dulcedo, hoc eſt, de
leone, qui cætera deuorare ſolebat, ſua
uiſſimus, ac nimis dulcis cibus egreſſus
eſt. Mors, crux, flagella, ſpinæ, ueluti di
ri leones homines deterrere ſolebant,
ac deuorare: poſtquam autẽ uerus ille
Sanſon crucem, & mortem ſubijt non
ſolum leonem hunc interemit, uerum
dulciſſimum cibum pro electis fecit.
Crux enim ac mors, quæ alios deuora-
re, ac interficere ſolebãt, iam ueluti, ſi
quis fauum mellis comedat ſummo cũ
gaudio à multis amplectuntur, quod in
martyribus ac puellis uidimus: B. enim
Andræas uidens crucem in qua crucifi
gendus erat, dulciſſima cum illa uerba
habebat, atq; dicebat. O bona crux diu
deſiderata, & iam concupiſcẽti animo
præparata: Securus & gaudẽs uenio ad
te, ut tu gaudens ſuſcipias me diſcipu-
lum eius, qui pependit in te magiſter
meus Chriſtus. Multæ ẽt ſacratę puel-
læ cum ſententiam mortis à tyranno la
tam audiſſent, dicebat unaquælibet. O
infœlix tyranne has epulas ego ſemper
optaui, & uotis omnibus exquiſiui: ac
multi martyres tanquam ad conuiuiũ
læti properabant ad ſupplicium. Igitur
iã ſcimus quidnã eſt [*que coſa y coſa es*]
de comedẽte exiuit cibus, & de forti
egreſſa eſt dulcedo: quoniã mors quæ
alios comedebat, cibus dulciſſimus
multorũ eſt. Poſtquã. n. mortẽ momor-
dit Chriſtus Dñs, & adimpleuit uatici
niũ hoc, Ero mors tua ò mors. Neſcio,
quid dulcedinis illi impreſſit ut dulcis
iuſtis ſit? Hunc triumphũ B. Grego. pul
chrè & acute declarauit, quadã fabula *B. Gregor. Emiſſe. homil. 8.*
poetica dicens. Fabula, etſi uim ucrita- *Simile.*
tis nõ habet rõnem tñ habet unde ueri
tas manifeſtari poſſit. Fingunt Poetę in
ter Herculẽ & Antheũ fuiſſe quondam
acerrimã luctã: cũ aũt Antheus terræ fi
lius eſſet, quotieſcunq; ab Hercule ia-
ctatus in terrã deprimebatur, & ipſam
tãgebat, uires ex illo tactu augebat, at-
que ita ſe cadere conſentiebat, ſi qui-
dẽ nouas uires ex matre ſua uidelicet
terra recuperabat, & ſic hoſtem uirili-
ter uincebat & caſus eius erat trium-
phi occaſio. Hoc (inquit ſanctus ille
Doctor) fabula eſt: ſed quis non uidet
quam aperte cũ illa inſignẽ triũphum,
quẽ Ieſus Chriſtus Saluator noſter de
morte habuit, explicamus? Luctatus eſt
in cruce cũ morte, & permiſit ſe uinci,
ut uinceret; uoluit mori, ut inimicus
eius moreretur, ac deniq; in hac lucta
cæleſtis reparator cadere uoluit, ut ſic
humanum genus erigeret. Quod S. Da
uid his uerbis ait. De torrente in uia bi *Pſal. 109.*
bit, propterea exaltauit caput, hoc eſt,
bibet de torrente mortis, tormentorũ,
& crucis: propter quod exaltauit caput
generis humani, uidelicet, Adami pri-
mi parentis, atq; eius poſteritatis. Triũ
phauit ẽt ſupernus hic Dñs de peccato *Rom. 8. c.*
ut

us oſtendit dicens. Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati,& de peccato damnauit peccatum in carne. O admirabile Dei artificium ſolent medici ex ueneno uiperæ ſalutare medicamen cōtra uenenoſum ipſius uiperæ morſum conficere ſic diuinus Dominus ueneno mortifero, & diro toxico peccati, hoc eſt, pœnis & afflictionibus, quæ à peccato emanarunt ipſum peccatũ interfecit. His tandẽ omnibus uictoriis habitis (ait Euãgeliſta Marcus aſſumptus eſt in cœlũ,& ſedet à dextris Dei. Atq; ita adimpletũ eſt, id quod regius Pſaltes diuino ſpiritu afflatus cecinit inquiens. Dixit dominus dño meo: ſede à dextris meis. B. Auguſt. inquit, ſupernum Redemptorẽ noſtrum ad dexterã patris ſedere, ſignificare ipſum poteſtatẽ iudiciariã ad iudicandum accepiſſe, ſiquidem in mundum uenerat, ut iudicaretur. Alii autem per dexteram, regnum intelligũt,& per ſedere ad dexteram, poſſeſſionem regni. Alii per dexteram uolunt ſignificari maiora bona; ſedere uero in illa, dicunt eſſe, illis bonis frui. Sed eſt notandum ualde Chriſtum Redemptorem noſtrum filiũ Dei in primo huius Pſalmi uerſiculo ad dexterã patris ſedere dici: in ſexto autẽ loquẽs S. Propheta cum filio inquit, Dominus à dextris tuis cõfregit in die iræ ſuę reges: ubi manifeſte apparet, patrem ad dexteram filii dici ſedere. B. Auguſt.& B. Hieronymus interrogant, & inquirunt, quæ nam ſit hæc dexteræ mutatio? Nam in primo uerſiculo filius ad dexteram patris ſedere dicitur, in ſexto uero pater ad dexterã filii. Quis ergo hoc myſterium intelligere nõ deſiderabit? Vt enim B. Athanaſius ait, inter diuinas perſonas nec dextera eſt, nec ſiniſtra, ſiquidem unus, idemq; ſpiritus ſunt. Diuus Hieronymus in huius loci commentariis eleganter affirmat, quòd cum Sanctus Dauid filium in tã honorifico loco ſicut patrem collocat æqualitatem, quæ inter utrumque eſt, ſignificat. Sed Chriſtianus homo ſic obiiciet. Tota hæc feſtiuitas noſtri cœleſtis magiſtri Ieſu Chriſti eſt, ſiquidem hodie tam glorioſo triũpho, ut ad dexteram patris ſedeat in cœlum aſcendit, nos uero in miſerrima tãtarum miſeriarum & contradictionum ualle manemus, quid ergo nobis admirabilis eius aſcenſio prodeſt? Multum quidem profecto nobis conducit talem procuratorem,& aduocatum in cœlis habere: Sicut B Ioannes nos docet inquiẽs. Filioli mei hæc ſcribo uobis, ut nõ peccetis: ſed & ſi quis peccauerit aduocatum habemus apud patrẽ, Ieſum Chriſtum,& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. O admirabilem procuratorem qui nos æterno patri ſuo reconciliat. Et quomodo reconciliat? B. Gregorius Nazianzenus reſpondet dicens, ipſum nos patri ſuo reconciliare, dum ante oculos eius uulnera, quæ pro peccatoribus paſſus eſt proponit. De quodam Duce Romano narrat Plutarchus, quòd cum in ſenatu cuiuſdam criminis accuſaretur, ipſe coram omnibus apparuit, & ſcindens ueſtimẽta ſua, cicatrices uulnerum, quæ in corpore ſuo pro defenſione populi Romani uiriliter acceperat, oſtendit dicens. O Romani nonne hæc uulnera pro defenſione ueſtra in pectore meo accepta præmiũ merentur? Quod quidem ſpectaculum tantæ fuit efficaciæ, ut non ſolum eum uita donarint, uerum etiam labores eius maximis præmiis abundantiſſime effecerint, & condecorauerint. Sic inuictus Dux Ieſus Chriſtus, Redemptor noſter (ut terrenis exemplis cœleſtia explicemus) coram oculis patris ſui uulnera manuum, pedum, ac lateris offert ac ſi tanto ſpectaculo diceret. O æterne pater uulnera hæc in carne mea pro gloria tua, & pro uenia peccatorum ſuſcepi: idcirco eis Domine ignoſce. Quid obſecro, talibus uulneribus, talibus meritis, ac tali ſanguini tanto amore diffuſo denegari poteſt? Videtur Dominus

Simile. *Mar. vlt.* *B. Aug. de Symbol. ad Cathec. c. 7* *B. Athan. q. 78. ad Antiocum* *Io. 1. canonica. c. 2.* *Greg Nazianzenus.* *Plut. in vita Marci Marcelli.* *Simile.*

in hoc naturæ curam fuiſſe imitatus, quæ prouidit, ut iuxta calidiorem & ardentiorem corporis humani partem, uidelicet cor, fuiſſet pulmo qui illud refrigeraret, & ueluti flabello aeris uehementiam caloris eius temperaret, ne igne illo conſumeretur. Sic neſcio quã huius rei ſimilitudinem in ſacratiſſimo noſtri magni Dei pectore contemplor. Nunquid innumerabilia hominũ peccata pectus immenſi Dei ardenti iræ rogo quotidie non inflammant? Ipſe per Prophetam Moyſem ait. Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni nouiſſima. Incenſus ſcilicet ex peccatis hominum. Si igitur uerum eſt, quod Eccleſiaſticus affirmat; ſecũdum ligna ſyluarum ſic ignis exardeſcit, qualis, obſecro, erit diuini pectoris ignis, ſiquidem tot tantaque ſunt humani generis peccata? Ergo ſiquidem ſupernus aduocatus Ieſus Chriſtus ad dexteram patris cum ſuis uulneribus, & cicatricibus aſſiſtens, magnitudinem huius ignis diuinæ indignationis temperat. & refrigerat ſicut pulmo cor humani corporis refrigerat, (ita ut ſi hic ſupernus Dominus nõ eſſet, iam ira patris æterni mille mundi comburerentur) cum, inquam, hæc ita ſint fratres mei iam ex illis poteſtis colligere ingens commodum, & utilitatem, quæ nobis triumphalis Ieſu Chriſti filii Dei in cœlum attulit aſcenſio.

Deut. 32.

Eccl. 28.

Aſcenſio Domini.

TAnta cũ gloriæ magnitudine hodie ſupernus Redemptor in cœlos aſcendit, vt admirati Angeli (ſicut vaticinatus eſt Iſaias Propheta) interrogarent. Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Mentionem fecerunt Angeli de Edom terra Idumæorum, quam filij Eſau incolebant, & de Boſra, quę erat præcipua Moabitarum urbs, quoniam hi duo populi erant ual de inimici populo Hebræorũ & cum eis crudeliſſima bella gerebãt, atque ita hic nomina propria pro appellatiuis ponuntur, ut ſit ſenſus, Quis eſt iſte, qui ex terra inimicorum uenit ſanguineo colore perfuſus adeò formoſus in ſtola ſua? Hæc Angelorum interrogatio nõ ex ignorantia facti proceſſit: optime enim intellexerunt ipſi incarnationis altiſſima myſteria, & ipſum uerbum humanatum in Bethlehẽ præſepio adorauerunt, vt Diuus Paulus teſtatur, dicens. Patrem æternum id eis imperaſſe. Et adorent (inquit) eũ omnes Angeli Dei: ſed interrogatio hæc fuit ex admiratione. Et quamuis Beatus Chryſoſtomus dicat, quòd prædicante Apoſtolo Paulo, & Beato Ioãne Euangeliſta Angeli didicerunt myſteria incarnationis verbi Diuini, idq; Doctores aliqui affirmẽt ex illa D. Pauli auctoritate: ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per eccleſiam multiformis ſapientia Dei, quã fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro: nihilominus tamen ad hoc reſpõdetur, Diuum Paulum ibi de dæmonibus loqui, qui ſunt Principes, & poteſtates tenebrarum harum, & ſunt in aere, qui dicitur cęlum, ut uolucres cęli, & hi principatus, & poteſtates intellexerunt uerbi diuini incarnati myſteria multa per ſancti Euãgelij prædicationem quæ ſine dubio antea ignorabant. Hac glorioſa Aſcenſione uoluit Dominus corda noſtra & uincere, & captiuare, ut in nobis myſtice id adimpleretur quod ad aliud propoſitum S. Iſaias, dixit. Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in maxillis tuis, & reducam te in uia, per quam ueniſti. Naſus animæ eſt intellectus: ſicut enim narium olfactu id, quod aliquis inueſtigat, & indagat, percipit: ita diſcurſu intellectus Deum quęrimus, & inueſtigamus. Hic autem naſus circulo quodam circundari debet, ut mens ipſa Domino Deo ſuo captiua ſit. O circulum admirabile.

Iſa. 63.

Ad Heb. 2

B. Chry. in prol. ſuper Ioan.

D. Paul. ad Epheſ. 3. c.

Iſa. 37.

rabile. Ex iui à patre, & ueni in mundũ: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. In hoc ergo circulo, id eſt in hac ſacratiſſima uita Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, & in myſterijs, quæ in ea operatus eſt, ligatus, occupatus, ac circundatus debet eſſe intellectus ſerui Dei. Os autem uoluntas eſt nam ſicut os omnes guſtus ciborum recipit: ſic uoluntas omnes dulcedines, & ſapores ſpiritualium ciborum in ſe recipit. Et in hoc ore debet eſſe charitatis frænum. O quot in hac uita uitia effrenati inſectantur propter defectum huius diuini fræni? Aſcendit ergo rex gloriæ in cœlum, ut ſecum corda noſtra, uoluntates, atque intellectus aſportaret, ut intellectus noſtri i nulla alia re præterquam in eius glorioſa uita cogitarent, & uoluntates noſtræ nihil aliud, quàm illum diligerent, atque id, quod ad hanc nos adiuuat dilectionem. Aquila uehementer cupit, ut pulli ſui e nido exeant, ipſamq; ſequantur, atq; ita cum eos aptos ad uolandum cóſpicit, & ab ipſo nido poſſe iam exire, plurimos modos, & inuentiones quærit, quibus eos ad uolatum prouocet, & in primis coram ipſis alas expãdit, & uolitare incipit: Quod ſi hoc non ſufficere cernit, eos roſtro, & unguibus percutit, & ſi hoc adhuc non ſufficit eis cibũ abſtrahit, ut ita fame oppreſſi ſuſtentationem uolando quærant; quam rem, ut opere compleant ab eis diſcedit, & abſens fit. Aquila admirabilis eſt Ieſus Chriſtus reparator noſter, de quo in Deuteronomio, dicitur. Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos, & ſuper eos uolitans expãdit alas ſuas. Videns itaque Ieſus Chriſtus ſuos ſacros diſcipulos, tanquam teneros pullos nimis deditos, & amicos nido huius mundi, atq; ad res terrenas, & corporales ualde propenſos, ut corda eorum ab hoc terreſtri amore euelleret, & per uirtutes uolitarent, cœpit ipſe coram oculis eorum aduolare. Apparitiones illæ, quas Dominus poſt glorioſam reſurrectionem ſuam fecit (de quib. dicitur per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, & non de regno mundi) erant ueluti uolatus, quos coram ipſis faciebat, ut ſic corda eorum in cœlum erigeret. Vidẽs autẽ hoc non ſufficere, illos roſtro hoc eſt, ore percuſſit: dicitur enim apud D. Marcum. Increpauit incredulitatẽ eorum, & duritiam cordis. Quia uero nec hoc ſatis fuit, ipſi namque interrogarunt eum: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? ubi oſtenditur cura, & ſolicitudo quam de recuperando temporali regno habebant: idcirco eis cibum abſtulit, atque ab ipſis diſceſſit. Erant illi Apoſtolici uiri diuina illius ſuauiſſimæ humanitatis præſentia eleuati, et abſorpti, et hac cõſolatione humana eos Dominus priuauit, dum ab ipſis diſceſſit, atq; ita ſacer textus inquit. Videntibus illis eleuatus eſt, et corda illorum eum inſequebantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Cum autem Chriſtus Saluator noſter theſaurus eſſet illorum: aſcendente in cælum theſauro illo, aſcenderunt et ſimul cum eo diſcipulorum corda. Ad hoc etiam nos omnes ſacratiſſima Domini Aſcenſio mouet, et inuitat. Itaque ſi quales eſſe debemus, ſumus, affectiones noſtræ, corda ac deſideria non in terris, ſed in cælo erunt ſuumq; ibi domiciliũ habebunt.

Simile. — *De ute. 32* — *Act. 1. ſ.* — *Mar. vlt.*

Aſcenſio Domini.

LOquens D. Paulus de admirabili Redẽptoris noſtri Ieſu Chriſti aſcenſione, inquit. Non enim in manu facta Sancta Ieſus introiuit exemplaria uerorum, ſed in ipſum cælum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis. His uerbis ſpes noſtra ualde confirmatur, ſiquidem in illis oſtenditur nobis, quã ſingularem aduocatum nunc in diuino conſiſtorio habemus. Cum olim Dominus populo Iſraelitico iraſceretur, Sancto Hieremiæ Prophetæ in hunc

Ad Heb. 9. — *Hiere. 15.*

mo-

modum loquutus eſt. Si ſteterint Moyſes et Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum ſuum eiice illos à facie mea, et egrediantur. Hi duo Prophetæ maxime dilecti Deo erãt, ſiquidem per exaggerationem eos Dominus inter omnes ueteris teſtamenti ſanctos propriis nominibus nominat. Super quo uelim notetis, et animaduertatis, ad quos perditionis terminos peruenit anima illa, cui maiores Dei amici coram diuino conſpectu fauere, et opitulari non poſſunt. Fœlices illi, qui nunc in lege gratiæ uita fruimur, pro quibus iam non ſolum Moyſes, et Samuel, atque omnium ſanctorum ſenatus deprecantur, ſed etiam ille, qui totius Eccleſiæ triumphantis, ac militantis eſt caput Ieſus Chriſtus filius Dei; eiusq; ſacratiſſimus ſanguis, et pretioſiſſima uulnera ſunt ualde efficaces linguæ; quæ continuo pro nobis æternum patrem conclamantes obſecrant.

Aſcenſio Domini.

Mar. vlt. RECumbentibus undecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus, etc. Obſerua quanta humanitate rex gloriæ etiã poſt ſuam Reſurrectionem cum diſcipulis conuerſabatur. Non ſemel, aut bis conuiuia exercet cum Apoſtolis, ſed tertio in Quadrageſimo hoc die. Vere clemens, uere pius erga ſuos, à quibus uix diſcedere poteſt. Apparuit itaque nouiſſime diſcipulis ſuis recumbentibus iam in menſa, et conueſcens cum eis increpationẽ inicit pro condimento ciborum, dedit et mandata. O beatam menſam religioſorum uirorum, qui in gratiarum actione cũ parcitate ad reparãdum ruptum uitę iter ſumunt cibos intenti lectioni ſacrarũ ſcripturarum, et geſtorum Sãctorum; quibus non ſemel adeſt Chriſtus in mira ſpiritus dulcedine, et ebrietate diuinę refectionis. Non ſic impij non ſic, quibus crapula, et ebrietas, et denigratio famę et honoris proximorum pręſto adſunt, cum buccella ingreditur Satanas in corda eorũ. Signa autem eos, qui crediderint &c. Vetus obiectio infidelium eſt. Quare modo cum tot ſint cohibendæ hæreſes, & corrigenda ingẽtia crimina non fiunt antiqua miracula quæ hiſce rebus ualde proficerẽt, ut deſideratum haberent euentum? Habes apud Diuum Auguſtinum hanc impiorum querelam, non tantum propter uani ingenij iactantiam, quantum pro labefactatione fidei Euangelicæ. Cur ergo ſi Deo auctore facta ſunt hæc, modo cum idem ſit Deus & eadem ratio faciẽdi non fiunt? Cui quæſtioni B. Auguſtinus reſpondet. Neceſſaria quidem fuiſſe miracula, prius quàm crederet mundus, ad hoc quòd crederet mundus eũ, qui adhuc prodigia inquirit, vt credat, magnum eſſe ipſum prodigium mũdo credente, non credit. Verum hoc ideo dicunt, vt nec tunc illa miracula facta fuiſſe credantur. Quos ibi reuincit ipſe ſanctiſſimus Doctor. Sed expende miraculorum rationem, & alto mentis receſſu eam libra, & uniuerſas quidem tentationum procellas in hac parte ſedabis. Fuerunt in Eccleſiæ ædificio miracula fulcra quædam, ſeu fulcimenta firmiſſima, quæ dũ Eccleſia ſtatuebatur molli, ac tenero operi erigendo neceſſaria erant, poſteà autem ædificio confirmato ſunt diruta, quoniam nulla eorum neceſſitas ſuberat. Quemadmodũ perfecto, & conſummato ædificio materiali ligna, & trabes, quæ operi ſtruendo ſupponebantur; Quoniam potius impediunt, quàm proſint è medio tolluntur. Qui uerò ſcripturæ, quam didicit tot miraculis olim cœlitus robur accepiſſe commonitione non credit, aut à peccatis non abſtinet ex eius imperio, nec ſi coram illo magna miracula fierent crederet. De quo in Euangelio diues ille auarus accepit ab Abraham reſpõſũ. Et ſub Chriſti pdicatione Iudæi auguſtiſſima viderũt miracula, & q̃ pauci illorũ crediderũt. Vt qd cõmemorabo tpa Phar. in Ægyp. ſub quo Moy. & Aaron

D. Aug. li. 12. de ciu. Dei. c. 8.

Simile.

Luc. 16.

Aaron tot prodigia oſtenderunt, nec tamen crediderunt. Taceo quanta fecit Eliſæus ſub Acab, & Ioram regibus Iſrael & tunc maxime idolatria deſæuit, nimirum quia peruerſi difficile corriguntur. *Eccleſ.1.c.* Viro religioſo ſatis eſt animo fideli antiqua miracula reuoluere, quę fideliſſimo ſcripturarum Canonicarū teſtimonio confirmata ſunt, nec noua miracula tātam auctoritatem ſibi conciliarent, etiam ſi coram mille teſtibus fierent. Non ergo noua miracula curioſe requirant. Prætermitto, quam magna, & vera miracula in ſancta Eccleſia aſſidue faciat Deus uel per manus ſeruorum fidelium, vel admonumenta ſāctorum martyrum, & cōfeſſorum, quorum multa cōmemorat B. Auguſtinus ybi ſupra. Et Dominus quidem Ieſus poſtquā loquutus eſt eis aſſumptus in cęlum. Nūquid celerrimo volatu cum ſuper pennas uentorum peruolare poſſet aſcendit? Minime. Sed ferebatur in cęlum (inquit ſacer textus) lento quidem gradu, & ipſis cernentibus in comitatu ſanctorum patrum, cum quo ferebantur exultantia corda diſcipulorū. Vide illum, qui diligentiſſime uenit ad nos, quomodo quaſi ad peregrina aſcēdens pedetentim im recedit. Saliens in *Cant.2.ca.* montibus, tranſilienſq; colles uenit de ſinu patris in uterum uirginis, & cum diſceſſit, & ad ſummum honoris faſtigiū aſſumitur ad occaſum diei & preſſis greſſibus aſcendit. Satis eſt ad hæc omnia quod relinquebat in terris chariſſimam genitricem: dumque in terris hæc fiunt, in cælis tubis, & uoce diuinū hoc mandatum auditur: Et adorent eū omnes angeli Dei. *Pſal.103.* *AdHe.1.c.* Audiuit, & lęta eſt Sion, egrediunturque exercitus, & caſtra angelorum venientes obuiam aera replent hymnis, & canticis, & in ſono tubæ exultant, & plaudunt manibus omnia ligna ſyluarum. Soluitur itaque confeſtim cęleſtis ſenatus, & deſcendūt exercitus in ueſtibus albis, & occurrit ei currus ille prædictus in Propheta. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Dicebantque ad inuicem. Quis eſt iſte, qui uenit de Edom, &c. Et in curru qui pro magnificentia tanti triumphi ex miriadibus multis angelorum ornabatur, non defuit nomen triumphatoris, immo clariſſimis uocibus hominum, & angelorum audiebatur, quod in Propheta prędictum erat. Dominus nomen illi. *Pſal.67.* Iter facite ei, qui aſcēdit ſuper occaſum Dominus nomē illi. *Simile.* Similitudo deſumpta eſt exigenti, & importuna multitudine, quæ congratulationi egreditur de opulentiſſima ciuitate ad ſuſcipiendū cum honore & gaudio uenientem triūphatorem, propter quam multitudinē vix patet via ad ingreſſū ciuitatis. Tūc quidem expedit in equorum fortitudine agmina populorum, & cuneos uirorum penetrare, & diuidere, vt pateat inceſſus, & plana via triumpho, & triūphatori. Iter facite ei, inquiunt: Dominus nomē illi. Bene Marcus: Dominus quidem Ieſus, ferebatur itaque in cœlum quem nubes ſuſcepit ab oculis diſcipulorum, cum iam obtutus eorum infirmi, & attenuati eſſent ad uidendū. Quos cum ualde diligeret Diuinus Saluator inter tot gaudia, & honores, uiſitauit per duos angelos, qui aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, antequam Dominus alta cęlorum penetraret. Nec uacat myſterio, quod in die aſcenſionis, in qua Saluator aduocatus ibat ad patrem, vt interpellaret pro nobis, de aduentu eius ad iudicium admonemur ab angelis. Sic ueniet in nubibus cæli, Ne tranſeat in licentiam, quod ad ſpei cumulum & confidentiam actū eſt, ac ſi dicerent. Ecce ille, qui modo ad dexteram patris aſſumitur aduocatus iuſtus pro nobis, ipſe ueniet ad iudicium. Sic Apoſtolus Paulus cum ſacroſanctum myſterium calicis, & corporis Domini deſcribit, *1.ad Corin. 15.* vbi immenſæ largitatis, & amoris pignus habet Eccleſia, & dona gratię cumulatiſſimè addidit, donec ueniat. Annuntiabitis mortem Domini donec ueniat, ac ſi dicat.

cat.

eat. Heus tu, qui corpus Domini manducas, & bibis eius ſanguinem attende, & confidera quod hunc ipſum Dominum habebis cito iudicem in magno illo die. Firmiſſimam ergo cuſtodiam præclaris theſauris, & ſupernis diuitijs adhibuit, ne fierent in prædam, & diſpergerentur. Et ſedet a dextris Dei. Benedictus Dominus Deus meus, qui docuit linguam meam vſq; ad interpretationem uerbi huius. In quo gaudium meum, honor, & gloria generis noſtri, ſpes mundi, peccatorũ venia, Domini mei exaltatio, & ſublimitas repoſita ſunt. A dextris Dei ſedet, qui proxime elapſis diebus inter duos latrones fuerat crucifixus.

Aſcenſio Domini.

Aunque el mundo perdio de viſta à Ieſu Chriſto ſu verdadero, y entero biẽ, no pierde el de viſta al mundo. Nam de eo ait D. Paulus ad Hebræos, ſcribens, Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt non huius creationis, nec per ſanguinem hircorum, aut uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuẽta. Ad Heb. 9
Aſſiſtens Pontifex, id eſt patrocinans: ſemper enim Chriſtus in quantum homo gerit officium aduocati pro Eccleſia ſua, & in conſpectu ęterni patris omnibus Eccleſiæ negotijs aſſiſtit. Si martyres in tormentis de tyrannis triumphant, ſic confeſſores, aduerſus mundi tempeſtates præualent, honores eius, ac diuitias contemnentes, ſi uirgines carnem ſuam macerant, & ſpiritui ſubiiciunt in hac lachrymarum ualle, non quidem hoc ſuis uiribus naturalibus tantum faciunt: ſed quia cum ipſi ſunt in hoc conflictu, Chriſtus Ieſus ĩ cęlo ꝑ illis ad patrẽ deprecatur, & officium aduocati exactiſſime gerit. Et hoc ſignificat. Aſſiſtens Pontifex, hoc eſt, in cęlo munus Pontificis exercet, uidelicet negotia ſuorum, qui in terra uiuunt, tractans. Quod autem ad illos poſtulat bona ſpiritualia, & æterna ſunt: ideo ait, Pontifex futurorum bonorum. Significat etiam Pontifex futurorum bonorum, quòd ſit adminiſtrator, & diſtributor bonorũm ſpiritualium futurorum, & æternorum. Hic igitur maximus Pontifex intrauit ſemel in ſancta, hoc eſt in cælũ, per amplius, & perfectius tabernaculũ, quod quidem cælum eſt tabernaculum multo capacius, & multo maioris perfectionis, quàm tabernaculum Moyſis: non manufactum, ideſt non huius creationis; non fabricatum eſt ex hac materia terreſtri. Hũc autem ingreſſum, quẽ fecit in cælum die ſuæ admirabilis aſcenſionis, meruit non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum hoc eſt, non offerendo ſacrificia animalium mortuorum, ſed per proprium ſanguinem, id eſt diffundendo ſuum ſanguinẽ meruit in cœlos aſcendere, & ſui ſacratiſſimi corporis glorificationem. Aſcendit autem ad hoc cęleſte tabernaculũ, æterna redemptione inuenta, hoc eſt poſtquam homines copioſe, & æterne redemit, eiſque remiſſionem ſuarum culparum, ac peccatorum obtinuit. Cum igitur fratres talem Pontificem, talemq; aduocatum, & talem cęleſtiũ bonorum diſtributorem habeamus in cælo, ne, obſecro, obſtaculum, & impedimentum ſuis diuinis effectibus propter ſcelera noſtra ponamus, quin potius corda noſtra fideliter, & humiliter ad ipſa recipienda præparemus.

Aſcenſio Domini.

Dominus quidẽ Ieſus, &c. Aſſumptus eſt in cęlum, & ſedet a dextris Dei. Circa hæc uerba ſe ſe offerũt aliquę literales quæſtiones: nam, vt in Actibus Apoſtolorum legitur, protomartyr Stephanus uidit cælos apertos, & Ieſum ſtãtem a dextris uirtutis Dei: hic autem inquit Diuus Marcus, ipſum Acta, ult. 7.

Domi-

Dominum Ieſum ſedere à dextris Dei. Sedere, & ſtare diſpoſitiones ſunt contrariæ & per conſequens hæc duo loca inter ſe repugnare videntur, quod eſt impoſſibile: nam Spiritu ſanctus diuinæ ſcripturæ auctor decipi nō poteſt: Huic quæſtioni reſpondet Diuus Gregorius quod ſedere filium Dei, aut ſtare non eſt intelligendum corporaliter, ſed in ſenſu metaphorico reſpectu diuerſorū munerum, & officiorum, quæ Dominus Ieſus in cælis ad dexterā patris reſidēs exercet. Gerit bonus Ieſus in cælo officium iudicis, & officium protectoris, & diuina ſcriptura officium iudicis nobis repræſentat, dum ait ipſum ſedere: proprium enim iudicis eſt ſententiam proferre pro tribunali ſedendo, at vero eadē diuina ſcriptura munus protectoris nobis inſinuat, dum inquit, eum ſtare, fauebat enim ibi Beato Stephano qui pro fide certabat, & in defenſionē eius martyrium patiebatur. Alia etiam offertur difficultas, videlicet. Quam diſpoſitionem ſecundum corpus Ieſus Chriſtus reparator noſter habeat in cælis? Vtrum ſtet, an ſedeat? Ad quod reſpondeo, ipſum ſtare nam cum aliquis ſedet argumentum eſt defectionis atque infirmitatis eius, corpus autem glorioſum nullam petitur debilitatem, aut infirmitatem, propter quam oporteat ſedere. Vide ad hoc Caietanum in tertia parte ſuper Diuū Thomam. Hodie adimpletum eſt id, quod hic diuinus Dominus apud Ioannem dixit. Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem dum ait. Exiui à patre, & ueni in mundū, de incarnatione intelligitur. Ratio autem quare cum inquit, ſe quando carnē humanā ſumpſit, à patre exiuiſſe, non eſt [*porque dexaſſe de ſer vna meſma ſubſtancia con ſu padre, como lo fue ab eterno, ſino por auerſe differenciado de ſu padre en auer tornado el ſolo la naturaleça humana.*] Ait igitur ſe in mundum veniſſe, quod intelligendum eſt, non quidem per mutationem loci, ſemper enim in mundo fuit, ſed quia ſe manifeſtauit, & viſibilis apparere uoluit in carne humana, cum antea totus fuerit inuiſibilis Hodie uero relinquit mundum, quantum ad præſentiam corporalem, ac viſibilem, & vadit ad patrem æternum.

D. Grego. hom. ſuper Marcum. *Caietan. 3. p. q. 58. artic. 1.* *Ioan. 16.*

Aſcenſionis Domini modus.

QVæritur quoniam Beatus Lucas dicit: & eduxit illos ſcilicet Apoſtolos foras in Bethaniam in montem, qui eſt Olіueti, ſabathi iter habens à ciuitate, & ibi uidentibus illis eleuatus eſt An ibi multi fuerunt præſētes? ad quod reſpondeo. Primo certum eſt ibi fuiſſe præſentes numero plures. Quia dicitur in Actibus Apoſtolorum. Igitur qui cōuenerāt, interrogabant eum dicentes: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? Præterea vix dubium eſſe poteſt quin præter vndecim Apoſtolos fuerint ibi præſentes pluſquam quingenti fratres, hoc eſt Chriſti fideles. Nam illos, de quibus B. Paulus dicit ad Corinthios ſcribens: Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus veri ſimile eſt in aſcēſione Domini adfuiſſe, eo quod eiſdem ſe tam amice, tamque familiariter ſpectandū præbuerat. Imo quidam ſancti doctores intelligunt præfata verba Pauli de ea apparitione, qua apparuit dominus Ieſus ſuis in die aſcēſionis, eo quod particula, deinde, tertio repetita, non incidet eo loco ordinem rei geſtæ, ſed magis ſeriem narrationis, qua articulatim narrantur quæ antea geſta fuerant. Omnibus itaque his congregatis circa mōtem Oliueti venit eò Ieſus cum vndecim Apoſtolis velut ducibus, ac capitib Eccleſiæ & religionis. Quod autem venerit cum illis in montem Oliueti ſimul ambulans cum eis, certum eſt, quia Lucas ait: Et eduxit illos foras in Bethaniam. Populus quidem credentium ſtabat ad montem ſpectans, ſed futuri, imo tunc inſtituti duces, ac rectores credentis populi, uenerunt

Luc. 24. *1. ad Cor. 15.*

runt eò cum Domino Ieſu, & ipſe clementiſſimus rex pariter cum illis, deducens eos, velut præcipuam ipſorum curam gerens, ut etiam hinc clare liceat intelligere præpoſitos Eccleſiæ, & dignitate, & modo habendi ſe, & coniunctione cum Chriſto Ieſu, ab initio ſemper fuiſſe diſtinctos à cõmuni populo in Republica Chriſtiana. Et Dominus quidē Ieſus poſtquam loquutus eſt eis, eleuatis, manibus benedixit eis. Nunquid faciendo ſignum crucis ſuper eos eis benedixit? Benedicere eſt bona imprecari. Dicere autem Dei ſemper efficax eſt. Quare, & benedicere eius non poteſt non eſſe efficax. An uero Chriſtus benedicendo, hoc eſt, bona, illis imprecando uſus ſit ſigno crucis tacet ſacrum Euangelium. Hoc tamen certū eſt hanc antiquiſſimam cõſuetudinem benedicendi per ſignum crucis, eccleſiam retinuiſſe in vſu publico à temporibus apoſtolorum, quare ueriſſimile eſt, apoſtolos eam didiciſſe à ſuperno ſuo magiſtro Chriſto Ieſu, maxime tūc poſt triumphum uictoriæ per agonem crucis, ad declarandum Deum patrem nos benedicere omni benedictione in cæleſtibus per triumphum crucis. Et, factū ē, (inquit B. Lucas ubi ſup.) dum benediceret eis receſſit ab illis & ferebatur in cęlum. Fertur lapis ſurſum ab extrinſeco, natura lapidis non conferente uim. Sic ferebatur Abacuc in Babylonem manibus angeli, & Helias in aerem curru igneo. Feruntur & aues ſurſum non quidem ab extrinſeco, ſed uirtute propria per alas, & plumas. Nubes etiam tendunt uerſus cælum, propria leuitate ſibi inhęrente. Hoc autem ſecundo modo nempe ſua ſponte, virtute propria ab eo, quòd inhabitabat, nequaquā ab extrinſeco, aut manibus aliorum, ferebatur Chriſtus Dominus in cœlum. Omnia quoque corpora ſanctorum ſimili modo ferētur in cęlum poſt reſurrectionem, ſua ſcilicet ſponte, & à propria ſibiq; inexiſtēte, virtute. Ferebatur autem ſupernus Dominus in cœlum non raptū, aut imperceptibiliter, ſed ſenſim, ſic ut intuerētur eum euntem in cœlum omnes, qui aderant, donec nubes lucida ſuſciperet eū ab oculis eorum. Si autem quæras vtrū ſolus aſcēderit, an ſimul alij cum ipſo? Reſpondeo B. Matthæum poſt narrationem paſſionis dicere: & multa corpora ſanctorum ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionē eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Et hæc ſanè corpora ſanctorum aſcenderunt ſimul cū Chriſto Domino. Et præterea innumerabilis multitudo animarum ſanctarū quas de lymbo eduxerat, cum eo aſcendit. Si enim magni principes nuſquam proficiſcuntur ſoli, potiſſimum quando quid triumphalibus põpis ſunt peracturi, profecto multo minus princeps regum terrę debuit ſolus proficiſci iam in triumpho tradíturus Deo patri, regnum, quòd ſuo ſanguine conquiſierat. Quod certe regnum in die ſuæ admirabilis aſcenſionis cæpit tradere, afferens ſecum primitias ex omni genere nationis humanæ, ex patriarchis ſcilicet, ex prophetis, ex regibus, ex ſacerdotibus, ex plebeijs, ex martyribus, ex eis etiā, qui mundo quidem incogniti, tamen eximiæ fuerunt ſanctitatis. Cœpit, inquam, tunc tradere, & tradit indeſinenter hucuſque traditq́ue ſemper, donec ipſum regnum prorſus, ac integrū tradiderit, quod fiet in conſummatione ſęculi, & tunc erit finis, cū tradiderit regnum Deo, & Patri, ut inquit B. Paulus ad Corinthios ſcribens. Quamuis autē ſatis apta ſit hæc ratio, verum etiam ſacra hoc teſtatur ſcriptura. Beatus enim Paulus in epiſt. ad Epheſios, ait: Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Duo ergo fecit Chriſtus ſummus Imperator ſæculorum aſcēdendo. Duxit ſecum ad triumphum captiuam illam captiuitatem patrum, qui eouſque in lymbo fuerant. Et loquitur ſanctus Apoſtolus per abſtractum, dicens captiuam

Ad Eph. 1
Luc. 24.
Mat. 27.
1. ad Cor. 15.
Ad Eph. 4

ptiuam captiuitatem, ut intelligamus etiam ibi tum temporibus factam plenitudinem gratiarum, eo quòd liberauerit, ac duxerit ſecum omnem illam numeroſam multitudinem ſanctorum patrum, ita ut uideretur abſtuliſſe ſecũ lymbum, & ipſam totam captiuitatem, quæ ibidem detenta fuerat, vſque ad illud tempus. Secundo dedit dona hominibus, quę exprimit ibidem ſanctus Apoſtolus proſequendo textum.

Aſcenſionis Domini fructus.

FRuctum admirabilis Domini aſcẽſionis optime ſancti Apoſtoli intelligentes regreſſi ſunt in Hieruſalẽ, poſtquam adorauerunt (ut inquit B. Luc.) cum gaudio magno. Perpende, quòd dicit (cum gaudio magno) erantq; ſemper in templo laudantes & benedicentes Dominum Deum amen. Tantũ abfuit, vt contriſtaretur eos Domini aſcẽſio, quamuis ſacratiſſima eius præſentia dulciſſima erat, & animis eius abſentia ſentienda. Sed gaudebant gaudio magno, quia fructum illius aſcenſionis intelligebant. Explicat autem cumulatiſſimè hunc fructum B. Paulus in epiſtola ad Hebræos per multa capita, oſtendens dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum pontificem magnum, qui ſempiternum habet ſacerdotiũ, in cęlis offerre pro nobis ſempiternum ſacrificium quo conſummauit uniuerſa, qui & interpellat pro nobis, uelut aduocatus noſter apud patrem. Qua propter concludit ibi ſanctus Apoſtolus hoc modo. Habentes igitur pontificem magnum, qui penetrauit cælos Ieſum filium Dei, teneamus ſpei noſtrę confeſſionem, nõ enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut miſericordiam cõſequamur, & gratiã inueniamus in auxlio opportuno. Sed forſan dices. Chriſtus Redemptor noſter cum Nicodemo loquens dixit. Nemo aſcẽdit in cælum niſi qui deſcendit de cęlo, filius hominis, qui eſt in cęlo. Quæ igitur ſpes relicta eſt nobis ex aſcenſione eius, qui non deſcendimus de cęlo? Certe nulla, nulla, inquam ijs qui non deſcenderunt de cęlo: Ergo ue nobis quandoquidem nemo noſtrum fuit in cęlo, & per conſequens nec deſcẽdit de cęlo. O mentis caliginem, quomodo nõ uides, quæ ante te ſunt. Domino noſtro Philoſophante in myſterio de regẽneratione, Nicodemus alioquin doctus in lege, non potuit cogitare de alia natiuitate, quam de ea, quę accipitur à matre carnis, cum ſit alia incomparabiliter melior, durabiliorque illa. Sic tu ò homo Chriſto domino loquente de deſcenſu è cęlo uideris non cogitare, niſi de deſcenſu locali, quaſi non eſſet alius deſcenſus, quam ſecundum locũ, cum ſit & alius tam apud uulgus, quàm inter eruditos uſitatiſſimus: Nonne ueriſſimè, nonne etiã latine dicimus: Ille deſcendit ex regia proſapia, iſte ex ſtẽmate Regum Fancię, Carolus Quintus ex domo Auſtriaca? Secundum hunc ſane tropum Chriſtus Dominus filius ſacratiſſimæ virginis Mariæ deſcendit de cęlo à throno glorię quia patrem habuit in cęlis: inde quod erat ſecundũ diuinã naturam, inde quod ſecundum hominẽ, inde quod in humana natura eius erat per gratiam, inde, dico, originem omnium traxit, vere itaque deſcẽdit de cœlo. Alioquin ſi de deſcenſu locali intelligis: neque ſecundum diuinã naturam, quæ locum non mutat, deſcẽdit Chriſtus, neq; ſecundum humanã naturam, quæ in Betlehem nata, nunquam fuerat in cœlo, magis quam mea vel tua natura. Veruntamen ipſe aſcendit in cœlum ſecundum carnem, quia etiam quo ad illam deſcenderat de cœlo ſecundum genealogiam habens patrem carnis ſuæ in cœlo. Si quidem deſcendere accipiatur p dimittere ſe ad inferiorem ſtatum, Chriſtus etiam ſecundum diuinitatem deſcendit de cœlo.

Luc. 24. *Ad Hebr. 4. 8. 9. & 10. c.* *Ad Hebr. 4.* *Ioan. 3.*

lo. Quoniam in illa eo dimiſit ſe, vt dignaretur ſibi unire hypoſtatice naturam hominis de terra ſumptam, fieretque Deus homo, immo vermis, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Si vero deſcendere intelligatur, ut intelligitur genus ducere ex alto, etiam ſic deſcendit Chriſtus è cœlo ſecundum hominem, uti diximus. Nunc facile aduertes, quam elegās, quamque propria ſit uniuerſalis illa ſententia Domini Ieſu Saluatoris noſtri: nemo aſcendit in cęlum, niſi qui deſcēdit de cęlo, &c. Quia nemo mortalium aſcendet in cœlū, niſi prius genus ducat, & originem è cœlo, adeo ut uere ſit, & nominetur filius Dei patrem totiusque ſuæ veræ nobilitatis prima ſtemmata habens in cœlis: vtq; illud Apoſ. viuo ego iam non ego, verū viuit in me Chriſtus, è cęlo, non ex terra, aut homine poſſideat, quòd eſt deſcendere de cęlo; ex Deo patre, à ſtemmate regio cęleſtis regni, non minus proprie, quam cum dicimus. Ille, aut ille deſcendit ex regia proſapia. Si uero dicas ibi additur, filius hominis, qui eſt in cęlo, nos autem non ſumus in cœlo: ergo non de nobis intelligitur. Reſpondeo, quòd neque Chriſtus ſecundū eā partem, qua loquebatur, & poſtea aſcēdit in cœlum, hoc eſt, ſecundum humanam naturam erat tum temporis in cęlo localiter. Nihilominus in ſequendo tropos ſcripturæ, & Chriſtus filius hominis, hoc eſt, ſecundum naturam, qua homo eſt, & omnes alij homines, qui re & nomine Chriſtiani exiſtunt, ſunt in cœlis. Primo conuerſatione, iuxta il-
Ad Phil. 3. lud Apoſtoli Pauli. Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: ſecundo affectu, quia ſunt in charitate. Deus autem charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo ma-
1. Ioan. 4. net & Deus in eo. Tertio ſunt in cœlo origine, habentes Deum cœli naturæ ſuæ (qua ſunt, quòd ſunt) principium, & patrem, eſt autem omnis filius in patre, & pater in filio, hoc intereſt inter Chriſtum & Chriſtianum, quod ipſe Deus eſt, & homo, & ratione ſuæ diuinitatis erat in cœlo eodem modo, quo pater. Nemo ergo aſcendit in cœlū, niſi qui originem traxit è cœlo, hoc eſt, deſcendit de cœlo, & præterea manet ꝓſapia affectu, & obedientia filiali in cęlo, quia ſemen Dei conſeruatur in ipſo ſuam conuerſationem magis habēs in cęlo q̃ in terra. Additur quidem in prędicta ſnīa ſaluatoris: filius hoīs, hoc ē: filius Adæ, quo tropo vtitur ſaluator, ut intelligamus tā de ſe, ſecundū quod homo eſt ex Adam, quam de quouis alio ex Adā deſcendente, hāc ſnīam ꝓlatam eſſe. Scio quod alij aliter hic rhetoricantur, ſed hic eſt germanus, literalis, vereque euangelicus ſenſus iſtorum verborū, valde correſpōdēs ad ea, quæ Dominus Ieſus paulo ante Nicodemo dixerat: ſcilicet. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris Nicodeme quia dixi: Oportet naſci denuo. Siquidem na tum eſſe ex morituris parentibus, inſerit quidē regno & populī mundi huius, ſed non aptat, neq; idoneum facit regno Dei: oportet itaque renaſci denuo ex aqua, & Spiritu ſancto, vt genus ducas, ac originem ex Deo, & cæleſtibus: quia nemo aſcendit in cęlū, niſi qui deſcendit de cælo, &c. Spiritū eſſe oportet de ſpiritu Dei, non carnem duntaxat de carne hominis, quod aptū habebitur ſedibus illis cæleſtis regni. Oportet & filium Dei eſſe non vtiq; ſolum filium hominis. Ecce quam clare patet hunc eſſe germanū ſenſum horū verborum.

De ſacratiſſimo Redemptore noſtro dixit regius Vates. Inclinauit cęlos ſuos, & deſcēdit, & caligo ſub pedibus eius. Ecce deſcenſum uſque ad caliginē uſque ad inferorum terrā, & caliginoſā abyſſum. Et aſcendit inquit ſuper Cherubin, & uolauit ſuper pēnas uentorū. *Pſal. 17.*
Ecce paſſeris uolatum, ecce deſcendit quò amplius non decuit: & aſcēdit, quo amplius non potuit. Decuit enim eum, qui

qui cũ eſſet filius Dei unigenitus,& gloriæ princeps,patris obedictia inter homines minimus, & ultimus inuétus eſt, ſuper omnes homines , & ſuper omnes angelos gloria,& honore ſublimari: ut in eo iuſtitia Dei conſummationem ac- *Ad Phil.2* cipiat.Hoc eſt quòd B.Paul ait: Qui cũ in forma Dei eſſet , non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo ? quanta maieſtas?ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, quãta humilitas, ſed uſque adquid ? vſque ad formã ſerui vſque ad alapas, uſque ad irriſiones, uſque ad flagella,uſque ad tormenta,vſque ad mortem,ne quid de genere mortis deeſſet,mortem autem crucis.O deſcenſum maximum ? O profundiſſimã humiliationem? ſic humiliatus eſt filius Dei ? Audi nunc ſimilem & correſpondentem à iuſto Deo exaltationem.Propter quod & Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomen , quod eſt ſuper omne nomen , ut in nomine Ieſu omne genu flectatur,&c.Ecce quomodo deſcendit, & ecce quomodo aſcẽdit : eiſdem enim gradibus quibus deſcenderat , rurſus aſcendit.Tribus namque gradibus filius Dei deſcenderat: ſcilicet uſque ad formam ſerui,uſque ad paſſionem,uſq; ad mortem:& per eoſdem aſcẽdit : quia.n. patris amore factus ẽ ſeruus, ſuper omnem creaturam merito conſtitutus eſt Dominus.quia inique ab homine iudicatus eſt,uiuorum, & mortuorum à patre conſtitutus eſt iudex.&quia pro omnibus mortuus eſt,ſibi & omnibus, qui ex morte eius utilitatem educere uoluerint uoluntate efficaci immortalitatem & æternitatem promeruit: inde exaltatus unde prius fuerat humiliatus.Deſcẽdit Deus uſque ad paſſiones carnis , aſcẽdit caro vſque ad proprietates Dei . O mirabilem exaltationem ? O eximiã generis noſtri gloriam. Vt homo angelis præſideat, mundum regat, omnibus imperet, & cuncta diſponat, frater, inquam, noſter, & caro noſtra in cœlo,& in terra dominatur,& regnat. Conſueuerunt principes regni,aut imperii poſſeſſione ſuſcepta pecuniæ copioſã multitudinem gratulanti populo effundere & nobilibus regni , atque magnatibus ampliſſima dona largiri.Sic etiam gloriæ princeps Chriſtus Ieſus poſtquam ſanguine ſuo portum cœlorum regnum intrauit,magnifica ſuis dona diuiſit , ut ex hoc maieſtatis,& gloriæ ſuæ diuitias oſtenderet , & ad eas deſiderandas abſentium animos inclinaret.Vnde S.Pro- *Pſal.67.* pheta Dauid,ait. Aſcendẽs Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus . Conemur & nos ſimiliter cũ illo deſcendere,ut ſimiliter aſcẽdamus: non.n.eſt alia uia aſcendendi,niſi deſcendendo.Eſto igitur paruus in oculis tuis,& eris magnus corã Deo.

AVARITIA.

1.ad Tim. 6.c. QVANTVM malũ auaritia ſit uerba illa Beati apoſtoli manifeſte declarant. Qui uolũt inquit,diuites fieri,incidunt in tentationem & in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia & nociua , quæ mergunt homines in interitum,& perditiones.Sufficit quidẽ laqueus ad necẽ hominis in patibulum,& tamen cum laqueo , ipſo uiſum eſt.B.Apoſtolo(ac certe ſic eſt) addere deſideria multa inutilia,& denique demerſionem ad interitum ſempiternũ. Demerguntur quippe auari in profundiſſimam abyſſum : ubi notandum eſt, quod non damnat ſanctas uir diuitias, ſed cupiditatem , & peſſimam earum ſeruitutem . Plures enim abſque dubio damnantur pro his, quæ à mundo deſiderant,quam pro his , quæ iam habent, & plures damnantur pro his,

quæ mundus negat, quam pro his, quæ ipſe mundus dat, nam ex illis, quę à mũdo intenditis, & ſperatis, oriuntur fraudes proditiones, mendacia, odia, inuidiæ, atq; Dei obliuio: poſſem etiam dicere odium Dei, ſed pudet tali termino, taliq; uocabulo apud Chriſtianos uti, quamuis aliquibus bene quadraret, qui adeo ea quæ Dei ſunt abhorrent, ut quidquid ad prætenſiones ſuas conducat, illis anteponant: poſtquam autem, quod ardenter deſiderant conſequuntur, tunc quam uile illud ſit aſpiciunt, & contemplantur, ut uidere eſt in primo parente noſtro Adamo, qui propter uile pomum Deum contẽpſit, & quãdo illud edere uoluit ei pulchrũ, ac ſuaue uiſum eſt, poſtquam autem id ipſum pomum mãducauit, ut ait ſacer textus, aperti ſunt oculi eius, & uidit ſe eſſe nudum. Multi autẽ diuites abſque

Gen. 3. c. cupiditate & auaritia extiterunt: ideo

Mich. 6. c. Propheta Micheas ait, Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & mẽſura minor iræ plena. In domo impii theſauri iniquitatis ignis ſunt; non tamen in domo iuſti theſauri appellandi ſunt, theſauri iniquitatis, nec ignis. Iuſte etiam dicitur menſura iræ plena, quæ doloſa eſt, per quam homo cæcus ſit diues. Et adiecit inſuper Sãctus Propheta. Num quid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa, in quibus diuitiæ eius repleti ſunt iniquitate, & habitãtes in ea loquebantur mẽdacium, & lingua eorum fraudulẽta in ore eorum? Perpende, obſecro, ſingula verba, & maxime illud, Iræ plena: & ſimiliter illud: repleti ſunt iniquitate: & illud: Loquebantur mendacium, & nũc quidem in mille iuramentis. Ecce quot quantaq; mala ex auaritia & cupiditate prodeunt: idcirco B. Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, ait. Quod eſt idolorũ

Ad Epheſ. c. 5. ſeruitus. In quo loco B. Thomas elegan

D. Tho. ſuper epiſto. ad Epheſ. ter docet, quomodo Diuus Paulus auaritiam uocet idololatriam, quoniã idololatria eſt quando honor ſoli Deo debitus impenditur creaturæ; nunc autẽ Deo dupliciter honor debetur, nempe ut in eo finem noſtrum conſtituamus, & ut in eo fiduciam noſtrã firmiter ponamus: igitur qui hoc in creaturis ponit, reus eſt idololatriæ: hoc autem facit auarus, qui finem ſuum in creatura, & totam fiduciam ſuam in nũmis collocat, ergo idololatra eſt auarus. Contra hoc genus hominũ exclamat Propheta Hieremias, dicens. Terra, terra, terra, *Hiere. 22.*
audi ſermonẽ Domini. Non ſat erat ò Propheta ſancte Semel, aut bis eos terrã uocare? Quare ter terram eos nominas? Quia tu, ò homo auare, terra es, nã ex terra plaſmatus es: & iterũ terra es, quia omnes cogitationes tuæ, deſideria tua & opera tua terrena ſunt. Denique terra es, quia quam cito in terram reuerſus eris. Notanter autem loquens S. *B. Chry. homil. 21. in Math.*
Propheta cũ auaro inquit. Audi ſermonẽ Domini, quia auarus rebellis es uerbo Dei. Cogitemus adoleſcentẽ illum, ait B Chryſ. qui cum probe legis præcepta ſeruaſſet, & impleſſet, quia theſauros terrenos magis habuit, quam cęleſtes uitæ ęternę theſaurũ obtinere nõ potuit. O rẽ ſtupendã. Certe uerbũ tam rigidũ de illo iuuene nunquam audiui, nec in alio doctore legi, niſi in S. Chry. vnde nec cogitabam eũ periiſſe cũ mãdata ipſe à iuuentute ſeruaſſe dixit, qui ſi mentitus eſſet, non eũ Chriſtus Ieſus *Mar. 10. c.*
intuens dilexiſſet, ꝙ B. Marc. teſtať, ſed forſan cũ triſtis abijt ad vitia ſe dedit ob terrenas facultates, ſicq; damnatus fuit, ut hic S. Doctor affirmat, quia nõ obediuit uerbo Dei ſibi dicentis. Vnũ tibi deeſt. Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni, & ſequere me. Qđ ſi audiret, nõ periret: quis non timebit te o rex gentium hæc animo ſuo euoluens, & cor tuũ ab his terrenis non euellet? Dic mihi ò homo nunquid non audiſti te Chriſti Ieſu eſſe militem, & ab ipſo duce tuo uocari, ut ipſum ſequaris? Vt quid igitur in bello domos ædificas, & theſauros ibi abſcondis? Audi obſecro eundẽ B. Chryſ. dicentẽ. Quis *B. Chryſ. ho*

enim

mil. 70. in Mat. 22. c. enim unquã in exercitu domus fundamenta iecit? Quis ædes ædificauit, cum inde paulo poſt diſceſſurus ſit hoſtibus debellatis? Ipſe homo qui in militia huius mundi nihil cogitas, niſi domos ędificare theſauros adquirere cũ citò è campo huius mũdi deceſſurus ſis. Audite ergo obſecro uos per ſalutem ueſtram ipſum Dominũ, dicentem. Theſaurizate *Mat. 6. c. Iſa. 1. c.* uobis theſauros in cęlo. Vobis, ait, non mihi, quia uobis, non aũt mihi proderũt, quia ego plenus ſum, & ueſtris non indigeo. O miſer peccator, uide quid agas, non theſaurizas tibi in cœlo, ſed theſaurizas tibi iram in die iræ Dei. *B. Paul. ad Rom. 2. c.* Nonne tecũ loquitur B. Paulus, cũ ait. An diuitias bonitatis eius. ſ. Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniã benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit? Secundũ autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddit unicuique ſecundum opera ſua. O tremenda uerba? Quis ita lapideus eſt, qui ea audiens non contremiſcat? Et vt maiorẽ terrorem nobis incutiãt ſit noſter dux *D. Tho. ſuper epiſt. ad Rom.* in eius expoſitione B. Tho. ſuper epiſt. ad Rom. qui ſic ſuper hęc uerba, ait. An diuitias bonitatis Dei patientiæ, & longanimitatis contemnis ò homo nolens de tuis ſceleribus pœnitentiam agere, quia ſtatim non deuorat te ignis infernalis poſt culpam? exiſtimas impunitus fore, & nunquam à Domino iudicãdus? *Eccl. 8. c.* O Domine, quia non profertur cito (vt dicitur apud Eccleſiaſticum) contra malos, blaſphemos, adulteros, homicidas, detractores, Deo odibiles, ſentẽtia tua, & punitio debita, non ſolum proterui tua benignitate abutuntur, ſed inſuper abſque ullo timore filii hominum mala perpetrant. Nõ ſit Domine Deus bonum impio, nec prolõgentur dies eius, ſed tanquam vmbra tranſeant, qui non timent faciem tuam omnibus delictis eorũ præſentem, qui cũ impiis ſint, ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant, ſed & hoc uaniſſimum iudico, peccare & uana ſecuritate gaudere. O homo inſipiens, ut quid contemnis diuitias bonitatis Dei? Dices forſan. Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Ne talia *Eccl. 5. c.* proferas, quia Altiſſimus, & patiens ad ſuſtinendum, tamen redditor eſt ad impœnitentem puniendũ. Vt quid ò ſtulte ſic auſus es tantas Dñi diuitias in patiẽtia & bonitate ſua exhibitas contemnere? An ignoras finem, quem Dñs circa te in hoc intendit? neſcis, quia ſpectat te nolens, ut anima tua pereat, quia nõ uult mortem peccatoris, ſed ut magis conuertatur, & uiuat? Tu autem fidei luce illuminatus, & ſanguine Dei Redemptus ſecundum duritiam tuam ut quid tantis bonitatis diuinæ beneficiis non es emollitus? ac ſi non eſſet ab Spiritu ſancto dictum. Cor durum mala habebit in nouiſſimo. Et ſecundum cor tuũ *Eccl. 3. c.* impœnitens theſaurizas, id eſt, multiplicas reatum pœnæ. Et cui theſaurizo? Tibi certe, & non alteri, quia unuſquiſque onus ſuum, & peccatum portabit te ſte eodem B. Apoſtol. Et quid theſaurizo peccatis peccata addẽdo? Iram Dei, *Ad Gal. 6. c.* & rigorem ipſius. Et ad quod tempus? Nunquid ad tempus paſſionis Chriſti, quando ſanguinem ſuum benedictum abundanter pro me diffudit? Vel ad paſchatis tempus, quando ſurrexit ad noſtram iuſtificationem? Minime. Vtrum ad tempus huius vitę, in quo ab ira Dei ad ſuam miſericordiã appellare licet? Non niſi in die iræ Dei, & reuelationis iuſti iudicii Dñi, quando iudicaturus eſt omnes, & quando reddet unicuique iuxta opera ſua Vide ergo ò miſer quid facias theſaurizans tibi iram in talem diem. Theſaurizate ergo uobis (ait Dominus) theſauros in cœlo, ut in die Aduentus eius illos recipiatis Vt autẽ hoc ſummo ſtudio faciatis omnino auaritiam à ueſtris cordibus eliminate. Pro quo obſeruandum eſt, tria eſſe præcipua peccata, quorum totus plenus eſt mundus, ſicut B. Ioannes in ſua Canonica teſtatur dicens. Omne quod eſt in *1. Ioan. Cano. 2. c.* mundo concupiſcentia carnis eſt, & cõ

cupiſcentia oculorum & ſuperbia uitæ, & idcirco tria magna iudicia ſacra proponit nobis ſcriptura. Primum factum eſt in cœlo quando Deus in Angelis ſuperbiæ peccatum inuenit, de quo in pſalmo dicitur. Superbia eorũ, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Secundum autem fuit tempore Patriarchæ Noe in uniuerſali diluuio: hoc propter luxuriam uenit: ſic enim ait ſacer textus, Quia omnis caro corruperat uiam ſuam. Tertium denique iudicium quod finale erit, propter auaritiam futurum eſt, refrigerante ob eam plurimorum charitate, & hæc erit præcipua occaſio, propter quam Deus illud celebraturus eſt quamuis etiam ibi de aliis mundi peccatis ipſum acturum eſſe credimus. Ac ſi diceremus. Concilium generale celebratum eſt ad impii Lutheri hæreſes confutandas, quanquam etiam ibi alii hæretici fuerunt damnati. Sic dicente Domino. Ite maledicti in ignem æternum, quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi bibere, in bona conſequentia remanet damnatus ille, qui furatus eſt, uel qui proximo ſuo lædendo nocuit, atque ita quidquid charitati aduerſatur.

Pſal. 73. *Gen. 6.*

Auaritia.

Greg. Niſſe. in orat. funebri. Simile.

Beatus Gregorius Niſſenus inquit, auarum eſſe ueluti lebetem diutur no uſu perforatum, qui licet in ſe omnem maris aquam recipiat, nunquam implebitur. Regius etiam Propheta eũdem auarum catulis leonum (quorum calor naturalis nimis actiuus eſt, atque ita ſuapte natura ſunt uoraces, & licet plurimum edant, ſemper tamen fameli ci, ipſaq; fame oppreſſi mugitus edũt) eleganter comparat: nam pro eo quod nos legimus, Diuites eguerunt, & eſurierunt. Hebraica litera inquit, Leones eguerunt, & eſurierunt. Et paraphraſis Chaldaica habet. Catuli leonum eguerunt, & eſurierunt. O miſerrime auare, ſiquidem omnes facultates, ac diuitiæ tuæ, etſi plurimæ ſint inſatiabilem famem tuam nunquam ſatiant, ac tanquam leo rugis, & clamas, ut ſatieris, ſed nunquam id conſequeris: nam & his, quas habes frui neſcis inſtar muli pretioſis cibis onerati, qui cum epulas elegantiſſimas uehat, ipſe aridos carduos præ anguſtia famis manducat. Huic ſimili arridet illud Prophetæ Sophoniæ, qui de eiſdem auaris uerba faciens inquit Diſperierunt omnes inuoluti argento: & Paraphraſtes ait. Diſperierunt baiulantes argentum. Hoc eſt, Non habuerunt diuites bonum finem, qui tanquam muli ſuper ſe argentum aſportarunt. Quotidie experientia uidemus, diuitem plurimis diuitiis oneratum pauperrimum lectulum, in quo dormiat, habere uiliſſimo cibo, ac tenuiſſimo uti, & nimis trita ueſte cooperiri, ſicut mulus, qui diuitias non ſibi ſed aliis portat. Sic infœlix auarus in mortem tendit opibus, ac diuitiis plurimis oneratus, non in ſuam, ſed in ſuorum hæredum utilitatem. Glorioſus Pater noſter Franciſcus nũmos uocabat muſcas & merito quidem: muſca namque ſemper moleſta, & importuna eſt: ſiue enim comedatis, ſiue bibatis, ſiue literis operam detis, ſiue libris accubetis, ſiue in lecto ſitis, ſiue euigiletis, ſemper in facie veſtra ſiſtit, ut ſanguinem exuggat: quod ſi illam abigere contenditis licet ſæpe ſæpius id faciatis, ipſa nihilominus ſæpiſſime redit ad pungẽdum, & vexandum. Hæc eſt proprietas diuitiarum cum corde auari, nã cura & ſolicitudo illarum ſemper uirtutẽ cordis eius fugit, uexat, & opprimit; & quanquam millies à ſe has muſcas expellat ipſæ multo pluries ad opprimendum redeunt. Ecce igitur labor, & afflictio, in qua miſerrimus auarus uiuit. Contra uero liberalis, miſericors, ac magnificus maxima cum lætitia. & conſolatione uitam ducit, ſicut Sanctus Dauid aſſeuerat dicens. Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, hoc eſt, qui miſericordiam operatur, & non aua-

Pſal. 32. *Simile.* *Sopho. 1. c.* *Simile.* *Pſal. 111.*

auaritiæ indulget, lætus hilaris, ac iucundus viuit. Quocirca idẽ regius propheta nos admonet, dicens. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere, i. Quamuis aliquando manum diuitijs porrigatis ad capiendum eas pro neceſſitatib. ſubueniendis, cor minime tradatis ad eas concupiſcendum. Habere enim neceſſaria uictui, moderatamq; rem familiarem cum hilaritate, & tranquillitate mẽtis cognoſcereq; ſibi melius hoc eſſe ad ſalutem quàm diuitijs abundare, miſericordia Dei eſt, ut B. Thomas eleganter docet. Seruum mercenarium conducis, non ſolum pro victu, & ueſtitu, ſed etiam pro ſtipendio pecuniario: filio autem tuo ſolum uictum, & ueſtitum præſtas, & nihil amplius, quoniam omnia bona tua in ſuam ditionem euẽtura eſſe conſideras: ſic Deus filijs alienis omnia abundanter tribuere ſolet, ſuis autem etiam neceſſaria aliquando deeſſe permittit, quoniam omnia bona ſua iure hæreditario ei reſeruantur. Vnde B. Grego. ait. Miſericors Dominus, quos tenere diligit ab exterioribus ſeparat. Quare B. Amb. cum domũ quandam introijſſet, ab hoſpiteque audiret narrante ſibi omnia fauſte euenire, nec infirmitatem, nec paupertatem, nec aliquid triſte ſibi unquam accidiſſe, ait. Egrediamur ex hac domo; nec. n. Deus habitat in illa. cumq; egreſſus eſſet corruit domus, & omnia quæ in illa erant perierunt. Clementiſſimus Pater filios ſuos hic corripit paupertate, infirmitate, alijsq; multis infortuniis: alienos autem impunitos multoties in hac uita relinquit, ut ad æterna reſeruet ſupplicia. Et ſic intelligunt nonnulli illud Sapientiæ. Ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnas, hoc eſt, impium, quem ad æternos ignes damnas, nõ punis hic, quia ſecundũ iuſtitiæ ordinem illum correctionis tuæ flagellis non cædis, quibus quos diligis caſtigas, ut reſipiſcant, ne pereant. Denique ut auaritiam tanquam peſtem fugiatis, audite mandatum. D. Pauli apud Timotheũ.

Pſal. 61.

D. Tho. 3. contra gentes. c. 133.

D. Greg.

D. Amb.

Sap. 12. c.

1. ad Tim. 6. c.

Poſtquam enim de auaritia, & cupiditate diſputauit, & quanta mala ſequantur ex ea docuit, tandem inquit. Tu aũt ô homo Dei hęc fuge, ſectare vero iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatẽ, patientiam, utrumq; eſt neceſſarium ad ſalutẽ, & fugere peccata, & facere, & ſectari iuſtitiam, fuga nãque uiro forti ſæpe numero eſt neceſſaria. Vnde Plato manifeſte reuincit diffinitionẽ Socratis de fortitudine dicentis, fortẽ eſſe, qui ordinẽ ſeruãs in oppugnãdis hoſtib. inſtat, nec refugit. Adducitq; Plato Scythas, q nõ minus fugiẽdo, q̃ ſequẽdo pugnãt. Et Home. equos Æneę laudãs ait, celerrime hinc, atq; illinc pſeq. atq; fugere.

Plato Laches, vel de fortitudine.

Hom. Eli. 1.

Auaritia.

Anima callida (inquit Eccleſiaſticus) quaſi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid deglutiat. Cum gratia Dei tantummodo ſit aliquid, & quidquid eſt in mundo, nihil ſit, ignis cupiditatis bonorũ temporaliũ non poteſt cũ ipſis bonis tẽporalib. extingui, quin potius (ut quidã Poeta dicit) creſcit amor nũmi quãtũ ipſa pecunia creſcit. Atq; ita infœlix auarus cõtinuo uexatus ab ipſa diuitiarũ, quas adhuc nõ obtinet, cupiditate, miſertime uiuit, & torquetur ab auaritia, quæ ipſum, non ſinit perfrui diuitijs, & opibus, quas iã poſſidet. Cum hericius hortũ aliquem ingreditur, non comedit, nec quieſcit, donec arborem aſcendẽns corpus aculeis plenũ pomis quã plurimis onerat: cũ aũt deſcendit, & ab horto exire uult pomis omnibus oneratus non poteſt p foramen, quo ingreſſus eſt, exire, quia anguſtũ eſt, atque ita dũ egredi contendit, omnia poma ibi relinquere cogit, & ſic uacuus, ac famelicus exit: in hunc modũ auarus tanquam hericius ſpinis & aculeis, uidelicet afflictionibus, curis, & ſolicitudinibus plenus, dũ in horto huius mũdi eſt, conatur ſe bonis tẽporalibus onerare, ac cupiditate & angore afflictus uix audet comedere, aut bi-

Eccl. 23.

Iuue. ſaty. 14.

Simile.

bibere,uel illis bonis frui,at uero cũ e-
xire cogitur per anguſtum mortis fora
men,omnia ui,atque ſpiritus ſui affli-
ctione in hoc miſerabili mundo relin-
quit. Diximus auaritiam, & cupiditaté
diuitiarum,nequam eſſe,ſed multo pe
ius eſſe deſiderare diuitias malorum
affirmamus. Non concupiſces (aiunt ſa
cræ literæ)argentum & aurum de qui-
bus facta ſunt ſculptilia gentium, quia
Deut. 7. c. abominatio eſt Domini Dei tui. Qui-
bus uerbis ſignificatur, quam odibiles
ac deteſtabiles nobis debét eſſe iniquo
rum hominũ diuitiæ. Ne deſideres ob-
ſecro,frater hæres eſſe hominis impro
bi,ꝙ ſi forſan iam fuiſti,ego tibi ſanum
conſilium do,ut bona,quæ ab eo hære-
ditate accepiſti pauperibus impertia-
ris,nec illa tuis opibus commiſceas,pe
rinde enim eſt, ac ſi illis ignem admo-
ueas:ſi igitur facultates tuas conſerua-
re intendis,non ipſas improbi faculta-
tibus coniungas:qualiter enim illas lu-
Simile. cratus fuerit neſcis. Cum quis fluuium
per lapides tranſire uult, ſi ipſi lapides
rotundi ſunt,& labinoſi,oportet caute,
& maxima cum attentione in eis pedé
figere,aliter enim facile laberis, & in
fluuium incidesrat ſi lapides plani ſunt
ſecure poteris pedem figere & fluuium
tranſmeare. O quam certus eſt caſus il
lius,bui pedem affectionis in creaturis
collocat,& quam proximus eſt pericu-
lo ſuffocandi ſe in infernorum numi-
ne:ſunt namq; plurimi, qui creaturis
quas Deus illis dedit in remedium, &
tranſitum,vt uidelicet per illas in cęlũ
tranſirent,peſſime abutuntur,& ex illis
occaſionem capiunt,vt in infernum de-
mergantur,ſicut Hebræis contigit, qui
bus cum S. Moyſes ſerpentem æneum
dediſſet,ut ipſi in eum aſpiciẽtes à mor
ſibus uerorum ſerpentum ſanarentur,
tanta affectione illius ficti ſerpentis ca
pti fuerunt, vt non ſolum eum contem
plarentur, uerum etiam illum tanquã
Num. 21. Deum uenerati fuerint,ac thura ei ad-
hibuerint. Quod quidé uidens S. Rex
Ezechias ſerpentem illũ confregit. Sic
cũ Dñs hæc nobis tẽporalia bona in re
mediũ damni,cuius primus ſerpẽs fuit
cauſa,conceſſerit,& vt tantummodo il
la conſpiceremus, & ex eis neceſſaria
ad uitam propagandam ſumeremus,
ipſa imprudentiſſime adoramus. Qua-
propter B. Paulus optime dixit. Auari-
tia eſt idolorum ſeruitus. O infernalé
cæcitaté,& æterna damnatione dignã.
Loquens B. Baſilius de auaritia in qua- *B. Baſil. homi. 7. in diteſcenoes.*
dam homilia ſic ait. Mare terminos ha
bet,nox item leges antiquas non tranſ
greditur,ſolus autem auarus nullũ cir-
cunſcribit tempus,nullũ terminum no
ſcit,rerũ ſucceſſioni nõ cedit, ſed uim,
naturamq; ignis imitando omnia com
prehendit,omnia paſcitur,& ueluti flu *Simile.*
mina ex paruis initiis exeuntia deinde
paulatim incrementum intolerabile in
proceſſu accipientia,impetu demũ uio
lento quidquid obiicitur ſecũ trahũt.
Sic & hi qui in magnã prouehuntur po
teſtatem, ex eo quod iam aliquos op-
preſſerunt, ad maiora continuo facino
ra,maioreſq; iniurias progrediuntur,
ac reliquos,quos prius præterierãt per
oppreſſos poſtea lædunt. Idé B. Doctor *B. Baſi. homil. 8.*
inquit. Ne nos, qui rationis ſumus par
ticipes brutis crudeliores uideamur, il
la nãq; terrę naſcentibus, ut naturali-
bus cõmunibus ſine diſcrimine utun-
tur: nã & ouium greges unũ,& eundem
paſcuntur montem,equorum multitu-
do eundem campũ, deniq; ſingula hoc
modo inter ſe uictũ neceſſariũ mutuo
ſuppeditant. At nos contra quæ ſunt cõ
munia,propria facimus,quæ ſunt mul-
torũ,ſoli poſſidemus. B. Chryſoſtomus *B. Chryſoſ.*
quadam concione ait. Nullus Dei effu *concione c.*
giet ſententiã,ſed omnes omnino, qui *1. de Lazaro.*
fraudibus,& rapinis uiuunt,Dei uindi-
ctã ſibi accerſunt,illã immortalé,fine-
q; carentẽ, quemadmodũ diues ille e-
pulo. Nec mihi dixeris illũ menſa ſum
ptuoſa frui,dũ uiuit,ueſtibus circũdari
ſericis,mancipiorũ greges circũferre,
ſed explica mihi iſtius conſcientiã, &
uidebis intus graué peccatorũ tumultũ
tẽpeſtaté,turbationemq; uelut in curia

men-

mẽtẽ ad thronũ conſciẽtiæ cũſcendiſſe regalẽ,& tanquã iudicẽ quempiã ſedẽtẽ,& cogitationes loco carnificum adhibentẽ in equuleo ſuſpendentẽ,latera q; conſcientiæ rodentẽ vngulis,pro cõmiſſis uehementer inclamantem, cum nemo ſciat, niſi quòd ſolus Deus hæc uidere nouerit.Etenim qui cõmittit adulterium etiamſi millies fuerit diues, etiã ſi nullũ habeat accuſatorẽ, non deſinit tamen intus ſe ipſum accuſare: & uoluptas quidẽ temporalis eſt, dolor vero perpetuus,timor undique, ac tremor,ſuſpitio, & anxietas, angelos metuit,umbras ipſas formidat ſuos ipſius famulos conſcios,inſcios,illã ipsã,qua corrupit,& uirũ, quẽ affecit contumelia,omnes timet, obambulat amarum accuſatorẽ circunferens conſcientiam, cũ ſit ſuo iudicio damnatus, nec uel ad breue tẽpus poſſit reſpirare. Nã & in lecto,& in mẽſa,& in foro,& in domo, & interdiu noctu, & in ipſis frequenter ſomniis hæc iniquitatis ſimulacra uidet, ipſiusq; Cain uitam uiuit gemẽs, ac tremẽs ſuper terrã,cũ nemo ſciat,in tus tamen habet ignẽ implicitũ. Idem patiuntur & qui rapinã exercent,&qui fraude lucrum faciunt. Hoc in ſumma quotquot in peccatis viuunt patiũtur. Idem etiam S. Doctor quadã homilia ait.Quemadmodũ ſine fluctibus mare nunquã conſpicitur, ſic animos diuitũ auarorũ abſq; ſolicitudine, tremore, turbatione,curis periculis nunquã reperies, ſed antequam priora cõponãt, alia inuaſerunt.Idẽ B.Chryſoſt.illã ho milia ait.Qui plus, quã permiſſum erat,manna colligebant,hi non manna, ſed uermiũ plus & putredinis tũ referebãt.Idẽ auaris accidit, & uoluptuariis, ut plus detrimenti reportẽt,plus iis ſit ſtercoris,quã lucri,& uoluptatis,ſed hi tanto deteriores,quã illi,quod Hebręi quidẽ ab errore ſemel cõmiſſo, & agnito reſipuerunt,ebrii autẽ,& auari uermem tanto moleſtiorẽ in ſuos uentres, & domos inferunt,nec ſatiãtur,nec ſen tiũt quidẽ.In uano conatu perſimiles,

B Chry. homi.36. in Matth. Simile.

B.Chryſ.homil.20. ad Corin.

ſed pœna longe maior. Quid enim locuples à paupere differt?Nã vnũ uterq; corpus veſtit,uẽtrẽ nutrit, ſed curis diues miſer cõſumitur, & quæ Dei ſũt negligit corporis inquinatione, animiq; perturbatione.B.Auguſt.etiã de auaritia agẽs ait. Auarus uir ſimilis eſt inferno. Infernus enim quãtos mortuos deuorauit,nunquam dicit ſatis eſt, ſic & ſi omnes theſauri circunfluxerint in auarum,nunquam ſatiabitur.

B.Aug ep. 3.ad Ioan. comitem. Simile.

Auaritiã dãnat Dñs per Prophetã Iſaiã,dicens: Repleta eſt terra auro, & argẽto, & nõ eſt finis theſaurorũ eius. Quoniã auarus nunquã ſatiatur, ideo inquit,theſaurorũ non eſſe finẽ,hoc eſt nunquã expleri ſitim cupiditatis, ubi aduertendum eſt Dñum non dixiſſe:repletũ eſt cor auro,& argento, ſed repleta eſt terra. Fieri.n.poteſt, ut terra impleatur diuitiis,& hominis auari animus nunquã implebitur. Fuge ergo o hõ terrã auro,& argẽto plenã, hoc eſt, auaritiã, quæ animã deſideriis inutilibus implet:vt.n.terra, quæ auri,& argẽti uenas habet,aliis in rebus ſterilis eſt, & inculta:ſic auari diuitiis, affluentes, metallaq; in animo portantes, nullum bonũ fructũ producere conſueuerunt. Fit enim plerumq;, ut magnas diuitias inſolencia,& impietas conſequantur,

Iſa.2.

Simile.

Auaritia.

VÆ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ: inquit Propheta Abacuc & merito quidem: etenim qui ædificat domum ſuam impendiis alienis(inquit Eccleſiaſt.) quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme.Hoc eſt, qui ex bonis per fraudem uel iniuriã quæſitis ſplendidas ſibi ædificaut domos, ſimiles his ſunt,qui in hyeme lapides ad ædificandum cõgregant,& in ipſis ędificiis cõponunt,& conſtruunt. Sicut.n. huiuſmodi ædificiũ diu ſubſiſtere ob tẽporis incommoditatem non ualet: ita illi conſtructis à ſe ædibus per rapinã, diu frui, morte præmatura intercepti

Abac. 2.

Eccleſ. 21.

non poterunt. Aut illorũ ædes non multo tempore perſiſtent: Deo illas ob iniuſtitiam tempeſtate aliqua ſubuertente: neq; magis perdurabit domus alienis impẽdiis ædificata, quã ea, quæ cõſtruitur ex lapidibus per hyemẽ congeſtis, ac ferruminatis. Pro eo autẽ quòd legimus: Quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme: Græca exemplaria habẽt in hunc modũ. Quaſi qui congregat ſibi lapides ad tumulum ſepulchri ſui. Quibus uerbis & aptiſſima comparatione monemur, eũ, qui iniuſte conquiſitis diuitiis domũ exædificat ſibi, ueluti ſepulchrũ ſibi conſtruere. Deo quippe eius ulciſcente iniuſtitiam, & iniquitatẽ non multo tempore ſuperſtes erit in ea, quam per iniuriam ædificat, domo: quinimo breui in ea moriturus prędicitur, ut ſit ei ueluti ſepulchrum futura. Domus igitur per auaritiã, & aliorũ oppreſſionẽ & cõpilationẽ conſtructa, non liberat dñum de manu mali, neq: tutiſſimũ illi refugiũ, & receptaculum præbet, ut Caius, ac Paulus iuriſconſulti dixerunt. Imo uerò ſubita ruina illũ ſolet opprimere, & ſepulchri, ac ſarcophagi uicem gerit. Domus porrò nomine non ſolũ locũ manſionis, ædesq́;, ſed ſtatum ſimul, atq; familiã, in primis autem liberos atq; nepotes, deniq; dignitatem, & honorem, ac regnum ſignificare ſolet diuina ſcriptura. Pagninus uero hunc locum ſic uertit: Væ auarè ſectanti auaritiam malam, ut domum ſuam ædificet. Vatablus autem ſic: væ ſectanti auaritiam malam propter domum ſuam, ideſt, ut domum magnificam ſibi extruat. Conſentit huic expoſitioni quod ſequitur in Propheta: ut ſit in excelſo nidus eius. Repetitio quippe uidetur eſſe, & explicatio præcedentum uerborum. Nidum autem dixit ex aquilarum metaphora, quæ undique quæſitam materiam in eum locum quẽ ponendis nidis optauerint, congerunt, eosq́; quam poſſunt aptiſſime componunt, atque ſubſternunt. Nidulantur uerò, ut ſcribit Ariſtoteles, lo cis non planis, ſed celſis præcipuè quidem arduis ſaxis, & præcipitibus, ut pulli tutiores ab inſidiis ſint. Abdias atq; Hieremias *Abdi. 1.* prophetæ, tranſlationem nidulandi in *Hiere. 19.* in excelſo apertè ad rapax aquilarum genus accommodarunt. Dicũt enim: ſi exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. Nidi autem metaphora oſtendit Abacuc, non ſibi tantum ſed liberis quoque, ac nepotibus ſuis, & poſteris auarum rapinis atque tyrannide conſulere.

Auaritia.

BEatus Apoſtolus Iudas mentionẽ faciens de peccato Balaam in ſua Canonica inquit. Væ qui errore Balaã mercede effuſi ſunt. Hic impius propheta auaritia commotus mercedem, & pretium pro peccato tulit: ideo ait hic S. Apoſtolus. Væ qui errore Balaam effuſi ſunt. Inquit, effuſi ſunt, utens quadam metaphora aquæ, quæ quando diffunditur, & ſpargitur tota perditur, & amittitur. Sic qui per auaritiam peccant, animas ſuas deperdunt, eo quòd illas uendunt, & auctioni ponunt, ut pretium earum augeatur. Denique ait S. Apoſtolus. Væ illis, qui ſequentes errorem Balaam animas ſuas per auaritiam perdiderunt. Sed quæro: quare cũ peccatum Balaam per malitiam uoluntatis fabricatum fuerit, quippe quòd auaritiæ peccatum erat, quare, inquã, S. Iudas hic illud uocat errorem, qui operationi intellectus tribuitur? Ad hoc reſpondetur, quòd licet peccatum Balaam propriè fuerit operatio uoluntatis: ab errore tamen intellectus procedebat: ideo in præſentiarum error appellatur. Sed uideamus qua in re Balaam errore ducebatur. Quoniam cogitabat ſufficere ad bene moriendum bona deſideria habere, quod quidem fuit origo, & principium ad peccatum auaritiæ committendum. Quod autem hunc errorem haberet aperte conſtat

ex

ex eo, quia cum tam mala intentione
Num.23. duceretur aiebat, vt in lib. Numerorũ
refertur. Moriatur anima mea morte
iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horũ
ſimilia. Totus ferè mundus hoc errore
impii Balaã plenus eſt. Meretrices illũ
ſequuntur, quæ ſemper ad peccandum
proſtitutę, ac paratę ſunt. Iuuenes etiã
qui in abominabili ſtatu ſunt: ſimiliter
ambitioſi quorũ tota uita eſt continuũ
peccatũ: nam ſemper alios paruiſaciũt,
& annihilant, maculas in eorũ perſo-
nis inurentes, ut ſic aduerſus illos prę-
ualeant. Illum ſequuntur aduocati, qui
exoptant, ut homines lites, diſcordias,
ac diſſenſiones inter ſe habeant[*porque de otra manera no ſe les corre el officio.*]
Hi omnes atque alii plurimi, qui male
viuunt, & bene mori cogitant, errorem
impii Balaam ſequuntur. Sed longe ali
ter eis eueniet: plerunq; enim, ac ferè
ſemper homines moriuntur, ut uiuũt.
B. Aug. in ſer. Innocẽtium. Vnde B. Auguſt. inquit. Hac animad-
uerſione punitur peccator, ut moriens
obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt
Dei. *Deſte error, que es penſar, que baſtan los buenos deſſeos, procedio en Balaam el peccado de la auaritia*] quod quidẽ adeò
graue malũ eſt, ut Eccleſiaſt. illud om-
nibus occaſionibus, unde omnia pecca
Eccl.10. ta oriri ſolent, anteponat dicens. Nihil
eſt iniquius, quã amare pecuniã, quaſi
dicat. Per totũ terrarum orbem oculos
extendi, & diligentiſſime conſideraui
omnes malas hominũ inclinationes, &
nullã magis periculoſam inueni, quàm
inclinationẽ eorũ, qui pecuniis nimis
dediti, atq; inordinatè propenſi ſunt:
ita ꝙ nec ſuperbi, nec carnales, nec ulci
ui, nec uoraces tanto ſicut auari sũt pe
riculo expoſiti. Et adiecit ſtatim. Is. n.
animã ſuã uenalem habet. [*A trueco de alcançar dinero eſta aparejado para come ter qualqui er maldad.*] Teſtis huius rei
eſt miſerrimus, atq; infœliciſſimus Iu-
das, qui propter tã uile pretium, quale
erant triginta nũmi, maius ex omnibus
ſacrilegiis commiſit, dum filiũ Dei, &
magiſtrũ ſuũ inimicis eius proditoriè
tradidit. Merito ergo ait Eccleſiaſt. Ni-
hil eſt iniquius, quàm amare pecuniã.
Etenim hoc initium, & fons eſt, atque
origo omniũ malorũ. Hoc uitium im-
pii Balaã cor penetrauit, ita ut propter
illud diſcordias inter Deum, & popu-
lum Iſraeliticum ſeminare intenderit,
dedit namq; cõſilium regi Balac, eum-
que inſtruxit, qualiter populum Iſrae-
liticum peccare faceret mittens ad eos
pulcherrimas de populo ſuo mulieres,
quæ ipſos ad peccatum luxurię atque
idolatrię prouocarent, ut ſic hac ratio
ne Deus ab illis tam grauiter offenſus
eos dereret: & hoc fuit inuentio, &
infernalis malitiæ ſtratagema. Idcirco
ſanctus Apoſtolus Iudas hunc maledi-
ctum, & execrandum hominem in e-
xemplum adducit, ut ſic alieno pericu
lo ſapiamus, & ab impio auaritiæ ſcele
re, ſiquidem tot malorum fons eſt, nos
ipſos peruertere non ſinamus.

Auaritia.

QVo tẽpore fabricabatur taberna-
culum, ſciens S. Moyſes, quòd po
pulus offerebat plusq̃ neceſſariũ
eſſet, iuſſit præconis uoce cãtari, ne uir,
aut mulier quidquã offerat in opere Sã
ctuarii. Sicque ceſſatum eſt à muneri- *Exo.36.*
bus offerendis eo quò d oblata ſuffice-
rent & ſuperabundarent. Animaduerti
te, obſecro, quã bonũ principiũ habue-
rit ſynagoga, ſiquidem miniſtri, ac ſa-
cerdotes eius non ſe ſinebant auaritia,
aut cupiditate ſuperari. Hoc fuit princi
piũ, ſed uideamus finem. Apud D. Mat- *Mat.15.*
thæum legimus tantam fuiſſe ſacerdo-
tum cupiditatem ut ſanctiones contra
legẽ Dei facerent, & dicerent filiis, qui
parentes egenos, & neceſſitate oppreſ-
ſos habebant, ut quidquid parentibus
ſuis daturi eſſent, in templo Deo offer-
rent. Quòd ſi, inquiunt, uobis patres ve
ſtri aliquid dixerint, eis reſpõdete dicẽ
tes. Munus quodcũq; ex me eſt, tibi pro
derit. Hic fuit finis ſynagogę, principiis
eius tã contrarius. Attendite quo ince-
pit,

bonorum temporaliũ ſynagogam ædifi cauit, auaritia vero eam deſtruxit, de qua Beatus Paulus inquit. Radix omni um malorum eſt cupiditas. Hoc idem euenit omnibus alijs monarchijs. Parci *1. ad Ti. 6* tas namque & temperantia principum Romanorum ipſum Romanũ imperiũ auxit, & amplificauit, cupiditas vero illud euertit, & labefactauit. Refert Dio nyſius Alicarnaſeus, quod cum Lucius *Dion. Ali- car. li. 10.* Quintius Cincinnatus uili habitu agri colę indutus araret, inde conſulem Ro manum eductus fuit, & poſtea in dicta turam bis electus quibus muneribus peractis iterum in agrum ſuum reuer ſus eſt, nec unquam perſuaderi potuit, ut pro illorum munerum adminiſtratio ne aliquid præmij acciperet. His & a- lijs ſimilibus principibus populus Ro- manus totum ferè terrarum orbem ſuo imperio ſubegit: auaritia uero, cupidi tas, & ambitio Iulij Cæſaris, atque alio rum, qui monarchiam uſurpare uole- bant, imperium illud potentiſſimum labefactauit. Paupertas Chriſti Redem ptoris noſtri, & ſanctorum Apoſtolorũ eius Eccleſiam Catholicam erexit, aua ritia uero eam deſtruere incepit. Nam ante quàm Conſtantinus imperator ur bem Romanam ſummis Pontificibus dediſſet, nõ erãt in ſacroſancta eccleſia *Nicol. in Deut. 32.* aliquot mala, quæ nunc ſunt. Atq; ita. ut refert gloſſa Nicolai de Lyra eo die, quo Conſtantinus imperator illam do- nationem fecit, audita eſt uox quæ ſic clamabat, & dicebat. Hodie cecidit uenenum in Eccleſia Dei. Ex his omni- bus exempli infertur, quam pernicioſa res ſit auaritia, & quantum nobis con ducat eam à cordibus noſtris, ſicut Bea tus Apoſtolus docet, funditus euellere.

Qui animę nequaq̃ ſolicitus terrena *B. Chry. ho mil. 36. in Matth. Simile.* curat, ſimilis eſt, (inquit Beatus Chry- ſoſtomus) his, qui cum male materiatã, & ruinoſam uideant domum, ipſam reſtituere negligunt, amplos autem ei hortos in circuitu præparant: aut illis, qui quamuis morbo conficiantur, cura tamen valitudinis neglecta, aureas ſibi veſtes contexunt: aut mulieri, qu ęcum aduerſa ualetudine, nimium laborat, nullum ęgrotationis remedium, ſed an cillas, & ornamenta, cæteraque huiuſ- modi ſtudet ſibi comparare. Non aliter ſanè nos gerimus cum anima noſtra, modo in furore, modo cupiditatis ardo re, nunc maledicendi ſtudio, nunc ina- nis gloriæ iactatione miſerabiliter ver ſetur, ac humi iacens, ac ſecum ipſa diſ ſidens ab innumeris laceretur feris, nõ ut ipſam curemus, ſed ut magnificas ę- des conſtruamus, & gregem ſeruorum, cæteraque huiuſmodi acquiramus, & diuitias multas lucremur, omni ſtudio atque cura uigilamus. Et ſi urſa fugam à cauea cæperit, domos præcludimus uicos obſidemus, ut intercepta nemini noceat: nunc uero cum non una beſtia, ſed multæ, atque obſcænę cogitationes omni beſtia ferociores, animam noſtrã lacerant, nec ſentire quidem uidemur, & urbium ſanè habitationi adeò proui demus, ut uel in deſertis locis, uel in uil lis, atque oppidis atrocem feram coer- ceamus, in anima uero noſtra, ubi locus conſilij eſt, ubi regia ſedes ad regale ſo lium omnia perturbantes maxima li- centia aſcendunt, propterea ad inferio ra depelluntur, quę ſuperius ſtare debe bant, omnia ſimul conquaſſantur tur- bata, urbana, ſuburbana, quæ intus, q̃ foris ſunt: ciuitatiq; ſimiles ſumus, q̃ Barbarorum incurſu conturbatur, aut auiculis, quæ dracone aſcendente ad ni dum trepidæ, ac conturbatæ circumuo lant. Omnes hi contrarij ſunt cupidi- tates, ſolicitudines, & curę rerum huius ſæculi, quæ miſeram animã perturbãt.

Apud nõnullas nationes olim ad cu piditatem diuitiarum reprimendã, au- rum ipſum interdicebatur, quemadmo dum cautum fuit Lycurgi lege apud La cedæmonios. Et Xenocrates Philoſo- phus cum aliquando magna pecuniæ ſumma ab Alexandro Magno offerre- tur, eo quidem conſilio, ut ſibi Philoſo- phi amicitiam cõciliaret (ut ſcribit Va lerius Maximus) reſpondiſſe fertur, ſe

nolle

nolle amicitiam ſuam tam exiguo pretio vendere. Vide igitur, quomodo iſti quamuis ethnici rerum temporalium cupiditatem quodammodo extinguerent,& à ſe procul pellerent, atque ita celebriores quidem extiterunt,quã multi Principes, & Reges potentiſſimi.

AVXILIVM DEI.

Ad Phil. 2.c.

PAratiſſimus eſt Deus ad auxiliũ ſuum hominibus præbẽdum, ut B. Paulus nos erudit,dicens. Deus eſt, qui operatur in nobis uelle,& perficere pro bona ſua uoluntate. Vbi nota, quòd Deus operatur uelle in nobis pro ſua bona uoluntate præueniente, & noſtra cooperante: ipſe enim uoluntatem noſtram mouet,& excitat ad bonum,& cũ illa cooperatur, ut q incepit perficiat. De quo etiam idem S. Apoſtolus in initio eiuſdem epiſtolæ, dixit. Qui cæpit in uobis bonum opus, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu. Hic dies eſt aduentus eius ad iudicium,ſicut ipſe Apoſtolus alibi inquit his verbis. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, & uſque ad illum diẽ perficit Dominus auxilio ſuo,quod cœpit: poſtea enim non erit ultra merendi tẽpus. Obſerua etiam uerbum illud: Qui cœpit in uobis bonum opus. Væ autem homini illi, qui opus Dei multo ſtudio ab ipſo inceptum deſtruit in corde ſuo quod graue ſcelus, familiareq; eſt multis hominum millibus. Vnde Euſebius Emiſſenus in quadam homilia monachos ſic admonet. Spes noſtræ omnes in conſummatione,atque in fine conſiſtunt. Quid mihi prodeſt, ſi mihi ſata uiridantia herbis ſpẽ meſſis oſtendãt, & me ſub ipſo falcis tẽpore ſubita, vel aeris intemperie, uel pluuiarum inundatione decipiant? Quid mihi proderit, ſi uinea in flore ſpem omnem promittat,& uel ferarum incurſio, uel uaſtitas grandinis ſpem omnem in conſummatione ſubducat? Ideo perſeuerantiam in uirtute magno cordis ſui affectu S. Dauid poſtulabat, cum dicit. Adhæſi teſtimonijs tuis Domine, noli me confundere: id eſt. Noli me in recidiuum derelinquere, iam adhæreo teſtimonijs tuis, non carnis pauimento, nec peccato,noli me derelinquere, ne iterum ruam, nam hæc ruina maxima confuſio mihi erit. Qui nunquam fuit diues,nec honorato loco poſitus,etiã ſi nimis iaceat;non pudeſcit:tamen qui ex ſordido ſtatu ad honorem maximũ euectus ẽ,ſi ad ſordes priſtinas redeat,maxima ei oritur confuſio,& pudor,riſui, oſtentuique omnibus erit. Sic qui ad virtutis faſtigium acceſſit per gratiam Dei,ſi poſtea per peccatũ decidat, maiori confuſione, & pudore afficitur, qđ lachrymis obortis,deplorat Hieremias dicens. Filij Sion inclyti,& amicti auro primo quomodo computati ſunt in vaſa teſtea,opus manuum figuli? Et infra. Qui veſcebantur voluptuoſe, interierunt fame,qui nutriebãtur in croceis amplexati ſunt ſtercora. Ecce à quanta celſitudine ad qualem miſeriam deuoluitur peccator, qui ſemel à peccato liberatus ad illud miſerabili reciprocatione reuertitur. Antea incedebat anima eius amicta gratia, ueluti aurũ fulgebant ueſtimenta eius, ueſcebatur cibo regio in menſa Domini,multis interim conſolationibus cœleſtibus nutriebatur, ſed à tanto faſtigio decidens in luto,& ſtercore uolutatur. Ab hac ergo confuſione poſtulat ſanctus Propheta liberari,cum dicit. Noli me confundere. Vl-

2. ad Ti. 3. *Emiſſen. hom. 5. ad monachos.* *Pſal. 118.* *Simile.* *Thrẽ. 4.c.*

re. Vl-

te. Vltimo denique, in hoc loco ſuper illa verba, Deus eſt qui operatur in vobis velle, notandum eſt duo eſſe ſecundum Doctores Theologos genera auxiliorum, quibus Deus ſuſcitat hominē ipſumque à peccato auertit, alterū eſt ordinarium & ſufficiens, quod ſcilicet ſufficit ſuapte natura, vt reſipiſcat peccator, hoc autem Dominus nulli hominum etiam ſceleratiſſimo denegat. Alterum uero ſuperabundans, & excellētiſſimum eſt: hoc autem non ſemper Deus peccatoribus offert. Primo quidem paulatim, ac ſenſim conuertitur peccator, altero vero efficaciter, & celeriter. Exēplū primi eſt, uelut ſi quis in pelago eſſet, qui penè in profundū ſuffocatus demergeretur, & ei fuſtē longū ſeu lanceā porrigas, quam ipſe apprehendens paulatim ab illo periculo exiret. Exemplum autem ſecundi eſt, quādo Gigas fortiſſimus brachia tenderet: & hunc hominem qui in eo ſe ſuffocādi periculo erat, apprehenderet, & quam celeriter illum incolumem educeret & ab eo periculo eriperet. Sic ordinarium & commune Dei auxilium eſt, quo peccatorem Deus ipſe mouet, & peccator paulatim ſe ipſum cognoſcens diſponens, & demoliens, tandem conuertitur. Aliud auxilium eſt ſuperabundans & magis efficax, quo peccator celeriter cōuertitur, & hoc auxilium poſtulabat Sanctus Dauid, cum dicebat, Miſerere mei Deus ſecundū magnam miſericordiam tuam. Vbi alia tranſlatio habet. Beneficus eſto mihi Deus pro tua maxima bonitate, & auxilio. Nouerimus tamen neceſſe eſſe, nō ſufficere auxilia generalia Dei ad ſalutem, cum in cōfeſſo ſit apud omnes, ipſa non communicari nobis per merita Chriſti, nam debita ſunt, & ordini, & ſuaui diſpoſitioni, & adminiſtrationi mundi, & ſuperflue applicarentur merita Chriſti ad illa obtinenda. Cum ergo per Chriſtum ſit ingreſſus ad regnū, neceſſarium eſt auxilium Dei ſpeciale & efficax ad ſalutem noſtrā, quod datur ex meritis Chriſti, & iuſtitia eius, non quidem ex illa, quā modo habet ad patrem ſemper aſſiſtēs ad interpellēdum pro nobis ſed ex illa, quā in hac uita habuit factus obediens uſque ad mortem crucis. Iuſtitia itaq; noſtra in eſſe, & conſeruari & noſtra iuſtificatio ex hac iuſtitia Chriſti pendet. Hæc auxilia ſpecialia, & efficacia ſummo cordis affectus cōtinuo à Domino poſtula. Nemini quidē ſunt debita, ſed non denegantur alicui humiliter Dominum oranti: & quicunque illa auxilia ſpecialia, & efficacia habet, certiſſime conuertitur, ut Doctiſſimus magiſter Vega docet. Sunt enim talis conditionis, ac generis concurſus iſti ſpeciales, quibus Deus peculiariter, & immediate noſtras rebelles ad ſe conuertit uoluntates, coniungens ſe, & intimo quodam, & benigniſſimo modo uniens ſe ipſis, & potentiores eas ad operādum reddens atque ut doleamus de peccatis noſtris, & uitam malā in bonā commutemus inflectens, nec unquam fruſtrātur, aut fruſtrari poſſunt à nobis, & omnes, & ſoli eos habent, quos ſuorum peccatorum pœnitet, & ad Dominum conuertuntur. Hæc autem, quæ diximus, in uerbo Raphaelis Angeli ad Thobiam ſcripta ſunt. Cum Thobias Iunior inciperet lauare in magno fluuio Tigris pedes ſuos, ecce piſcis magnus egrediebatur ad deuorandum ſanctum iuuenem, & clamans ait ad Raphaelē. Domine inuadit me. Et Angelus ad eum. Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Apprehende, dixit, & non, tange. Hæc in nobis fiunt per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Apprehendit ipſe peccatorem ad ſe attrahit.

Quòd autem ſine ui, auxilio, & impulſu Dei ea quæ ad ſalutē ſunt neceſſaria, comparare aliquis noſtrum non poſſit, verba illa Dauidis manifeſte oſtēdunt, qui in Pſalmo ait. In lumine tuo videbimus lumen. Hoc eſt, per te, qui lumen es verum videbimus, atque cognoſcemus te. Aliter enim fieri non poteſt,

Marginalia: B. Thom. in d. 14. q. 2. art. 5. — Pſal. 50. — Ad Heb. 1. — Ad Phil. 1 — Vega lib. 13. c. 13. — Thob. 6. — Pſal. 35.

reſt, ideoque in alio Pſalmo precabatur: Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Quid, obſecro, ô rex ſancte opus eſt, ut hoc audias à Deo? Non ne id ſatis tibi
Pſal. 34. compertum eſt? Nonne tu animæ tuæ dicere potes, ſalus mea. Dominus Deus meus eſt? Minime quidem: nam quãuis ego id affirmem, ego mihi ipſi perſuadere minime potero, niſi Deus dicat. Hoc eſt, mentem adiuuet, atque ſuo impulſu ad id credendum inducat. Quod vel hoc exemplo explicare poſſumus. Nullus ſanè noſtrum eſt, qui ignoret, ſe mortalem eſſe, ſe cito moriturum: quid igitur, dicito mihi, in cauſa eſt, ut ita uiuas quaſi ſemper uicturus? Quaſi nunquam obiturus. Quod ſcilicet nondum te moriturum dixerit Deus. Dicito tu Domino, ut id tibi dicat, hoc eſt, ut cor, animumque tuum metu mortis pulſet, tangat, atque conturbet, & tunc intelliges, atque reſipiſces: uitamque uere pœnitendo in melius mutabis.
Pſal 38. Idcirco Dauid orabat: Notum fac mihi Domine finem meũ. Non enim ignorabat ſe eſſe moriturum: non petebat, ut Deus illi diem obitus ſui reuelaret: ſed ut ita metu, atque formidine mortis cor eius tangeret, ut ſic correctus uitã rectè inſtitueret: paratuſque ſemper eſſet, ut cum ueniret Dominus, & pulſaret ianuam; confeſtim lucernam in manibus tenens ei aperiret.

Auxilium Dei cum libero arbitrio concurrit.

Loquens cum Deo ſanctus Iob de peccatoribus inquit. Corcorum
Iob 16. longe feciſti à diſciplina. Videtur quidem hoc carmine ſignificare nullm eſſe delectum arbitrij, aut hiſce in rebus arbitrium humanæ mentis nihil agere, tantum excipere impetum numinis, res omnes pro ſuo arbitrio moderantis: id quod Lutherus uoluit, abutens teſtimonio Iſaiæ, qui regem Aſſyriorum Serrã appellauit dicens. Nũquid exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? Eſt Martini Lutheri ſenteatia ſumma cum impietate coniuncta, nã ſi ita res ſe haberet, quemadmodum exiſtimat, & bonas, & malas actiones à Deo deriuari tanquam ab artifice ſerram trahentet cur ergo in Scripturis ſacris Pharaoni, Sennacheribo, Sauli, alijſque quam pluribus propria imputantur ſcelera? Sed neq; ſi de optimis, & egregijs actionib. ſermo ſit, impij Martini ſententia tolerari poteſt. Homines enim, cum de ſtudio uirtutis, & pietatis agitur in literis ſanctis, non appellantur raſtra, non aratra, nõ falces: ſed agricolę, uinitores ædificatores, operarij, mercenarij, coadiutores Dei, & cooperatores: & Deus adiutor noſter frequẽter appellatur. Cum ergo de improbis dicitur: Elongaſti cor eorum à diſciplina, non illis eripitur libertas arbitrij hoc loco, nec Deo tribuitur hæc elõgatio a uera diſciplina, quemadmodum impetus ſerræ ſupremo artifici: ſed ita locus accipiendus eſt, quaſi hæc ſequeſtratio à diuiniori diſciplina ſit ueluti pœna inflicta impiorum ſceleribus: quæ conſtat ſubtractione potius auxilij, & opis quã certa aliqua actione, quã Theologi appellant poſitiuam. Ob eamque rem, quæ de ſerra dicuntur ab Iſaia Propheta non ſunt in hunc locum adducenda, cum artifex deſtinata ad eam rem actione, ſerram impellat.

Auxilium Dei.

Intelligens ſponſa auxilij ſponſi ſui efficaciam, & operationem inquit in Cant.4.
Canticis. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, ut comedat fructum pomorum ſuorum. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Hortus ſum tua manu plantatus, & conſitus æterna prędeſtinatione, & electione, iugiter ſcaturiẽtibus aquis hoc eſt, incomparabili tua gratia, & bonitate irrigatus, tuoq; diuino auxilio fructificaui. Quoſcunque ergo fructus effeci, & effecero tui ſunt, tibique debẽtur.

tur. Sed inſtat hæreticus. Si hęc poma ſponſi ſunt fructus illi tribuendi ſunt tanquam ab illo proficiſcantur: ubi igitur eſt libertas arbitrij humani? nam ſi poma iſta ſponſi ſunt, & quæcunque bona opera facimus, ſponſo referenda ſunt, ita ut potius ſint cenſenda ſponſi, quàm ſponſæ: funditus igitur libertatē arbitrij labefactamus. Attende aliam eſſe libertatem iuſte operandi, aliam autem libertatem operandi libere: & libertas illa, quæ pertinet ad iuſtitiam operum, ex accidenti couenit creaturæ rationali, quemadmodũ & iuſtitia ipſa: Nam ſicut iuſtitia nõ neceſſitate aliqua noſtris animis hæret, ita etiam & hæc libertas iuſte operãdi nulla neceſſitate nobis contingit. Nam libertas iſta iuſte operandi pendet à diuina gratia, & beneuolentia numinis: ſine qua, quamuis arbores huius horti erumpãt in fructus & poma: nunquam tamen erunt iudicio ſponſi grati ſaporis, neque illi erunt accepta: libertas autem illa, qua noſtrũ arbitrium citra coactionem aliquam aut conſentit, aut diſſentit, adeo eſt cũ noſtra natura coniuncta, ut non magis à noſtris animis poſſit diuelli, quã uitæ ipſa, quàm ratio, quàm æternitas, & immortalitas: ſi igitur libertas illa primi generis nobis ex accidenti conuenit nũquid ſatis erit, ut bona opera noſtra ſint ſecũdum illam arbitrij libertatem cum noſtra eſſe natura coniunctam? aut poſſumus propter ſecundum illud libertatis genus poma ſiue fructus noſtros appellare, quemadmodum & ſponſi? Tota ſcriptura ſacra docet non poſſe nos vllo pacto Deũ adiuuare, aut illius ſpiritũ: neque illi eſſe à conſilijs. Quòd ſi in bono opere efficiendo Deum non adiuuamus: quo igitur pacto poma ipſa fructus, ſiue opera noſtra appellabũtur? ſed attende ex doctrina Diui Auguſtini ſponſam non poſſe vllo pacto ſponſum adiuuare, neque illi eſſe à cõſilijs: Hoc enim proprium eſt ſuperioris cauſæ, inferiorem iuuare aut opera, aut conſilio: ſed etſi ſponſum ſponſa adiuuare non

B. Aug. de libero arbitrio. c. 15.

poſſit, neque conſilio, neque opera, adiuuatur tamen ab ſponſo, quæ vna ratio iuuamenti & operæ ſufficit, ut poma, ſiue fructus & ſponſi appellentur, & ſint. Quod ergo ab ſponſo ſponſa adiuuatur, apertis teſtimonijs ſcripturarum comprobatur. Eſt ergo noſtræ voluntatis proprius motus: alioquin ſuperuacaneum eſſet diuinum illud adiuuamentum. Sunt igitur in omni bono opere & ſponſi, & ſponſæ concurſus; & ſponſus ita nobiſcum operatur, ut efficiat animam libere, & ſpontaneè credere, conſentire, bene uiuere. Nam ſi hæc omnia ſponſus ipſe non efficeret, quomodo igitur dicitur apud Ezechielem: Dabo uobis cor nouum, & ego faciam ut in præceptis meis ambuletis? Et ſi libertas arbitrij non nobis maneret integra, nec fructus pomorũ noſtri appellari potuiſſent, non diceret idem uates; uobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Qua propter B. Auguſtinus de libero arbitrio dixit. Ne mortalis homo forſan arbitraretur, arbitrij libertatem funditus ſublatam, ſcriptura ſacra noſtræ ruditati ſe attemperans, & ignorãtiæ conſulens in Pſ. dicit; Hodie ſi uocē eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Nec uates Eze. diceret: Proijcite à uobis iniqtates ueſtras, & facite uobis cor nouũ & ſpiritũ nouã. Prouidus proinde ſpiritus Dei quæcũq; pietatis opera ſponſo tribuit, aliquando ſuppreſſa libertate arbitrij, ut ſponſa facit pręſenti carmine, ne in grauiſſimum errorē incidat ſponſa ipſa exiſtimans ſine diuina ope, & gratia poſſe ſe bonũ aliquod opus efficere. Nunc uero contra arbitrij libertatem exaggerat, ſuppreſſa diuina gratia & ſponſi opera: ut ex utroque ad iuſtitiã erudiatur homo, agnoſcatque arbitrij libertatē integrã ſibi cõſtare & ſponſi operã uehemēter neceſſariam ad bona opera efficienda. Sed eſt peculiaris quędam ratio huius adminiculi & operę ſponſi, propter quam pomorum fructus, & bona quæcunque opera ſponſo potius, quàm

Ezec. 36.

B. Aug. de lib. arb. 1 5

nobis

nobis ſint tribuēda, ut uere dicat ſpōſa: ut comedat fructum pomorum. Nam cum audis arbitrij libertatem ſimul cū ſponſo ad pietatis opus concurrere, nō ita intelligendus eſt hic concurſus, quemadmodum, cum duo homines ſe mutuo iuuant: uel ad trahendam nauem, uel ad impellendam cymbam, quorū neuter poſſit ſuis uiribus id operis efficere. *Simile.* Spōſus enim cū ſponſam adiuuat, ut in fructus bonorum operū erumpat, illi cooperatur, quemadmodum ſol perſpicuo aeri ceram molliēti, per acceptū ab ipſo ſole lumen, & calorem, quemadmodum ductor uiam demonſtrans, aut is, qui iacentem hominem, languidum, & imbecillem erigit. Ob eam enim rem ſcriptura ſacra operā ſponſi ad edēdos fructus lumen appellat. Nos vero aſſimiliat eis hominibus, qui denſiſſimis tenebris, & profunda caligine, aut lubrico in loco verſentur. *Similis.* Et ſicut medicus caligantibus oculis certis medicamentis videndi reſtituit facultatem, qua reſtituta, quamuis uidendi facultas ea ratione, qua beneficium eſt, medico ſit tribuenda, nemo tamen, niſi qui demens ſit, & ſtultus negabit, viſionem hominis eſſe videntis. Hæc uero quæ diximus non obuiant his, quæ à Beato Paulo dicta ſunt. *1. ad Cor. 3* Neque qui Plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, ſi quidem ſanctus Apoſtolus eo loco, nihil aliud docet, quàm arbitrium liberum nihil ex ſe boni efficere ſine gratia Dei præparantis, & illuminantis. Quamuis ergo ſponſa fructus pomorum ſponſo tribuat, dicens. Fructum pomorum ſuorum: non tamen ob eam rem tollitur arbitrij libertas.

Auxilium Dei.

Pſal. 118. INtelligens ſanctus Dauid neceſſitatē diuini auxilij aiebat, & affectuoſe petebat. Non me derelinquas vſque quaque. Beatus Auguſtinus declarat. Non me derelinquas vſque ualde. Burgēſis uero: vſq; nimis. Alij ex Hebręis, non me derelinquas prorſus. Lyranus autem in interpretatione videtur exponere. Non me derelinquas nec ad momentum. Quamuis autem iuſtos ſic cuſtodiat Dominus: reprobos tamē vſque quaq; vſque nimis, vſque valde, uſq; in finem, denique prorſus, eos derelinquit, nō quòd eis neget ſufficiens auxilium, ut reſipiſcant, quo, ſi uoluiſſent, poſſent ad meliorem frugem conuerti, immo (ut aliquādo docuit B. Thomas) eis ſuperabūdans auxilium offert, licet illi non recipiant tantum bonum, ſed uerificatur in eis, quod ſanctus Iob inquit: Dedit eis locum pœnitentiæ, ipſi autem abuſi ſunt eo in ſuperbiam. *Iob 14.* Sed notandum eſt, ex magiſtro Soto, Deum *Soto lib. 1. de nat. & gra. c. 18.* ſubtrahere auxilium ſuæ gratiæ peccatoribus, dupliciter cōſiderari poſſe, primo modo, quod Deus deſtituat hominem ſuo fauore, & ſtudio, ita quod prolata ſentētia, & firma ſtatuerit amplius ei nō ſubuenire, & in hoc ſenſu certiſſime tene nullum in hac uita a Deo derelictum. Alio modo ſubtrahit Deus auxilium ſuę gratiæ permittendo quempiam agere libere ſecundum deſideria cordis ſui, paratus tamen ſemper ei ſuppetias ferre, ſi per ipſum non ſteterit, quod fit cum reprobis, paratiſſimus eſt enim Deus eis ſuccurrere, ſed ipſi nihil penſi habent, nihil minus currant: quapꝑter ipſe recedit ab eis & dimittit eos: ſicut vulnerati dormiētes in ſepulchris quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt, vel exciſi ſunt vt legit Beatus Hieronymus tanquam *Pſal. 87.* membra putrida, & ſe iuncta à Deo.

Auxilium Dei.

ALiquando etiam iuſtis videntur aliqua auxilia Dei deeſſe ſicut Beato Iob, cum dicebat. Si ad Orientem iero, non apparet: ſi ad Occidentem, non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram, quid agam non apprehendam eum, ſi me vertam ad dexteram non uidebo illum

illum. Quoniam dixerat paulo antea, quis mihi tribuat ut cognoſcam, & in ueniam illum? ad diſceptandum (vt de clarauit) de iure ſuo cum illo, dicit modo ſe fruſtra id optare. Nã quoquo uerſum ſe conuertiſſet eum inuenire nõ poterat. Quod ut magis amplificaret, quatuor locorum ſpecies numerauit, quibus cæterę comprehenduntur. Id autem dicit, vt ſignificet ſe Dei auxilio eſſe deſtitutum. Hac enim dicendi ratione in Sacra ſcriptura Deũ non adeſſe ſignificatur: quemadmodum in Prouerbijs Sapientia dicit: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgẽt, & non inuenient me. Id eſt, nullũ eis auxilium prędtabo. Cõtra vero cum Deus fert opem dicebat Dauid: prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: Quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Eſt autem grauiſſimum, & acerbiſſimum viro iuſto, q omnes ſpes ſuas in Deo poſuit, Deum inuenire non poſſe, cum malis; & incõmodis multis vrgeatur: ſicut ſanctus Iob, qui ſtatim inquit: Ipſe uero ſcit uiam meam: Id eſt ſcit me inculpatè uixiſſe. Tunc enim Deus ſcire dicitur, cum approbat, contrauero neſcit quos reprobat. Et addit & probauit quaſi aurum quod per ignẽ tranſit. Probauit, inquam, tantis calamitatibus, quę igni conferuntur. Sed quonam pacto quis calamitatibus probetur, ſeque aurum eſſe non ſcoriam oſtẽdat, declarat ſtatim, eſtque magno pere animaduertendum. Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus, uiam eius cuſtodiui, & non declinaui ex ea. A mãdatis labiorum eius nõ receſſi, & in ſinu meo abſcondi uerba oris eius. Sciam igitur quis in calamitatibus uirtutem Deo probat, non eo quod nõ ſe animi angat, non doleat, nulla moleſtia aut ægritudine afficiatur, ut ſtultè Stoyci putarũt, ſed in eo, quod miſerijs, & ęrumnis fractus peccatum nullum, uel in Deum, uel in homines admittat, nulla denique ratione ab officio deſciſcat. Veſtigia, mandata, uia, & uerba Dei idem hoc loco ſunt, quod lex eius. Quod autem dicit: in ſinu meo abſcondi uerba oris eius, per inde eſt, ac ſi diceret: legem eius non abieci, ęgrè ferens, ita me ab eo tractari, aut nulla rerum deſperatio mihi ex animo legem eius extorquere potuit. Sed quod, in ſinu meo, dicit, ex Hebræo uerti poteſt, abſcondi in ſinu meo magis quam ſtatum meum, uerba oris eius, & ea maiori cura ſeruaui, quã ſtatum meum. Vocat autem ſtatum ſuũ res eas ſibi à natura ad uitam degendã ſtatutas. Eo enim animo ſemper debet eſſe uir bonus, ut potius uitam deſerat, quam legem Dei, quæ uera eſt mortificatio, ad quam uir bonus pro uirili parte aſpirare debet. Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius, de bono uiro canebat regius uates. Grauem & peracutam cauſam reddit deinceps S. Iob, cur ſibi Deus nõ ſit deſerendus: licet quibuſcunque ab eo afficiatur incommodis, dicens: Ipſe enim ſolus eſt. Quod eſt maxime notandum ad uitam noſtram inſtituendã. Nam ſi alius eſſet Deus ad quem à Deo deficientes poſſemus perfugere? eſſet aliqua tantæ temeritatis excuſatio, ſed cum ipſe ſolus ſit, & nemo auertere poteſt cogitationem eius, vt idem ſanctus uir ſtatim inquit. Id eſt, nemo poteſt impedire quominus fiant, quæ facere cogitauerit, ſed & anima eius (addit) quodcunq; voluit, hoc fecit. Quamnam me dicinam incommodis meis afferam ſi Deum fugiam, ſi uiam, ueſtigia, & mandata eius relinquam, aut gratiam eius ullo modo exulcerem? Nullum ergo tutum reliquum eſt refugium Deo deſerto. Quare ut ipſum fugiamus iratum, ad eundem ipſum miſericordem nos oportet confugere, dicentes, quod eſt in Oſea: uenite, & reuertamur ad dominũ, quia ipſe cæpit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos. Quam rationem ſi leues, & temerarii homines bene conſiderarent, forte deſinerent, cum malis conflictantur, & de Deo contumelioſe maledicere, & ſceleratiſſimos moliri modos,

Prouer. 1.

Pſal. 14.

Pſal. 36.

Oſeæ 6.

modos, quibus miſerias ſuas ſubleuarent, in quos certę quadrat, quod Chriſtus Ieſus uerus mundi Saluator Saulo, dixit: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. *Act.9.*

Auxilium Dei.

ET non dixit. Vbi eſt Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte, dicitur in lib. Iob. *Iob 31.* Quod perinde eſt, ac ſi diceretur: Ea de cauſa Deus non omnibus oppreſſis auxilium fert, quia non omnes ſpem ſuæ ſalutis in Deo ponũt, neque eius ex animo præſidium petũt, ſed alias peſſimas forte ineunt rationes, quibus cum mala urgent, liberentur. Quorum hominum abſurdiſſimũ eſſe conſilium duobus argumentis breuiter oſtendit. Quoniam à quo potius deberent cõſeruationem, & præſidium ſperare, quam ab eo à quo facti ſunt? Nam qui præſtitit eis, ut eſſent, cum nihil ab eo peterent, nullaque re eius ſibi beneuolentiam adiungerent, multo melius factos ſeruaret, ſi eius clementiam, & benignitatem implorarent, & amori eius reſponderent. Tum cum experiantur homines ab ipſo Deo noctis metu, cum in tenebris uerſari uehementer exhorreſcunt benigniſſime liberari, vel claritate lunę, vel ſtellarũ lumine, uel aliis uitæ ſubſidiis, non modo non timent, uerum etiam alacri, & læto animo canunt: ita enim quidam exponunt illud. Qui dedit carmina in nocte, ideſt cauſas canendi. Optime etiam Græci transferunt dicentes, conſtituens cuſtodias nocturnas, ideſt, qui nos in noctis metu cuſtodirent, ita ut metu uacui homines canant. Vel ad uigiles, & cuſtodes urbis alludebat, qui uigilias canendo exigunt nullo noctis timore perculſi. Addit etiam: Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper uolucres cœli erudit nos. Alio argumento demonſtrat Eliu amicus Iob ualde abſurdum eſſe hominem, qui in rerũ diſcrimine ad Deũ non confugit, à quo tam ſingulare accepit beneficium, ut & ipſe unus inter cætera animalia, mente, & ratione polleret, quam ipſe præterea multis modis imbuit, & ad ueram doctrinam informat. Illa ergo tam expreſſa Dei imago quàm in ſe homo uidet, deberet illum in malis iacentem ad memoriam eius, à quo tot habet bona excitare, & eius ex animo auxilium petere in eoq; omnes ſalutis ſuæ ſpes collocare pręcipiẽte præſertim ipſo, ut eius uerbis ait Dauid: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. *Pſal.49.* Oportet igitur, ut nos Deus uindicet à malis, ipſum ex animo inuocare. Cum ergo multi à potentibus uel ab alijs neceſſitatibus oppreſſi id non faciant, ſed aliis uiis ſuam ſalutem inueſtigent, mirum eſſe non debet, quod eis nullum ſubſidium pręſtet & propterea ſubiicitur. Ibi clamabunt, et non exaudiet propter ſuperbiam malorum. Idem, cum iniquorum hominum ſuperbia miſeros habuerit, licet clament eos Deus non audiet: quia uel Deo non clamant: ſed uel lamentantur, de ſua fortuna quærtuntur: vel non Deum, ſed cognatos uel amicos, uel potentes homines obnixè obſecrant. Aut ſi Deum appellant, non eius gratiam, & beneuolentiam in primis quærentes, ſed à malis liberari cupientes. Itaque Deum ſibi adeſſe optant non tanquam rem honeſtam, ſed tanquam utilem, hos quidem Deus clamores non curat, ut illis ad auxilium ferendum moueatur. De iis .n. regius uates inquit. Clamauerunt, neq; erat qui ſaluos faceret, ad Dominum, neque exaudiuit eos. *Pſal.17.* Quod autem uirum iuſtum liberet Deus à malis, licet omni orbatus auxilio quibuſdã uideatur, dicitur in eodem libro Iob, his uerbis. *Iob 36.* Eripiet de Anguſtia ſua pauperem. Hoc in ſe expertus Dauid, dicebat. Hic pauper clamauit, et Dominus exaudiuit eũ et de oĩbus tribulationibus eius liberauit eum. Sequitur etiam et reuelabit in tribulatione aurem eius. *Pſal.33.* Ideſt, non ſolum uiris bonis calamitates nullo detrimẽto erũt, ſed ẽt cõmodũ ma-

ximum hoc ex eis reportabunt,quod il
lis ad pietatem informabuntur,& diui-
næ doctrinæ peritiores fient, id enim ſi
gnificat aurem eius reuelare, ideſt do-
cebit eum. Dici enim non poteſt quan-
ta quamque diuina prudentia eum au-
geant calamitates, qui patienter eas,&
æquo animo tolerat Dei fretus auxilio.
Hunc fructum ex illis ſuſcepiſſe maxi-
mum cognoſcebat Dauid, ideoque di-
cebat. Bonum mihi,quia humiliaſti me
ut diſcam iuſtificationes tuas. Dicitur
ulterius: Igitur ſaluabit te de ore angu-
ſto latiſſime, & non habenti fundamen
tum ſubter ſe, os anguſtum uocat eam
calamitatem,atque iacturam, quæ diffi
cile reſarciri, & in qua uix exitus inue-
niri poteſt, qua metaphora uſus eſt Da
Pſ. l. 68. uid,dicens. Non abſorbeat me profun-
dum, neque urgeat ſuper me puteus os
ſuum. In eaq; re Deus amicis ſuis, quã
eximius patronus ſit, uehementer decla
rat, cũ in ſũma rerũ deſperatione ſũmã
ſalutem affert: q̃ ſignificat,latiſſimè di
cit.i. latiſſimè ſaluabit,exmagna rerum
anguſtia id ampliſſimam uindicans la-
titudinem,ut dicebat regius uates:Prę-
uenerunt me in die afflictionis meæ, &
factus eſt Dominus protector meus, &
eduxit me in latitudinem, ſaluum me *Pſal. 17.*
fecit,quoniam uoluit me. Quod autem
dicitur, & non habente fundamentum
deſcriptio etiam eſt grauiſſimæ calami
tatis, cum undique agitatus homo un-
de conſiſtat,& acquieſcat non reperit.
Qua etiam ratione incommoda ſua de *Pſal. 55.*
ſcribebat Dauid, dicens: Infixus ſum
in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.

BEATITVDO.

Ariſt. 2. de cælo.
B. Tho. 1. p. q. 77. ar tic. 2.

ARiſtoteles in ſuis li
bris de cœlo,& D.
Thomas eleganter
docent, naturas u-
niuerſi, ac condi-
tiones rerum ſic eſ
ſe diſpoſitas, quòd
ea,quę ſunt in ter-
ris infima,non poſſunt conſequi perfe-
ctam beatitudinem,ſed aliquam imper
fectam paucis motibus, & actionibus:
ut animalia rationis expertia, plantæ,
lapides,&c. Superiora uero his qualis
eſt homo poteſt quidem conſequi per-
fectam beatitudinem licet pluribus a-
ctionibus,& motibus. Vnde plures po-
tentias,& organa ſortitur, quibus tan-
quam inſtrumentis tot motus,tot ope-
rationes exerceat. Oportet enim,ut per
motum fidei, & per motum ſpei, per
charitatem, & amorem, per patientiã,
per miſericordiæ opera,et per tentatio
num procellas pergat,ut beatitudinem
cõſequatur,ubi pax, et requies ſumma
eſt. Vnde notatu digniſſimum eſt,quod
in ſacris literis quotieſcunque fit men-
tio de ſtatu ſanctorum in termino, qui
conſiſtit in uiſione,et fruitione Dei, ex
plicatur per terminos ſignificãtes quie
tem,ut eſt illud Iſaiæ. Sedebit populus *Iſa. 32.*
meus in pulchritudine pacis. Et illud *Mat. 20. c.*
Matthæi. Sedebitis et uos ſuper ſedes
duodecim: et B. Paul. uocat ſanctos no
mine dormitionis,quæ ſignificat quie-
tem. Non præueniemus eos,qui dor-
mierunt. Cæterum quando loquitur de *Ad Theſ. 1*
ſtatu Sanctorum in uia, qui conſiſtit in
progreſſu uirtutum, et meritorum, ex-
plicat per nomina ſignificantia motũ.
Sic currite, ut comprehendatis. Et ad
Philippenſes ſcribens, ait. Quę retro *D. Pau. 2. ad Eph. 3.*
ſunt obliuiſcens, ad ea quæ priora ſunt
extendens me ipſum,ad deſtinatũ per-
ſequor brauiũ ſupernæ uocationis Dei.
Et Regius Propheta: Beatus, inquit, uir, *B. Paul. ad*
cuius eſt auxilium abs te, aſcẽſiones in *Phil. 3.*
corde ſuo diſpoſuit in ualle lachryma- *Pſal. 63.*
rum. Et hoc eſt, quod Dominus Sama-
ritanæ mulieri, dixit. Qui biberit ex a-
qua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons
aquę

Ioan.4. aquæ ſalientis in vitam æternam. Gratia enim Spiritus ſancti eſt in iuſto uiatore, hic impulſus internus, quo ſalit, & pergit in uitam æternam, deſiderium ſcilicet proficiendi currendi per uirtutum opera ad uitam ęternam, nā in hac uita non quietatur cor noſtrum, nec iuſtus exiſtimat ſe comprehendiſſe, ut B. *D.Pau. ad phil.3.c.* Paulus dicit. Fratres, ego non arbitror, me comprehendiſſe. Et ideo ſemper conantur proficere de uirtute in uirtutē. Ecce quomodo hic non habenda eſt requies, ſed per multas operationes, & labores ad illam ſupernam requiem nos oportet properare: quod ut ſummo ſtudio faciamus maxime confert, quæ Bea*B. Hieron. ad Euſtochi.* tus Hiero. ad Euſtochium docet, attendere, ait enim. Egredere, quæſo, paulisper de carcere, & præſentis laboris tibi ante oculos fige mercedem, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Qualis erit illa dies, cū tibi uirgo Maria choris occurret comitata uirgineis, cum poſt rubrū mare ſubmerſo exercitu Pharaonis tympanum tenens præcinet reſponſuris. Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt. Equum, & aſcenſorem proiecit in mare. Tunc & ipſe ſponſus occurret. & dicet. Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & ueniam enim hyēs tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra. Tunc & Angeli mirabuntur, & dicent. Quæ eſt iſta quę aſcendit de deſerto delicijs affluens, enixa ſupra dilectum ſuum? Tunc exultabit & mater tua, ſiue quę te genuit, ſiue quæ te docuit. Quotieſcunque te uana ſæculi delectabit ambitio, quotieſcunque in ſæculo aliquid uideris glorioſum ad paradiſum mente tranſgredere, eſſe incipe, quod futura es, & tunc poteris dicere. A quæ multæ non potuerūt extinguere charitatē. O uerba tanti uiri digna? utinam ea in cordibus noſtris recondere- *Euſeb. Emiſſenus homil.8.* mus: Euſebius Emiſſen. mirifica etiam uerba adhoc propoſitum nimis condu centia profert, inquit enim. Recordemur, quā iucunda ſit quies: quā delectabilis repauſatio poſt depoſitū alicuius grauiſſimi oneris faſcē, quam dulce ſit, poſt longæ captiuitatis cathenas ad charam patriam recuperata libertate remeaſſe quā pretioſum ſit, poſt multa nauigationis pericula ad optatam terram, atq; portum deſiderabilem perueniſſe. Atq; ex his colligamus, & agnoſcamus, quam iucundum erit comite bona conſcientia ad uera, & ſolida gaudia, atq; ad angelorum tranſire conſortia, & ad illam uitam conſcendere, ubi nulli erunt labores, nulla dāna (& quod ſupra omne bonum eſt) nulla peccata, ſed æterna innocentia, inuiolata iuſtitia, inconcuſſa ſecuritas, atq; ſempiterna fœlicitas. Per uiſcera Dei noſtri uos fratres humiliter obſecro, ut hæc alta mente perpēdatis, vt in deſideria tāti boni inflammemini, & corda ueſtra ab amore huius ſæculi eradiceris. Nam re *Pſal.139.* gius Propheta inquit. Habitabunt recti cum uultu tuo. Non dixit, cū ſcapulis tuis, quod olim Moyſi promiſſum fuit, cum hunc uultum Dei ſummis uotis uidere uel ad horam concupiſceret. Di *Exod.33.* xit ei Dñs. Poſteriora mea uidebis. Hic tamen rectis corde promittitur uultus Dei, ideo oportet nos corda noſtra cū ipſius adiutorio recta facere, ut tantam beatitudinem conſequi poſſimus. Videns regina Saba Sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, nec non & cibaria menſæ eius, & officia miniſtrorum eius, & ueſtimenta eorū ait. Beati uiri tui, & beati ſerui tui hi, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & au *2. Parali.* diunt ſapientiam tuam. Si hi beati à ſapientiſſima regina reputantur, quam beati erunt, qui ſtant coram Deo, & uident uultum eius, in quo omnia uidēt, omnia audiunt, omnia ſciunt? Et ita B. Fulgentius ait. Sicut per ſpeculū uitreū *B. Fulgen. in epiſt. Simile.* trina nobis uiſio adminiſtratur, qua nos ipſos, & ipsū ſpeculū, & quidquid præſens adeſt, uidemus: ſic per ſpeculū diuinæ claritatis & ipſum Deum, ut eſt, uidebimus, quātum poſſibile erit crea

ruræ,& nos ipſos,& omnia alia uera,& certa ſcientia cognoſcimus.

Beatitudo.

BEatitudo ob ſui excellentiam abſolute dicitur uita:quod illa uerba regii Prophetæ probant.

Pſal.118.

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & uiuã. Quæ uerba B.Hieronymus, & Fœlix ſic uertunt.

B.Hiero.et Fœlix.

Conforta me, ſeu ſuſtenta me. Quod in idem cum noſtra editione redit,quoniam ea, quæ ſub noſtra tutela ſuſcipimus,& ab aduerſariis tuemur & in bono congruo ſuſtentamus. Vnde & poteſt intelligi de ſuſceptione, qua Deus ſuos ſuſcipit per gratiam in ſua protectione ſingulari, ut poſtea ſuſcipiat per gloriam. Verbum enim, & uiuam, refert B. Auguſtinus ad gloriam, tanquam hic in hoc mortali corpore non uiuatur.

B.Auguſt. ſup. Pſal. 118.

Verum ne uideatur præſumptio ſic audacter poſtulare à Deo,ideo ait.Secundum eloquium tuum,id eſt,ſecundum promiſſionem tuam: nam vt nos hoc auderemus petere (ait B. Ambroſius)tu feciſti Domine: tuo te chirographo conuenimus, qui noſtrum chirographum ſuſtuliſti:nos fecimus chirographum mortis, tu feciſti chirographum uitę. Ergo non confundas me ab expectatione mea quia in te ſpero, ſpes enim non cõfundit. Hæc ille.

B.Ambro. ſup.eo. Pſ. 118.

Hãc ſententiam confirmant uerba illa Chriſti redemptoris noſtri. Qui bona egerunt,ibunt in reſurrectionem uitæ: vbi Dñs abſolute beatitudinem uitam vocat,illa enim vera vita eſt, in qua nec mors,nec ea,quę ad mortem diſponũt, locum habent.

Ioan.5.c.

De morte quidem apud Iſaiam dicitur. Præcipitabit mortem in ſempiternum, cum peccatore Angelo mors præcipitata,ac deturbata eſt à cælo quo nunquam aſcendet,quia ibi nũquãm erit peccatum, vnde nec mors, quæ eſt ſtimulus peccati,& ſtipendium culpæ iuxta Pauli ſententiam: præcedentia autem mortem & diſpoſitiones vitæ interitus,quæ ſunt dolor, & infirmitas nullum in illa fœliciſſima regione ius habent:

Eſa.25.

D.Pau. ad Rom 9.

Abſterget quippe Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum & iam nõ erit amplius nec luctus, nec clamor,ſed nec ullus dolor quoniã priora tranſierunt. Vita ergo illa uita viuens eſt,in qua nulla mortis imago.

Apoc.2.c.

At præſens uita mors eſt potius dicenda, quam uita,Dominus enim poſt peccatum maledicens homini dixit.Morte morieris,hoc eſt, ipſa uita, qua uiuis, erit,mors,qua morieris: quoniam per ipſam ad mortem properas,uel (ut Simachus transfert) mortalis eris, hoc eſt,uiues in uita morti ſubiecta. E contra autem de uita illa dicitur his, quibus promittitur, uita uiues,id eſt, uita illa,qua frueris,tota erit,uita nihil habebit admixtum mortis. O ſi hæc aſſiduis meditationibus in cordibus noſtris uolueremus,quomodo omnia hęc uana cõtemneremus.

Simile.

Vt fidus amator etiã inter ſpecioſas mulieres pulchritudinẽ,ac formam ſponſæ ſuæ in memoriam adducit,ut nõ rapiatur aliena ſpecie,qui uenuſtiſſimam ſponſam coram ſe in memoria habet: ſic fidus Chriſti amator inter mundi ſcandala cęleſtem gloriã meditetur,ne illius oblitus in alterum rapiatur amorem. Agite ergo Chriſti fideles ,ne horum obliuiſcamini, conducibilia enim vobis ſunt. Vt hæc præſentia vos non ſeducant, attendite,quid B. Gregorius dicat. In hac vita,inquit,multa videmus,quæ non habemus,in alia idem eſt videre,quod habere. Hoc ipſum idẽ S. Doctor ſuper illa verba, in domo Patris mei mãſiones multæ ſunt,declarat his uerbis, in eiſdẽ multis manſionibus erit aliquomodo ipſa retributionis diuerſitas cõcors, quia tanta uis amoris in illa pace nos ſociat,ut quod in ſe quiſq; non acceperit,hoc ſe accepiſſe in alio exultet. Vnde & non æque laborantes in vinea, æque cuncti denariũ ſortiuntur.

B.Greg. li. 19. moral. c 2. idem B.Greg.li. 4. moral. ſup.Io.4.c.

Hanc autem cæleſtem doctrinam Beatus Dionyſius confirmat dicens. Facies eos diſcumbere. Inſinuat iſta communem

B. Dion. epiſt.9.

ſan-

Sanctorum in diuinis bonis concordem lætitiam, & conſentientem ſocietatem. Diſcubitus autem requies eſt ex multis laboribus, largitasque uberrimorum bonorum affluētiſſima. Ex hoc ſequitur, quòd qui non laborauerunt, non diſcumbent, ſed tunc laborabunt. De quibus Beatus Bernardus, ait. Domine multi uolunt tecum conregnari, ſed non compati: uolunt inuenire, & non quærere: uolunt conſequi, & non ſequi. Ideo Beatus Paulus inquit. Nolite errare, Deus non irridetur, quæ .n. ſeminauerit homo, hæc & metet: qui.n. ſeminat in carne, de carne metet, corruptionem: & qui in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Quomodo ergo tu, qui tota vita in carne ſeminaſti, vitā æternam ex hoc adulterino ſemine tibi polliceris? Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita cum domus Dei ædificaretur. Cur ita? quia lapides, & ligna adeò in monte Libano exculta, & polita erant, ut cum in locis ſuis collocarētur, nullo opus eſſent ferramento. Ad hunc ergo modum in hoc mundo uariis ictibus, & preſſuris pii homines excoluntur, & præparātur, ut poſtea ſine ullo dolore, aut labore in cæleſti illa domo, quæ uiuis ex lapidibus ædificatur, ſuis in locis collocentur: ibi enim abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &c. quæ prima abierunt. Itaque in hoc mundo laboribus multis premi et uexari, nihil aliud eſt, quam ad illas cœleſtes ſedes aptari. Hinc illud ex hymno. Tūſionibus, preſſuris expoliti lapides ſuis coaptantur locis per manus artificis.

D. Bern in quodā ſermone.

Ad Gala. 6.c.

3. Reg. 6.c.

Beatitudo.

Mat. 11.

Regnum cœlorum uim patitur, et uiolenti rapiunt illud: ait ſumma veritas. Super hunc locum ſic ait Doctiſſimus Caietanus. Vere cœlorū regnum uim patitur, quia tanta eſt eius excellentia, ut nullam habeat habilitatem ad hoc, ut acquiri poſſit ab hominibus naturaliter, bene autem gratia Dei adiutis: nam illi dicuntur uiolenti, qui ſibi uiolentiā faciunt contra proprias naturæ corruptæ inclinationes: & illud dicitur proprie vim pati, quod patitur illud, ad quod nullam habet habilitatem: ſicut corpus cœleſte non eſt habile, ut poſſit ab homine acquiri. Quia autem uere, & realiter regnum cœlorum ab homine acquiritur auxilio Dei, ideo dicitur, quod uim patitur, & uiolenti proculdubio fide, & operibus accipiunt illud, non ex merito tantum naturæ, aut actionum, ſed ex ui ſpiritus ſuper regnum cœlorum poteſtatem habentis, ita ut potius dicatur, quod rapiant illud, quam quod iure adquirant. Videte ergo deſides, & otio uacantes, quid de uobis erit, ſi quidem uiolenti rapiunt regnum cœlorū. Attende ò homo, quia regnum cœlorum uenale eſt, ut Beatus Auguſtinus docet. Tamen aliud non quærit pretium niſi te ipſum, tantum ualet, quantum es, te da, & habebis illud, ſed te ſanctum, & bonum in commutatione dare debes, quia malum & peccatorem Deus abhorret, & nihil extra te dabis, quod ſufficiens ſit pretium ad emendum illud. Totum hoc pretium, quod à te exigitur, tibi perquam exiguum uidebitur, ſi magnitudinem, & incomparabilem ualorem illius cœleſtis regni contempleris, vbi glorioſam, & æternam tam in anima, quàm in corpore uitam habebis. Hæc noſtra vita adeò miſerabilis eſt, & tam ſine vita, vt (ſicuti Beatus Baſilius, & eruditiſſimus Euſebius eleganter animaduertunt) noſtrum eſſe, ita commixtum eſt cum non eſſe, ut plus ſit, quod non ſumus, quam quod ſumus. In ea nulla requies, otiumve eſt, aut eſſe poteſt: nam ſic ait Beatus Auguſtinus. Feciſti nos Domine ad te, & ideo inquietum eſt cor noſtrum, donec ueniamus ad te. At uero uita illius fœliciſſimi regni vere ulta eſt, atque æterna, ita quod nulle un-

B. Aug. in Manuali. c.16.

D. Baſil. in hexamero.

Euſeb. li. 11. præpar. Euang. c.1.

Aug. li. 13 de ciu. Dei c.11.

unquam ſæculo ſit finem aliquem habitura. Hebræorum uocabulum, quo ipſi vitam dicunt, eſt chayo, & ſignificat non ſolum, uitam, ſed uitas: ut uidelicet hoc nomine nos ad æternæ uitæ memoriam ſuſcitarent, inſinuantes, beatam illam uitam futuram eſſe corporis, & animæ uitam atque ita Chriſtus Redemptor noſter ſæpenumero, maxime apud D. Matthęum, vitam ęternã per excellentiam vitam vocat abſolute inſinuãs in hoc, ipſam duntaxat nomẽ vitæ mereri, temporalem vitam cũ morte eſſe permixtam. Verum eſt tamen, quod cum homines in ſua creatione immortalem animam acceperint (vt optime probat Euſebius Cæſarięſis ex illo Geneſis loco ubi dicitur: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in facieam eius ſpiraculum uitæ, & factus eſt homo in animã uiuentem, in quo loco teſtatur hic doctiſſimus uir animam uiuentem ſignificare animam immortalem) hæc quidẽ anima immortalis poteſt hic incipere uiuere uitam æternam, ſpiritualem, & gratuitam, recipiens diuinam gratiam, quæ (ut ait B. Auguſtinus) uira æterna appellatur: Sicut ex D. Paulo aperte cõſtat, dum inquit, gratia Dei, uita æterna. Et dicitur vita æterna, eo quod ex ſe, animam ad perſeuerantiam inuitat eique uires præbet. Hoc modo intelligitur illud eiuſdem Apoſtoli. Charitas nunquam excidit: hoc eſt, non inuitat animam, ut in ipſa charitas extinguatur, quin potius è contra eam ad perſeuerantiam inuitat. Ergo magna confuſio eſt noſtra, quod cum talem fauorẽ à Deo habeamus non perſeueremus uſq; ad uitæ æternæ conſequutionem, quã quidem Hebraica lingua non gloriam, aut beatitudinem tantummodo uocat, ſed glorias, ac beatitudines in plurali numero, hoc videlicet nomine, Afre, quod beatitudines ſignificat: beatitudo enim & corpori & animæ eſt. Quis igitur mentis oculos in tanto præmio proponens non paruifaciat omnia huius mundi, & quidquid pro tàm ſingulari præmio nobis Regius Propheta facere iubet, diligenter non exequetur? Hic S. Propheta nec præſentia quidem mortis impeditus accepti iam dudum beneficii memoriam depoſuit: Salomoni enim filio ſuo præcepit, ut filiis Berzelai, qui ei fugienti, & ab omnibus pene derelicto aſſuit, & commeatum præbuit, gratiam rependeret, & menſæ ſuæ conuiuas perpetuo haberet. Quo in loco animaduertere licet, quam fauſtum, & fœlix antiquum illud patris officium filii exiſtimarent, pro quo tantam gloriam percepiſſent, ut Salomonis regis opulentiſſimi, & glorioſiſſimi eſſent perpetuo conuiuæ, & officii breuiſſimo tempore peracti tam durabile præmiũ referrent. Hoc autem exemplo animarum in regno Chriſti epulantium licebit lætitiam coniicere cum uideant ſe propter exiguos, & momentaneos labores tam magna præmia accipere: in paucis enim uexati, in multis bene diſponentur. Ideo merito Sanctus Propheta dixit. Iudicia Domini uera iuſtificata in ſemetipſa, etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa, ſiue (ut B. Hieronymus ex Hebræo uertit) In cuſtodiendis illis fructus multus. Quo uerbo non ſolum bona gloriæ, ſed etiam gratiæ, quæ in hac uita conferuntur intelligimus. Confidens autem ſanctus uir hanc multam retributionem dicebat. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando conſolaberis me? Hic proſopopœia figura committitur, quæ tunc habet locum, quando actiones tribuuntur his, quibus ex natura ſua non conueniunt, ut cum dicitur, Montes, & colles exultant. Quæ figura frequens in ſacro eloquio apparet, eſt enim ueluti hyperbolica quædam loquutio ad exprimendam magnitudinem affectus, ac ſi diceret. Tanta dignus eſt laude Deus ut etiã ipſos montes uellem in eius laudibus exultare: ſic in præſenti locutio oculis tribuitur, cum tamen ipſi non loquantur,

Mat. 7. & 18. 19. & 25.

Euſeb. vbi ſup. li. 1. c. 18.

Gen. 2. c.

D. Aug. li. de gra. & lib. arbit. à c. 6. vſque ad 11.

Ro. 11. c. 1. ad Cor. 13.

3. Re. 2. c.

Pſal. 18.

B. Hiero.

Pſal. 118.

tur,ut hyperbolicè explicaret deſiderii magnitudinē, quam & ipſi oculi, ſi poſſent, loquerentur dicentes. Quando cō-
Iſa. ult. ſolaberis me? Cui quæſtioni reſpondit Dominus per Iſa iam dicens. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego con ſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini, uidebitis, & gaudebit cor veſtrum. Vbi ſecundum ſanctos de uiſione faciali, quæ erit in patria, loquitur, ubi erit perfecta, & integra conſolatio. Hanc fratres dilectiſſimi toto cordis affectu deſideremus, & totis uiribus ad illam aſpiremus. De illa enim ſcriptum eſt.
Pſal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Attende, obſecro iis, quæ à Propheta dicuntur. Inebriabuntur, ſed alieni à ſenſibus non erunt, & perfecto iudicio, vt diſcernere non ualeant, ſed tanta erit abundantia, quanta per ebrietatem deſignatur, non talis, Vt autem doceat, quā caſta, & diſciplinata erit illa uoluptas, alienaq; ab omni inordinatione dixit. Torrēte uoluptatis tuę. Tua eſt. D[omi]no loquebatur, tua eſt, ac proinde puriſſima, caſtiſſima, ſine faſtidio, aut tædio: imo qui illam aquā viuā bibunt, adhuc ſitiunt, id eſt, non faſtidiunt.

Beatitudo.

Mat. 19.
Mar. 30. c. CVm Dominus ſequentibus ſe uitam ęternam in ſæculo futuro promittit, noli uerbum communiter intelligere, beatitudo enim gratiæ proportionatur, & meritis iuſtorum, & donis, quæ ab ipſo Domino acceperunt. Nam paruulus cum ſola gratia baptiſmi recedens vitam æternam poſſidebit. Amplius ergo promittitur ſectatoribus euangelicæ perfectionis. Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum, ait Beatiſſimus Paulus.
1. ad Co. 15 Alia quidem claritas, & gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum. Sic & merita ſanctorum, præmia, & coronæ. Attende, & conſidera, quam longe ſublimior ſit gloria ſolis, quam lunę, aut ſtellarum. Cum uniuerſum tempus diſtributum ſit in duas partes, diem uidelicet & noctem, Deus omnipotens diei ſolem præfecit, tanquam magnum regem, nocti uero lunam cum cęterarum ſtellarum multitudine, magnitudine autem uirtutis, ac poteſtatis ſolaris, præclare atteſtantur quæ modo dicta ſunt. Vnus enim cum ſit ſol, primatim quidem, & peculiariter dimidium totius temporis ſortitus eſt, ſcilicet diē, reliquæ uero omnes ſtellæ una cum Luna, alterum dimidium, quod uocatum eſt nox, & illo exorto tot ſtellæ, quę apparebant non ſolum obſcurantur, ſed euaneſcunt etiam præ ſplendore diffuſo, poſt occaſum uero eius incipiunt oſtentare ſpecies ſuas. Et ſic proportionabiliter philoſophare poteris in contemplatione lunæ, & ſyderum, ut rem hanc deprehendas, de qua ſanctus Apoſtolus in ſuperiori ſententia, & exemplo eleganter diſputauit. Sed cum beatitudo eſſentialis hominis in uiſione, & fruitione Dei conſiſtat, maximam inducit admirationem id, quod ſanctus Dauid de Deo loquens ait. Poſuit tenebras latibulum ſuum. *Pſal. 17.* O rem admirabilem. Nunquid Deus nō eſt ſumma lux, & claritas? Qualiter ergo regius Propheta inquit, illum in tenebris habitare? D. Paulus dæmones uocat principes tenebrarum: *Ad Epheſ. 6. c.* quomodo ergo hic dicitur Deus domicilium ſuum in tenebris habere? Ad hoc reſpondeo, regem Dauid magnum theologum fuiſſe, ac ideo terminos loquendi in diuinis literis optimè calluiſſe. Cúm uolumus rem aliquam ſummopere amplificare, ipſam per ſuum contrarium nominamus atque ita ſancti ad exaggerandum lucem in qua Deus hebitat, eſſe clariſſimam, ſulgentiſſimam, infinitam, & quę omnem intellectum humanum nubilat, ſi lumine gloriæ non eleuatur. Deū uocant inuiſibilem, cum uere, & realiter nulla res ſit tam uiſibilis, & quæ magis digna ſit, ut uideatur, quam Deus: & hoc eſt quod ſanctus Dauid ſignifica

re uoluit his verbis. Poſuit tenebras latibulum ſuum: ſicut etiam Beatus Paulus cum dixit, qui lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum uidit, ſed nec uidere poteſt uiſione ſcilicet comprehenſiua.

Inter præclaras excellentias illius cæleſtis beatitudinis, una peculiaris eſt, ſecuritas, quod non finietur ullo unquam tempore: æterna enim eſt, & incommutabilis, idcirco unum ex incita mentis (ut ait Sanctus Dauid) quæ beati habent ad glorificandum Deum, eſt hæc ſecuritas: atque ita ipſe ſanctus Propheta eos ad id inuitat his uerbis. Lauda Hieruſalem Dominum, lauda
Pſal. 147. Deum tuum Sion. Quare? Quoniam cõfortauit ſeras portarum tuarum. Quæ nam ſunt hæ portæ, de quibus hic regius Pſaltes loquitur? Aliqui dicũt ſenſus exteriores eſſe ianuas, per quas Deus in animam ingreditur. Sed certe hi, meo iudicio, decipiuntur: nam iſtæ ianuæ ſunt uiliſſimæ, ut tantus, tamque ſupremus Dominus per eas ingrediatur, apertiſſime enim cõſtat, quidquid per has iannas intromittitur, aut eſſe colorem, aut odorem, aut ſonitum, aut rem, quæ habeat ſaporem, uel ſit tangibilis: cum autem Deus nõn ſit aliquid ex iſtis manifeſte ſequitur, ſenſus exteriores non eſſe ianuas, per quas Deus ingrediatur. Portæ ergo, per quas Deus animam introgreditur, ſunt intellectus, ac uoluntas. Intellectus eſt ianua interior. Deus namque ubicumque habitat, per amorem habitat: itaque ita
1. Io. c. 4. D. Ioannes ait. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Hæc ianua, quæ eſt uoluntas, ſuper cardine libertatis uerſatur diligens, uel odiens: cum enim diligit, aperit: cum uero odit, claudit. Habet etiam hæc ianua duas ſeras, quarum altera dicitur confirmatio in bonum, altera uero obſtinatio in malũ, hac clauduntur mali in inferno, illa autem boni in paradiſo. At quoniam omnes iuſtorum uoluntates in cœlo ſunt clauſæ cum ſera confirmationis; ideo Regius Propheta eos inuitat ut pro tanto beneficio Deum continuo glorificent. O utinam hæc omnia in cordibus noſtris perpetuo euolueremus, qualiter omnes huius mundi amaritudines nobis facillimæ redderentur? Cautus, ac circunſpectus medicus, ut amaritudinem potionis amarę auferat ab ore ęgroti ipſum admonet, ut in dulci pomo morſus infigat. Sic ſpirituales medici, iis, qui amaritudinem hauriunt paupertatis ęgritudinis, aut cuius uis alterius laboris, perſuadere debent, ut in dulciſſima glorię ſpe mordeant, qua facile omnes amaritudines & calamitates deglutiant. Quis enim omnia mundi infortunia patienter non perferet, ſi animo euoluat illa eſſe pretium, quo tantum, tamque immenſum bonum emitur, uel ſi etiam cogitet pro eodem pretio bonum illud ſacratiſſimo Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti corpori fuiſſe conceſſum? Si domum mercatoris ad ali- *Simile.* quid emendum pergis & ab eo quæris, quanti ſtet ulna panni: reſpondet ipſe duobus aureis nũmis. Rurſus ei dicis. Eia Domine minore pretio illum dabis: ille autem inquit. Amice ito in domum filii mei, habitat enim hic prope me, & interroga eum, quo pretio hunc eundem pannum ei uendiderim, & certo ſcies illum mihi hoc, quod à te peto, pretio pecunia numeraſſe: quod cũ ita ſit, mirari non debes, me hoc à te pretium poſtulaſſe. Sic ęternus Deus nobis gloriam eo pretio, quo filio ſuo illam dedit, elargitur. Quęrite ò Homines, inquit pater ęternus, ab unigenito filio meo: apud me enim habitat, & uerbum erat apud Deum, quęrite inquã, *Ioan. c. 1.* quo pretio gloriam ſuo innocentiſſimo corpori emit, & ipſe uobis reſpondebit; Oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Si ergo Chriſtus uerus Deus ieiunauit, ſi orauit, ſi iniurias pertulit, ſi calamitatum anguſtiis undique afflictus, & uulneribus affectus mortem acerbiſſimam tolerauit:

quare

Simile. quare nos uoluptatibus ducemur deliciis diffluemus,& labores honeſtos repudiabimus? Properat quidam Rex undique armatus ad præliandum ducens exercitum militum omnibus armis indutorum;erigitur ſignum militare: expanduntur uexilla,& regia ſtémata,Duces bellica armatura muniti cohortes adhortantur:ſed ſi uideris eſſe in exercitu homines aliquos dearmatos,illecebris delinitos,qui pro thoracibus, & loricis lenia ſerica induerent, pro galeis pileos bombycinos, & pro gladiis flabella portarent, eos inſanos cenſeres, moneresque,ne coram rege ita apparerent indu i,quin potius ſe armis induerent, ut decet ſtrenuos milires ſui ducis, & regis imitatores. Eodem modo cum Chriſtus laboribus, & tormentis ſe induerit & ſignum crucis erigat, procedantque armati Apoſtoli, & martyre,quare nos relictis armis delicias amplectemur, & contemptis laboribus Chriſtiano dignis ad falſas mundi uoluptates auiditate incenſi aſpirabimus? Non ſic fratres mei dilectiſſimi,ſed attendite,quid ipſe dux, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus admonuerit, cum apud Matthæum dixit. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum. *Mat.7.c.*

B.Chry. homil.23.ad Hebræos. B.Chryſoſtomus in quadam homilia de beatitudine agens inquit. Si in hac uita tales promiſſiones Dei ſic facile implêtur,ſi quæ additionis loco promiſit,ita mirabilia ſunt, & glorioſa & ita magnifica,qualia erunt illa, quorũ iſta additamenta ſunt, quibus hæc ex abundanti dantur ad cumulum? Quid igitur aut adipiſcentibus beatius, aut non adipiſcentibus infœlicius?Si enim patria quis expulſus ab hominibus miſerabilis iudicatur,& quiſquis hæreditatem amiſerit uidetur omnibus eſſe dolendus:qui cœlo priuatur quantis lachrymis iſte plangendus eſt? Immo nõ plangendus. Plâgitur enim quiſquam, cum paſſus fuerit aliquid, cuius ipſe cauſa non eſt, cum autem ex propria uoluntate ſemetipſum quiſquam afflictione conflixerit, nec lachrymis dignus eſt,ſed lamentationibus,magis autem luctu.

B.Bernardus ait. Quomodo ſtilla aquæ modica multo uino infuſa, deficere à ſe tota uidetur,dum & ſaporem uini induit,& colorem. Et quomodo ferrum ignitum, & cãdens ſimillimum fit priſtina,propriaq; forma exutum. Et quomodo ſolis luce perfuſus aer in eandem transformatur luminis claritaté, adeò ut non tam illuminetur,quàm ipſum lumen eſſe uideatur. ſic omnem tunc in ſanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transfundere uoluntatem. *B.Ber. ſer. de nati. B. Io.Bap. Simile.*

Proſper ait.Sicut corporalis ſaturitas omnes ſaturos æqualiter habet quãuis ſinguli cibum non æqualiter, ſed pro poſſibilitate perceperint: ita omnes ſancti,etſi fuerint aliqua graduum ſuorum diuerſitate diſtincti, una beatitudine perfecti erunt,& una perfectione beati futuri ſunt. *Proſpe. li. 1. de vita contemplatiua.c.4.*

Nonnihil huius beatitudinis oſtendit loci ſanctorum pulchritudo,magnitudo,nobilitas, atque dignitas. Quibus locus ille, hoc eſt, cælum empyreum ſuperat cælos omnes, qui oculis cernuntur. Locus ille uocatur à ſcriptura ſacra terra uiuentium. Ex quo fit, ut terra,quam nos miſeri habitamus,non uiuentium,ſed morientium terra dicenda potius ſit. Si ergo in hac terra morientium tot res ſunt tam excellentes, tam pulchræ,quæ, dic mihi,inuenientur in terra illa uiuentium? Extende parumper oculos per mundum hunc uiſibilem, & uide, quot quantaque ſint in illo ſpectatu digniſſima. Quanta ſit cælorum magnitudo: quantus ſit Solis,& Lunæ,atque ſtellarum ſplendor: Quanta ſit pulchritudo terræ, arborum, auium, cæterorumq; animalium. Quid,rogo,videre eſt planiciem camporum altitudinem montium, viriditatem uallium, varietatem fontium, atque *Pſal. 26.*

atque illac per diuerſas terræ venas fluentium? Quid latitudinē marium, quæ tanta rerum varietate ſunt circunſepta, atque circundata? Quid aliud ſunt innumera, quæ vndique inueniuntur ſtagna aquis cryſtallinis clariſque referta, niſi veluti oculi quidam terræ, aut ſpecula quædam cæli, quid prata virētia uarijs roſis floribuſque diuerſis contecta, niſi ueluti cœlum ſtellatum in nocte ſerena? Quid referam de tanta auri, & argenti, ac lapidum pretioſorum uenarum multitudine? Quid de ſaphyrorum, adamātum, aliarumq; gemmarum pulchritudine, quæ certare videntur cum ſtellarū ſpecie, & claritate? Deficeret dies, ſi omnia ſigillatim, ac ſingulatim proſequi uellem. Si ergo in hoc infimo elemento & quod terra eſt (ut iam diximus) morientium, tot tantaque ſunt, quæ maxime delectent, ac oculos detineant, quid obſecro, erit in illo omnium ſupremo loco: qui quanto omnibus elementis, atque cœlis altior, ac ſuperior eſt, tanto eſt nobilior, ditior, & pulchrior? Vix profecto hoc humana ratione cōiectari poteſt. Hoc autem ad ſanctorum gloriam (quam accidentalem vocant) pertinet. Nunc vero de gloria, quam eſſentialem appellant, eſt diſſerendum. Hoc eſt, de beatitudine illa qua Deo omnium bonorum maximo beati in illa cœleſti patria fruuntur. De qua B. Auguſtinus inquit: Præmium uirtutis erit ipſe, qui ſine fine uidebitur, ſine faſtidio amabitur ſine fatigatione laudabitur. Præmium itaque iſtud maius profecto eſt, quā excogitari poteſt, cum non ſit cœlum, aut terra, aut mare, aut creatura aliqua, ſed conditor ipſe rerum omnium, atq; Dominus, & Imperator totius uniuerſi: qui quamuis ſit unum, idque ſimpliciſſimū bonum: in illo tamen eſt omnium bonorū ſumma. Pro cuius intelligentia ſciendum nobiſ eſt, inter innumeras alias diuinæ naturæ perfectiones eam non eſſe minorem continere ſcilicet eminentiori, altiorique modo omnium creaturarum perfectiores. Nam cum ipſe ſit omnium illarum conditor, & gubernator dirigens illas in præfinitos ſibi fines, atque perfectiones, carere ipſe non poterit his omnibus, quæ alijs largitur, atq; pro ſua magnificentia impartitur. Hinc eſt, quod ſpiritus illi beati, atque cœleſtes in Deo ſolo bonis omnibus fruentur, atque in eo ſolo omnia intuebūtur, unuſquiſque ſecundum menſuram ſibi definitam. Quemadmodū enim in hac vita mortali creaturæ oēs veluti quoddam ſpeculum ſunt, quo Dei pulchritudo, ſapientia, & bonitas aliquo modo conſpicitur: ſic tunc Dominus ſpeculū erit omnium creaturarum, in quo videbuntur perfectius, ac dilucidius omnes, quam ſi in ſe ipſis reſpicerentur. Ibi itaque erit Deus uniuerſale bonū ſanctorū omniū, perfectaq; ſui uoti, atque deſiderij quies, perfectumque complemētum. Ibi erit ſpeculū oculis noſtris, muſica auribus, mel ſuauiſſimū guſtui, balſamus fragrantiſſimus olfactui. Ibi uidebimus temporum uarietatem, ueris pulchritudinem, æſtatis claritatem, autūni abundantiam, hyemis requiem, atque quietem. Ibi denique erit quidquid ſenſibus his omnibus iucundum, & placidum eſſe poteſt. Ibi ſapientia ſine ignorantia, memoria ſine obliuione, intellectus ſine errore, ratio ſine obſcuritate fulgebit. Ibi erit Deus plenitudo lucis intellectui, pacis multitudo uoluntati, continuatio æternitatis memoriæ: ibi ignorantia exiſtimabitur ſapientia Salomonis: fœditas pulchritudo Abſalonis: infirmitas fortitudo Sanſonis: & mortalitas vita primorum parentum, atque inopia omnium imperatorum diuitiæ. Quid plura? Tanta eſt ibi pulchritudo iuſtitiæ, tanta eſt iucunditas lucis æternæ, ut etiam ſi non liceret in ea amplius manere, quam unius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis & circunfluentia bonorum temporalium, recte, meritoque contemnerentur. Quid ergo ô miſer fili Adam, ſi hac ita ſunt (ut uere ſunt) uagaris per totam terrā

B. Aug. li. 22. de ciuit. Dei.

B. Aug. li. de merib.

Aegy-

Ægypti ad colligendas paleas? Quid derelinquis fontem aquæ uiuæ,& facis tibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non ualent aquam? ſi uoluptates deſideras,leua cor tuum,atq; alta mente conſidera, quam delectabile erit bonum illud, omnium bonorum dulcedinem, atque uoluptatem continens.

Simile. Vnus eſt denarius omnibus,una merces pro uineæ laboribus. Sol cum obiectũ ædificii parietem illuſtrat, per omnes illius partis ianuas ingreditur, eas implens claritate: ſed cũ inæqualis magnitudinis ſint, per magnas multũ ingreditur ſplendoris,per paruas uerò parum. Et dicimus uere ſolem æqualiter ianuas illas implere,non quod æqualis ſit ſplendoris magnitudo per paruam, & per magnam introeuntis, ſed quod æqualis ſit uniuſcuiuſque ianuæ magnitudini & capacitati: ſic Deus iuſtus iudex eſt, qui ſecundum meritorum magnitudinem præmia diſtribuit.

Beatitudo.

Gen.3. IN libro Geneſis dicitur. Requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis. Nunquid Deus agens materiale eſt, quod in agendo repatitur, & introducens formam ſuam in aliquod ſubiectum debilitatur propter reſiſtentiam,quam patitur à ſuo contrario? Minime profectò: non enim Deus eſt agens materiale, & quamuis eſſet, creatio non præſupponit ſubiectum, quod reſiſtat agenti. Si igitur hoc ita eſt,quare inquit ſacra ſcriptura, Deum poſt creationem uniuerſi requieuiſſe, etenim uidetur inſinuare eum defeſſum remanſiſſe: nam otium, & quies præſupponunt laſſitudinem? Profunda equidẽ ſunt diuinæ ſcripturę myſteria. Non remanſit Deus laſſus ex uniuerſi creatione,ſed poſtquam omnes ſpecies ſubſtantiarum naturaliũ produxit,ceſſauit ab opere uirtutem generatiuam præbens omnibus ſubſtantijs perfectis ut alias ſibi ſimiles producerent, quam etiam uirtutem conceſſit elementis, ut animalia imperfecta producerent. Poſtea autem non creauit aliquam ſpeciẽ præter illas, quas in mũdi initio creauerat,& ideo hunc finem creationis uocat diuina ſcriptura otium,ſeu requiem,ut aperte nobis ſignificet,quod ſicut Deus poſt creationem uniuerſi requieuit,& ceſſauit: ſic homo poſt hanc miſeram, & fragilem uitam ſuorum laborum præmium conſequetur. Hoc B. Auguſtinus ſuper Geneſim teſtatur dicẽs. Nõ enim fatigatus erat Deus,ut diceretur.Requieuit Deus,ſed in illo uerbo tibi laborãti requiem promiſit. *B. Aug. ſuper Geneſ. c.2.* Eſt etiam ualde notandum ſacrum textũ de quolibet ſex dierum creationis dicere.Factum eſt ueſpere, & mane dies unus, ſolius autem diei ſeptimi non facit mentionem de ueſpere, quamuis, ſicut & alij dies hic ſeptimus ueſperũ habuerit.Vt hinc aperte intelligamus quod quamuis in hoc mundo nobis aliqua requies, gaudiũ,ac uoluptas ſit(quæ per mane ſignificantur) nullum tamen eſt mane,quod ſuum ueſpere non habeat,hoc eſt nullũ otiũ, & uoluptas eſt in hac miſerrima uita,quod breuiſſime nõ pereat: omnia ſunt caduca,& nimis fragilia, ſolũ illud clarum mane (quod nobis in gloria illuceſcet) per otium diei ſeptimi figuratum non habebit ullum ueſpere, aut finem aliquem, in æternum etenim perdurabit. Vt autem D. Paul. doceret in illis uerbis: Requieuit Deus, in ſenſu allegorico & Prophetico ſempiternam intelligi fœlicitatem, quam Deus promiſſam habet ijs,qui ſacroſanctum euãgeliũm obſeruauerint, hunc locum Geneſis in Epiſtola, quã ad Hebræos ſcribit,adducit inquiens. *Ad Heb.4* Et quidem operibus ab inſtitutione mũdi perfectis dicit in quodam loco de die ſeptima ſic. Et requieuit Deus die ſeptima ab operibus ſuis,& paulo inferius. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei, qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiã ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut

Pſal. 55. & à ſuis Deus. In illa ergo æterna requie adimplebitur, quod regius Propheta de bonis uaticinatus eſt dicens. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Per hanc metaphoram ex effectibus, quos uinum materiale operatur Spiritus ſanctus, nos æternæ gloriæ bona do
Simile. cet. Hi, qui à uino capti ſunt tres habẽt proprietates. In primis extra ſe ſunt, de inde ſatiati ſunt, tertio pleruq; & maiori ex parte magna lętitia afficiunť. Hęc oĩa beati in gloria habent. Primo extra ſe ſunt & inebriati, & à Deo capti, ratio eſt quia illi per charitatem & amorem tam coniunctè adhærent, ut nihil uelint, niſi quod Deus ipſe uult, & nihil bonum reputanť, niſi quod per ipſum ordinatur: ibi namque perfectiſſime adimpletur, quod B. Paulus inquit. Qui adhæret Deo, unus ſpiritus fit, ſcilicet cum eo. Si beatus aliquis ſcit, eas perſonas, quas ipſe in hoc ſæculo plurimum diligebat (quales eſſe ſolent patres, filij, & fratres) in inferno cruciari, nimia lętitia perfundentur, nimiſque lætabundus erit, quia id Deum uelle intelligit. Nunquid ſi iuſtus in hac uita hoc ſciret, licet ſanctior eſſet Apoſtolis nonne plurimum triſtaretur? Ita planè. Quare ergo ibi lætatur. [*Por que alla eſta tomado de Dios*] inebriabuntur ab ubertate domus tuę [*Eſtaram los ſanctos tan embriagados*] & erunt tam abſorpti abundantiſſimo, & feruentiſſimo Dei amore, & in ipſum adeo transformati erunt, vt nihil eis, niſi quod Deus inſtituerit, & pręceperit, lætitiam aliquam afferre poſſit. Erunt etiam inebriati, eo quòd omnib. bonis, quæ deſiderare po-
Simile. terunt, replebuntur, & ſatiabuntur. Qui ebrius eſt extinctam ſitim habet, quia uino plenus eſt: ſic ſpiritus beatifici inebriati ſunt in gloria, quoniam ſitim, ac famem omnium poſſibilium honorum extinctam habent, nullum deſiderium in eis eſt, quod non ſit adimpletum, nullum bonum eſt, quod non habeant: tã pleni ſunt, tam ſatiati, tam læti, & omnibus rebus tã abundantes, vt nec Deus plus habeat, quod eis det, nec ipſi plus, quod accipiant. Quid enim rationalis creatura deſiderare poteſt ſi Deum videt, & Deum poſſidet, & Deo fruitur? Denique ſpiritus beatifici inebriati erunt, eo quòd maximo gaudio, ac lætitia perfundentur. Vltimus finis creaturæ rationalis eſt Deus, & quouſque illũ conſequatur nullum perfectum gaudiũ habere poteſt, poſtquam autem illum conſequitur, nihil amplius habet, quod deſideret, Creaſti nos Domine ad te inquit B. Auguſ. ideo non eſt quietum cor noſtrum, donec quieſcat in te, hunc autem ultimum finem beati in cœlo conſequuntur, ideo ibi magno gaudio & lætitia pleni ſunt. Sed uideamus, quis, & qualis liquor eſt hic, quo in cœlo beati inebriantur. Torrẽte uoluptatis tuæ potabis eos. Eundemmet liquorem, quem Deus bibit, bibunt & beati, hoc eſt omnes idem obiectum beatificum habent, uidelicet infinitam eſſentiam, in cuius amore, & cognitione omnes ſummi Dei & ſanctorum uoluptates, ac gaudia conſiſtunt, ideo ait. Torrente uoluptatis tuę potabis eos.

Quamuis multa, & maxima de futura beatitudine mens humana cõcipiat, nunquam tamen minimam eius partẽ poterit imaginatione, & intellectu attingere. Quo circa illud nobis in eius æſtimatione eueniet, quod his euenire ſolet, qui picturam alicuius ſingularis artificis manu inceptam plene abſolutam putant, & admirantur, ea nihil perfectius eſſe putantes: Pictor tamen artis ſuæ gnarus intelligit, quantum per- Simile.
fectio illa, quam ignari homines mirantur, ab ea diſtet quam poſt finem operis habitura ſit pictura. Ad hunc enim modum perſuaſum nobis eſſe debet quid quid de illa fœlicitate, & gloria cogitamus, aut dicimus, longe minus, quam pro eius dignitate eſſe. Vnde rectè quidam cælum à celando ductum eſſe dixerunt, quoniam quę in ipſo opes, atq; delicię continentur, mortaliũ mẽtibus

prorſus incognitæ ſunt. Quid enim humana mens optare poteſt, quod ibi multis acceſſionibus auctum non inueniat? Quæ enim ſigillatim, & per temporum momenta diſcimus, illic ſola beatifica diuinæ eſſentiæ viſione pleniſſime intelligemus.

Exo 16. Sex quidem diebus manna filij Iſrael in deſerto non ſine labore edebant, quando illud paſſim fuſi per agros colligebant: feria uero ſexta cibos duplices in præſentem, atq; ſequentem diem prouidebant, vt in ſabbatho ſine vllo labore, quæſito iam cibo reficerẽtur. Hoc ipſum ſpiritualiter electis omnibus cõtinget: ſex enim huius uitę diebus, comedũt manna abſcõditum at in ſabatho illo, ubi requies æterna celebratur, ubi ſancti omnes requieſcunt à laboribus ſuis, ubi non iam laborandi ſed quieſcendi tempus eſt, ibi tunc non cibos ſibi labore parabunt, ſed paratis iam, & longo labore quæſitis ſine labore fruentur.

B.Chry.ho mil 48. o- pe.imperf. B. Chryſoſtomus inquit: omnibus laborantibus dulcis eſt finis. Viator libenter interrogat, vbi eſt manſio: mercenarius frequenter computat, quando annus completur: agricola ſemper tempus meſſis expectat: negotiator die ac nocte thecæ ſuę diſcutit rationem: ſic ergo & ſerui Dei libenter de cõſummatione uitæ & de ingreſſu beatitudinis cogitare debẽt. Scriptum eſt enim, ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Mat.6. Ecce ſi ſolidorum aliquam quantitatẽ habes in arca repoſitã quotieſcunque vniens de platea domum tuam ingrederis, ante omnia illum locum oculi tui reſpiciunt, reſpectãt, ubi habes ſolidos

Simile. ipſos: ſic & uiri iuſti ſemper cęlũ reſpiciunt, ubi repoſitam habent coronam,

Pſal.122. ſicut faciebat Dauid vt ipſe fatetur dicens. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Hac etiam conſideratione quanto magis apropinquant termino illi tanto amplius incipiũt feſtinare. Hac ratione nos Beatus Paulus exhortans dicit.

Ad Ro.13. Nunc autem propior eſt noſtra ſalus, quam cũ credidimus. Quia propinquata ſpes excitat magnanimitatis uirtutem. Ideo quanto magis laudabiles ſunt ſancti, qui ante ipsũ Chriſtum fuerunt, tanto nos magis uituperabiles, qui poſt Chriſtũ dominũ ſumus, & adhuc de ſæculo recedere nolumus, quia illi feruidi erant, quamuis ſciebãt cæli ianuam adhuc apertam non eſſe, nos uero deſides ſumus ſcientes introitum illius beatitudinis patefactum eſſe.

Beatitudo.

DVm Dominus regnum cælorum tam multis rebus ac tam differẽtibus in ſacroſancto Euãgelio cõparat, perinde fuit ac ſi tibi ò homo ex toto mundo exactiſſimã mapã cęli efficeret, hoc eſt [*fue hazerte ò hombre de todo el mundo vn cumplidiſſimo mapa cæli, el qual teſte ſiempre repreſentando ſu verdadero original, y poniendo telo delante delos ojos, para que aunque tu quieras no puedas oluidarte del, ni perderle de viſta en ſus debuxos y repreſẽtationes. Quiere pues el Señor que el paſtor de tu ganado, la ſementera de tu tierra, la cultura de tu uina, tu cena, ò meſa ordinaria, los caſamẽtos, que tu hazes la perla de tu anillo, la redde tu peſca, y al fin todos ò los mas negocios que tratas, te eſten poniendo el cielo delante delos ojos, de tal ſuerte que la miſma orden y eſtado de la uida que uiues, te ſiruã de mapa cæli, para que no te oluides del y que ſiẽpre lo deſſees y procures.*] Hoc etiã procul dubio erat dulcedo illa, quam prophetæ, tempore Ieſu Chriſti Saluatoris mundi, è montibus diſtillaturam, & fluxuram eſſe uaticinati fuerant, ut patet apud Ioelẽ, & Amos Prophetas, vbi ſic dicitur. Diſtillabunt montes dulcedinem & colles *Ioel.3.* *Amos 9.* fluent lac, & mel [*ſignificando eneſto que todas las coſa nos hauiam de manar el dulce conocimiento dela bien auenturum a celeſtial.*] Cogita ergo ò frater & animo re puta hęc omnia eſſe uelut tacitam reprehenſionem, qua Deus te increpat, propter obliuionem quam de rebus cæleſtibus habes [*pues para cu-*

rar

rur eſte olnido es meneſter darſela bienauenturança debuxada en los meſmos negocios, que tratas.] Hæc fuit inuentio cuiuſdam prudentiſſimi regis, de quo referunt humanæ hiſtoriæ, quod cum nō poſſet uel ipſas prima literas alphabeti filium ſuum docere, quia debilis valde erat memoriæ hoc ſingulare medium adinuenit: ei uidelicet dedit ipsū alphabetum non in papyro ſcriptum ſed in conuerſatione, quā filius eius habebat, & ad hoc adhibuit tot paruulos, quot characteres in alphabeto numerātur,& referuntur,& ex illis pueris quendā vocauit. A. alium. B. alium C. et ſic ſingulis alijs dedit ſuæ literæ nomen: ut hoc modo dum infans ille cum alijs puerulis luderet, & conuerſaretur, eos per nomina literarum in ipſa cōuerſatione appellaret, & ſic literas omnes alphabeti addiſceret.

Los guſtos tan peregrinos y eſtrangeros de los del mundo que Dios da aqui en eſta vida à ſus fieles ſiervos, ſon indicios delos guſtos y ſabores incomparãbles de la bienauenturanda cæleſtial.] Patriarhca Ioſeph (vt dicitur) cum eſſet in Ægypto,& magnam frumenti copiā, rerumque omniū affluentiam haberet in flumem Nilum plurimas proiecit paleas, quę per ipſum fluentes, nuntium maximę abundantiæ illius regni præberent & oſtenderent omnibus gentibus,& regionibus per quas fluuius ipſe fluebat, ut ita qui neceſſitate frumenti oppreſſi erant illud per ſignum palearū quęrerent. Quid igitur cogitas ô frater eſſe ſpiritualia gaudia, quę in hac uita ſerui Dei recipiūt? Profectò ſunt paleæ quædam è cęlo delapſæ, ab illo diuino Ioſeph Ieſu Chriſto in illo cæleſti regno præſidente miſſæ, ut uel hoc ſigno cognoſcatur in hac miſerrima uita bonorum affluentia, qua ibi abundat, & omni ſtudio procurent homines illuc pergere, vt tam ſingularibus bonis perfruantur.

BELLVM INTER corpus & animam.

Cſp. 9. IN libro Sapientiæ dicitur. Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitātem. Hoc Beatus Chryſoſtomus optime his uerbis declarat.

Simile. Imaginemur (inquit) paſſerem alligatum filo breui uni ex digitis meis extendit quidem alas ſuas paſſer, ut uolet, ſed uix quatere alas, aeremque ferire incipiet, & iam cadet, recedet, & ad manum reuertetur, quia offendit in digito, ubi erat alligatus. Sic miſella anima, dum huic corpori inhęret, alligata illi eſt, quod ſi expanderit mentis alas, ut ad altiſſima per deſiderium, & meditationem uolet, ſtatim caro deprimit eiusque neceſſitatibus ſuccumbere eam facit, nam uel ſomnus obrepit, & animam inclinat ad ſoporem fune iſto, hoc eſt colligātia qua coniungūtur caro, & ſpiritus ad ſe attrahit, atque diuertit, & ſic de multis alijs. Ideo B. Paulus ad Romanos inquit. Ad Ro. 7. Inuenio legē uolenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet inuenio autem aliam legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantē me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Ecce aliud maius malum hic indicat ſanctus Apoſtolus, quoniam nō ſolum rapit caro animam ad diuerſas operationes, uerum etiam

ad

ad peccata. Vbi notandũ eſt beatiſſimũ Apoſtolum loqui de carnis, & concupiſcentiæ fomite, qui peccatũ dicitur, uel quia ortum habuit à peccato, conſequens enim eius fuit, uel quia inclinat ad peccatum. Hic autem fomes eſt hęc peruerſa inclinatio, & rebellio carnis contra ſpiritum, quæ peruicacia quadam ſemper contra eum inſurgit, & ad peccatum aliquando nolentem, & repugnantem uidetur quòd trahat: Ideo ſanctus Dauid quia in ſe talem experiebatur cõtradictionẽ, quaſi gemẽs, & vlulãs præ anguſtia dicebat. Adhęſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum uerbum tuum. Adhæſit pauimento anima mea, id eſt carni, quæ eſt pauimentum animę ex terra nempe facta. Quare alia litera habet ex Hebræo. Adhæſit pulueri anima mea. Vox hæc querula eſt, & anguſtias præ ſeferens, ſed cognoſcens quod ſolus Deus uirtutem pręſtare poteſt aduerſus talem hoſtem, ſubinfert: viuifica me ſecundum uerbum tuum. Quaſi iam audiuiſſet Paulum dicentem. Ego quidem mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati, & ipſummet clamantem, & dicentem. Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? & reſpondentem ſibimet. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Ideo & ipſe ſanctus Propheta dicit. Anima mea adhæret huic carni, huic terreno ſolo, & pauimento: nemo autem me poteſt à tanto hoſte eruere, nec à tanta miſeria ſubleuare, niſi tu ſuppetias feras, porrigaſque manum, ideo uiuifica me ſecundum verbum tuum id eſt, promiſſum tuum. Promiſiſti enim fauere ſperantibus in te. Sed obſeruandum, quod gratia Dei non tollit hunc fomitem, nec proprie minuit illum in ſe, ſed addens uirtutem, & uires animæ, quaſi minoris virtutis apparet fomes, quam antea. Veluti ſi ſit pondus aliquod, quod ego portare non poſſum niſi cum magna ac difficili vi, ſi ex templo corpori meo vires addãtur, vel alius fortior adiutor iungatur, minoris ponderis apparet onus, quam antea, licet non ſit in ſe diminutũ, ſed mihi uirtus aucta. Scotus tamen affert aliud appoſitiſſimum exẽplum. Imaginemur ait, quò d alæ alicuius aquilæ ab ortu ſuo ſit ligatus lapillus, qui uolatum eius impediat, quando ala plus creuerit, & pennę natę & uirtus auctior, tanto minus aquila ſentit impedimentum lapilli ad uolandum. Sic nobis contingit. Ab ortu noſtro fomitem hunc gerit anima ligatũ, quia adhæret corpori, qui quaſi lapis eius celerem volatũ contrahit, quanto autem in gratia Dei plus adoleuerit, tanto minus ſentiet fomitis impedimẽtum. Neceſſaria eſt igitur gratia Dei, quæ animam grauatã corporis terreni pondere ad æterna ſubleuet, qua adiuti homines, ut angeli, in hoc terreno corpore viuunt. Vnde Caſſianus refert, quod Abbas Serenus dixit. Sicut ille, qui artem natandi ignorat, ſi uideat aliquem hominẽ ſuper aquas natãtem, iurabit impoſſibile eſſe hominem cum corporis mole ſuper leues aquas poſſe ſubſtineri, ſed neceſſarium eſſe ipſum demergi, & in profundum deſcendere. Qui autem huius rei periculum fecit, uel alios uidit facientes ſcit poſſibile fore, ut corpus hoc graue ſuper aquas ambulet more ranarum per medias aquas ſcindendo. Sic qui nunquam in hac uirtutum palęſtra edoctus eſt, nec in ſe, uel in alio experientiam ſumpſit, quid per exercitiũ uirtutum, adiuuante gratia Dei, obtineri poſſibile reputat ad tantam puritatem hominem carni huic immerſum poſſe in hunc ſtatum conſcendere, quod tamen expertis, ſicut eſt rei ueritas apparet. Quia autẽ hic fomes in uita hac non extinguitur, dixit Beatiſſimus Paulus. Non ergo regnet peccatum in uoſtro mortali corpore. Non dicit: non ſit, ſed: non regnet, id eſt, non tyrannidem exerceat fomes peccati in ueſtro mortali corpore nam quod non ſit, impoſſibile eſt. In ſtatu uero innocentiæ ſicut cum Hebræi Iordanem

Pſal. 118. *Ad Ro. 7.* *Simile.* *Scot. in 4. diſt. q. 4.* *Simile.* *Caſſia. in collat. Patrum.* *Ad Ro. 6. c.* *Simile.*

danem traiicere uellent, arca (ut refert Sa cra ſcriptura) in medio fluminis exi ſtente aquæ detentę ſunt, dum ibi arca permanſit, ipſa uero ablata, ſecundum ſuum curſum fluxerunt, ſic dum iuſtitia originalis in homine fuit, omnes carna les appetitus ſuſpenſi erant, ipſa uero iuſtitia originali amiſſa, ſtatim ipſi ex-candeſcere cœperunt.

Ioſ. 4.

Bellum ſpirituale.

NOn eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harũ, contra ſpiritualia nequitię in cęleſtibus: ait B. Paulus ad Epheſ. ſcribens, & addit, propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, hoc eſt laborioſo. Cum ergo ô homo Dei cõtra te inſurgit diabolus, vt te ad alicuius pręcepti Dei inobedientiam alliciat, tunc fortius inſtandum eſt in obſeruatione illius uerbi. Si te ad impu dicitiam inſtigat, atq; ad mulierum amorem allici t, tunc fortius contra pugnandum eſt, aduerſus tale vitium, tũc magis fugienda conſortia mulierum, tunc vehementius ieiuniis, ac uigiliis incumbendum, orationi feruentius acquieſcendum, armaque omnia bellica contra ipſum proferenda. Sicuti ciuitas ab hoſte obſeſſa ſemper uigilat, & pugnat contra inimicum, tamen quando pleno agmine & maioribus viribus ab hoſte impugnatur, tunc & ipſa fortius contra nititur, maioriq́ue conatu ad ſui defenſionẽ ſe parat. Quid ſi tunc abiiceret arma? ſegnius tela iaceret? incautius à iactatis ſe defenderet? hoc nimirũ ſuccumbere eſſet, & ſe manibus pręd atorum dare. Sic & tu de te ipſo in tentatione fer iudicium. Vnde Pautus ad Corinth. ait. Cum infirmor, tunc fortior ſum, id eſt, cum ex infirmitate carnis meę aggreditur inimicus, tunc fortius contra eum inſiſto: ac ſi diceret, quod in noſtro uulgari fertur [*ſaco fuer ſas do ſtaquezza,*] ipſam fragilem carnẽ ieiuniis, & orationibus ſolidam, fortem q́ue contra hoſtes reddo Hoc aurem re gius Propheta, ut ipſe fatetur, operaba tur, ait namq;: Etenim ſederunt principes & aduerſum me loquebãtur; ſeruus autẽ tuus exercebatur in tuis iuſtificationibus. Iſti principes ſunt illi, de quibus ſupra D. Paulus dixit. Principes, & poteſtates, Dæmones. ſ. ad quos uincen dos ſeruus Dei in iuſtificationibus eius exercebatur. Sic fratres facite, cum vos Diabolus perſequitur nolite tunc à bo nis & conſuetis ceſſare operibus, ſed in ſtantius ill is incumbite. Hoc enim eſt ueluti Diabolum paruipendere, ſicuti cũ quis conuitiis laceſſitur ab alio, ille tamẽ operi, quod faciebat intẽdit, nec ab eo deſiſtens quaſi irridens & paruipendens inimicum ſe habet: ſic tu ſi cũ à Dæmone agitaris, tua non omittas bo na opera conſueta, ſed illis intẽdas qua ſi floccipendere inimicum videreris, qua propter cõfuſus, & pudore affectus ſe auertet. Vnde in libro Eccleſiaſtæ di citur. Si ſpiritus poteſtatem habẽtis ſuper te aſcenderit, locum tuũ ne dimiſe ris, quia curatio faciet ceſſare peccatà maxima. Id eſt ſi Diabolus ſpiritũ adoriatur, ne conſueta opera dimittas; hæc enim curatio faciet hoſtem pedem referre atque ab impugnatione tua ceſſa re, qua te in barathrum peccatorum ni tebatur introducere. Et B. Iacobus: reſiſtite inquit, Diabolo, & fugiet à uobis: per hoc ſolum, quod ei reſiſtatis, trophæa, & palmam ex eo portabitis, cum enim ſuperbiſſimus ſit, & ſuperioris na turæ ab homiue, ſi ipſe hominem uincere non poteſt, tanquam uictum ſe ha bet, & fugit. Hoc enim eſt te gerere cũ tentatore, quaſi aliud agens, nec illũ attendens, nec timens, nec æſtimans. Sic .n. cum regio Propheta dices. Etenim ſederunt principes; ſeruus autẽ tuus exercebatur in tuis iuſtificationibns. Hoc eſt, non dimittebã mea opera, neẽ ad illos attendebã; aliis ſtudioſius incũ bens, licet ipſi inimici ſederunt, i. non repen-

Ad Epheſ. 6. c.

Simile.

Paul. 2. ad Cor. 11.

tes ſederunt. Quia autem ita potentes ſunt inimici noſtri dicitur in prouerbijs. Omni cuſtodia ſerua cor tuũ. Cuſtodiebant lectulum Salomonis, quẽ hanc docet ſapientiam ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſrael. Vbi nota non dicere ibi factũ textum: et adſunt circa lectũ ſexaginta fortes; ſed dicitur: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, hoc eſt, ex omni parte circundant, ne uel ex latere liceat, aut pateat inimico locus inſidiarum ad necẽ Regis. Ambiunt, inquit, quod unico uerbo complectitur. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, non hac cuſtodia, uel illa, ſed omni cuſtodia. Tanquam leo rugiens circuit diabolus quærens, quẽ deuoret: in ictu oculi perambulat terram nullumq; non mouet lapidem ad capiendum cor noſtrum, ubiq́ue retia tendit, ubiq́; laqueos abſcondit, ubiq; tela ignea brachio potẽti tenet, ubiq; ſatellites et ſuæ nequitiæ miniſtros habet, ſuper hoc eſt bellum inter ipſum, et Deum noſtrum ſuper cordis humani. ſ. poſſeſſionem, cum audiat à Domino: fili præbe mihi cor tuum, in Prou. dicente. Videas ergo, ſi liceat militẽ Chriſti huic bello inermem ſe ingerere, uideas, obſecro, ſi liceat, uel ſemel in anno otiari, uideas, ſi indulgere uino, et cibis ſit ſecurum, omni ergo cuſtodia ſerua cor tuum. Require à Domino cuſtodiam, ab Angelis et Sãctis ab oratione ab eleemoſyna, etc. Ad hanc etiã omnem cuſtodiam B. Greg. li. mora. inuitat ſup. illa uerba Iob. Circũdedit me lãceis ſuis, ubi ait. Quia tẽtatione ſua ab omni parte nos petit. Dũ .n. unũ uitiũ calcamus, inde aliud ſuboritur, ut ex cõtinentia inanis gloria: ex liberalitate auaritia: quia rurſũ colligere quærimus quod tribuamus, ideo dicere poſſumus. Circũdedit me lãceis ſuis. Igiẽ oĩ cuſtodia ſeruãdũ eſt cor, maximeq; initio tentationis. Quia (vt idẽ B. Pontifex in moralib. inquit. Si tentationi naſcenti non feſtine reſiſtitur, ea cũ qua nutriẽ mora roborat.

Prou. c. 4.
Cant. 3.
Prou. 12.
S. Greg. li. 13. moral. c. 9.
B. Greg. li. 22. moral.

Bellum ſpirituale.

Militia eſt uita hominis ſuper terram (ait B. Iob) ubi alia litera habet. Malitia eſt uita hominis ſuper terram. Quid enim ò homo aliud eſt uita tua, quàm militia cõtinua, et malitia? continuo hoſtes uiſibiles, et inuiſibiles ad pugnandũ cõtra te inſurgunt ut cœleſtia à te tollãt. In quanto aũt periculo in hoc bello ſimus, illa uerba B. Pauli inſinuant. Deponentes omne põdus et circũſtans nos peccatũ. Quo circundandi nomine nos undique a peccatis obſeſſos eſſe ſignificat: ubi per peccata etiam omnes occaſiones peccatorum intelliguntur. Verũ longe eſt grauius, quod ad Rom. dicit. Iam non ego operor illud, ſed quod in me habitat peccatum. Periculoſior enim hoſtis eſt, q arcẽ occupauit, quã qui eam obſidet, illud igitur ad mundi laqueos, qui extra nos ſunt, hoc ad peccati fomitẽ intra nos degentem refertur, qui adeò acriter nos ad peccatum ſolicitat, ut ipſius peccati nomine deſignetur. Vnde eum Propheta Hieremia plorare poteſt unuſquiſque noſtrum, et dicere. Foris interficit gladius, et domi mors ſimilis eſt: foris interficit gladius ſcilicet tentationis à Dæmone, uel à mundo proueniens contra me: heu tamen, quia domi mors ſimilis eſt, ideſt concupiſcentia mihi intus adhærẽs, & ad mortem culpæ ſemper inuitans. Hæc autem militia o ſancte Iob quandiu homini adeſt? Dum eſt ſuper terram, quia ſi gratia Dei à vita victor diſceſſerit, Rex in cœlo ſine bello in ęternum manebit, ubi nec interior, nec uiolentia exterior, ſed pax, quæ ſuperat omnem ſenſum, reperitur. Ergo, quia hic ſuper terram tantum militia eſt, ò ſerue Dei expecta Dominum, ſed uiriliter age, & ſic confortetur cor tuum, ut unumquenque noſtrum admonet Dauid ſanctus, expecta Dominũ, & illius uiſionẽ, & æternũ præmiũ.

Ad Hebr. 12.
Ad Rom. 7. c.
Thre. 1. c.
Pſal. 26.

Iob 14.c. Hac enim ſpe confortabatur B. Iob, ut ipſe fatetur dicens: Cũctis diebus, quibus nunc milito (contra uitia ſcilicet, & perſequutiones) expecto Dei clemẽtiam, donec ueniat immutatio mea, de hac uita laborioſa in aliã tranquillã, & quiete plenã, ita & tu expecta Dominum. Veruntamen cuſtodi uiam eius, & mandata, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram uiuentiũ. Sed forſan dicet aliquis. Neſcio, quid de bello prædicas, ò pater, terrens nos: nam certe per totum integrum annum Diabolum contra me pugnantem ego nõ ſenſi. Credo quidem, nam quantum malignus eſt inimicus, tantum in malo calidus. *Simile.* Quid ipſe iudicaſſes de Duce cõtra caſtrum ſibi ſubditum aut ciuitatẽ claues ei libenter tradẽtem, & omnia, quæ in ea ſunt, arma ſumente iacula fortia mittente, munitiones parante, & illam obſidente? Stolidum certe eſſe dicerem talem ducem, & nimis ſtultũ illum iudicarem. Vt quid fruſtra oppugnas? contra gentem tibi ſubditam inſurgis? Si tamen ciuitas rebellatur tyranno, ianuaſque fortiter claudit, ingreſſum illi impedit, turres de nouo ædificat, munitiones acquirit, milites multiplicat, arma quærit, legationem ad amicos mittit, ut ei auxilium præbeant, tũc quidem minime miramur, ſi ut hoſtis, fortis crudelis, ira ſuccenſus arma de nouo accipiat, complures, atque fortes milites conducat, magnoq; furore eam debellare incipiat, cum eam totis viribus ſe defendere conantem videat. Propter te ò homo inermis contra vitia, & Dæmonem, hãc appoſitiſſimam ſimilitudinem adducimus. Quoniam ſi cordis tui caſtrũ maligno ſubdidiſti, omnibusque nociuis illius ſuggeſtionibus conſentiendo, ianuas quoq; ſenſuũ tuorũ & potentiarũ ferè ſine Dæmonis tentatione illi aperuiſti, & omnia merita libenter, & facillime tradidiſti, & te ipſum omni uitio dediſti, quid opus antiquo ſerpenti eigt contra te tentationũ arma accipere, & ſuggeſtionum telis bellare? aſtutiſſimus eſt, uoluitque, ut culpa tua grauior eſſet, maioriq; pœna digna, cum maiorem iniuriam ſic cæleſti duci tuo abſque dubio irroges ſine Dæmonis tẽtatione peccans, & à Deo per peccatũ recedẽs, etiam ſi ſub fidei illius uexillo maneas. Vnde acutiſſime B. Auguſ. ait, Tandiu aliquis Diabolũ contra ſe pugnantẽ non ſentiet, quandiu opera illius exercere voluerit. Qui uero illum reliquerit, & de petra bibens Chriſtũ ſequi elegerit, neceſſe eſt, ut illum patiatur infeſtũ, cui iuſto iudicio uoluit prępонere Chriſtũ. *B. Aug ſermo de tempore 93.* Ergo frater mi per viſcera miſericordiæ Dei noſtri te obſecro, ut tuũ miſerandum ſtatum conſideres, ut tyrannũ, cui ſeruis in quibuſque operibus, & qualem Deo tuo iniuriam irroges, in quanto etiam ſis periculo conſtitutus, & ad te reuertens ex toto corde tuo inuoces ducẽ tuũ Ieſum verum filium Dei. Iam chariſſimi mei intellexiſtis, quare peccatores bellum ſpirituale non ſentiunt, quod iuſtis nimis aſſiduum eſt. Ideo B. Auguſt. ſuper illud D. Pauli ad Gal. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, ſic ait. *S. Aug. ſermo. 43. de verb. domini.* Attendite Sancti quicumque pugnatis, (prælịãtibus loquor) intelligunt, qui pugnant, non me intelligit, qui non pugnat. Quando enim ad illud uentum fuerit, ut nulla exurgat concupiſcentia aduerſaria, nullus erit hoſtis, cum quo luctemur, nec expectatur ibi victoria: uolumus, ut nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus; uelimus nolimus habemus illas: titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt, ſed premuntur quidem, non extinguũtur, quandiu caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Nos qui ſenuimus in iſta militia minores quidẽ hoſtes habemus, ſed tamen habemus: fatigati ſunt quodammodo hoſtes noſtri iam per ætatem: ſed tamen etiam fatigati non ceſſant qualibuſcunque motibus infeſtare ſenectutis quietem;

acrior

acrior pugna iuuenum eſt: nouimus eam, tranſiuimus per eam. Quis adeo lapideus hæc tanti, tam ſanctique viri audiens animo non contremiſcit? Sed conſolatur nos Diuus Bernardus ſuper cantica dicens. Petra refugium herinaciis, & reuera refugium. Vbi enim tuta, firmaque requies infirmis, niſi in uulneribus Saluatoris? tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſaluandum; fremit mundus, premit corpus, inſidiatur Diabolus, non cedo, fundatus enim ſum ſupra petram. Accedamus ergo fratres ſpinis ſanctorum pœnalium operum circundati ad hāc petram, ut refugium inueniamus. Quia (vt idem beatus uir in quodam ſermone inquit) periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, ueritas in multiloquio, charitas in mundo.

B. Ber. ſup. cantica.

Bellum ſpirituale.

Iob 41.

LOquens ſanctus Iob de aduerſario noſtro Diabolo inquit. Nō eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei. Si Dæmones, qui inter nos incedunt, eſſent pauci, non eſſet bellum tā tremendum, horridū, & periculoſum: at tanta eſt ipſorum multitudo, ut B. Damaſcenus infinitam eam appellet dicens. Collabens enim, & comitās ipſum, ſcilicet, Luciferum, corruit infinita multitudo angelorum. Et Aimon inquit, quod ſicut radius Solis plenus eſt atomis; ita aer ipſe plenus eſt Dæmonibus. E contra uero caro noſtra debiliſſima eſt, ſicut Eccleſiaſticus amplificat inquiēs. Quid lucidius ſole? Et hic deficiet. Aut quid nequius, quā quod excogitauit caro, & ſanguis? & hoc arguitur? Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Cū Sol adeo clarus, & nitidus ſit, ſolet tamen aliquando à Luna eclypſim pati. Quid mirum ergo, ſi res tā debilis, qualis eſt caro, incidat, & polluatur? O æterne Deus, & infinitæ clementiæ pater, qualiter hic nobis tuā oſtendis miſericordiam, ſi quidē hominem peccatorem aliquo modo excuſas: atque ita poſtquam dixiſti. Quid nequius, quam quod excogitauit caro? Addis. Et hoc arguitur, id eſt, Non eſt, quod aliquis miretur, ſi res tam debilis ſicut caro, incidat, & in miſeriam prolabatur. Cum igitur aduerſarius noſter adeo præpotēs ſit, & caro noſtra adeo debilis, quid faciemus ad conſequendū in hoc ſpirituali bello uictoriam? Multa profecto ad hoc adhiberi ſolent remedia, inter quę unū eſt, quod S. Dauid habuit ad obtinendam de improbis Philiſtæis victoriam, Nam (ut ſacra Regum narrat hiſtoria) poſt quam ipſi celebri fama Dauidem in regem vnctum fuiſſe acceperunt coactis copiis ad illū expugnādum uno animo, conſilio, ac mente deuenere, quos ille auxilio Dn̄i adiutus fortiter fugauit, cumq; cōparato exercitu rurſus aduerſus illum ueniſſent monitus à Dn̄o non aduerſo Marte, ut antea, ſed gyrans per tergum illorum, ipſos in fugam vertit. Ad hūc ergo modum, cum Dæmones ſæcularem hominem Dei obſequio mancipatū uident, facto agmine aduerſus illum conſurgunt. Sed quid eſt, quod aliquando collatis ſignis, aliquando inſidiis, & arte aduerſus illos dimicandū eſt? Quid neceſſe fuit, ut omnipotens Deus hac arte, & inſidiis ad expugnandos hoſtes vti præciperet, quaſi non poſſet niſi arte uincere, qui nutu omnia diſpenſat? Nimirū, ut hac ratione doceret, nūc viribus, nunc arte pugnandum eſſe: quandoquidem utroque modo nos aduerſarius aggreditur, qui propterea in ſacris literis modo Leo, modo Draco, ſiue ſerpens callidus appellatur. Idcirco non mirum ſi Dauidi Dn̄us ait. Non aſcendes ex aduerſo cōtra eos, ſed gyra poſt tergū eorū. Hinc ſapiens quidam uoluptates non præſentes, ſed abeuntes, nō faciem, & anteriora earum, ſed poſteriora ſpectāda eſſe admonet: facies. n. ipſarum blandiendo decipit, finis autē pœnitudine, & ſceleris deformitate a-

Damaſ. li. 1. c. 4.
Aimon.
Eccle. 17. c.
2. Re. 5. c

nimũ exulcerat. Legitur S. Patriarcha Iacob duo miranda opera feciſſe, quorum alterum fuit hoſtem ſuum decepiſſe, alterum uero cum amico ſuo luctatũ fuiſſe. Eſau frater eius fuit ipſius infeſtiſſimus hoſtis: hunc S. Patriarcha decepit, ut eum maioratu priuaret, ut de facto priuauit. Angelus uero, eum quo luctatus eſt, & quem ſuperauit, & à quo benedictionem accepit, amicus eius erat. In hũc modum ſerui Dei inimicos ſuos, uidelicet, Dæmones deludunt, ut ſic gloriæ maioratum, quem ipſi amiſerunt, conſequantur. Quotieſcunq; fratres mei tentationes, & aduerſitates, quas in hoc mundo Dæmonũ artificio accipimus, patienter ferimus, & ab ipſis nos ſuperari non ſinimus, tunc Dæmones fallimus, qui cogitãtes ſuis tentationibus, & laboribus, cathenas nobis in collum iniicere, nos pretioſam ad caput coronam præpoſire, & componere adiuuant, hoc eſt, nobis ad gloriam, quam ipſi perdiderunt cõparandam opitulantur. Cum Angelis autem, qui amici noſtri ſunt, oportet nos luctari omni ſtudio conantes, ipſos ſuperare. Et quęnam eſt hæc lucta? Vt uidelicet contendamus eis ſimiles, & uel ipſis meliores per gratiã, ac meritum apparere: ad tantam enim dignitatem, & excellentiam diuino adiuri fauore poſſumus aſcendere. Veſtis bõbicina, aut ſerica ueſti rudi, & ex ſacco confectæ longe antecellit, ſed ſi uilis ueſtis auro, & argento uel lapillis precioſis ornetur, id eſt, [*ſi la broſſan, y guarnecen, y aſſientan ſobre ella muchas piedras precioſas*] abſque dubio profecto ſe ricam ueſtem ualore ſuperabit. Sic ſi angelum cum homine comparamus, licet uterq; ſint ueſtes Dei, Angelus tamen in natura hominẽ antecedit, qui autem minor eſt in regno Dei maior eſt illo: dixit Dominus, poſtquam Ioãnem Baptiſtam laudibus extulit. Itaq; natura angelus quidem maior eſt, ſed tales tanque inognes gratias, & prærogatiuas, id eſt [*tales guarniciones, broſladuras, y perlas de uirtudes*] habere poteſt homo ut in illis angelum præcellat, atque ita in cælo ſunt plurimi ſancti, qui angelos meritis antecedunt, licet natura ipſis ſint inferiores. Excellens etiam modus uincendi Dæmones eſt hominem in actibus diuini amoris erga Deum, & in pietatis operibus erga proximum ſe exercere. Hoc ſignificatum fuit in illa uoce, quam glorioſus Euangeliſta Ioannes in inſula Pathmos audiuit, qui in Apocalypſi ſic ait. Audiui uocem de medio quatuor animalium dicentem. Vinum, & oleũ ne læſeris. Hæc uox fuit Chriſti redẽptoris noſtri, & exiuit de medio quatuor animalium, qui ſunt quatuor Euangeliſtæ ſacri: ex illis enim ac ſacris euangeliis eorum tamquam per fiſtulas [*como por arcaduzes*] vox huius cæleſtis Dñi prodit. Et quid obſecrõ, hæc uox inquit? Vinum, & oleum ne læſeris. Loquitur cum Diabolo, eique (vt exponit D. Tho. imperat) ne ſuis tentationibus ac perſequutionibus eis noceat, qui diuino amore ornati & ſuffulti ſũt, ac ſe in pietatis operibus exercent. Per vinum namq; ſignificãtur in Dei amore feruidi, per oleũ uero miſericordes. Et ait Dñus Diabolo. Quãuis hos perſequaris, & multis tẽtationibus vexes, ego tibi præcipio, ne eos lædas, nec ab eis uictoriã cõſequaris quin potius ipſi eã de te reportabunt. Quis ergo hæc audiens omni cum efficacia, ac uiribus non cõtendet, ſe ſe his tã excellẽtibus armis munire, atq; defendere, vt ſic de tam ualido, & crudeli inimico honorificã uictoriã conſequatur? Quod autẽ qui talibus ornati ſunt uirtutibus, quãuis aliquando ſe tanquam derelictos, & proiectos à Deo uiderint, nec ſpem abiicere, nec orandi, & obſecrandi munus die nocteque intermittere debent ut apertiſſime apud Pſalmiſtam perſpicitur, qui ſic ait Dñus Deus ſalutis meę in die clamaui, & nocte coram te. Pro eo uero, quod nos ibi legimus: pauper ſum ego, & in laboribus a iuuentute

Geneſ. 27. *Geneſ. 32.* *Simile.* *Luc. 7.* *Apoc. 8.* *Pſal. 87.*

tute mea, exaltatus autem humiliatus ſum,& conturbatus: quidam tranſtulit Afflictus ſum ego, & ſperanti ſimilis ab adoleſcentia tuli terrores tuos, & trepidaui. B. vero Hierouymus uertit, Portaui terrorem tuum, & conturbatus ſum.

Bellum ſpirituale.

QVis vnquam Sanctorum in hac miſerrima lachrymarũ ualle abſque ſpirituali bello uitã degit? Magnus ille Apoſtolus Paulus cuius miniſterio totum ferè terrarum orbem Dñus conuertit, poſtquam per uicos cœleſtis gloriæ in ſpiritu ambulauit, aliam in mẽbris ſuis legem contrariam legi animę ſuæ ſenſit: atq; ita dixit. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Tu autem ò uermicule, ac formica terræ indignaris, cum te aliqua ſpirituali tribulatione oppreſſum vides? legito ſanctorum libros, & in eis, quã terribiles, ac procelloſas tẽpeſtates ſpirituales paſſi fuerint, apertiſſime reperies, qui cum in eis ſe immerſos conſpicerent, illasq; à ſuis cordibus expellere non poſſent, cũ ſancto Dauid clamare compellebantur dicentes. Saluum me fac Deus quoniã intrauerunt aquæ vſq; ad animam meã. Gigantes gemunt ſub aquis anguſtiarum, & tu vitam tranſigere vis in pace, ſine afflictione, aut tentatione aliqua? Perfectio, & puritas animæ non conſiſtit in non ſentiendis ſtimulis, & prauis inclinationibus, hoc enim angelicum eſt, & non humanum. Animaduerte, & conſidera ò homo, quòd de omnibus mortalibus dictum eſt. Vnuſquiſque tentatur à propria concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Dicunt naturales in hedera, ubi primum naſcitur, ſtatim cum ea gigni uermiculum, qui eã corrodit. Sic naſcitur homo uelut hedera uiridis, ac perpulcher & cum eo ſimul quædam mala inclinatio oritur. Alios namque, dum è uentre matris exeunt inclinatio laſciua comitantur, alios inclinatio ſuperba, alios inclinatio iræ, alios inclinatio inuidiæ &c. Itaque vnuſquiſq; ſuum habet vermiculum, qui hederam corrodit, ſed ſuper his omnibus eſt poteſtas, libertas, atque ratio. Puritas humana in his contradictionibus ſuperandis reperitur, nec differentia inter bonos, & malos conſiſtit in hoc, quod probi ſtimulos non ſentiant peccatorum, improbi uero ſic, nam utrique has contradictiones ſentiunt, & patiuntur: ſed differentia inter eos hæc eſt, quòd iuſti uincere contendunt, ac diuino adiuti fauore, & bona induſtria ſua ieiunantes orantes, ac deplorantes hæc mala uiriliter ſuperant, improbi verò à ſuis paſſionibus ſe uinci ſinunt, atque ab eis captiui remanent. quia plurimæ ac fortes ipſis dominantur paſſiones, & illi nullam ferè reſiſtentiam habẽt, ut optime ſanctus Iſaias cum eis loquens ait. Erit opus ueſtrum quaſi ſcintilla, & fortitudo ueſtra quaſi fauilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit, qui extinguat. Seruis Dei, dum hac vita fruũtur, non deficiet contradictio. In Numerorum libro ſacra pagina refert, quòd cũ filijs Iſrael per terram Amorrhæorum tranſire neceſſum eſſet, ut inde ad terrã promiſſionis acceſſiſſent, miſit Moyſes nuntios ad Sehon Regem Amorrhæorum dicens. Obſecro, ut tranſire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, uiã regia gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos. Qui cõcedere noluit, ut tranſiret Iſrael per fines ſuos, quin potius exercitu cõgregato egreſſus eſt eis obuiam in deſertum, & contra eos pugnauit. In hoc adũbratus, & figuratus fuit modus noſter uiuẽdi. Omnes in gloriã properamus ſed per hunc mũdũ tranſire oportet. Serui Dei pactũ ineũt ſe cũ Dæmone, q princeps eſt huius mundi, nihil habere, nolũt honores eius, nec voluptates, ſed habẽtes alimenta, & quibus tegantur, iis contẽti ſunt: nihilominus tamẽ eis diabolus

2. ad Cor. 12. c. *Pſal. 68.* *Iob 26.* *Iaco. 1. c.* *Simile.* *Iſa. 1.* *Num. 21* *1. ad Tim. 6. c.*

bellum ingerit: ſed ſicut Hebræi Amorrhæos uicerunt, ſic ſerui Dei Dæmoné, ac exercitus eius fortiſſime expugnando ſuperant, atq; labores ſuos optime impenſos eſſe computant, ſiquidem per eos tandem Deum uiſuri ſunt. Quanto, obſecro, pretio vellét iuſti, qui nũc magni Dei gloria fruuntur, ſe nõ fuiſſe paſſos id quod in hoc mundo, tolerarunt, ſiquidem talia præmia pro eo fuerunt conſequuti? Miſeri autem peccatores paſſim ſe ſuperari miſerrime ſinunt, atque ita nunquam Dei faciem videbunt.

Simile. Cum ſerpens per aliquod molle tranſit veſtigium, aut ſignum relinquere ſolet, quod ſi per rem duram graditur, nullũ eius apparet veſtigium: & ideo Salomõ ait, difficile eſſe viam colubri ſupra petram reperiri. *Prou. 30.* Sic tranſiens Diabolus per blanda, & mollia corda, uoluptatibus, atque illecebris dedita, imaginem ſuam impreſſam relinquit, illi namque huiuſmodi molles, & effęminati homines ſtatim aſſentiuntur. Iuſti autem, quia tanquam lapides uiui ſunt, & per aſperitatem, ac pœnitentiam duri, licet per eos infernalis ſerpens aliquibus immundis cogitationibus, & grauibus tẽtationibus tranſeat, non patiuntur, ſe aliquo conſenſus ſigno denotari. Cum igitur ſeruus Dei in huius ſpiritualis belli pondere conſtitutus fuerit, non in ſe confidat, licet omnes uires ſuas, atq; induſtriæ neruos impẽdat, ſed faciat id, quod ſanctus Ezechias faciebat, cum dixit. *Iſa. 38.* Sicut pullus hirũdinis, ſic clamabo. Quid faciet pullus hirundinis implumis, & abſque uiribus uidens, ſe à ſerpẽte iam penè uorandum eſſe? clamores edet, & ſuo modo, ut poterit, uociferabitur. Sic miſer homo ſuam impotentiã, ac debilitatem cognoſcens, & animaduertens, ſe ab infernali ſerpente tentari, quid faciet, niſi in cœlum confidenter clamare & cum Propheta Regio dicere. *Pſal. 17.* Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum: maxime ſi aſpiciat, quam propenſa ſit caro ſua ad Satanæ tentationibus conſentiendum. Heu quãtas amaritudines fingit caro noſtra aduerſus ſpiritum in cõfeſſione, in contritione in ſatisfactione, in reſtitutione famæ, & pecuniæ, in diligendo amico, in condonanda iniuria: quę omnia nobis ſunt ad ſalutem neceſſaria. *Simile.* Non ſic turbatur mare, & intumeſcit ex fluctibus ſuperbis, ſicut ſenſus carnis noſtræ, cum ſibi oſtenditur pœnitentiæ crux, in qua ad ſalutem crucifigenda eſt. Tunc cum Dauid cui comminabatur Goliath, ac dicebat, ueni ad me & dabo carnes tuas uolatilibus cœli, & beſtiis terræ, huic ſæuo inimico reſpondendum eſt. Ego uenio ad te in nomine Domini exercituum. *1. Reg. 17.* O quam pauci ſunt, qui cum hoc regio uate dicere poſſint. Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. *Pſal. 118.* Multi parati ſunt, ſed conturbati, & conſternati ab incepto reſiliunt, & ad uomitũ redeunt. Turbantur, cum audiunt: Mortificate membra veſtra ſuper terram. *Ad Coloſſ. 3. c* Turbantur, cum audiunt: Scindite corda ueſtra. *Ioelis 3. c.* Turbantur, cum audiunt: In ieiunijs, in orationibus, in uigiliis. Turbantur & diligunt præſentem lætitiam, quæ tranſit, uelut umbra ad ſolis occaſum, & marceſcit, & ut olera herbarum cito decidit. In hoc ergo magno negotio confortare, & eſto robuſtus, noli cedere, noli ſuccumbere, palmam uictoriæ conſidera, & labores belli facile adamabis, denique in gladio ſuo interficies Goliath & decollabis concupiſcentiam carnis tuæ, & cum laudibus, & triumphalibus hymnis te animæ ſanctæ excipiẽt. *B. Chry. homil. 16. in Mat.* Vult enim Deus (ut ait B. Chryſoſtomus) te aliquid laborare, ut tua quoque poſſit eſſe uictoria. *Simile.* Et ut plerumque rex aliquis uult quidem filium ſuum in acie uerſari, in hoſtem iacula torquere, exercitui eſſe conſpicuum, ut illo profectu habeat conſortem triumphi, totum uero ipſum bellum gubernat, ac peragit, *B. Chry. homi. 24. in Mat.* ita etiam Deus in prœlio cum Dæmone facit. Vnum. n. ſolum illud à te requirit, ut aduerſus hoſtem inimicitias pro honore regis, & tua ſalute ſuſcipias. Et

idem

idem S.Doct. ait. Cũ nemo in arena ſe ipſum exerceat, quõ aliquis in certamine inſignis erit? Quis unquam athleta non ab ineũte adoleſcentia in palæſtra corroboratus potuit in Olympicis excelſo, & magno animo aduerſarium aggredi? An non oportet quotidie luctari, atque currere? Nonne uidetis eos, quos certaminum athletas appellant, cum nullum forte luctatorem repererint, ad ſaccum arenæ plenũ uires ſuas excitare, iuniores cũ iunioribus, quaſi cum aduerſario pugnam inire? Hos imitari ſtude, ac ipſe tecum altioris philoſophiæ inſtituta meditare, atque cófirma, inſurge contra paſſiones: uince animi labes. O cœleſtẽ doctrinã, fœlices, q eã totis uiſceribus amplectũtur. Obſerua tamen, quod idem B. Chryſ. alibi inquit. Non hic res habet, vt apud athletas. illic ambo certantes vincere ſtudẽt, & ſi demum alter deiectus fuerit, coronatur alter, hic non ita: ſi te aduerſarius non deiecerit, ſi deiectus minime fueris victoriam reportabis. Diabolus.n. hic laborat, vt nos inferiores reddat, illi ergo, ſi quod ſtudet, abſtulero, vici. Quia autem fortiſſimus eſt inimicus, ait B. Baſilius: Auxilium meum à Domino. Proprie enim in bellis, ii, qui eruptionẽ inimicorum ſuſtinent auxilium quærunt, hic uero inuiſibiles propheta ſentiẽs inimicos, & inſtans ſibi periculum ex inimicis vndique totus exercitus impreſſione in ſe irruentibus animaduertens, ait. Auxilium meum non ex diuitiis, non ex vllo corporali ſubſidio, non itẽ ex facultate, quãuis & fortitudine mea, at nec excogitatione quantalibet humana, ſed auxilium meum à Deo. Idẽ etiã S. Doctor ait. Si cupis fili militare Deo verbis Propheticis dicito. Dominus mihi adiutor, & ego deridebo inimicos meos. Miles terrenus, donec pugna geritur, arma à ſemetipſo nõ proiicit, ne ab aduerſario uulneretur: ita & tu nunquã debes eſſe ſecurus, quia tuus hoſtis hoſte illius eſt aſtutior: illius quidẽ hoſtis ad tẽpus dimicat, tuus vero hoſtis, quandiu in ſtadio huius uitæ con ſiſtis tecum pugnare non ceſſat, illius arma laborioſa ſunt ad portãdum, tua uero arma uolentibus portare ſuauia, ac leuia ſunt. Ille cum ſuperauerit aduerſarium, ad domũ coniugis, ac liberorũ reuertetur, tu uero hoſte proſtrato in illud cœleſte regnũ cũ omnibus ſanctis intrabis. Ille p labore terreno terrenum accipit denarium, tu vero pro ſpirituali labore cœleſte recipies præmium.

Simile.

D. Chryſo.

B. Baſil. ſuper Pſ. 17.

B Baſil. in admon. ad filium ſpiritualem.

Simile.

Quid mihi prodeſt, ait hæreticus, poſt myſteriũ baptiſmi myſteriũ confirmationis? Quaſi non totũ de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adiectione noui generis indigemus. Reſpondet Melchiades Papa. Non ita dilectiſſimi, immo ſicut exigit militaris ordo, ut cũ Imperator quemcũque receperit in militũ numerũ, non ſolũ ſignet receptũ, ſed ẽt armis competentibus inſtruat pugnaturũ, ita in baptiſmo recipitur homo in militiam, & in confirmatione coarmatur ad pugnam. Abſalon de bello cõtra carnẽ loquens ait: Quidam uir nobilis, & eius ſeruus tibi in cuſtodiã traditi ſunt ea lege, ut ſeruum pane, & aqua more ſerui, nobilem ſecundum dignitatem nataliũ ſuorũ procurares ſplendide, tu uero contrarium nobilem fame & ſiti, & multis iniuriis confeciſti, ſeruum uero delicate nutriuiſti omni genere deliciarũ, inſolentem feciſti, rebellem Domino ſuo, cui inſurgens uulnerat inultus, occidit tandem. Quid reſpondebis ei, qui utrũque tibi cõmiſit? Tu homo crudelis homo fuiſti, qui nobilem uirum ſpiritũ, & animã nullis delitiis uirtutũ, nulla pinguedine deuotionis refeciſti, ſeruũ cõtu macẽ delicatẽ nutriuiſti, qui carne, gula ebrietatibus, uoluptatibusque huius uitæ ineſcaſti caro inſurgit in ſpiritũ, & eũ uitiis ſeruire cogit, uulnerat, & occidit. Non ſic frater mi, ſed caro domanda eſt atque iuxta Pauli Apoſtoli ſententiã cũ uitiis, & concupiſcentiis crucifigẽda. Vt equo ferocienti, & ſeſſori minime obtẽperanti pabulum ſubducitur, & pro hordeo tribuitur ei palea: ſi carni noſtræ ſpiritui

Can. de his de conſec. diſt. 5.

Abſalon ſerm. 3. de annun. B. Mariæ.

Ad Gal. 5.

Simile.

ritui aduerſatrici, & ob dapes, & delicias, & epularum uarietates rationi rebellatrici ſubducenda eſt eſcarum copia, & cibus ſobrius ſuppeditandus, ut ſedata, & caſtigata anima ſeſſori ſuo libèter obediat. Et ut inimici in obſidione ſe dedunt hoſtibus, ſi illis alimenta auferātur: ita caro, & ſenſualitas hoſtes animæ, ablatis epulis, ſe tradūt ipſi animæ: & ieiunio inutilia deſideria coercētur. Ad quæ omnia adiutor noſter ipſe omnipotens Deus eſt. Nam (ut Beatus Chryſoſtomus inquit) in Olympicis certaminibus ſubſiſtit adornator, & magiſter, ſi:que ſpectator tantum, ut cæteri, nec ulla in re adiuuare poteſt: ſed ſpectat, ut fiat uictoria. Dominus autem noſter non ſic, ſed ut nos eniti ad uirtutis agones uiderit, nutu ſtatim ſuo nos adiuuat, ſimul nobiſcum certat, manum porrigit, incitat, labores noſtros alleuians, infirmitatem naturæ noſtræ confirmans, & quaſi undecunque aduerſarium noſtrum tradit, breuiter omnia facit, ut in certamine & duremus, et uincamus.

Bellum ſpirituale.

Iob 1.c. IN libro Iob legitur Dominum ad Satanam dixiſſe: Ecce uniuerſa, quæ habet (ſcilicet Iob) in manu tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Ex hoc infertur non uehementer debere timeri, qui nihil poteſt, niſi permiſſus. Cum uero poteſtatem à Deo accipit exercendi, et probandi hominem iuſtum, licet profecto intueri ſummam Dei lenitatem, et manſuetudinem. Nā quædam Satanę permittit, quę poſſunt affligere, et comminuere: in aliis uero illius cohibet poteſtatem: Sancti Iob fortunas, et liberos illi permittit. Vetat tamē, ne in corpus iuſti hominis deſæuiat, tametſi in ſequētibus, & corpus affligendum Satanæ ſit permiſſurus, ne fortaſſe mala omnia ſimul impetu facto iuſtum hominem opprimerent. Cū enim iuſti homines à Deo probantur, & examinantur multis malorum ponderibus, ita diuino iudicio, & gratia diſpenſantur, ut quæ coniuncta, & coaceruata opprimere poſſent electos, diuiſa in partes utcunque poſſint ſuſtineri & tolerari. Hinc Beatus Paulus ait. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut poſſitis ſuſtinere. *1. ad Cor. 10.* Hinc fortaſſe expenſa, hac ſumma Dei bonitate, & prouidentia æquiſſima, Origenes de perpetua piorum hominum cum aduerſis poteſtatibus dimicatione diſputat: *Orig. li. 3. Periar. c. 2.* vbi cōſtanter affirmat, nemini à ſummo Deo propoſitam colluctationē aduerſus poteſtates omnes, & ſpiritus nequaquam, ſed magno cum delectu diuinam prouidentiā illius modi dimicationes diſpēſare. Vnde locum pertractans ex epiſtola ad Epheſios: *Ad Eph 6* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, &c. Putandum, inquit, non eſt Epheſios aduerſus has omnes poteſtates decertauiſſe. Impoſſibile enim factu iudicatur, quempiam hominum tametſi magna uitæ integritate ſit præditus, aduerſum poteſtates omnes decertare poſſe ſine maxima ſui ſubuerſione, & periculo, & exemplo, ex re militari ſumpto. Quemadmodum (inquit) ſi quinquaginta militibus aduerſum alios quinquaginta certamen ſit propoſitum, non ita intelligendum eſt, quaſi illorum cuique propoſita ſit aduerſus quinquaginta dimicatio, ſed ſingulis propoſitum certamen aduerſum ſingulos, et omnibus aduerſum omnes. *Simile.* Ita cenſet nobis propoſitam dimicationem aduerſum poteſtates aereas, non cuicunque homini aduerſus omnes, ſed ſingulis militibus Chriſti propoſitam colluctationem cum ſingulis poteſtatibus: vel certe prout ſummo agonis præſidi Deo fuerit probatum. Quamuis tamen hæc ſententia Origenis

genis probabilis fortaſſe alicui uideri poterat, non poſſe uidelicet humanam naturam ſine magna ſui pernicie aduerſum poteſtates omnes dimicare ſine Dei præſidio, atq; ex parte conſentanea uideatur rationi, cum inquit, iuſtum præſidē ſingulis militibus ſingulas etiā poteſtates & nequam ſpiritus committere, ne uidelicet athletarum uirtus frangatur: vnde & ſancto Iob aduerſus Sathanam fortiſſimum Dæmonem, & callidiſſimum, propoſitam legimus dimicationem. Alia tamen ratione longe diuerſa extollenda eſt hæc lenitas animi, & bonitas ſummi Dei erga electos, & aliter accipiendum, quod dicitur. Faciet cum tentatione prouentum, ut poſſitis ſuſtinere. Cum uidelicet illius uirtus in ſanctis hominibus operatur, qui dixit. *Ioan. 16.* Confidite, quia ego uici mundum. Hac fiducia Beatus Paulus fretus aiebat. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. *Ad Phi. 4* Et iterum. *Ad Ro. 8.* Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque angeli. &c. nec creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. Eam ob rem fortaſſe ſancti Iob certamina diuina prouidentia in partes diuiſit, ut primo etiam congreſſu Sathanas pudefactus, & quaſi rubore affectus ad Dominum rediret. Futurum utique ſciebat, uictoriam, atque triumphos ab aduerſario ſanctum uirum reportaturum: & tamen diuidere certamina aduerſus hoſtem uoluit: vt ſanctus Iob eo mirabilius victor exiſteret, quo hoſtis ipſe maiori conſilio, & calliditate aduerſus ſanctum uirum bella repararet. ſed mirum eſt ſiquidem Dominus facit cum tentatione prouentum, quare Sathanæ dixit. Tu autem commouiſti me aduerſus eum ut affligerem eum fruſtra? Quid enim diuina prouidentia efficere poteſt, aut ſtatuere, quod irritum ſit, aut inane? ſed quod dicitur fruſtra, à ſapientibus uiris variè quidem exponitur. Primo vt Dei ſtudium erga electos hominibus innoteſcat: ſecundo ut Sathanæ imbecillitatem mortales agnoſcant, dū adeſt præſens animus & diuinæ gratiæ præſidio adiutus. Si ergo arcanas diuinæ prouidentiæ rationes attendas non fruſtra ſtrenuum militem Iob tot incommodis affecit, neque illum fruſtra tortori permiſit: ſed ut illius ſuſtinentia, & conſtantia animi, cæteræque uirtutes, quæ igne tentationis probantur, apud mortales innoteſcerent. Deinde uero vt ſi quidpiam uirtutes ipſæ, quibus ſancti viri animus erat ornatus, haberent adulterinæ materiæ, tentationis graui incendio abſumeretur. Nam ut ignis vaſa teſtea, ſic etiam grauis tentatio probat hominem. Tertio & ſanctum uirum Satanæ permiſit probandum, ut graui flagello, & caſtigatione admonitus, neque affluentia diuitiarum, & opum in ſuam abuteretur perniciem, neque illarum poſſeſſione plus nimio oblectaretur, & ut etiam per patientiæ meritum maiorem coronam conſequeretur. Si uero nequitiam tentatoris, & uerſutiam attendas, fruſtra Deum prouocauit, ut ſanctum virum torqueret. Nam cum victus atque peſſundatus ab ipſa dimicatione diſceſſerit: fruſtra, immo in ſuū dānum & perniciem Deum commouiſſe conſtat habebat enim in animo ueterator ille per incidentia mala ſanctum hominem ad impatientiam prouocare, ac eo ſceleris, & flagitii impellere, ut Deum blaſphemia aliqua, & graui contumelia afficeret. In eum finem quoque arbitror diuinam prouidentiam ſanctum virum veteratoris illius machinamentis expoſuiſſe, vt quod in eo latebat mirabile, opes videlicet virtutum, hominibus patefieret. Ceſſat (inquit Beatus Gregorius) ſæpe dæmon à tentatione vt in ſecura corda facilius irrumpat. Lycurgus quidem Lacedæmoniis legem tulit, ne tertio cum eodem hoſte confligerent, ne illum aſſiduitate bellandi armis inſtruerent, & eū pugnare docerent. Quod eius pręceptum cū Ageſilaus Rex neglexiſſet & Thebanos crebrius bellis prouocaſſet, acerrimos aduerſus Lacedæmonios hoſtes erexit, atque armauit, Cuius conſili j non immemor antiquus

hoſtis, læpius viros ſanctos longa pace, quã bellãdi aſſiduitate deiecit. Ex hac enim pace, & otio falſa quædam ſecuritas & deſidia oritur. Quemadmodum enim ferrum ſi non vtaris eo, rubigine obducitur, & ſplendorem ſuum amittit: ſic animus noſter langore, atq; deſidia ſoluitur, & eneruatur. Rectiſſimè enim dictum eſt. Arcum frangit intenſio, animum uero remiſſio.

Simile.

Quemadmodũ aucupes varijs eſcis vtuntur pro varia auium natura, quas illaqueare cupiunt: ita callidus hoſtis diuerſis malorum irritamentis ad illaqueandas animas pro varijs hominum ingenijs vti ſolet. Cuius rei typum exhibuiſſe videntur peruerſi illi reges, & Perſarum principes, qui cum varijs rationibus Danielem in inuidiã apud regem vocare niterentur, nihilque illis ex ſententia cederet, his uerbis ſecum egerunt. Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionem, niſi forte in lege Dei ſui.

Simile.

Dan.6.

Sicut auarus rebus ſuis minime contentus eſt, ſed ad aliena ſemper aſpirat, magis enim alienorum bonorum deſiderio cruciatur, quã ſuorũ poſſeſſione lætatur: Ita hoſtis noſter, qui animarũ noſtrarũ tam auidus eſt, vt ei applicari poſſint uerba illa, quæ rex Sodomorum Abrahæ dixit, ſcilicet. Da mihi animas, cætera tolle tibi, nullo modo in his plene requieſcit, quos iam dudum ſuos fecit, ſed ad ea, quæ alieni iuris, hoc eſt Dei ſunt, tota auiditate aſpirat. De eo enim myſticè illud accipitur, quod in Abacuc ſcriptum eſt. Cibus electus. Sicut enim animarum ſalus, Chriſti domini cibus eſt: ita earundem pernicies diaboli eſca eſt, ſed hæc tamen eius eſca electa eſſe dicitur, quia non tam improborum hominum, quam iuſtorũ perditione lætatur. Hunc enim velut ex menſa Chriſti electũ cibum rapere, ac deuorare conatur, uidelicet non tam de ſuo lucro, quam de ruina noſtra, & Chriſti Domini iniuria triumphans. Nec enim, vt Diuus Cyprianus ait, illos quærit, quos iam ſubegit, hos enim vt captiuos tenet, illos pergit laceſſere, in quibus Chriſtum cernit habitare. Et cum omnes electos impetat, in illos præcipuæ dolore extimulante agitatur, qui ſub eius aliquãdo poteſtate fuerũt, à quorum tamẽ dominatu expulſus eſt: ut enim Diuus Gregorius ait, excitatur hoſtis in prouocationem certaminis, cum ius amiſerit peruerſæ dominationis. Hæc omnia uerba illa ſuperni ſaluatoris noſtri apud Lucam manifeſtè declarant. Vbi loquens de hoc teterrimo hoſte inquit. Ambulans per loca arida, & non inueniens requiem dicit: Reuertar in domũ meam, unde exiui. Quandoquidem ergo hic crudelis inimicus noſter tantam adhibet diligentiam in perditis recuperandis, uigilandum nobis etiam atq; etiam in noſtra defenſione eſt, non ſolum id curando ut non peccemus ſed etiam ut omnes omnino aditus, & occaſiones peccandi præſcindamus. Quemadmodum enim dux, cui à rege alicuius arcis cuſtodia commiſſa eſt, non hoc ſolum curat, ne hoſtibus creditam ſibi arcem tradat, ſed illud etiam diligentiſſime prouidet, ut militibus, & armis, ut uallo foſſiſq; & omni apparatu belli eam muniat, ne ab hoſtibus expugnari queat, quod ſi negligat quamuis non proditionis, at certe grauiſſimæ negligentiæ pœnas dabit. Sic qui ad diuinæ legis cuſtodiam ex imperio Domini adſtrictus eſt, non in hoc ſolum incumbere debet, ne à Dæmonis ſuggeſtione mentis ſuæ arcem peccando prodat, ſed ut etiam diligentiſſimè curet, quæ ad eam conſeruandã maxime conducere putat.

Gen.14.

Abac.1.

Luc.11.

Omnia, quæ habentur litera. T. titulo, de tentatio, deſeruiunt huic materiæ: nam bellum ſpirituale, & tentatione idem ſunt.

BEL-

BELLVM CORPORALE.

AD perſuadendum militibus, & Ducibus, ne in ſuis uiribus, & in multitudine fiduciam habeant, mirum exẽplum eſt filiorũ Iſrael aduerſus filios Beniamin in cauſa iuſtiſſima, Domino etiam conſulto pugnantium, qui tamen bis in bello ſuperati ſunt, ut Iudicum ſacra narrat hiſtoria. Plus enim ad perdendos illos fiducia ſui, quam ad ſeruandos & iuſtitia cauſæ, & imperium, atque conſilium Domini, quo auctore bellum ſuſceperunt, effecit. Hanc enim fuiſſe ſtragis illius cauſam non obſcure uerba illa declarant. Rurſumque filij Iſrael & fortitudine, & numero cõfidentes in eodem loco, in quo prius certauerãt, aciem direxerunt, ita tamen ut prius aſcenderent, & flerent coram Domino uſque ad noctem conſulerentque eum, & dicerent. Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an nõ? Quibus ille reſpondit. Aſcendite ad eos, & inite certamen. Cumque filij Iſrael altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſſiſſent, eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa, & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati ſunt, ut decem, & octo millia uirorum educentium gladium proſternerent: ô altitudo ſapientię & ſciẽtiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius? Cum enim undecim tribus aduerſus unam tantum dimicarent, toties propter ſuperbiam ſuam uicti, & ſuperati fuerunt, nec uictoriam aliquando reportarunt, donec de peccatis ſuis pœnitentiam egerunt, ut in eodem capitulo apparet, ubi dicitur Omnes filij Iſrael uenerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaueruntque die illo uſque ad ueſperam, & obtulerunt ei holocauſta, & pacificas uictimas. Et tunc eis Dominus dixit. Aſcendite: cras enim tradam eos in manus ueſtras. Ex quibus conſpicitur, quam merito ſanctus Dauid uolens cum Philiſtæo dimicare, eum ſic alloquutus eſt. Dabit te Dominus in manu mea, & auferam caput tuum à te, ut ſciat omnis terra quia eſt Dominus Deus in Iſrael, & nouerit uniuerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus, ipſius enim eſt bellum. Vbi alia tranſlatio habet: ipſius enim eſt uictoria, quam illa, cui uoluerit, præbet. Quod & aperte apparet in libro Iudicũ, ubi Delbora Prophetiſſa ad Barach dixit. Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael. Vade, deduc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorũ. Et in Hebræo habetur. Nonne pręcepit tibi Dominus Deus Iſrael. In quo ſignificatur, quod ſancta illa mulier de Duce illo conquerebatur, cui iã Deus per ipſam præceperat, ut contra Siſaram exercitum cõflaret, & forſan ille timore perterritus Dei imperiũ diſtulerat, quod hac ſecunda uice executioni mandauit, & tã paruo exercitu aduerſus Siſaram dimicauit (qui, ut Ioſephus teſtatur, trecenta millia peditum expeditorum, & decẽ millia equitum habebat pręter illos nõgentos falcatos currus, quos ibi ſacer textus enumerat) & ipsũ uiriliter ſuperauit. Quis ergo cogitare poſſet, tantum Ducem tam parua manu uinci? Sed quia propter obedientiam Dei humiliter, & propter diuinum amorem ad hoſtes perrexit, ipſe Dominus ei fauit. Hoc etiam in libro Geneſis conſpicitur, ubi ſic ait ſacer textus. Cumque profecti eſſent (ſcilicet Iacob & domus eius) terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes. Ex quo oſtenditur, qualiter Gentiles illi ad

Margin notes: *Iudi. 20. c.* — *1. Reg. 17.* — *Iud. 4. c.* — *Gen. 35.*

uerſus ſanctum Patriarcham, & filios eius ſe ſe ad prælíandum erexerunt, at uero Deus omnipotens eos ita protexit, talemque fauorem eis præſtauit, ut pluri mę gentes multis generibus armorum armatæ eis inermibus, ac paucis damnũ inferre, eoſq; aggredi non auderẽt: erant enim ſerui Dei, & in eius uiuebant obe dientia. In Exodo ẽt idem Dñs Hebręo populo promiſit. Si feceris oĩa, q̃ loquor inimicus ero inimicis tuis, & affligã affli gentes te, contra uero peccatoribus ipſe Dominus bella, atq; euerſiones per Hie remiam Prophetam minatur. Poſtquã enim dixit, omnes ciues Hieruſalem ma gnos, & paruos, diuites, ac pauperes improbus eſſe, & diuinæ ſuæ legis uiolato res, ſtatim adiecit: Idcirco percuſſit eos Leo de ſilua, Lupus ad ueſperam uaſta uit eos, gladius uigilans ſuper ciuitates eorum. O terribilem iuſtitiæ Dei ſeueri tatem quis hæc audiens non contremiſcit? Hic per has beſtias crudeles tyranni ſignificãtur qui Iudæos ob peccata ipſorum deſtruxerunt. Quod Propheta Baruc confirmat dicens: Ad iracundiam prouocaſtis Dominum, traditique eſtis aduerſarijs, exacerbaſtis enim eum, qui fecit uos Deum æternum, immolantes Dęmonijs & non Deo. Hoc etiam Dominus Prophetæ Ezechieli inſinuauit ſub illa parabola, in qua ei præcepit, ut coram populo partem quandam murorum ciuitatis rumperet, & uaſa ſua, ac ſupellectilia aſportaret, & ante oculos eorum meridiano tempore quando omnes ipſum facile uidere poſſent, illa omnia foras educeret & tranſmigaret, (ſicut ille qui domum ſuam, hoc eſt, facultates, & ſupellectilia in aliam partem mutat) inſinuans in hoc & ſignificans populum Hebręorum cito cogẽdum eſſe è domibus ſuis exire, & ciuitatem deſerere, eo quòd Aſſyrij ſuper ipſos uenturi erant, & illos in captiuitatem reducturi. Huius autem mutationis Dominus rationẽ Prophetæ reddit dicens. Fili hominis in medio domus exaſperantis tu habitas, qui oculos habent ad uidendum, & non uident, & aures ad audiendum, & non audiunt quia domus exaſperans eſt. Tu ergo fili hominis fac tibi uaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis ſi forte aſpiciant. Ex his ultimis uerbis uidetur Dominus hæc omnia iuſſiſſe, ut illos deterreret, & ſic ipſi ſe corrigerent, & in meliorẽ frugem reciperent ne tantum malum ſuper illos ueniret: nã ſi uere ſe ad Dominum conuerterent, abſque dubio ipſe flagella illa nequaquam mitteret, ſicut idem Dominus apud eundem Prophetam his uerbis inquit. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris, & non erit uobis in ruinam iniquitas: proijcite à uobis omnes iniquitates ueſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite uobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & quare moriemini Domus Iſrael? Ex quibus omnibus apparet nihil eſſe, cur hoſtes timeamus; ſed tantummodo peccata noſtra oportet pertimeſcere. Hoc Sanctus Dauid optime intellexit, qui cum uir bellicoſus eſſet, atq; in urbe munitiſſima, qualis erat Hieruſalem, habitaret, & ſecum fortiſſimorum militum cohortem haberet, nihilominus tamen ab ea exiuit, & ſe fugæ dedit, non tam propter timorem filij ſui Abſolon, quam propter metum ſuorum peccatorum, conſiderans, atque animo euoluens, filium ſuum Abſolon eſſe propter peccata ſua Dei uindicem ſeu carnificem, atque in eo adimpleri illud, quod Nathan Propheta ipſi ex Dei nomine dixit: Suſcitabo malũ de domo tua. Vt autem iram Dei propter ſcelera ſua in diuino pectore inceſſam placaret, aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens, & flens, nudis pedibus incedẽs, & aperto capite, ut ibi ſacer textus refert. Diſcamus ergo fratres mei ab hoc Sancto Rege, & ſi quidem propter ſcelera noſtra noſa tot tantiſque hoſtibus obſeſſos uidemus, coram diuino cõſpectu ploremus, & ueram illorum pœnitentiam faciamus, & ſic diuinam iram placabimus, & fauorem à liberaliſſima manu Dei obtinebimus, qua ingentes uictorias de ho-

Exo. 23. *Hiere. 5. c.* *Baruc 4.* *Ezec. c. 2.* *Eze. 18. c.* *2. Reg. 15*

de hoſtibus noſtris fortiſſime reportabimus.

Bellum corporale.

Deut. 15. *Exo.* 18. ITer facientes filij Iſrael per deſertũ fame, & labore confecti, uenit Amalech (ut ſacra refert ſcriptura) & pugnabat contra illos in Raphidim. Et quoniam filij Iſrael ad præliandum inepti, & abſque uiribus erant, ipſe *Exo.* 14. Dominus pro eis dimicauit: atque obtenta uictoria Moyſes Propheta dixit. *Dan.* 3. *c.* Manus ſolius Domini & bellum Dei erit contra Amalech. Vbi aperte nos Dominus docuit, quod quamuis hoſtibus, & aduerſarijs fortiſſimis circũdari, & obſeſſiſimus, nunquam animo cadamus, quin potius in diuina miſericordia, protectione atque fauore Dei confidamus: curemuſque atque ſtudeamus eius fideliſſimi ſerui eſſe, & ita totus mundus aduerſus nos prævalere non poterit. Aquæ maris rubri, inquibus ſcelerati Ægyptij ſuffocati & ſubmerſi ſunt, pro muro in defenſionem Hebræorum extiterunt. Flammæ fornacis Babyloniæ miniſtros Regis Nabucho donoſor combuſſerunt, tres autem iuuenes, qui intus Deum laudabant, incolumes ſeruauerũt. Exercitus Regis Babyloniç Sedechiam regem cepit, & ciuitatem Hieruſalem incẽdio *Hiere.* 39. inflammauit, ſanctum vero Prophetã *Sapien.* 16 Hieremiã, qui in carcere detinebatur, liberum abire permiſit. Hoc eſt, quod ad literam in libro ſapientię dicitur. Creatura tibi factori deſeruiens excandeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & leuior fit ad benefaciendum pro his, qui in te cõfidunt. O admirabile artificium Dei, qui vna, eademque re improbos flagellat, & probos conſolatur: quod ſi bellis, laboribus, & afflictionibus impios in hac uita punit ideo eſt, ne illos in alia æternaliter torqueat ſi tamen ipſi ab his flagellis cõmodum elicere uolunt. Habet Dominus diuerſos loquendi modos, quibus ſecundum uniuſcuiuſque conditionem homines alloquitur: candidis, & ſinceris paſtoribus Angelos loquutus eſt; Magis, qui erant aſtrologi, per ſtellam: Simeoni, & Annę, qui orationi dediti erant per inſpirationes, atque ita in ſpiritu uenerunt in templũ: Denique peccatoribus ingenio tardis, & hebetibus, qui per inſpirationes ea, quę ſibi dicuntur non intelligunt, loquitur per incultum idioma, uidelicet per labores, bella, & contradictiones huius uitæ: ſicut idem Dominus apud Hieremiam Prophetam dixit, his verbis. Ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & uenient, & ponet unuſquiſque ſolium ſuum in introitu portarum Hieruſalem, & loquar iudicia mea cum eis ſuper omnẽ malitiã eorum. O magnã iuſtitiæ Dei ſeueritatẽ. Animaduertite quo modo dicat, ſe futurum eſſe admonitorẽ, qui regna infidelium admonebit cõtra populum ſuum qñ ei rebellis fuerit, & arma, atque munitiones inimicorum & dãna, quæ illis illata fuerint, futuras eſſe linguas, quibus eum reprehendet, increpabit, & admonebit ut à uijs ſuis peſſimis ad uerum Deum conuertãtur, ſicuti rex Manaſſes feciſſe legitur; cuius pater cum altaria idolorũ iam deturbaſſet, & demolitus eſſet, ipſe in templo Hieruſalẽ, vbi æternus Deus colebatur, ea iuſſit reædificari, nec hoc contentus erat, quin potius ad nequitiam ſuam, & improbitatem populum prouocabat, quod quidem magnopere Deus ſenſit, atque ita ei dixit. Feciſti peccare populum meum Iſrael. Erat etiã iſte rex ueneficus, nã de eo dicit ſacer textus. Traduxit filiũ ſuum per ignem, & ariolatus eſt, & obſeruauit auguria, fecitq́ue Manaſſes Rex Iuda abominationes iſtas peſſimas ſuper omnia, quę fecerunt Amorrhęi ante eum: inſuper & ſanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleretur Hieruſalem uſque ad os. Cumque ei Dominus per Prophetas ſuos minaretur, eos ille crudeliter occide-

Hiere. 1. *c.*

4. *Reg.* 21 2. *Paral.* 31.

cidebat. Propter quod conſtituit Deus mittere Regem Aſſyriorum, qui illum caperet, & in captiuitatem redigeret. Denique poſtquam captus, & coangu ſtatus eſt orauit Dominum Deum ſuũ, & egit pœnitentiam ualde coram Deo patrum ſuorum, deprecatuſque eum, & obſecrauit intenſe, & exaudiuit ora tionem eius, reduxitque eum Hieruſa lem in regnum ſuum. O benedictus, & glorificatus ſit talis Deus, glorificata talis pietas, & clementia. Qui uires nõ ſumet & animum nõ capiet, licet magnus ſit peccator, ad poſtulandã fideli ter à tam clementiſſimo Domino miſe ricordiam, ſi quidem tam magnus pec cator, ſicut fuit Manaſſes poſt tot, tan taſque abominationes eam abũdantiſ ſime inuenit. Hic peccator fratres mei intellexit Dei idioma, & ab eo commodum, atque utilitatem ſciuit educere. Alij ſunt peccatores adeo pro terui, ut non intelligant, nec audiant has diuinas uoces, nedum prædicato rũ, quæ clariores ſunt, & quibus Deus ipſos ad ueniam inuitat, ante quam illos puniat, ſicut idem Dominus per
Hiere. 15. Hieremiã Prophetam teſtatur dicens. Laborauit rogans, & diſperdam eos, priuſquam eos punirem illos millies deprecatus ſum, quouſque rogando defeſſus ſum, quod per exaggerationẽ dicit: perinde enim eſt ac ſi diceret. Si laceſſere & defetiſcere poſſem, iam defeſſus eſſem, cum eos toties uocaue rim, & ad ueniam inuitauerim. Et ſta tim inferius ait. Interfeci, & perdidi populum meum, & tamen à vijs ſuis non ſunt reuerſi ac ſi diceret. Deſtruxi euerti, & ſolo æquaui illos, & adhuc boni eſſe nolunt, deteriores, & magis rebelles à laboribus exeunt, quam in illos ingreſſi fuerunt. O quam rectè de nobis hoc dici poteſt, ſiquidẽ undique ac tot bellis Deus populũ Chriſtianũ flagellauit, & nihilominus plures nunc Chriſtiani deteriores, quã antea ſunt. Vos igitur fratres per ſalutem ueſtram atque Dei charitatem oro, atque ob-ſecro, ut hæc attendatis, & ſacroſanctę Eccleſię conuerſione ueſtrorum cordium, ac correctione morum, & uitæ ueſtrę, & oblatione ueſtrarum diuitia rum, & perſonarum fauere, & auxiliari procuretis conſiderantes, uos aduerſus infeſtiſſimos hoſtes fidei noſtrę, & Chriſtiani nominis maxime inimicos bellum gerere. Poſtquam Iſraelitę de exercitu Siſarę victoriam reportarunt inquit Sacra pagina. Cecinerunt Delbora, & Barach in illo die dicẽtes. Qui *Iud.* 5. *c.*
ſpõte obtuliſtis de Iſrael animas ueſtras adpliũ, benedicite Dño. Et paulo inferius. Cor meum diligit principes Iſrael. Et poſtea incipit ſancta mulier vnamquamque tribum ex his, qui prę lium ingreſſi ſunt particulariter lau dare, quorum finitis laudibus cępit execrari oẽs de tribu Ruben, qui quo niam pecora ſua paſcebant, fratribus ſuis auxiliari, & opẽ ferre noluerunt. Et ait ĩ hũc modum. Maledicite terrę Meroz, dixit angelus Dei, maledicite habitatoribus eius, quia non uenerũt ad auxilium Domini in adiutorium fortiſſimorum eius. Perpendite, quęſo & ponderate illud uerbum. In auxiliũ Domini: In quo docemur Deum tantĩ facere illos, qui auxilium, & fauorem Eccleſiæ ſuæ aduerſus hoſtes eius præ ſtant ut huiuſmodi auxilium præbẽtes ipſe Deus adiutores ſuos vocet ut hinc intelligatis, quam magna res ſit, & quãti meriti erga Deum in bellum ire aduerſus noſtrę fidei infeſtiſſimos hoſtes. Hinc etiam ſequitur, quanta reprehẽſione digni ſint illi, qui proſpera utentes valetudine, uiribus pollentes, & in corpore robur ac mẽbrorũ forti tudinẽ habentes nolũt ſe ſe in tã iuſtis & meritorijs exercitijs exercere: ut ſic otio, & uoluptati uacantes brutales ſenſus ſuos, & laſciua corpora paſcãt. Rurſus hic infertur, quod ſi meritoriũ eſt, ut particulares homines ſumptibus parcant, & ſuperflua omittant ad hoc ut bellis Chriſtiani populi faueãt: multo magis meritorium eſt, ut princi

pes,

pes, ac reges Chriſtiani hoc præſtent. Quando ſacra pagina ingẽtes commemorat ſumptus, quibus rex Salomon ſua regia magnificentia utebatur, ſtatim adiecit. Ipſe enim obtinebat omnẽ regionem, quæ erat trans flumen, & cũ ctos reges illarum regionum, & habebat pacem ex omni parte in circuitu. Inſinuans in hoc Sancta ſcriptura, non eſſe mirandum, quod rex, qui tantis opibus affluebat, tamq; pace fruebatur tam abundantes ſumptus faceret. At uero modo cum reges, & principes Chriſtiani tot, tantiſque bellorum, ac hoſtium contradictionibus circundati ſunt, ſumptuum modum excedere reprehenſibile, & nociuũ erit. Illuminet eos Spiritus ſanctus, ut in omnibus, ſicut ſeruitio diuinæ maieſtatis, & communi reipub. Chriſtianæ bono conuenit, regãtur, inſtruantur, & gubernẽtur.

3. Re. 4. c.

Bellum corporale.

1. Re. 1. c.

FLagellati Philiſtijm modum quę fierunt, ut ſcirent utrum flagella illa de manu Domini procederent, an caſu accidiſſent. Noſtra intereſt ualde ſcire quod à Domino percutimur, ut ad ipſum conuertamur nec caſu mala temporalia aduenire. Nunquid caſu inimici noſtri cum modico labore facilique induſtria triumphãt de nobis? Non eſt aut campi ductor, aut centurio certe, nec rex ipſe, qui recogitet uerbum illud ad Ioſue. Cum iacet męſtus, & dehonoratus anathema eſt in medio tui Iſrael? Non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur, qui hoc contaminatus eſt ſcelere. Ciuitas Hay reportauit ad uerſus Ioſue uictoriam, de qua re turbati ſunt uehementer cũ à dextris ipſorum, ſe affuturũ promiſiſſet Dominus. Quibus ipſe. Anathema eſt in medio tui non poteris ſtare corã hoſtibus tuis. Vides quomodo in exercitu ſuo requirit Dominus ſanctitudinem. Vides quomodo deſerit etiam mille iuſtos, & ſuum ducem Ioſue propter unum Acham, qui de illis, quæ Domino erant dicata, rapuit pallium coccineum, & ducentos ſiclos argenti, & regulam auream. Videant ergo noſtrates quot rapinę, quot uiolationes virginum, quot periuria, quot, heu, in Deum blaſphemiæ inter milites ſui exercitus paſſim inueniantur, & cum iacuerint vulnerati ſuperbientibus de reportata victoria hoſtibus, recogitent verbum illud. Anathema eſt in medio tui, non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, nec accidiſſe caſu iudicent, quæ merito patiuntur.

Ioſ. 7. c.

Ad bellum iuſtum quid requiratur.

TRia exiguntur ad bellum iuſtum: & iuſta cauſa bellandi, & auctoritas indicendi bellum, & denique recta intentio. Ideo bellum contingit inueniri iniuſtum tripliciter, vel ex defectu iuſtitiæ in cauſa, vel ex defectu auctoritatis in capite, vel ex defectus rectitudinis in intentione quodcunq; horum acciderit, bellum erit iniquum. Obſeruandum tamen eſt, quod bellum aliàs iniqua intentio nõ reddit iniuſtum ita quod ad reſtitutionem omniũ malorũ ſit obnoxius princeps, & milites; ſed ſicut eſt iniqua occiſio latronis ſolo animo ſatiandę crudelitatis in iudice, aut in miniſtro, ſic & bellũ huiuſmodi. Etiã aduertendum eſt, ut Polybius ait, quod quemadmodum ſiquis ſyluam ſemel accenderit, non amplius ad ipſius arbitrium fertur incendium, ſed depaſcitur quidquid deprehenderit, ventiſque regitur, ac ſępenumero ipſum in cẽſorem pręter expectationẽ corripit; ad eundem modum & bellum, ſi ſemel à nonnullis excitatum exarſerit, tunc quidem illos primum perdit, poſtea uero fertur iniuſte, ſingula quę incidũt perdẽs agitatum temeritate & ab ignorantia accendentium ueluti à uentis inflatum.

Polyb. lib. 10. hiſt.

SER

SERMO IN TEMPORE belli, & afflictionis.

Pſal.43. EXVRGE Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuũ. Naturalis quidẽ infantiũ mos eſt, quoties ab aliquo, aut læduntur, aut deterrentur ſtatim fugere ad matres ſuas, & ſub earum pallio ab eis fauorem,& præſidium implorare. Infantes ſumus, & paruuli in hac vita, omnia nos perturbant, & ſæpius puerorũ more formidamus, vbi non eſt timor, ſiqua ergo preſſura occurrerit, ſtatim ad piiſſimam uirginem matrem miſericordiæ curramus, & ſub eius præſidio dicamus: Leua in circuitu oculos tuos,& uide,omnes iſti,qui congregati ſunt,uenerunt tibi, omnes fauorem tuum imploramus. Tu es refugium noſtrum à tribulatione, quæ circundedit nos. Monſtra ergo te eſſe matrem:ſi.n. tu nos deſpicis,quis reſpiciet?nam certe appoſitè dicere poteſt ſancta Eccle-

Pſal 124. ſia cum Pſalmographo: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Ab initio enim naſcentis Eccleſiæ non defuerũt ei unquam perſecutiones, neque deerunt vſque ad finem mundi. ſed præcipue quatuor,quę deſignantur,per quatuor illas beſtias, quas uidit Daniel.

Dan.7. Quarum prima erat ſimilis leænæ, & habebat alas ut aquila: ſecunda ſimilis vrſo ferociſſimo, & habebat tres ordines dentium,quibus comedebat carnes,& gentes plurimas: Tertia ſimilis erat pardo,& habebat quatuor alas, & quatuor capita. Et poſtea uidit quartam beſtiam terribiliorem cęteris,nulli beſtiæ ex his, quas nouimus compa-

Pſ 12. & 42. rabilem,ſed monſtruoſam,& habebat dentes ferreos,& omnia pedibus conculcabat, habebatque decem cornua. Aptè quidem in hac uiſione uniuerſus ſtatus Sanctæ Eccleſiæ monſtratus eſt Danieli,ſicut & Ioanni in Apocalypſi. Quamuis aliqui hanc viſionem Danielis ad ſtatum ſynagogæ referant, & ad quatuor regna, uel imperia eam perſequentia & uiſionem Ioannis ad ſtatũ Eccleſiæ: ita ut antiquus uates ſui temporis adſcribat perſecutiones & Euangelicus uates noſtri tẽporis adſcribat etiam perſecutiones.Sed quoniam illa uiſio aptè ad finem iudicii terminatur, uidetur ex hoc magis de noſtri temporis Eccleſia loqui.Prima igitur fuit perſecutio tyrannorum, qui per leænam alas habentem deſignatur: Leo enim, & aquila reges ſunt animaliũ, & auiũ, et hęc per Reges facta eſt. Secũda fuit hæreticorum,qui per urſum omnia comedentem deſignantur:urſus enim ſolo ore lædebat,et hęretici ſolo ore occidunt, et cõminuunt omnia falſa ſua doctrina.Tres ordines dentium ſignificant tria quæ ſunt in omni hæreſi,ſcilicet fraus,hypocriſis et ornatus ſermonis, uel diſſolutio. Tertia perſecutio maxima fuit Paganorum quę per Mahometum facta eſt,et quotidie fit:quæ ferè omni alia eſt acerbior. Habet autem quatuor capita, ideſt,quatuor regna principalia,habet item quatuor alas, quibus citiſſimè uolauit, magnam orbis partem inficiens.Cum enim largam hominibus uoluptatum licentiã concedat, et quidquid erat in fide ad credẽdum difficile,et ad agendũ aſperum tollat,homines ad talium promiſſionem propenſi ſecuti ſunt hanc peſtilentem ſectam. Vnde Eccleſia tam arctè poſita eleuans oculos in cœlum ad ſponſum ſuum,pia quadam querimonia clamat dicens cũ Propheta. Exur-

ge,quare obdormis Dñe, exurge, inq̄, & iudica cauſam tuã,tuã,inquã, pluſq̄ meam, quia tua ego ſum ſponſa, & famula. An non ſponſi ignominia eſt iniuſtitia,quæ fit ſponſæ? An nõ pertinet ad Dñm iniuria famulę ſuæ,&domeſticorũ ſuorũ? Tua eſt Dñe cã,tua eſt,defende eam,& ſi non mouent te labores mei,ſudores,preſſuræ,afflictiones meę q̃a tu forte indignatus es mihi pp peccata filiorũ meorũ : ſaltem moueant te iniuriæ tuæ, & irriſiones tuæ, memor eſto improperiorum tuorum,eorum,q̃ ab inſipiente ſunt tota die. Memor eſto inquam, blaſphemiarum tuarum,irriſionũ,ſacrilegiorum, inceſtuũ, ecce.n. ſacra prophanantur,conculcantur altaria,templa fędantur,reliquiæ ſanctorũ cõminuuntur, monaſteria ſubruuntur, uiolantur tibi dicatæ uirgines, ſacerdotes occiduntur, monachi laniantur, & tu Dñe dormis,& ſiles?Quid dicã Dñe mi? Quid tñ peccare potuimus tibi,ut nos ſic obliuiſcaris? Nam etſi mali ſumus,ueruntamen filii ſumus,non negãtes ſaltẽ te ipſum,& Deum confitemr, & colimus? Tuam fidem tenemus, tua ſacra ueneramur, tuo ſignaculo ſignati ſumus. Ne tradas Dñe beſtijs animas
Pſal.73. confitentes tibi. Beſtiis inquam,atrocibus, & crudelibus deuorãtibus omnia. Si offenſus,ſi iratus es nobis,tu Dñe interfice, tu iugula, tu caſtiga nos manu tua. Flagella libenter ſuſcipiemus:ſcimus.n.quia cũ iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Famẽ ergo,peſtilen-
Abac.3. tiam ægritudines uarias,dolores libenter de manu tua ſuſcipiemus, ecce in flagella parati ſumus, tñ Dñe beſtiis
Pſal.27. his ne tradas nos. Exurge Dñe, & pp te,inquam libera nos,non pp nos. Memento dolorũ tuorũ, & paſſionis acerbiſſimæ: memento ſanguinis,quẽ effudiſti,memento ẽt ſanguinis ſanctorum tuorum,qui effuſus eſt.Superbia,& faſtus,& improperiũ eorũ,qui te oderũt, aſcendit ſemper. Sed nunquid obliuio apud Deũ?Nũquid dormitas Deus,aut diſſimulas adiuuare?O ſi ſciremus quã ta eſt illi ſolicitudo pro nobis? Non poteſt obliuiſci eccleſiæ ſuæ, quam de latere ſuo in cruce formauit, pro qua tã duram mortẽ ſuſtinuit. Vnde per Prophetã Zachariã ait. Qui tetigerit uos, *Zach. 2.*
tanget pupillã oculi mei. Et per alium Prophetã, quaſi reſpondens huic querimonię eccleſiæ ſuæ inquit: Et dixit Sion. Dereliquit me Dñs,& Dñs oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt *Iſa.49.*
mulier infantẽ ſuũ, ut non miſereatur filii uteri ſui?Et ſi illa oblita fuerit,ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus deſcripſi te:ſignatam te habeo in manibus & in latere meo, in illis uulneribus quæ pro te ſuſcepi : quomodo ergo obliuiſcar tui? Tu oblita es mei diebus innumeris, tu dormis, tu diſſimulas, quid me dormire conquereris? Non ego dormio, ſed tu ſurgamus ergo fratres à ſomno, & properemus ad Dominum,clamemus ad Deum,& ipſe liberabit nos de manibus inimicorũ noſtrorum. Noſtrũ eſt clamare,ſuũ eſt liberare. Agamus quod noſtrum eſt, & ipſe aget,quod ſuum eſt: In illo omniũ noſtrum ſpem &fiduciam collocemus: non in equis & curribus, non in exercitu,& armis,non in uirorum multitudine,& robore. Qui enim ſperat in adiu- *Pſal.90.*
torio altiſſimi, in eius protectione cõ- *Pſal.26.*
morabitur. Ipſe enim ſaluat ſperantes in ſe:& præſumentes de propria uirtute,et glorIantes humiliat. Attẽdite fratres clariſſimi,& alta mente ruminate, quod dico : ſi bellũ hoc humanis uiribus,et induſtria gerendum eſſet,rationabiliter timeremus et trepidaremus: quis .n. illi beſtiæ ferociſſimæ tãtorum militum et armorum multitudine frementi poſſet occurrere? Potentiſſimus eſt,et audaciſſimus, et ſuper oẽs hoĩes crudeliſſimus, et dominandi libidine inebriatus.Sed non hoc humana induſtria,et robore agendũ eſt. Quid ergo *Ad Ro.8.*
timemus?Si Deus pro nobis, quis contra nos? Libera me Dñe,et pone me iuxta te, et cuiuſuis manus pugnet cõtra me.Quid eſt totus orbis ad Deũ?Quaſi *Iob 17.*

Iob 17. momentum ſtateræ, inquit ſcriptura
ſacra, et quaſi gutta roris antelucani,
Sap. 11. ſic eſt omnis orbis ante te. Omnes. n.
gentes, nó quaſi formicæ aut quaſi mu
ſcæ, ſed quaſi non ſint, ſic ſunt corã eo.
Cur ergo armati diuino præſidio time
bimus gentes ſine Deo uenientes con-
tra nos? Quare non quaſi umbram re-
putabimus eos? An rurſus experimen-
tũ quæritis ꝓtegẽtis ſuos uirtute Dei?
Ioan. 14. Tanto, inquit, tpe vobiſcũ ſum, & non
cognouiſtis me? Interroga, inquit, pa-
tres tuos, & annunciabunt tibi: maio-
Deute. 32. res tuos, & dicẽt tibi. Audi unum ex pa
tribus expertũ in bellis regnum narrã
tem prophetam, & quæ audierat ipſe
à patribus, & quæ experimento multo
didicerat. Deus, inquit, auribus noſtris
audiuimus, patres noſtri annũciauerũt
Pſal. 43. nobis. Quòd ſi ſigillatim opera Dei re
quiris, dies non ſufficeret ad narrandũ
ea, quæ cũ populo illo Iudaico debili
& modico antiquitus fecit. Vnũ uero
1. Reg. 14 tantũ uellẽ latius narrare. Valde mirũ
& memoratu digniſſimũ, de Ionatha. ſ.
& armigero eius, qui ſoli exercitũ in-
uadũt, lege hiſtoriã & enarra quæ ibi
dicũtur. O uirũ fidelẽ, qui optime no-
uerat ſperare in Deo. O ſi uel unus Io
nathas nũc eſſet ſed dices, hæc omnia
facta eſſe olim, nũc uero iã huiuſmodi
ſigna non uidemus. Audi, obſecro Pro
phetã huiuſmodi obiectionẽ excludẽ-
Pſal. 45. tẽ. Tu es ipſe rex meus, & Deus meus,
qui mãdas ſalutes Iacob. Idẽ ipſe es q
tũc eras. Nũquid abbreuiata eſt manus
tua, ut non poſſit modo ſaluare ſicut
tũc? Aut nũquid poſtq̃ uenisti, & mor-
tuus es, & ſanguinẽ pro tuo populo fu
diſti, rigidior factus es, ut nolis popu-
lo ſic redẽpto ſubuenire? Nũquid poſt
quã pro nobis mortuus es oblitus es
miſereri? Imo magis ex his, quæ paſſus
es miſericordiã didiciſti. Fateor in po
pulo Chriſtiano tã aſſiduas & potẽtes
uictorias non uidimus: cuius cauſa, ut
opinor, hæc eſt, nó quia aut minus po-
tens, aut minus beneuolus ſit Deus in
populũ Chriſtianũ, quã Hebræũ, cũ ꝓ
iſto ut perfectior & charior ille ſubro-
gatus ſit, ſed quia nó ita indiguit. Nam
ſynagogã àrmis plantauit Deus. Eccle
ſiã uerò nó armis, ſed miraculis. Vnde
in principio fundationis Eccleſiæ non
illa portẽta uictoriarũ facta ſunt, ne ui
deretur fides in mũdũ illis introducta:
poſtmodũ uero populus Chriſtianus
ita adauctus eſt, ut sẽper multitudine,
& robore inimicos ſuperauerit uſque
nũc. Vnde non opus fuit miraculo ubi
robur ſufficiebat exercitus. Nec tamẽ
omnino quando opus fuit, in periculo
populo ſuo defuit Deus. Nã ut extera
omittamus, in noſtra Hiſpania in prin
cipio, quãdo reſtitui cępit à Saracenis,
ſępius Apoſtolus Iacobus Hiſpanię pa
tronus uiſus eſt in exercitu impios Sa-
racenos exterminans, & etiã in bello
Nauarũ Tholoſæ qd mirabilius? Quid
prodigioſius cõtingere potuit, quã ut
tanta multitudo occideretur, ſine exer
citus læſione, & crux ꝑ medios hoſtes
illæſa tranſiret? Huc uſq; ergo ſancta
Eccleſia talibus miraculis nó indiguit,
& quando indiguit, habuit illa. At nũc
quia potentiores nobis facti ſunt ho-
ſtes, Dñe immuta ſigna, innoua mira-
bilia, quoniã fortitudo noſtra, & refu-
giũ es tu. Nó eſt ergo fratres quod Tur- Pſal. 7.
carũ, aut cæterorũ infideliũ ferocitatẽ
timeamus nos, quibus Deus præſidio
eſt. Aliũ Turcã ego magis timeo qui in-
tra nos eſt, peccatũ. ſ. & indignationẽ,
auerſionẽq; à Deo: ſi. n. te infenſum nó
habemus bone Deus, quis nocere no-
bis poterit? Tuã indignationẽ Dñe nó
Turcã ego timeo. Tu. n. per Pſalmogra Pſal. 80.
phũ ais. Si populus meus audiſſet me,
Iſrael ſi in uiis meis ambulaſſet, pro ni
hilo forſitan inimicos eorũ humiliaſ-
ſem & ſuper tribulantes eos miſiſſem
manũ meã. Quid mirũ ſi hoc agnoſcat
Chriſtianus, cũ etiã hoc olim agnoue-
rit Achior gentilis. Vnde ait ad Holo-
phernẽ: Nunc ergo mi Dñe perquire
ſi eſt aliqua iniquitas eorũ in conſpe-
ctu Dei eorũ: aſcendamus ad illos, quo
niã tradens tradet illos Deus eorum ti-

Iud 5. bi, & ſubiugati erunt ſub iugo potẽtiæ tuæ: ſi vero non eſt offenſio populi huius corã Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorũ defendet illos, & erimus in opprobriũ uniuerſæ terræ. Simile etiam propheta il-
Num. 25. le iniquus Balaã dixit Balac regi ſuadenti, ut malediceret populo, cui dedit conſilium peſſimum, ſed utile ad uictoriam, ut peccare faceret Iſraelem obiectis mulieribus, quia alias nõ poſſet populum Dei ſuperare: quod & fecit. O peſſimũ perſuaſorẽ ſed Prophetam uerum: ita.n.erat, ut dixit: ſine peccato populus Dei toti mundo inuincibilis eſt, etſi modicus numero ſit. Sed quamuis hæc omnia uera ſint, & certiſſima: tamen non eſt nobis propterea dormiendũ Deus ſupplicandus, non tẽtandus, uult enim ipſe, ut & nos ſperãtes in eius auxilio faciamus quod noſtrũ eſt, non tamen in noſtra uirtute, ſed in illius auxilio ſperantes. Et ita cũ
Pſal. 59. regio uate dicemus. In Deo faciemus uirtutem, & ipſe ad nihilũ deducet tribulantes nos. Diligentiſſimè ergo quæ neceſſaria ſunt ad bellũ præparentur, & nos omnes purificatis à peccatis mẽtibus ad fidẽ & uitã defendendam læti accingamur, eamus omnes contra blaſphemum inimicum, Eccleſiæ Dei minitantem, & irritantem. Nam proculdubio ſuptrabimus ſpurciſſimum illum Dei inimicum, & profligabimus à finibus noſtris.

Alius ſermo in tempore belli uel alicuius turbationis alicuius regni.

Pſal. 132 ECce quam bonum, & quam iucũdum habitare fratres in unum inquit regius Vates. Vbi perpendendum eſt, non omne bonum eſſe iucundum, neque omne iucũdum eſſe bonum: ſed aliquid eſt bonum, quod nõ eſt iucũdũ & aliqd ẽ iucũdũ qđ nõ eſt bonũ: & aliqd ẽ iucũdũ & bonũ: & aliquid neque eſt iucundum neque bonum. Pœnitentiæ crux, & aſperitas bona eſt, quia ducit ad uitam, ſed non eſt iucunda immo potius laborioſa, & grauis. Gaudium ſæculi, ſolatium uoluptas iucunda ſunt, ſed non bona, quia ducunt ad mortem. Peccatum, neque bonum, neq; iucundum, ſed malum, atque moleſtum. Teſtes ſunt, qui dicebant. Laſſa-
Sapien. 5. ti ſumus in uia iniquitatis, ambulauimus uias difficiles. O magna cæcitas filiorum Adam, qui malunt ſeruire peccato cum labore, quam Deo cum iucũditate. Odiſti omnes obſeruantes uanitates ſuperuacue, inquit S. Dauid. An *Pſal. 30.*
non ſuperuacue, qui potuit Deo ſeruire, & regnare, & maluit peccato ſeruire cum labore, & ardore? Omne peccatum amarum eſt, & moleſtum ſicut ait Hieremias. Scito quia malum eſt, & a- *Hiere. 2.*
marum te reliquiſſe Dñum Deum tuũ, & non eſſe timorem eius apud te: Bonum autem & iucundum eſt ſola charitas: Hoc priuilegium quippe ſoli charitati reſeruatum eſt, ut cum ſit non ſolum bonum, ſed maximum omniũ bonorum, ſit quoque iucundiſſimum, omnis quippe alia uirtus pœnam habet annexam. Noſtra humilitas, patientia, abſtinentia, caſtitas, paupertas fortitudo, & alia huiuſmodi, laborem habẽt, neque etiam ſine labore homo ſubmittitur iniuriis, abſtinet à cibis, & à uoluptatibus carnis, caret bonis temporalibus, & reſiſtit timoribus, in amore aũt quænam difficultas? Quis labor ãmare? Vnde B. Auguſt. ait. Poteſt mihi ali- *D. Aug.*
quis dicere: Non poſſum ieiunare, non poſſum uigilare, non poſſum orare: nũquid dicere poteſt, Non poſſum amare? Non ſolum nulla eſt difficultas in amando, imo magna, & grandis iucunditas. Nam uita ſine amore non eſt uita: & homo, qui non amat, aut beſtia eſt, aut truncus. Aduertite fratres & cõſiderate, quam leuè tributum à nobis Dñs exigat: Pro tantis beneficiis præcipuum quod à nobis petit eſt amor. O quam merito, & quam iuſtè damnabitur, qui maluit ardere, quam amare. O peccator talis tibi uiſus eſt Deus, tam

 one-

onerosus amor Dei tui, ut malis ſempiternis incendiis deputari, quam amare? O pertinacia, ô duritia, ô nequitia cordis noſtri? Quid aliud dicere poterimus in die reddendæ rationis quã illud: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum? Hoc enim pro certo eſt, quod nullus habens in morte charitatem dãnabitur: & ſi hanc habuerit ueſtem nuptialem, non mittetur in tenebras exteriores. Ecce igitur bonum, & iucundum, de quo loquitur Pſalmus. In toto ſacro quidem Euangelio nõ inuenies, quod nobis Chriſtus Dominus plus commendauerit, uel amplius quã charitatem. Hanc commendauit non ſolum opere, quia cum eſſet filius Dei propter nimiam charitatem ſuam ſemetipſum tradidit pro nobis, ſed etiã uerbo. In illo ſuauiſſimo ſermone poſt cœnam cum iret ad paſſionem, ultimo hanc ſæpius, iterum, iterumque commendans, atque præcipiens, ut firmius imprimeretur in cordibus noſtris, uerba enim, quæ recedentes dicimus, amplius commendamus. Poſt reſurrectionem quoque iterum atque iterum ait. Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo vobis. Dicite fratres, qua via potuit charitas, & pax amplius nobis à Chriſto Domino commendari? Sed & Beatus Apoſtolus Paulus ſæpiſſimè hoc ipſum in ſuis epiſtolis commendat, ita vt hora non ſufficeret, ſi omnia vobis huius Apoſtoli adducerem teſtimonia de pace & charitate. Tres rationes potiſſimas tangit diuinus Apoſtolus, propter quas debemus diligere ad inuicem & pacem habere: ſcilicet quia ſumus unius patris filii, quia ad unam menſam ſedemus, & vnum panem mãducamus: Membra quippe eiuſdem corporis mutuo ſe compatiuntur & ſe fouent. Quis ergo non plurimi faciat pacem ipſam, concordiam, & unitatẽ? ſed ſi hæc omnia vos non mouent, moueat ſaltem ipſa, quam diximus, iucunditas charitatis. Quis enim non vult iucundè viuere, & cum lætitia uitam agere? Hoc ſine fraternitate charitate, & pace habere non poteritis. Quid namque iucundius quam concordia? Quid moleſtius, quam diſcordia? Experimentum facite in matrimonio: ſi vxor, & maritus, & filii, & domeſtici in pace ſunt, quid eſt domus illa niſi paradiſus? ſi autem è contrario diſcordia eſt inter eos, quid aliud eſt niſi infernus. Vnde Beatus Paulus pro bono iſto concordiæ ſuadet viris, vt diligant vxores ſuas. Et Beatus Auguſtinus in tantum exaltat coniugatorum concordiam, vt ſuadeat vxoribus, omnia damna, moleſtias, & venditionem dotis ſuſtinere, ne rumpatur concordia. Facite periculum in bellis, & videte, quot mala, quot infortunia ſunt in eis, quot mortes, rapinæ, adulteria, tormenta, amaritudines miſeriæ fiunt in præliis: Quot terrores, timores, dolores, afflictiones cum vna ciuitas ab inimicis ſuccenditur & hoſtibus traditur diripienda, diripitur atque vaſtatur. E contrario in pace rerum abundantia eſt, abundat iuſtitia, religio, virtus, ſapientiæ officia, ingenia, panis, vinum, fructus, & omnia temporalia ſicut Propheta ait. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. In particularibus quoque diſcordiis quantum pondus moleſtiæ eſt? Qui enim habẽt inimicitias, non dormiunt, non quieſcunt, quotidie pauidi, ſuſpicioſi, anxii, inquieti: ſi oſtium ſonat, ſi canis latrat, ſi ſtrepitus fit, ſuſpicantur inimicum, timent mortem. O vitam miſeram, denique multum laborioſam. Nonne rectè vobis videbitur, & merito illa omnia pati, quæ ſunt neceſſaria ad concordiam? Optime ſanctus Iob ait, Stultum interficit iracundia. Verè ſtultiſſimus qui hæc omnia in odio, & inimicitia, potius pati eligit, quam in pace & ſecuritate iucundè, & lætanter viuere, ſed quia non omnis concordia bona, & iucunda eſt (conuenerunt quippe fratres Ioſeph, vt occiderent fratrem ſuum, aut venderent.

Marginal notes: *Pſal. 118.* — *Ad Ro. 12* — *1. ad Co. 12* — *Ad Ro. 4* — *1. ad Cor. 10.* — *Ad Ephe. 5.* — *Pſal. 128.* — *Iob 5.*

Con-

Gen. 37. Pſal. 2. Conuenerunt etiam principes ſacerdotum in unum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius: Conueniunt quoque latrones, vt furta faciant: Conueniunt hæretici, vt ſanctam Eccleſiã perdant) ideo poſtquã Regius propheta dixit: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum, ſtatim ſubdidit, ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam. Quaſi diceret: fraternitas optima eſt, & iucũda, illa tamen quæ ab unguento charatatis procedit. O principium admirabile ſanctę huius Eccleſię quantum in pace, & concordia extitiſti? Quot nunc rixæ, diſſenſiones, controuerſię, litigia, quam longe abſumus ab illa unitate, & pace, quam nobis moriens dominus commẽdauit dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quo modo mundus dat ego do vobis. Tunc autem non ſic, ſed erat illis anima vna, & cor unũ in Domino. Ioan. 14. Faciat hoc modo omnipotens, & miſericors Deus in animabus noſtris, & reſpiciat hæreditatem ſuam, pro qua ſanguinem ſuum fudit, & det pacem Eccleſiæ ſuæ in uirtute ſua, vt ſic ſit abundantia omnium bonorum in turribus ſuis, hoc eſt, in fidelibus ſuis plenis fortitudine, ut per hanc temporalem abundantiam ad æternam gloriam tranſeamus. Amen.

Si volueris aliam concionem facere tempore alicuius tribulationis, & neceſſitatis, ſingularem materiam ad hoc reperies, litera. M. titulo miſericordiæ Dei, vltimo notabili ſuper canticum Abacuc. Et litera. O. titulo, obedientia. notabili tertio ante vltimum ſuper illa verba Pauli ad Hebræos. quem conſtituit hæredem vniuerſorum. *Ad Heb. 1.*

CARNIS MACERATIO.

AD carnis mortificationẽ nos hortatur B. Paulus in epiſt. ad Rom. dicẽs. Obſecro uos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, Deo placentem rationabile obſequiũ ueſtrum. Rationabile obſequium appellat humanum ſacrificium, cum homo ſe ipſum immolat Deo, ei ſeruiẽs, & obtemperans. Gręce enim eſt, latriã logicim. Hoc eſt, non carnale ſacrificium uitulorum mortuorum, & animalium irrationabilium, quemadmodum Iudæi olim offerebant; ſed rationale, & ſpirituale, nouæ in Chriſto uitæ ſacrificium: ſacrificate uos ipſos, uiuentes, & rationales. Id appellat hoſtiam uiuentem, & obſequium rationale. Ac ſi dicat: non eſt neceſſe, ut occidatis uos ipſos. Eſt enim omnibus anima in cuſtodia corporis retinenda, nec iniuſſu Dei eius creatoris ex hac uita diſcedendum, & uincula carceris frangẽda, ne munus aſſignatum à Deo defugiſſe uideamur: ſed occidite impios appetitus, & concupiſcentias deprauatas, contemnite uoluptates, coercete uanas cogitationes, offerte Deo animã & cor ueſtrũ, & ita mortui quo ad carnem, & uiui quo ad ſpiritum eritis uiuum, & rationabile holocauſtum. Hoc autem obſecrat Romanos Beatus Apoſtolus, dicens. Obſecro uos fratres, quibus uerbis fraternam eius charitatem & profundam animi ſubmiſſionem oſtendebat. Et ne aliquis exiſtimaret ſatis eſſe præbere Deo voluntatem, non autem corpus, incipit à corporibus indicans, non ſatis eſſe præbere Deo uoluntatem, atque eum per illam colere, ſed oportere corpora etiã illi immolare per bonorum operum ſacrificia, per pœnitentiam, & carnis mortificationem. Ita hunc Diui Pau-

li locum Nrigenes, & Photius, et alij exponunt.

Carnis maceratio.

VTilitas, quæ ex carnis maceratio ne excipitur, inſinuant uerba illa, quæ in Canticis ſponſa loquitur, di cens. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nigredo color eſt lugubris, luctumque ſignificās. Sponſa autem Chriſti Ieſu in hac ualle perpetuo collachrimatur, & ablato ſponſo ieiunat, & in luctu perſeuerat, & omnes, qui pie volūt uiuere in Chriſto, neceſſum eſt, perſecutionem patiātur. Et Apoſtolus clamat, eos, qui ſunt Chriſti Ieſu, membra ſua mortificare ſuper terram, carnem crucifigere cum uitiis, & concupiſcentiis, perpetuo uerſari in laboribus, ieiuniis, uigiliis, &c. ſed hæc nigredo exterior, quamuis ſponſam deformem reddat apud ſtultum uulgus, ut tabernacula Cedar, ſed apud ſponſum Chriſtum multis modis exornat. Ideoque ſic ordinanda eſt hæc litera. Nigra ſum ſicut tabernacula Cedar, ſed formoſa, ut pelles Salomonis, hoc eſt, ſicut cortinæ Salomonis, quas credendum eſt fuiſſe pulcherrimas, & ingenti artificio elaboratas. Nam uox Hebræa ſagum, et cortiuam ſignificat. Neque tamen ob eam cauſam male uertit noſter interpres: nam quoniam eiuſmodi cortinæ apud ueteres ex pellibus frequenter fiebant, pro cortinis, uertit, pelles. Ob eamq; cauſam tranſlatio noſtra in Pſalmo pro velamina, aut Cortina, pellem traduxit: Extendens, inquit, cœlum ſicut pellem. Vetuſtiſſimè ſane ſponſa ſuam pulchritudinem tuetur, ut et nigredinem conferat cū tabernaculis Cedar, et pulchritudinem ipſam cum Salomonis cortinis, quæ pulcherrimæ erant. Cedar (ut conſtat ex hiſtoria Geneſis) filius fuit Iſmaelis: illiusque poſteri, tum cauſa prædandi, tum etiam cauſa paſcendorum pecorum, in tabernaculis ſemper, & tentorijs habitabant: quæ vrgentiſſimo ſolis ardore, cui ſemper erant expoſita incredibili erant nigredine obducta, & arida terra, & arenoſa, & ſolis exuſta ardoribus. Licet autem tentoria foris eſſent atra, interius condebant aurum, gemmas, cibos, vaſa cælata, reliquaque id genus. Ad eundem etiam modum mens fidelis exterius uidetur nigra, interius tamaen abundat ampliſſima ſupellectile.

Canti. 1.

Pſal. 104.

Geneſ.

Simile.

Carnis Taceratio.

V*Na coſa hemos de temer mucho, y ſolape nueſtra floxedad, y regalo debaxo de la occaſion del no puedo mas: por eſſo es meneſter tener mil ojos, porque eſta Eua, que eſta dentro de noſotros, que es la ſenſualidad, es muy amiga de regalo, y de paſſearſe, por el huerto, y comer del arbol vedado, y tiene mil manas para hazer entender a la razon, que lo que pide no es demaſia, ſino neceſſidad, y enojaſe mucho ſino ſelo dan, y ſino le creen.*] Recordare frater mi operum admirabilium, quæ in hoc mundo amor Ieſu Chriſti in cordibus, ubi habitauit, operatus eſt? fecit namque, ut plurimi propter illum carceres, tormenta, atque ignominias maxima cum lætitia paterentur. Siquidem igitur erga alios amor Ieſu Chriſti tantum valuit, nō ſit, quæſo, erga te & in te tam debilis, ut uires non habeas ad perferendum parum laboris carnes tuas aliquibus exercitijs pœnalibus mortificando, ut tam alto Domino placeas: ipſe enim non eſt amicus pœnarum noſtrarum, ſed duntaxat amorum noſtrorum, qui quidē ueri eſſe cognoſcuntur, quando homo corpus ſuum affligit ne rebelle ſit ſpiritui, ut ſpiritus ipſe maiori cum efficacia eum diligere poſſit.

Car-

Carnis maceratio.

Exo. 25. BIna in lege ueteri Deus templa ſibi fieri præcepit, alterum in deſerto, quãdo ſcilicet filii Iſrael in promiſſionis terram pergebant, & hoc erat inſtar tentorii regii, quod mouebatur quotieſcunque populus ulterius progrediebatur [*el otro templo mando hazer de aſſiento en tiempo de Salomon.*] Et cum Deus modum, & inuentionem illius tabernaculi præberet, hoc eſt [*dando la traça de aquel tabernaculo*] iuſſit, vt cooperiretur cortinis lanæ caprarum aſperæ & hirſutæ ſicut ſolet eſſe ſaccus: hæ autem cortinæ uſque ad pauimentum pertingere debebant, & ita totum interius cõſeruabatur, & defendebatur ab aqua, & à puluere. Mos eſt nimis vſitatus in Sacra ſcriptura uocare animam iuſti templum, vbi Deus per fidẽ, ſpẽ, & charitatem habitat, colitur, & honoratur? Et tanquam rem omnibus notã inquit Diuus Paulus: Neſcitis, quia tẽplum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? 1. ad Co. 3. Duæ autem differentiæ illorum templorum ſignificabant duo iuſtorum genera. Per tabernaculũ, quod mouebatur, intelligũtur iuſti, qui ſunt in hac uita: nam ut ait idẽ Apoſtolus, Non habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus. Ad Hebr. 13. Per templum uero, quod non mouebatur intelliguntur iuſti Eccleſiæ triumphantis, de quibus Regius Propheta inquit: Pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. [*Y dize el Sancto texto que para guarda, y conſeruacion de lo que eſtaua en el tabernaculo, lo cubrian con unos como fieltros de lana de cabras, que llamauan ſaga*] Vbi ſignificatum eſt, quod uirtutes, quæ in quolibet iuſtorum eſſe debent, difficile poſſunt inter uoluptates conſeruari niſi cum aſperitate uitæ. Sicut ignis cinere conſeruatur. [*El Apoſtol Sant Pablo tenia palabra de Dios, que nunca le dexaria de ſu diuina mano para que cayeſſe de ſu gracia, y con todo eſſo para conſeruar las uirtudes dize de ſi.*] Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. 1. ad Co. 9. Confirmatus erat in gratia glorioſus Baptiſta antequam naſceretur, & tamen in heremum; & ſolitudinem remotam ſe contulit ubi carnem ſuam aſperrime macerauit. Cuius rationem Sancta eccleſia in hymno eiuſdem præcurſoris aſſignat dicens, Ne leui ſaltẽ maculare uitam famine poſſes. Et de Seraphico patre noſtro Franciſco ſcribit Diuus Bonauentura aſperam pœnitentiam, quam in victu, & in ueſtitu faciebat: qui interrogatus aliquãdo, quare tantopere corpus ſuum affligebat, & uexabat; reſpondit, ſe experientia certa didiciſſe hoſtes malignos duris, & aſperis in fugam conuerti delicatis autem, & mollibus ad tentandum fortius armari. Itaque hi ſancti uirtutes aſperitate uitæ, & carnis maceratione conſeruabant, ſicut cortinæ pretioſæ templi hirſutis pillis caprarum, conſeruabantur.

Simile. Sicut quem tu habes equum, quo credis in prælio te eſſe uſurum, uidendo illum concitari, terreri, refugereq; à ſonitu tympani, & fiſtulæ, accuras, & niteris illum reducere, & iuxta tympanistem ipſum retinere fortiter, dicisq; ut ſonitum edat acceleratum ad arma capienda, tum cruribus ipſum urges, calcaria addis, cohibes frẹno, quouſq; tandem timorem ipſe equus omnem amittat. Et quemadmodum mulam, qua uti uis ad deambulandum per urbem tranſire frequenter facis vias, in quibus exercentur ea, quorum audito ſonitu ipſa terretur, ac refugit, donec timorem prorſus deponat, ne aliter, dum obambulas, aliquo audito ſono perterrita, te inopinantem deiiciat, & ſolo raptet: ſic diligentiſſime laborare debes aduerſus deprauatos impetus, & rebelliones carnis, contendens & con-

nitens, ne tandem in barathrum ipſum, atque in infernum te deiiciat. Fac ergo corpus ipſum frequenter per ieiunia, & per alia pęnalia exercitia pertranſire.

Non mirum eſt ſpirituales homines à carnalibus hominibus infeſtari, cum caro ipſa ſpiritum, cui alligata eſt, quem plus, quam germana charitate diligit, à quo & uitam & decorem atque uigorem omnem recipit, mortiferis cupiditatibus perpetuo infeſtare non ceſſet. Si igitur in una, eademq; perſona adeo acriter, & hoſtiliter caro aduerſus ſpiritum pugnat, quid futurũ putamus inter duas perſonas, quarum altera ſpiritus legem, altera motus omnes, & impetus carnis pro lege habet? Caro enim uix unquam naturę ſuę obliuiſcitur. *Simile.* Vt enim ignis in quacunq; materia ſit, naturam ſemper ſuam retinet, quod in aqua calorem ignis concipiente apparet, quæ & more ignis urit, & cum grauis natura ſit, ut deorſum feratur, ignis tamen calore percepto, ſurſum ebulliens, eius quoque leuitatem quodammodo imitatur: ſic planè caro noſtra uix unquam naturam ſuã omnino deſerit, ſed ad ea quæ ſibi ſimilia, & cognata ſunt, nempe carnalia repudiatis ſpiritus legibus, ſemper aſpirat ſiue ſit in iuuene, ſiue ſit in ſene, ſiue ſit in religioſo Deo dicato, ſiue ſit in uirgine Deo conſecrata, ubicunque ſit caro, caro eſt, & timenda eſt, & macerandà, & mortificanda ieiuniis, ciliciis, flagellis, & aliis pęnalibus exercitiis. *B. Bernar. Simile.*

Beatus Bernardus lib. de diligendo Deum inquit. Quis noſtrum exteriorem hanc ueſtem, qua tegimur, ſi repẽte obſcænis undique ſputis illitam, & fædiſſimis quibuſque ſordibus inquinatam conſideret non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignanter abiiciat? Itaque qui non ueſtem ſed ſemetipſum intus ſub ueſte talem reperit, eo amplius doleat, & animo conſternetur oportet, eo quod propitius tolerat, quod exhorret. Quid caro ipſa niſi corruptibilis quædam tunica, qua ueſtimur? Ergo mundanda eſt ſanctis, & pænalibus exercitiis.

Venerabilis Abſalon ſermone 3. de annunciatione beatiſſimæ Mariæ, ait. Quidam uir nobilis & eius ſeruus tibi ò Chriſtiane in cuſtodiam dati ſunt ea lege, ut ſeruum pane, & aqua more ſerui nobilẽ uerò ſecũdũ dignitatem natalium ſuorũ procurares ſplẽdido nutrire. Tu uerò è contrario, nobilem fame, & ſiti, & multis iniuriis confeciſti, ſeruum uero delicate nutriſti, omni genere deliciarum inſolentem feciſti, rebellem Domino ſuo, cui inſurgens uulnerat uultum, occidit tandem. Quid reſpondebis ei, qui utrumque tibi commiſit? Tu homo crudelis fuiſti, qui nobilem uirum ſpiritum, & animam nullis deliciis uirtutum, nulla pinguedine deuotionis refeciſti, ſeruum contumacem fouiſti, delicate nutriuiſti, qui carnem gula, ebrietatibus, uoluptatibuſq; huius uitæ ineſcaſti. Caro inſurgit in ſpiritum, eum uitiis ſeruire cogit, uulnerat, occidit. Quid omnipotenti Deo in die rationis exigendæ reſpondebis?

Miſerere mei Domine (inquit regius uates) quoniam conculcauit me homo tota die impugnans tribulauit me. Cõculcauerunt me inimici mei tota die quoniam multi bellantes aduerſum me. *Pſal. 58.* Quinam ſunt iſti bellantes? Omnes animi noſtri affectus, omnes carnis noſtrę ſenſus, qui quoniam carnales ſunt, ſpiritualia faſtidiunt, & carnalia ſemper aſpirant: caro enim legi Dei ſubiecta non eſt, neque enim poteſt, hoc eſt, non poteſt ex natura ſua, niſi aliunde dirigatur. Ergo debellare nos oportet contra hos multos bellantes ieiuniis, flagellis, ciliciis, &c.

Carnis maceratio.

QVoniam carne robuſta, ualidaq; tanquam instrumento ſolet Diabolus

bolus ui, ut animam perdat, ideo neceſſaria eſt eius maceratio: inimicus enim infirmus minus nocet, quam ualidus, gladiusque obtuſus minus ferit, quam acutus. Quare Dæmon etſi omnia, quæ erant Iob deſtruxit, filios etiã peremit, uxorem tantum incolumem dimiſit, per quam eum irritaret ad impatientiam, & peccatum. Sic carnem
Simile. ſoſpitem, & ualidam uult hoſtis noſter, per quã nos ad peccata alliciat. Quod intelligentes perfecti uiri eam ſolent abſtinentijs, ac uigiliis, & flagellis extenuare. Eleazarus (ut ſacra hiſtoria refert) beſtiam illam, per quam hoſtis in
1.Mac. 6. ſidens damna populo inferebat occidere conatus eſt. Super carnem tuã ò homo inimicus inſidens tibi officere conatur. Hanc beſtiam perimere ſatage, & hoſtis ſimul cum illa corruet. Equus cum uiridi herba paſcitur, laxus, ac debilis redditur, nec labori aptus eſt, ideo oportet ipſum rurſus hordeo, uel ſicco aliquo ac pinguiori paſtu ſuſtentare. In hunc modum ſi corpus humanum, quod uelut equus brutalis eſt uiridi uoluptatum, & illecebrarum paſtu recreatur, ac ſuſtinetur impotens eſt, & ineptum ad quodcunque bonum idcirco neceſſum eſt, ut illud, viridi ſuſtẽtatione priues, eiq; arida, atque aſpera præbeas, & ita tibi deſeruire poterit, & labori aptum reddetur. Hoc Diuus Paul. nos admonet dicens. Mortificate membra ueſtra, quæ ſunt ſuper terram. Dum ait: Quæ ſunt ſuper terram, inſinuat Sanctus Apoſtolus iuſtis in alia uita non futuram eſſe contradictionem, ſed ſummam pacem, tranquillitatem inter corpus, & animam ipſos habituros eſſe. Cum igitur modo hæc membra noſtra rebellionem patiantur illa uelut mortua nos habere oportet. In lege ueteri iubebat Dominus, ut in altari duæ aues ei ſacrificarentur, quarum altera interficienda erat, & ſan
Ad Col. 5. guine eius altera conſpergenda, illa uero, quę conſpergebatur, deplumanda erat, & ſic plumis priuata uiua relinquenda erat. Ara noſtri templi eſt cor noſtrum, in quo ſacrificia fiunt, nihil, enim Deus acceptat niſi uoluntarie ſuper ara tui cordis illud offeras. Duæ autem aues ſunt anima, & corpus quo *Leuit. 14.*
rum alterum, uidelicet corpus laboribus, abſtinentijs, atque afflictionibus mortificari, uexari, & opprimi debet, ſicut hic nobis Beatus Apoſtolus præcipit dicens. Mortificate membra ueſtra. Sanguine uero corporis, hoc eſt, laboribus, & afflictionibus anima ipſa conſpergi debet, ut ſic omni uana ſpe priuata, & deplumata in diuino amore uiua remaneat. Sic fecerunt illi, in quorum nomine Sãctus Dauid dixit: Propter te mortificamur tota die. Hi fuerunt ſancti Apoſtoli, ac ueri eorũ imitatores. Impij, & ſcelerati homines ẽt mortificantur plurimis laboribus, at non propter Deum, ſed propter honores, diuitias, & alias prætenſiones acceptis: iuſti autem propter te, propter Dei amorem dumtaxat mortificantur. Quid obſecro putatis, ſignificare habi *Pſal. 43.*
tus nigros multorum religioſorum, niſi ſuorum corporum mortificationem. Qui ad inſtar celebrantium exequias defunctorum ueſtibus nigris tanquam luto induuntur. Non ſolum mortificantur propter Deum, ſed tota die. O magne Deus ſi merces, quã nobis tribuis temporalis eſſet, uel aliquo tempore limitata non tanta culpa digni eſſemus, ſi per aliquod annorum ſpatium tibi ſeruiremus, & poſtea ad otium, & uoluptates noſtras reuerteremur, ſed nõ ita eſt; merces namque & præmium æternum eſt. Magna igitur culpa noſtra erit, tibi per totam uitam non ſeruire, ſicut Beatus Apoſtolus nos docet inquiens. Semper mortificationẽ Ieſu Chriſti in corpore noſtro circunferentes. Sed uæ, uæ, uæ, & millies uæ, quam aliter hodie in mundo fit, ſiquidem corpus, quod laboribus mortificandum erat, uoluptatibus, & illecebris uiuificatur,

catur, anima uero, quæ diuino amore, & gratia uiuificáda erat, culpa īterficit. Reprehenſibile profecto, & ſubſannati one dignum eſſet vehere aſinum in lectica Dominum autem ei ſeruiendo peditare. Corpus noſtrum (ut ait Beatus Hieronymus) eſt velut aſinus: hunc autem aſinum in lectica voluptatum, & recreationum aſportare, ſpiritum uero, qui Dominus eſt peditem, ac defeſſum ambulare ei ſeruiendo, magna profecto confuſio eſt, & maxima reprehenſione dignum.

1. ad Co. 4.

Simile.

Carnis maceratio.

IN anima noſtra ſublime quiddam, atque diuinū eſſe uel hoc argumēto colligitur, quo cum Deus animantia cætera conderet, hęc uerba ferebat. Producāt aquę reptile animę uiuentis, & omne uolatile ſuper terram. Anima enim piſcium, uolatiliumque ex eadé materia eſt eorum corpus. Cęterum rationalis anima aliunde venit, hominis enim corpore è limo terrę formato, Deus inſpirauit in illud ſpiraculum uitæ, itaque anima iuſufflatione Dei creata diuinum quiddam prę ſe fert: Quomodo ergo, ſi hęc ita ſe habent, ait regius Propheta in pſalmo. Et recordatus eſt, quia caro ſunt ſpiritus uadens, & non rediens? Quia quamuis homo carne conſtet, & ſpiritu, ſpiritus tamen carni immerſus, caro quodāmodo fit, immo mancipiū carnis ſuę. Vnum quodque enim recipitur ad modum recipientis, eiuſque naturam participiat. Sic videmus ferrum in ignem coniectum, ignem quodammodo fieri, ſicut enim (ut ait B. Paulus) Qui adheret meretrici vnum cum ea corpus efficitur: ita cum anima adheret carni, caro quodāmodo, & ipſa fit, uel quod grauius eſt viliſſimum carnis mancipium, dum uim omnem ſuam in explēdis carnis cupiditatibus impendit quę tamen Deo adhęrens, vnus ſpiritus eſt cum eo. Ex quo patet, quā neceſſariū ſit odiū carnis, eiuſque mortificatio, ne anima pereat: quia, vt B. Chryſoſtom. inquit. Deus omnia duplicia naturæ noſtræ dedit, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes, ſi altera pars è duabus læſa fuerit neceſſitati per alteram inſeruimus. Animā vero vnam dedit nobis, hanc ſi perdiderimus, quid ſuper eſt? Qui autem aliquo modo cognoſcere uoluerit, an anima ſuam ſua ſit ſerua ſui corporis, conſideret quod quemadmodū ſi in puteo ſunt duo lebetes ad hauriendā aquam è uertibulo pendentes non ſolent eſſe ſimul pleni aqua, ſed quando alter plenus eſt, alter uacuus exiſtit & è contra, ita ut qui plenus eſt aqua, eum, qui uacuus eſt ſemper ad ſe attrahat: ſic dici poteſt de corpore, & anima quę nunquam plena ſunt ſimul ſed cum corpus uoluptatibus, illecebris, cibis, ſenſualibus turpitudinibus plenum eſt tūc anima uacua eſt gratia Dei, quādo uero anima huius cæleſtis liquoris, ac diuini amoris plena eſt, tunc corpus uoluptatibus, & turpitudinibus uacuū exiſtit. At utrum iſtorum ſit plenum, aut uacuum in hoc aliquomodo uideri poteſt, cum ſcilicet alterum trahit ad ſe alterum: quādo enim anima corpus ad ſe attrahit, efficit, ut ipſum corpus in ſanctis exercitijs, in abſtinentijs, in uiſitandis carceribus, & hoſpitalibus, atque in ſeruiendo pauperibus ſe exerceat, hoc ſignum eſt, animā eſſe plenā, corpus autem uacuum. Contra uero cū anima rebus corporalibus in commodum, & recreationem ipſius corporis ſe tradit, & inuoluit, ſignum profecto eſt ſiquidem corpus eam ad ſe attrahit ipſum plenum eſſe, & illam uacuam.

Gen. 1.

Pſal. 77.

1. ad Co. 6.

B. Chry. homil. 19 ad populum Antioch.

Simile.

Carnis maceratio.

NArrat Cæſarius quondam magnū nobilium perſonarum numerum

ad

ad Dominum ſe couertiſſe, & in ſolitudinem ſe ipſos contuliſſe, ut monachalem uitam agerent, cum autem nobilis eques amicus illorum ſeruorum Dei eos inuiſeret, uidens qualiter uitam ruſticis, & agreſtibus cibis ipſi læti, & hilares tranſirent, qui tam delicate in ſæculo uixerant, raptus in admirationē hæc uerba Abbati fœlicis memoriæ Giliberto habuit. Pater miror hos homines, qui tam delicate in mūdo uixerant, tā rudibus cibis, uidelicet crudis oleribus, & leguminibus ſuſtentari. Cui egregius Abbas reſpondit; Scito Domine, me omnibus cibis, quos ipſi māducāt, tria piperis aromatici grana cōmiſcere, quę eis optimum ſaporem prębent. Primum granum ſunt longę matutinorum uigilię: ſecundum corporale manuum exercitium non enim illos otioſos eſſe permitto: tertiū denique eſt deſperatio aliorum meliorum ciborum. Hæc ſunt tria grana, quibus inculti, & agreſtes cibi noſtri perquam ſapidi nobis redduntur. Et adiecit amplius uenerabilis Abbas hæc uerba. Inſuper & credo maxime errare monachum, dum hęc edere non uult, quia timet corruptos humores in corpore ſuo generari: nam corpus abſque ſuſtētatione neceſſaria in his ad quæ tenetur, deficit. Ideo B. Bernardus in quodam ſermone ait. Cibaria noſtra non ſunt multum confortantia, idcirco oportet nos ſumere ex eis ad ſaturitatem. Qui hoc modo corpora ſua tractabāt maiorem ſecuritatem habebant, quod animis ſuis non præiudicarent, illi, qui modo precioſis cibis corpora ſua replēt. Equus quamuis fortis, & robuſtus ſit quando locum arduum, & accliuum aſcendit, non fræno, ſed calcaribus indiget, at uero cū deſcēdit opus eſt illi fræno, ne forte Dominū, quem uehit à ſe expellat. Sic in aſcenſu ad Deum corpus per pœnitentiam fręno non indiget, quia ſatis à ſe detinetur, & relaxatur, ſed indiget ſtimulo: quamuiscunq; enim ſtimuletur adhuc lētè procedit: in deſcenſu autem ad res humanas fręno abſtinētiæ, & mortificationis indiget, ne uidelicet cadat, & miſeram animam præcipitet.

Cæſarius.

D.Ber. in quodā ſer.

Simile.

Carnis, & concupiſcentiæ ſenſualis mortificatio.

SIcut olim S. Patriarcha Iacob ueniens de Meſopotamia, cum luctaretur cum angelo per totam noctem etiam rogante angelo, ut dimitteret eum, quia aurora aſcēdebat, reſpōdit. Non dimittā te, niſi benedixeris mihi. Sic nos oportet, cum Domino lachrymis, ieiunijs, cilicijs cum perſeuerantia luctari, uſque quo benectionem ſalutarē ab eo conſequamur, & maxime in mortificatione concupiſcētię carnalis. Accepta enim Iacob benedictione, emarcuit neruus in fœmore eius, inquit ſacer textus, & claudicabat. Grande bonum, & deſiderabile? Lucta perſeueranter, & accipies illud à Domino: Obſerua tamen, quod D. Hieronymus reprehendit Philonem, Euſebium, & Chyſoſtomum, & Hilarium, tanquam male interpretantes nomen Iſrael impoſitum Iacob, ideſt, vir videns Deum. Non tamen vere (inquit) quam uiolenter interpretatum videtur, ſed dici debuit, Princeps Dei, uel uirtus Dei. Quod ſi ita eſt optime quadrat litera: uſque ad inueniendam hanc benedictionem à Domino ut rectus Dei dicaris, & ſis, imo potius claudus Dei. Claudicabat Iacob tacto neruo fœmoris ſui ab angelo. Certandum tibi eſt in oratione, & ſanctis exercitijs cū Domino, quod cum tibi conceſſum fuerit, magnū theſaurum inueniſti, nimirum debilitatam concupiſcentiam tui corporis ex dono altiſſimi; & aſſidua mortificatione tuorum membrorum, per quæ iam rectus Dei factus es, & recta facis ſemitas eius.

Geneſ.32.
D.Hiero.libro de Abrahā. & li de interpret. Hebraicorū nominum.
Et li. Hebraic.qō.

Car-

Carnis maceratio.

IN libro Eccleſiaſtici legitur. Seruo maleuolo tortua, & compedes, mitte illum in operationem, ne uacet: multam enim malitiā docuit otioſitas. In opera conſtitue eum, ſic enim conducit illi. Pleṙique quidem animam diuinis refouent conſolationibus orationibus, contemplationibus aſſiduè vacantes, ſed quia carnem caſtigare contēnunt facile in eius illecebras prolabūtur. Ferri quidem duritiies in ignis cōflatorio mollificāda eſt, ſed nec hoc ſufficit, niſi poſtea ictibus in incude feriatur, ut inde, claui, uel quod uolueris conflétur. Sic nec animā diuinis colloquijs delinire ſat erit, niſi caro diſciplinę ictibus feriatur, ut ad nutū ſpiritui obtemperare non deſinat, & ne lenocinijs ſuis alliciat animam, ceu ciſigēda eſt, ne uel membrum aliquod inſtrumentū iniquitatis præbeat. Quin que reges qui ingreſſum filiorū Iſrael in terram promiſſionis impediebant captos Ioſue in ſpeluncā obſtruxit, calcare eorum colla principes Iſrael iuſſit, ac demum cruci affixos interire, ut ſacra refert hiſtoria. Quinque reges dici poſſunt, quinque ſenſus noſtri, qui aduerſus animam eleuati regnum eius inuadere cupiunt: hi quippe impedimentum nobis præſtant nō minimū ne promiſſionis terrā, hoc eſt, cœlorū gaudia ingrediamur. Quare per Dei gratiam, auxiliumque diuinum primū ab anima capiendi, ſunt, in ſeruitutēq; redigendi, ut ſeruos, ac mancipia, & nō reges ſe eſſe cognoſcant, deinde in ſpeluncis, & uinculis conſtringendi ſunt, ſic ut compedibus aſtricti teneantur, ne in illicita exeant, ibique cruci affixi mortificandi ſunt.

Eccl.33. *Simile.* *Ioſ.10.c.*

CASTITAS.

OPORTET caſtitatem alijs virtuti ſociatam habere: nam (vt Beatus Bernardus ait) caſtitas ſine charitate, lampas ſine oleo eſt. Subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, caſtitas non placet. Et ſuper Cantica idem ſanctus Doctor inquit. Quomodo claritas Lunæ non niſi à Sole eſt, ſic abſque iuſtitia continētiæ meritum nullum eſt. Vnde etiā Beatus Ambroſius inquit. Digna uirginitas, quæ apibus comparatur, ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens, rore paſcitur apes, neſcit cōcubitus, mella cōponit. Ros quoque uirginis eſt ſermo diuinus quia ſicut ros Dei uerba deſcendunt. Pudor uirginis eſt intemerata natura: partus uirginis fructus labiorum, expers amaritudinis, fertilis ſuauitas, in communi labore cōmunis eſt fructus. Quam te uelim filia imitatricem eſſe huius apiculæ, cui cibus flos eſt, ore ſoboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu filia, uerba tua nullum doli uelamen obtendant, nullum habeant, & plena grauitatis ſint. Mirifica ſunt præconia hæc caſtitatis, & uirginitatis: quæ non ſolum à puellis, ſed etiam à iuuenibus, amplexanda ſunt, & ſummo ſtudio ſeruanda, immo & ab omnibus Chriſti ſectatoribus, quibus omnia hæc maxime conueniunt. Vnde Beatus Cyprianus de ſingularitate clericorum ſcribens ait. Nec quiſquam

B.Bern in quadā ep. *Simile.* *B.Amb.li. 1.de uirg.* *Simile.* *B.Cypria.*

quam dicat. Habere uolo quod uincã, hoc eſt dicere. Viuere uolo ſub ruina. Habes nunc carnem tuam, quam ſuperes ſemper, quid tibi uis alteram uelle conducere? Nemo ſuper unam febrem cupit adhibere peiorem, ne incipiat infirmitate inſanabili laborare, cui nullus ualeat medicus ſubuenire. Nec aliquis ſuper onus propriũ tollit alienum ne oneribus uſque ad inferos demergatur. Ibidemque addit ſanctus Doctor. Quod ſi aliquis dicat. Captiuum teneo aduerſarium, cui ſemper inſulium, ſcilicet, corpus meum uideat, ne forte aduerſus eum captiuus
Simile. incipiat præualere. Nunquam ſecurus cum theſauro latro tenetur incluſus, nec intra unam cauéam cum lupo tutus eſt agnus. Ipſe ſe uoluit ſuperari, qui hoſtem propriũ in ſuas portas induxit, & inteſtinum gladium ſibi ipſe ſuppoſuit. Qui locum habitationis ſuę aduerſarii ingreſſibus reſerauit: & qui fretus eſt conuerſari cum ſcandalo, ſine cauſa dixit: Pacatus uolo eſſe cum Diabolo, contra Apoſtolum dicẽtem.
Ad Epheſ. 4.c. Nolite locum dare Diabolo. Omni ergo modo muniendus eſt locus, ubi fuerit theſaurus abſcõditus, ne per unam
B. Chryſo. homi. 9. de pœniten. cauernam totum parietem latro ſuffodiat. Et B. Chryſoſtomus de hac uirtute diſſerens inquit. Pinge mihi uirginitatis ſpeciem: bellum habet quotidie, nonunquam hic ſedabile barbarico deterius: nam & hoc temporis habet requiem, quo uel paciſcuntur uel ordinant, ut quandoquidem pugnent, quandoque ceſſent, belli uero in uirginem nulla quies, induciæ nullæ: Diabolus eam ſemper nudam inuenire requirit, quo lethale uulnus infligat, non hoc illud tempus obſeruat, ſed ſemper belligeratur. Sic uirgo nunquam ceſſat à
B. Hieron. epiſ. ad Sa bello. Beatus etiam Hieronymus ait. Tenera res in fœminis fama pudicitiæ eſt, & quaſi flos in fœminis citò ad leuem marceſcit aurã leuique flatu corrumpitur, maxime ubi ætas conſentit ad uitium, & maritalis deeſt auctoritas, cuius umbra tutamen uxoris eſt. Et in alia epiſtola idem ſanctus Doctor ait. *putiã de uidui. ſeruã. B Hieron. in epiſt. ad Gauden.* Virgo es quid te mulieris delectat ſocietas? quid fragilem, & futilem ratem magnis committis fluctibus, & grande periculum nauigationis incertæ ſecurus aſcẽdis? Neſcis quid deſideres, & tñ ſic eis iũgeris, quaſi aut antea deſideraueris, aut, ut leuisſime dicã, poſtea deſideraturus ſis? Ex ſacra ſcriptura multis in locis apparet, quam caſti, & cõtinentes initio mundi homines erant, nam de Seth ſic dicitur in ſacro textu. Vixit *Gene. 5.c.* Seth centum quinque annis, & genuit Enos, Res quidem mirabilis, quod cũ eo tempore generatio hominum tam neceſſaria eſſet, patres illi antiqui adeò erant caſti, ac poſt tot annorũ ſpatium uxores ducebant. Homines autẽ huius temporis uix ad diſcretionis annos perueniunt, cum iam de turpitudinibus, & rebus carnalibus agunt, & uix adoleſcentiam attingunt, quando uxores ducunt. De Noe Patriarcha paulo *Gene. 6.* inferius, ſic etiam ſacra refert pagina. Noe vero cum quingentorum eſſet annorum genuit Sem, Cam, & Iaphet. Quo in loco caſtitas, & continentia hu *Gen. 6.* ius ſancti uiri apertiſſime oſtenditur, ſiquidem per cõtinuos quingentos annos eam maxima cum ſui corporis puritate obſeruauit, & forſan propter hãc uirtutem fuit à Domino maxime laudatus: ex omnibus enim ſui temporis hominibus ſolus ipſe in oculis Dei iuſtus fuit appellatus, ac de nullo alio legimus caſtitatem tanto temporis curriculo fuiſſe ſeruatam. Diſcamus ergo, hos ſanctos uiros omni animi conatu, & obſeruatione imitari.

PRO SANCTA Catherina.

SVMMA animaduerſione dignnm ceſeo, quomodo ſupernus mundi Saluator Chriſtus Ieſus virginē hāc nobiliſſimam ſibi deſponſauit. Non plane ex piis parentibus, ſed contra ex ethnicis, & à fide orthodoxa alienis orta fuit: unde de hac virgine ſancta illa uerba ſponſi in Canticis poſſunt adaptari. *Cantic. 1.* Sicut filium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias: ueluti ſpinæ parentes eius fuerunt, qui idola uana colebant, quæ dæmonia potius quā dii ſunt, dicente Pſalmographo. Omnes dii gentium dæmonia: Dominus autē cœlos fecit. *Pſal. 95.* Vbi in Hebræo habetur, omnes dii gentium nihil ſunt. Super quo ſanctus Theodoretus ait: Omnes gentium dii non niſi dæmones ſunt uiſi, Deus autem noſter cœlorum opifex declaratus eſt. Inter hos autem ſentes cruentes uirgo Catherina uerſabatur, & more parentis ſui Regis Coſti, falſis diis ſeruiebat. Sed Rex Regum Chriſtus Ieſus ex alto eam proſpiciens, miſericordia tactus, ſponſam ſibi delegit ueluti roſam uernantem, pulcherrimūque lilium colligens, ad ſacrum baptiſmum eam uocauit. Sapientiſſime ſanè Beatus Paulus dixit: Dominus ſcit, qui ſunt eius, ipſe utpote ſapiētiſſimus ante mundi conſtitutionem electos ſuos agnouit, elegit, & amauit, & uitam æternam eis dare inſtituit, unde clamat S. Apoſtolus. *Ad Epheſ. 1.* Qui elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in cōſpectu eius in charitate. Vbi notandum, quod prædeſtinatio ſecundum rationem preſupponit electionem, electio autem dilectionem. Ratio, quia prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ, prouidentia uero, ſicut & prudentia, eſt in intellectu exiſtens præceptiua ordinationis aliquorum in finem: non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præſuppoſita uoluntate finis. Vnde prædeſtinatio aliquorum in uitam æternam præſupponit ſecundum rationē quod Deus illorum uelit ſalutem, ad quod pertinet electio, & dilectio, ut docet Beatus Thomas. *B. Tho. 1. p. q. 13 artic. 4.* O nos fœlices fratres ſi tantam gratiam non neglexerimus, Deus optimus antequam mundus fieret nouit nos, elegit, nec non & dilexit, nō vt mundialibus adhæreamus rebus aut uoluptatibus dediti, ferarum more, uitam noſtram ducamus, ſed potius ut ſimus ſancti, & immaculati, nedum in conſpectu hominum. Sed in conſpectu Dei, qui abdita noſtri cordis intuetur. Cæterum, quia prædeſtinatorum numerus certus, eſt & augeri, aut minui non poteſt, ut Beatus Auguſtinus docet, libro de correctione, & gratia, *B. Aug. li. de correct. & gra.* & Beata Catherina ex illo numero erat, uocauit eam Dominus, ut ex lauacro ſancti baptiſmi ſole ipſo pulchrior, & candidior euaderet, dicente Paulo. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, & quos prædeſtinauit hos & uocauit, quos uocauit, hos & iuſtificauit, quos iuſtificauit hos & magnificauit. *Ad Ro. 8.* Ecce chariſſimi nos ſua dignatione, & munificentia Chriſtus Ieſus uocauit, & iuſtificauit in ſancto baptiſmato. Satagite ergo, obſecro, ut per bona opera certam faciatis ueſtram uocationem, ſicut Beatus Petrus omnes fideles hortatur. *2. Pet. 1.* Quæ quidem opera ſancta magnopere in hac glorioſa uirgine Catherina emicuerunt. Operæ pretium igitur erit obſeruare opera mirifica,

rifica, quæ hæc ſacra uirgo teneriſſima, Chriſto Ieſu eam roborante, patrauit. Equidem gemma hæc non modo totã Alexandriam ſplendore ſuæ ſanctitatis, ſed uniuerſum orbem magnopere illuſtrauit. Niſi fallor, trifaria bona Chriſti amore aſſlata, priùs ſpreuit, & uiriliter ea peſſundedit: quæ uel maximè mundus amare, & adorare ſolet. Primo regnõ temporali renuncians diuitias quaſque contempſit. erat quippe unica hæres, cui omnes parentum ſuorum opes iure conueniebant. atqui alma puella cum Apoſtolo clamans dixit: Omnia arbitrata ſum, ut ſtercora, ut Chriſtum Ieſum regem, & ſponſum

Ad Phil. 3. meum lucrifaciam. Verbum illud, omnia, non uulgarem habet energiam, id eſt, omnia quæ tantopere homines uendicare ſtudent in hac labili uita, ultro mea uoluntate horrui, & uiliſſimè fore exiſtimaui, quo Ieſum angelorum gloriam, & piorum pretioſum theſaurum perpetuò poſſidere queam. Itaque argẽtum, & aurum, lapideſque pretioſos omnes nihili pendens, margaritũ hoc, quod cunctis rebus creatis præcellentius eſt, mihi comparaui, ſicut ſcriptum

Mat. 13. eſt. Inuenta autem una pretioſa margarita dedit homo omnia ſua, & comparauit eam. Fugite & uos fratres auaritiam, quæ inſatiabilis rerũ cupido eſt,

B. Aug. li. 3. de li. arbit. Theolo. li. 2. ſenten. d. 22. B. Tho. 2. 2. q. 118. art. 2. Ariſt. 4. Ethic. B. Greg. li. 14. mora. D Ber. ſer. 38. i Cãti. 4. Ethic.

& teſte Diuo Auguſtino cui conſentiũt Theologi præſertim Beatus Thomas, hanc belluam ſunt etiam deteſtati ethnici lumine naturali duntaxat educti. Quin & auaris tam deeſt quod habent quam quod non habent, ut probe Diuus Hieronymus ſcribit ad Paulinũ. Quid quod omnis auarus ex potu ſitim multiplicat? Nam quum quæ appetit adeptus fuerit, ad obtinenda alia anhelat. Qui enim adipiſcẽdo plus appetit, huic ſitis ex potu creſcit: quamobrem commode auarus hydropico aſſimilatur à Beato Gregorio. Hoc perſpicue intelligens Beata Catherina ſpiritu Dei acta, totius regni ſui opes derelinquit, & Saluatorem mundi candido dilexit pectore. Quomodo autem curſus auaritiæ quatuor rotis trahitur, quæ ſunt puſillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio, latius Beatus Bernardus expendit in quodam ſermone ſuper Cantica. Secundum bonum, quod uirgo Catherina ob Chriſti amorem deſeruit, fuit honor, & mũdi huius gloria. Hanc planè ſæculi huius gloriam ſic homines dilexerunt, ut diuitias omnes, & uitam tãtopere dilectam pro illa capeſſenda libenter expenderent. Vnde Philoſophus quidam dixit. Gloria eſt maximum bonorum exteriorum uirtutis merces, quæ bonis uiris tribuitur: Sed uerè nõ eſt uirtutis pretium, ſed teſtificatio, qua teſtamur nos ſentire uirtutem ei ineſſe, quem honoramus. O quanta ſitis, quantaque cupido antiquis fuit honoris, & gloriæ acquirendæ, ita ut per eam mortem appetere multi non recuſauerint, quæ quidem cupiditas utinam in orthodoxis prorſus eſſet extincta, quoniã quã ſit inanis, & fallax mundi labentis gloria Propheta Eſaias clamat dicens:

Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. *Eſa. 40.* Mirares, quã benè ſuis natiuis coloribus humana gloria depicta cõſpicitur in fragili flore fœni. Non arbori cedro, non lauro, aut cupreſſo comparata eſt caro noſtra, ſed fragili fœno, quod, priuſquam euellatur ſuapte natura breui admodum areſcit. O inſignem ſtultitiam, ô miſeram hominum dementiam faſtu magno turgeſcunt, efferuntur ſuper bientes, cum nihil ſint, quam fœnum, & eorũ gloria, ut flos fœni uento mortis flante areſcet, & decidet. Vnde optime Beatus Chryſoſtomus dixit in quadam homilia, *B. Chry homi. 4. in Io.* ſi gloriam cupis, gloriam deſpice & omnibus glorioſior eris. Si ergo omnis ſæculi præſentis gloria fœni inſtar, & flos eius euaneſcit, quorſum eã tãtopere affectamus? Abſit hoc à nobis chariſſimi & ueram gloriam, quæ à ſolo Deo eſt pro noſtra uirili quærentes mortalium laudes contemnamus,

cum

2. ad Co. 1. cum Apoſtolo dicentes; Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. En ubi tranquillitas & pax, quæ ſuperat omnem ſenſum, ſita eſt. O prudētiſſima uirgo Catherina, quę gloriā regni,& coronam marceſcibilem ſpreuit, qua ſpreta cœleſtem gloriam adinuenit cum Chriſto Domino regnans. Obſeruatione etiam dignum eſt, quam generoſe tertium bonum contempſit, quod homines tanti facere ſolent. Sanè iuuentutem ſuam & pulchritudinem pro nihilo reputauit, tanquam ſi ante
Prov. 31. oculos haberet illud Salomonis Fallax gratia, & uana eſt pulchritudo: mulier timens Deum ipſa laudabitur. O quā mendax eſt quæuis corporis ſpecies, q̃ infirmitas ſtatim aufert, ſenectus adimit,& mors furibunda cōſumit? Fallax gratia, quæ ſic oculos ſpectantium illaqueat, ut miſere illaqueatos occidat. Vidés Diua Catherina alioquin pulcherrima, quam fallax, & vana ſit corporis ſpecies eam contemnens Chriſto Ieſu ſponte obtulit, contemplanſque eum in cruce pendentem, non habentē ſpeciem, nec decorem, qui ſpecioſus erat præ filijs hominum, horruit omnē decorem carnis. Denique amore Dei flagrans non ſolum mundi fallacem gloriam, diuitias, ac pulchritudinem contempſit, ſed etiam uitam, qua nihil dulcius in hoc ſæculo, gratanterque illam exponens ad martyrii palmam aſpirauit. O mulier fortis, Cuius pretium de ultimis finibus, quid de te dicam? Quibus elogiis te pro dignitate laudabo?

Equidem ò beata Catherina longæ melius, quam de Eua dicere de te auſim. Hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt. Ex Adam cœleſti Chriſto tua virtus, & fortitudo dimanauit, alioquin non tot egregia facta poſſes efficere, Gen. 2. ſiquidem cæteruam Philoſophorum de tua ſapientia ſtupefactam ad fidei veritatem Deo adiuuante conuolare feciſti, & vxorem Imperatoris infidelem ad ipſum altiſſimum Deum conuertiſti. Cæterum vbi ventum eſt, ad cruciatus atroces, carceris ſqualorē gaudēter ſuſtinuiſti voce ſonora Chriſtum Ieſum prædicans. Ad extremum virgo ſancta collum ſuum lubens ſubmittit gladio coronam immarceſcibilis gloriæ accipiens. Nos, fratres modis omnibus hanc glorioſam ſanctam D.Tho. 2. 2. q. 124. art. 3. ueneremur nam ſi martyrio digni non ſumus (quod maximæ perfectionis in ſigne eſt non ſecundum ſe, ſed vt imperatur à charitate, ſicut Beatus Thomas docet) tamen ſumme nos ſolari debet illud ſancti Gregorii dicentis. Quamuis occaſio perſecutionis deeſt, B. Greg. homil 35. habet nihilominus pax noſtra martyrium ſuum: quia etſi colla ferro non ſubdimus ſpirituali gladio deſideria mala in mēte trucidamus. Et iterum. Nos ſine ferro & flamma martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter tenemus. Faxit Deus, ut ſic infracto animo aduerſa ſuſtineamus, vt cum Beata Catherina in æthereis aulis regnemus. Amen.

CAEREMONIAE.

Ezec. 47. LOQVENS Sanctus Ezechiel de viro iuſto ait. Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius in medicinā. Vbi per lignum uir iuſtus ſignificatur cuius fructus sūt virtutes, folia uero ſunt cæremoniæ. Non ſolum autem uirtutes iuſti proſunt, ſed & bonæ cæremoniæ cum uirtutibus coniunctæ. Virtutes ſunt excellentes animæ cibi, cæremoniæ vero ſunt folia ſalutarem medicinam conferentia.

rentia. Et quemadmodum folia licet fructus non ferant, eos tamen ſuſtentant, & arborem ipſam exornant, ſic licet in cæremoniis non ſit per ſe religionis ſubſtantia, conducunt tamen ad religionis ſubſtantiam conſeruãdam, & ad pulchrum Chriſtianæ uitæ ornamentum. *Simile.* Arundines in uineis ſeu ligna uites ſuſtentantia non ferũt uuas, ſed ſuſtineut. Sepes in agro arboribus conſito non nutrit plantas, ſed ſeruat: ſic cæremoniæ recte inſtitutę non ſunt quidem per ſe ipſa religio, ſed ad eam ornandam, & conſeruandam mirum in modum conducunt, & animos intuentium ad uirtutem mouent, & excitant. Vt enim mali perſici exterius comedimus, interiorem uero nucleum duro cortice coopertum foras proiicimus, ſic laici noſtra comedunt exteriora, interiora vero non curant, quia nec ea uident, nec intelligunt, ſed cæremoniis recte ædificantur. Sed aduertendum, quod (ut ait Reuclinus) intentio cæremoniarum eſt memoria Dei frequens, & timor eius, & amor eius, & obſeruatio mandatorum omniũ, & quod credatur in Deũ altiſſimum id, quod neceſſarium eſt unicuique.

Reuclli de arte cabaliſtica.

Simile. Nimirum graui nos mole corporis preſſi ualde quidem egemus ad ſomnolenti animi excitationem commouentibus rebus, & generoſus equus itinere iam longo fatigatus cum claſſicum perſonuit, in robur erigitur, ſtare loco neſcit, micat auribus. Et Elephantus ſegnitiæ torpeſcens igne oſtenſo reſurgit in audaciam. Ita rebus ſæcularibus eneruata uirtus noſtra externis, & corporalibus incitabulis ſeu uocum, ſeu figurarum indiget, ut animi noſtri uigor ſpirituali operi robuſtius inſtet, & contemplatio noſtra tanto acrius in ſublime protrahatur, quanto magis attoniti antea obſtupuerimus. Et in hoc conſtat omnis cæremoniarum ratio tam ueteris, quam noui teſtamenti. Ac propterea in ueteri teſtamento palmas tetenderunt, brachia expanderũt, genua flexerunt, tau ſuper poſtes ædium notarũt, ſerpentem æneum aſpexerunt, Cherubin, & alias imagines figurarunt. Et in nouo teſtamento manus leuamus orãtes, nunc ſtamus, nunc in faciem procidimus, pectus tundimus, frontem cruce ſignamus, &c. *Simile.* Vt autem ſtruthiocamelus ingens auis pennas habet, ſed non uolat, nec fertur in ſublime, ſic multi pennis cæremoniarum ad cælũ extolli uidentur, & tamen à terra non eleuantur. Non damno cæremonias, quas ſemper bonas, pulchras, & utiles duxi, ſed eſſe apud multos uirtute deſtitutas hoc quid eſt, quod doleo. *Simile.* Miluus ales nimis rapax in altũ aſcendit, & uolitans expandit alas, ſed in illa altitudine cõſtitutus oculos fixos habet in terra cernens, an poſſit pullũ gallinaceũ, aut aliquid ſimile unguibus arripere: aſcendit quidem, at non cælum ſed terram aſpicit. Ita nonnullos uidebis ſanctimoniam fingentes, qui etſi contemplatione rerum altiſſimarum à terra extolli uideantur, nihil tamẽ niſi terram aſpiciunt, ut poſſint gloriã humanam, aut redditus, aut dignitates, aut Principum fauorem acquirere, & mundi opibus abundare. *Simile.* Poſtquã primus parens Adam uirtutem amiſit, ſtatim folia quærere contendit ad nuditatem ſuã operiendã. Sic plurimi Eccleſiaſtici, amiſſa interiori bonitate, ad cęremonias duntaxat exteriores ſe cõferunt, quibus imperfectiones ſuas operire conantur. Quoniam autem interiorem uirtutem non habent, eis cæremonię parui ponderis atq; utilitatis ſunt.

Cæremoniæ in ſacroſancta Eccleſia, & in ſacris religionibus inſtitutæ fuerunt, ut nos ad Dei ſeruitium excitarent, atque ita utile eſt ut nobis organa, muſica inſtrumẽta, atq; alii exteriores apparatus ſtrepitum præbeant ad nos ſuſcitandũ. Cũ S. Moyſes in montem ad recipiendam legem aſcendit cœperunt reſonare tubæ, & ſonitus buccinæ, hoc eſt, tonitrua, & fulgura; ut uidelicet maieſtas illa exterior

ipſum ad conſiderationem maieſtatis Dei excitaret. Sic nobis ad hoc idem cæremoniæ ſacroſanctæ Eccleſiæ deſeruiunt. Quo circa ut ex illis ad hunc finem commodum, atque utilitatem eliciamus oportet.

B. Dion. de cœleſti Hierar. c. 1. Beatus Dionyſius de cœleſti Hierarchia ait, Diuina manifeſtari hominib. ſub aliquibus ſimilitudinibus ſe ſenſui obiicientibus, animum ad intellectiua, eleuantibus. Cum autem cęremonię ſe offerant oculis, mouent quidē animos, & homines excitant ad Dei obſequiū, quod non ſolum interioribus actibus, ſed etiam exterioribus proteſtentur. At ſi cæremonię fuerint à charitate ſeiunctæ, tantum ut uirturem ſimulent, & cōſpectores decipiant, non modo nō proſunt ad uitam immortalem habētibus illas, ſed interitum illis æternum machinantur. *Simile.* Huius modi erant Phariſæorum cæremoniæ, & vtinam non eſſent hodie multi illos imitantes. Olim induebātur homines uili fuſtanico thorace cum limbis, & fimbriis manicarum ſericis, & bōbycinis pretioſis foris apparentibus. Intus latebat uile, foris apparebat pretioſum. Hæc antiqua indumenti conſuetudo mutata eſt apud nōnullos ex corpore ad animam. Intentiones impiæ fimbriis, extremitatibuſque uirtutum ornantur, & corda fuſtanica ſceleribus imbuta bombycinis ſignis, & eximiæ ſanctitatis fuco extrinſecus muniuntur. Folia pulchra habēt, ſed nullum fructum, ideo dicebat Dominus. *Mat. 7.* Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignē mittetur: eſt enim hypocrita arbor ſepius uiam foliis ornata, fructu autem deſtituta, quæ areſcet in ęternum. Id uolens Chriſtus Redemptor noſter ſignificare uidens ficulneam ſecus uiam uenit ad eam, & nihil in ea inueniens præter folia ait illi. Nunquam ex te fructus naſcatur in æternum, & arefacta eſt continuo ficulnea. *Mat. 21.* De iuſtis uero olim dicebat uates quidam. *Ezec. 47.* Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo: & non deficiet fructus eius & erunt fructus eius in cibum, et folia eius ad medicinam. Vbi uates ſanctus uiros iuſtos, cum arboribus comparat fœcundis, iuxta dulces ſalutariū aquarum fluuios, ſatis pulcherrimos fructus, & illos quidem tempeſtiuos ferentibus, uirentibus omni tēpore, nulloſq; æſtus formidantibus. Id etiam uoluit Pſalmographus uerbis illis oſtendere, quibus uirum beatum deſcribit; Erit, inquit, lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet. Et ſubdit ſtatim: & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur. Ac ſi dicat, & fructus erit, qui non pereat, quoniam illi omnia uertuntur in utilitatem, ſiue proſperis rebus utatur, ſiue rerum aduerſarum ictibus oppugnetur. Vt enim calor naturalis in eo, qui recte ualet, habetque ſanam, & robuſtam complexionē omnia concoquit alimenta, in bonumque digerit ſanguinem: ſic qui Deum diligit, quidquid illi accidit, bene erit, et ſic omnia quæcunque faciet proſperabuntur. *Simile.*

Cæremoniæ.

CVltus exterior, interioris cultus profeſſio quædam eſt ſignis corporeis ſignificata: fieri ergo huiuſmodi à nobis debent, ut corpore etiam Deū colamus, et ut uires noſtras incitemus, ad colendum Deum, uera fide, ſpe, et charitate. His namque uiſibilibus ſignis, (ut docet Simplicius in Epictetum) non quidem Deum ipſum commouemus, ſed nos potius mobiles ad immobilem diuinitatem trahimus, nō ſecus, quàm nautæ nauim appellendo reſti in portum eiecta, uel fune prolato non terram attrahunt, ſed ſe ipſos, et nauim mobilem ad terram trahunt immobilem: graui enim nos mole cor *Simpli. in Epic. c. 70* *Simile.*

poris oppreſſi ualde quidem egemus, ad ſomnolenti animi excitationem cō mouentibus rebus, vt generoſus equus *Simile.* itihere iam longo fatigatus cum claſſi cum perſonuit, in robur erigitur, & ſta re loco neſcit, micat auribus: ita rebus ſæcularibus eneruata virtus noſtra, externis, & corporalibus incitabulis ſiue uocum, ſiue figurarum indiget, ut animi noſtri uigor ſpirituali operi robuſtius inſtet, & contemplatio noſtræ tanto acrius in ſublime prouehatur, quanto magis attoniti antea obſtupuerimus. In his autem affectum attendit Deus potius, quam quæ ſic offerimus, ſic in Geneſi ad Abel, & ad munera eius reſpexiſſe dominum legimus: ad Cain autem, etiam ſi ſacrificium obtulit, non reſpexiſſe. Et alibi incenſum Noe odorem ſuauitatis uocauit ſacer textus. *Gen.3.* *Gen.8.*

CHARITAS.

1.adCo.13 LOQVENS Beatus Paulus de virtute charitatis inquit. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, &c. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Promptiſſimum charitati eſt omnium uirtū tum opera exequi, omnia uitia declinare, omnia præcepta ſeruare, non ſolum quò ad ſubſtantiam (ut dicunt Theologi) uerum etiam quo ad modū ob ſuper naturalem finem amatum. Ideo regius Propheta ait. Cuſtodiuit *Pſal.118.* anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea uehementer. Hoc eſt, quia dilexi teſtimonia tua uehementer, ideo cuſtodiuit ea anima mea. Nam, ut ait Beatus Gregorius probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Et ſicut in lectua- *Simile.* riis conficiendis mel, aut ſaccarum ad ea condienda præcipuè requiritur, & hunc præcipuum ſaporem ipſa referūt quamuis ex uariis fructibus compoſita ſint (tranſeunt enim hæc fere ex naturali ſapore ſuo in ſaccari mellisve ſaporem) ita planè charitas eſt, quę opera noſtra Deo gratiſſima reddit, cuiuſcunque generis illa ſint, modo bona exiſtant. Quo fit, ut uel minima opera bona ſi maxima charitate fiāt maximi apud Deū meriti ſint, quale fuit uiduæ, illius, quæ æra minuta duo in gazophylatium miſit. Vnde quiſquis Deo gratiſſimū ſeruitium præſtare uelit, quāuis ad ſumma uirtutum opera niti debeat, non tam de excellentia operum, quam de magnitudine charitatis, qua fiant ſolicitus eſſe debet. Paria enim uirtutum opera diſpari charitate facta, diſparis quoque apud Deum meriti ſunt. Ex quatuor autem potiſſimum rebus bonorum operum ualor cōſurgit. Primum ex nobilitate operis, quę attēditur ex præſtātia uirtutis: quemadmodum religionis actus pręſtantior eſt actu temperantiæ. Secundo ex difficultate operis, quæ uidelicet non ex deprauata conſuetudine, ſed ex ipſius operis natura proficiſcitur, qualis eſt actus martyrii. Tertio ex conatu operis, qui quidem conatus procedit à libera uolūtate, & ab habitu uirtutis, cuius actū exequimur: quāto. n. conatus fuerit generoſior, eò actus ipſe meriti maioris erit. Quarto, & præcipuo ex charitate, quanto enim quis maioris charitatis affectu operatur, tanto opus ipſum maioris apud Deum meriti eſt. Cæterum tam ardor charitatis, quam uehemētia conatus diuinis excitātur auxiliis, quæ cum maiora ſunt, nos ad nobiliora rapiunt.

1. ad Co. 13 piunt. Quia autem tanquam caput totius corporis virtutum eſt charitas, ut B. Paulus aſſerit, dicens: maior autem horum eſt charitas, nos ob eam defenſandam certaminibus uitiorum exponere debemus, ſicut coluber cum urge- B. Ambro. ſup. Pſal. 118. tur periculo (ut ait B. Ambroſius) caput ſemper abſcondit, & in orbem ſe colligens obiecta reliqui corporis parte, caput ſolum tueri conatur, eo quòd ſaluo capitis uigore, læſa cætera membra fertur reparare. Sic ergo & nos ſeruata charitate quę inter omnes capitis primatũ tenet, perire non poterimus. Nam ſicut in corpore hominis caput omnia membra fouet, & dirigit, atque ſenſibus implet vnde ductus venarum, meatusque ſpiritus ſanguinis uires in totius corporis partes deriuantur, luſtrat omnia ſublato capite reliqui corporis trũcus ſine uita eſt, ſic reciſa charitate, tanquam truncus homo remanet. Diuitiæ ergo, honor, & uita in diſcrimen ponenda ſunt, ne charitas amittatur à qua bona multa procedunt.

Charitas.

OMnium uirtutum uiri Chriſtiani finis eſt charitas, quod licet obſcure regius Propheta ſignificauit, cum dixit. Omnis conſummationis uidi fi- Pſal. 118. nem: latum mãdatum tuum nimis. Vocat autem hic ſanctus uir opera præceptorum, ac uirtutum, cõſummationes, quoniam quælibet uirtus perfectum, ac conſummatum opus habet in ſuo genere. Nam uirtus eſt (ut ait Philoſo- Ariſt. 1. Ethic. phus) quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum. Vnde & de patientia dicit Beatus Iacobus. Patientia Iacob. 1. c. perfectum opus habet. Harum autem uirtutum finis eſt charitas, quæ dicitur latum mandatum ualde: quoniam omnia in ultimum finem tendunt quẽ charitas immediatius inter uirtutes in ſe ipſo attingit, nam fides oſtendit eum, ſpes facit tendere in eum, charitas uero unit nos Deo, nam ideo dicitur uinculum perfectionis, quia nos ultimo coniungit fini, ac tanquam uinculum illi nos unit, in quo omnis noſtra perfectio conſiſtit. Virtutes autem Theologicæ præeminent moralibus, quia habent Deum pro immediato obiecto, inter quas excellit charitas, ut Beatus Paulus docet. Vnde idem ſanctus Apoſtolus ait. Finis præcepti eſt charitas: 1. ad Co. 13 1. ad Tim. 1. c. Quare idem eſt dicere. Omnis conſummationis uidi finem: Latum mandatum tuum nimis, ac ſi diceret. Omnium uirtutum uiri Chriſtiani finis eſt charitas. Ergo omnia opera noſtra, ac officia noſtra, ac denique omnes uirtutes noſtras ad habendam charitatem Dei, dirigere debemus, ut ipſi Deo tali uinculo uniamur. Vnde in ferculo illo, quod ſibi fabrefecit Rex Salomon in ſupremo loco erat charitas, dicitur enim ibi. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius Cant. 3 c. fecit argẽteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalẽ. Media ait, hoc eſt, [*La boueda,*] quod ſupremum eſt, charitate conſtrauit: ad quam tamen charitatem per aſcenſum purpureum aſcendit, hoc eſt, per ſanguinem Paſſionis Chriſti Ieſu, quẽ pro inimicis etiam effudit. Aſcendamus ergo per paſſionis Chriſti Domini noſtri contemplationem, ut perfecta charitate inflammemur. Qui enim Simile. ignem domi ſuæ ſeruare uult, non ſtipulis, leuibusque nutrimentis, ſed maioribus lignis fouendum curat. Ita quiſquis charitatis feruorem perpetuo in anima retinere cupit, quotidiana deuotæ meditationis ligna applicare illi non ceſſet; maiora autem ligna ſunt paſſionis meditationes: charitas eſt aurum, quo omnia bona opera noſtra deaurantur, & pulchra fiunt, de quo dicebat Chriſtus Saluator mundi in Apocalypſi: Suadeo tibi emere Apoc. 3. à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & ueſtimentis albis induaris, ut non appareat confu-

ſio

ſio nuditatis tuæ. O fœlices nundinas, ò admirabiles commutationes in quibus fletu, lachrymis, ieiunijs, & orationibus eiicitur tā pretioſa, & vtilis res!, qualis eſt charitas. Eamus omnes ad tale emporium, ubi paruo pretio charitatem & æternam gloriam comparemus. Sed quoniam Diabolus eſt mercator, qui breues, ac peſtilentes uoluptates, aliasque mortiferas merces pretio animarum uendit, aut ſaltem promittit, ut nos ad æterna ſupplicia deducat, eſt ſumma diligentia aduertendum, ne cū tali negotiatore commercium exerceamus. Oſtendit dapes in ſuperficie ſuaues, & appetendas ſed intus latenti veneno contaminatas. Non eſt aurum id, quod apparet, ſed ſcoria: non mel ſed fel: non uita, ſed mors. Vt enim, ſtultus cenſetur, qui equum empturus non ipſum inſpicit, & faſtidioſe perpendit: ſed ſolum eius frænum ſtratum, & exteriora ornamenta intuetur; ſic inſanus iudicandus eſt, qui mercium Diaboli ſpeciem ſolum aſpicit: interiora uero minime contemplatur, non eſt Cryſtallus omne id, quod cryſtallus apparet: vitrū & chryſtallum imitatur; res fragilis & uilis rem ſolidam, & pretioſam: immo uenenum habet aliquando ſpeciē medicamenti. Tres mercatores peſtilētes ſunt, qui perniciē nobis uoluptatis ſpecie tegentes uendunt: & ad ſuas officinas alliciunt; Diabolus, mundus, & caro, qui nobis interitum machinantur. Eos ergo fugiamus, eorum uoluptates contemnamus, & peſtiferas merces deteſtemur. Quid nobis cum mundo, quē antiqui congeriem malorum appellarunt? Cuius uitam & naturam Plotinus quaſi magicam eſſe affirmauit: imagines boni, ueri, ac pulchri ubique fingētis, falſumque pro uero ſimulantis.

Simile.

Charitas.

1. Pet 4. Charitas ueſtis eſt nobiliſſima, de qua Beatus Petrus inquit, charitas

3. Reg. 15 operit multitudinem peccatorum. Hęc eſt ueſtis illa qua Elias operuit Eliſeū, quem arantem inueni: hac enim indutus Eliſeus combuſſit aratra, in quo rum igne coxit duos boues, quos occidit, & ſtatim ſequutus eſt Eliam, qui ſuper eum pallium proiecerat. Quid per Eliſeum terram colentem intelligitur, niſi peccator in terrenis operibus implicatus? Quid per Eliam cælum aſcendentem, niſi Chriſtus charitate inflammatus in cælum aſſumptus? Cum Chriſtus dominus peccatorem cooperit pallio charitatis, ſtatim homo terrena, ac turbulenta negotia, & impia cōmercia relinquit: & iuga boum, hoc eſt, mundi uincula, & nefarios labores contemnit: combuſſit aratra, hoc eſt, inſtrumenta peccandi: & boues, qui iuga mundi portabant, occidit, & coquit aratrum igne, hoc eſt, appetitus interficit: & ſe ipſum occidit igne contradictionis peccatorum, ita ut iam ipſe, qui antea erat, non uiuat, ſed ſit Deo immolatus: non viuat homo carnalis, ſed ſpiritualis, non homo terrenus, ſed cæleſtis quemadmodum de ſe ipſo B. Paulus dicebat. Viuo autem iam non ego, viuit in me Chriſtus: ille Paulus, qui antea viuebat erat in cruce immolatus, iuxta id, quod ipſe dicebat, Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Aſpicis itaque quid profuerit Eliſeo palliū illud, quò fuit ab Elia indutus, per quod Chriſti charitas ſignificatur, ſine qua merito nudi homines dicuntur: ut autem inquit Beatus Bonauentura tanti facit Dominus hanc ueſtem, ut ſuis fidelibus materiam, de qua fieret, præbere dignatus fuerit. Præbent oues lanam, præbent uermes (quos bombyces uocamus) ſericum, ex quibus homines ueſtimenta pretioſa componere ſolēt. Præbuit Chriſtus Ieſus agnus manſuetus, & uermis tenerrimus, (Ego, ait ille, ſum uermis, & non homo) materiā, quaſi de viſceribus ſuis: cum aperto latere infinitum ſuum erga nos amorem

Ad Gal. 2.

B. Bonauē. de doctri. cord. 1. c. 37.

Pſal. 21.

effudit pretioſo ſanguine tinctum: vt hāc charitatis veſtem texeremus, ut amore eius commoti, ad eum redamandum incitaremur. Quare iure optimo mirabitur ſi aliquem noſtrum uiderit, qui illum toto corde, tota mente, totiſque uiſceribus non diligat, & quaſi admiratus dicet: Quomodo huc intraſti non habens ueſtem nuptialem? Hanc ueſtē charitatis ſciamus maximè Christo Domino placere, maximeque ſibi gratam eſſe. Hinc fuit, quòd licet corpus ſuum ſacratiſſimum perforari in cruce permiſit, non tamen uoluit inconſutilem ueſtem ſuam, quæ huius ueſtis nuptialis figura erat aliquo modo ſcindi, ut docet B. Ioannes, uolens in hoc myſterio nobis ſignificare, plus multo amaſſe hanc tunicam charitatis, quam pretioſum corpus ſuum. Vnde Beatus Auguſtinus ſic ait. Tunicam hominis iam iudicati, in cruce pendentis carnifices Pilati non ſunt auſi concidere: & tu uis charitatem Dei, immo charitatem, quæ Deus eſt, ſcindere? Hæc dicit contra ſeminatores diſcordiarum, qui Chriſtum diuidere dicuntur, dum charitatem fraternam diuidunt. Eia ergo fratres, ſi quidē cœleſtis Dominus materiam nobis præbuit, de qua ueſtē hāc faciamus, non in tam neceſſario opere immoremur. Sed heu, heu, quot ſunt in Eccleſia fideles, qui tunc uolunt hanc ueſtem charitatis ordiri, quando uult Deus eorum uitam ſcindere? Nolite ergo tardare hanc charitatis ueſtem texere, ne ſubito ſuccidamini: & ne aliam uitam ingreſſi abſque illa audiatis: Amici, quomodo huc intraſtis non habētes ueſtem nuptialem? Mirum profectò eſt, quo pacto ſit poſſibile, ut charitas, & amor noſter, à Dei manibus euadere poſſit: quia ſi amor noſter uenalis eſt, nullus Deo carius emit: cum pro illo dabit nobis Regnum æternum, de quo Beatus Paulus inquit, neque oculus uidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, ſi uero dandus eſt noſter amor, nullus eſt illo dignior, quam Deus, cum ille ſit ſummè bonus. Si autem uiolentiam requiris nullus maiorem uiolentiam pro eo faciet, quam ipſe: nam petit à nobis amorem, quaſi euaginato gladio: Aut enim (inquit) amabis, aut æterna pœna interficieris, ligatiſque manibus, & pedibus in tenebras exteriores proiicieris. Hinc eſt illud quod Dauid ait. Niſi conuerſi fueritis (ab amore ſcilicet mundi, ad Dei amorem) gladiū ſuū uibrauit. Et B. Auguſt. inquit. Domine quid tibi ſum ipſe, ut amari te iubeas à me: & niſi hoc faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Illud autem in hoc loco prætermittendum nō eſt, quod uelit Dominus Deus tuus de te facere ſuum totum. Vnde ipſe de homine loquēs apud Ioannem, ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Vocans omnia hominē. Non enim cęteras creaturas pręter hominem, ad ſe poſt mortem ſuā traxit. Et quemadmodū qui amicum ſibi chariſſimum, & iam diu deſideratiſſimum ſecum habens, omnia ſe habere affirmat: ſic Chriſtus Dominus poſtquam nos ad ſemetipſum per mortem ſuam traxit, omnia ſe habere teſtatur. Quare attende, obſecro, altaque mente conſidera, quod Dominus Deus tuus mundum totum habere nōn dicitur, quamdiu te non habet. Qua ergo fronte, qua audacia, totum tuum facere denegabis Deum, qui de te ipſo totum ſuum fecit. Fili igitur præbe Domino Deo cor tuum, quod facies illum amando: nam per amorem transfertur cordis dominium in amatū. Eſt enim (inquit Dionyſius) amor, qui non ſinit ſuos eſſe amantes, ſed amatorum. Illi etiam quē diligimus dicimur dediſſe cor noſtrū, hæc ex Diuo Bonauentura. Idem etiā ſic ait: Illi cor tuum prebe, cui illi iure viciſſitudinis debes: illi ſcilicet, qui cor ſuum tibi contulit, vt cor prò corde cōferas. Fœlix profectò commutatio, in qua totū illud, quod commutas, & qđ commutatur, penes te remanet. Cū.n.

cor

Marginalia: Matt. 22. | Ioan. 18. | 1. ad Cor. 2

cor tuum cum Chriſti tui corde in ſua retines poſſeſſione, ouum ſcilicet retines, & obolum non ne cordis ſui donũ, tunc præcipue tibi fecit, quando unus militum lancea eius latus aperuit? ut ad ipſum cor tam dulce rupto pariete, oſtio fracto per clauem regiam amoto omni obſtaculo, via tibi pateſceret: & fide recta, ac dilectione integra ad cor ſuum libere intrares, & ibidem cor tuũ collocares. Ponite ergo (ut regius uates inquit) corda ueſtra in uirtute eius, hoc eſt, in morte eius. Ponite, inquam, corda, non os duntaxat. Multi enim ſunt, qui os ponunt in morte Chriſti, non tamen corda: quales ſunt omnes illi, qui grandia de Chriſti paſſione docent, & nulla vel minima faciunt. Tu uero pone cor tuũ in viis templi eius, per omnes exitus ſanctuarii, ut monet Propheta Ezechiel. *Pſal. 47.* *Ezec. 44.*

Quid per ſanctuarium, niſi Chriſtus Dominus intelligitur, qui omnes exitus vulnerum ſuorum tibi aperuit, vt tibi pateat liber acceſſus? Nonne ad turres, & loca munita, ſolent homines tempore hoſtilis deuaſtationis confugere? Aperuit igitur Chriſtus verus mundi Redemptor pectus, & latus ſuũ, tanquam turrim, & locum munitiſſimum, quo poſſet cor tuum tuto abſcondere ſe: atque ibi tanquam in ſecuro loco latitare.

1. Pet. 4. Verba illa B. Petri ſuperius adducta ſcilicet, charitas operit multitudinem peccatorum, ſic exponi poſſunt. [*El amor con el proximo encubre, y diſſimula muchas faltas agenas.*] Item charitas operit multitudinem peccatorũ, id eſt, qui charitate præditus eſt, à multis peccatis ſe abſtinet, quæ alii patrare ſolent. Quod ſi legamus, ut Græci legũt Kalophei, hoc eſt operiet ſiue teget verbum futuri temporis tunc ad iudicii diem pertinent hæc verba Petri. Charitas enim, qua inuicem diligimus, in die iudicii teget multitudinem peccatorum. Si ergo hac ueſte induti ſimus, & alter alterius onera portabimus, & à multis peccatis abſtinebimus, & tandem ſecuri coram iudicis tribunali apparebimus, nec tunc noſtra commiſſa à iudice uidebuntur, ut pro illis pœnas condignas ſumat.

Charitas.

EXultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te, inquiunt adoleſcentulæ cum ſponſo loquentes in Canticis. Qui de natura vulgaris, & ſenſualis amoris conſcripſerunt, uariaque de illius ingenio ediderunt volumina, amorem illum zelotypiam eſſe dixerunt, aut ſaltem eum zelotypiæ magnopere eſſe coniunctum, neque ullum unquam eius amoris fuiſſe ſtudioſum, qui non zelotypiæ morbo laboraret, & quo ardentius amet, eò uehemẽtius zelotypia affici, neque quempiam vnquam zelotypiam addunt incurriſſe, qui non ægritudinem illam vulgaris amoris potius ſentiret, quamobrẽ conſtanter affirmabant, eundẽ nexũ, & uinculum inter uulgarem amorem, & zelotypiam ſeruari, atque inter radium, & lucem, inter fulmen, & fulgorem, inter ſpiritum & uitam. Charitas autem & diuinus amor neque unquam cum zelotypia coniunctus fuit, neque zelotypus poteſt eſſe qui Deum amat. Vnde merito Plato vulgarem amorem rabiem appellat. Nam ut is, qui rabidi canis morſum perpeſſus eſt, in aqua, quæ ſola poteſt morbo mederi, rabidum intuetur canem qui illum momordit: Ita etiam amor vulgaris in his, quæ lætum, & iucundum amantem debeant efficere, dolorem experitur, eadẽque illi cruciatus, mortem denique inferunt: Nam quoniam vulgaris amor circa creatam venuſtatem, & pulchritudinem totus verſatur, fit neceſſario, cũ ſit finita, & intra limites ſuæ naturę cõtineatur, ſi alij ea pulchritudine fruũtur, ab eo qui amabat, aut qui diligebat amator ipſo ſumma uoluptate, & oble- *Cantic. 1.* *Simile.* *Plato.*

ctamento fraudetur, quando venuſtas ipſa, quam uehementer cupiebat ſibi eripitur. Cum ſit ergo venuſtas & pulchritudo illa, circa quam uerſatur uulgaris amor, anguſta adeo, ut ſi i alterius ueniat poſſeſſionẽ, alter ab illius poſſeſſione pellatur, uix contingat uulgarẽ amorem ſine zelotypia eſſe, aut zelotypiã ipſã ſine uulgaris amoris cõmercio. Diuina aũt pulchritudo, quoniam infinita eſt, & latiſſime patet, nec intra ullas anguſtias concluditur, conſequitur amorem ipſum, qui circa pulchritudinem diuinam uerſatur, neque zelotypum eſſe, neque poſſe vnquam teterrimo illo morbo, & ægritudine laborare. Nam licet pulchritudinem illam ament plerique imo eadem venuſtate fruerentur, quicunque ab orbe condito geniti ſunt mortales, tibi tamẽ qui Deum amas, & colis, nihil eripitur integra tibi manet uenuſtas illa, integra pulchritudo. Hinc naſcuntur inuitationes quædam piorum hominum qui Deum ex animo diligebant, & amabant ardentiſſimè, quibus nos excitant ad diligendam, colendam, ad contemplandam venuſtatem illam eximiam, & pulchritudinem admirabilem. Inuitat nos inter cæteros regius uates cum
Pſal. 33. inquit. Magnificate Dominum mecum. & exaltemus nomem eius inquit. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomem eius in idipſum. Quem locum pertractans Diuus Auguſtinus ſatis eleganter quærit à diuino uate, quæ ſit illius tantæ confidentiæ cauſa, ut pulchritudinem illam, quam ardẽti deſiderio expetebat, omnibus exponat amandam, nec uereatur ad eam excolẽdam mortales omnes, nemine excepto inuitare. Non pertimeſcis (inquit) ne forſan tanta amatorum frequentia, tibi eripiatur, quod amas? At pulchritudo illa, inquit regius uates, non eſt eius naturæ, ut non ſufficiat omnibus; infinita eſt, æterna eſt, nec ſi alijs datur, mihi eripitur, imo, quod magis mirandum eſt, naſcitur ab illa diuinæ pulchritudinis ampliori communicatione cum ſcilicet uerus Dei amator uidet pulchritudinem illam in multorum poſſeſſionem venire, gaudium quoddam ingens, & profuſior lætitia eſt illi adeò verus amor diuinus, ſcilicet, non tangitur inuidia, neque afficitur zelotypiæ labe. Id ſatis indicat Salomon præſenti carmine, cum adoleſcentulas inducit dicentes: exultabimus, & lætabimur in te, memores amorum tuorum. Expoſuerat ſponſa ſuperiori carmine eximium illud, & admirabile beneficium, cum dixit; Introduxit me rex in cellaria ſua: Cupiebant etiam adoleſcẽtulæ in eãdem cum ſponſo uenire amicitiam, & familiaritatem: & tamẽ adeo ſponſæ non inuident, neque vlla afficiuntur zelotypiæ ratione, ut potius exultent, & ueluti tripudient, & incredibili quadam lætitia afficiantur propter cõiunctiſſimos ſponſæ amores cum ſpõſo chariſſimo. Introduxit me rex in cellaria ſua: ſit fœlix, & fauſtum beneficium hoc, ſemperque tibi ſuccedat ex voto. Nam nos quoniam ſponſum non uulgari amore diligimus, ſed diuino potius, atque cæleſti, uehementer gaudemus, imo & gratulamur tibi hanc fœlicitatem. Talis debet eſſe Chriſtiana Charitas, & amor Chriſtianus, qualis hic depingitur à Salomone: atque hæc eſt certiſſima ratio probandi charitatem ipſam, uera ne ſit, an falſa, conſtans, & certa, an hypocriſi coniuncta, ſi tangitur inuidia, & ueluti zelotypia fraternę gratię. Nã hęc nõ poteſt eſſe uera charitas & ſolida: neque hic amor decet nõ dixerim ſponſam ipſam ſed neque adoleſcentulas. Hinc enim naſcuntur præclara illa elogia, quæ Paulus charitati tribuit, & amori diui-
no. Charitas, inquit, non agit perperã Ad Co. 13.
non irritatur, non cogitat malum, congaudet autem bono. Ex uerbis ergo Salomonis à nobis attẽtius eſt obſeruãdum, quod ſola memoria diuini amoris exultationem quandam, & profuſiorem lętitiam excitare poteſt animas

aman-

amantium: id uero perpetuo facit diuinus amor. Nam amor ille ferinus (de quo antea diximus memoriam experitæ pulchritudinis potius angit, & excruciat amantes, quod ſi aliquo oblectamento, aut uoluptate illos afficit, ſed breuiſſima, atque peritura. Naſcitur autem grauiſſimus ille dolor, quē uulgares amatores patiuntur ex abſentia rei amatæ, & pulchritudinis uehementer expetitæ; ſed memoria, & recordatio diuini amoris ipſam rei amatæ naturam imitatur, quæ tum maxime præſens eſt, cum maxime uidetur abſens. Nam ſponſus ipſe, cuius amore flagrant adoleſcentulæ, adeo nobis præſens eſt, & intimus, ut dicat Beatus Paulus. In ipſo uiuimus, mouemur, &
*Act.*17. ſumus. Accedit ad hoc, quod præter ipſam ſponſi naturam, quæ in omnibus rebus eſſentia, præſentia, atque potentia eſt, ipſa enim recordatio diuinę pulchritudinis, & diuini amoris miro quodam modo nobis facit illum præſentem. Vnde id, quod antiquorū Philoſophorum literis proditum eſt, amorem ſcilicet ſola memoria recreari, & ſuſtentari, potiſſimum diuinis conueniat amoribus: quorum memoria, & recordatio ingens, & admirabile exuſcitat gaudium, & lętitiam incredibilem. Attende uero quale ſit futurum illud gaudium, quod piis, & ſanctis animis in cælis repoſitum eſt, cum ſponſum uidebimus omnes, ſicuti eſt, quando uel ipſa recordatio, vel memoria tenuis amorum eius quam ampliſſimos fructus gaudii, & exultationis producit, aut profundit. Illic enim gaudium naſcitur ſed ab ipſa clara, apertaque uiſione diuinæ pulchritudinis: nam ſic dum in terris verſamur, naſcitur gaudium, & exultatió, ſed ab ipſa memoria & recordatione. Ob eamque rem ſanctorum fœlicitas in hac uita integra, & abſoluta eſſe non poteſt, cum ſemper ſit aliquid, quod deſiderent ex citatu, uel ipſa memoria & recordatione diuinæ pulchritudinis. Exultabimus (inquiunt adoleſcentulæ) memores amorum tuorum ſuper vinum: hoc eſt, multo magis nos oblectabit tuorū amorum recordatio, quam uinū, hoc eſt, quam voluptates omnes, & id omne quod mundus miratur, & amat. Id vero, quod ſequitur, recti diligunt te, varie declaratur, nam Hebræa litera habet, rectitudines diligunt te. Quo loco (niſi me meum fallit iudicium) iuuenculæ ueluti cauſam reddunt, carminis illius ſuperioris, cum dixerunt, exultabimus, & lætabimur in te. Ob eam cauſam, inquiūt, tuos amores memorabimus magna iucunditate, quia rectitudines te diligunt: hoc eſt, quoniam rectitudines tibi ſunt familiariſſimæ, magnopereque coniunctæ: vt nomine rectitudinum, & æquitatum, genus omne uirtutis, & abſolutæ perfectionis ſignificetur.

Charitas Chriſti.

QVid charitas Chriſti, hoc eſt, ſocietas, & vnio cum illo in anima operetur, inſinuant verba illa ſponſæ ad adoleſcentulas in Canticis, ubi ait. Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Ad horū verborum intelligentiam aduertendum eſt, priſcos illos homines non ſolum Hebræos, verumetiam & Gentiles ſolitos magno cum apparatu celebrare conuiuia, quibus adhibebātur ea, quæ ſuapte naturā potuiſſent excitare gaudium, & depellere męſtitiam, & ſolicitudinem: in eamque rem adhibebant unguenta herbas, flores, & ea omnia tādem, quæ inter odorata nominantur. Quo fit, ut ſponſa puellis ſe comitantibus præſenti carmine quaſi declaret, quid utilitatis pręſentia ſponſi in conuiuio ſibi attulerat. Nam nardus, ſiue herba ſit, ſiue unguentum ex herba cōfectum, mirificam fragrantiam reddit, id quod in conuiuiis opportunum ſatis iudicabatur. Eſt autem illud attentius obſeruandum, quod ſponſa tunc pri-

primo affirmat nardum ſuam gratiſſi-
mum dediſſe odorem,cum ſponſus ac-
cubuit iuxta eam ad menſam. Nam an
tequam rex accumberet, erat nardus
optimi odoris,ſed nondum odore fra-
grarat.Quo fit,ut iuxta verba ſponſæ,
humanus animus mirificam uim ſen-
tiat,dum ei aſſidet ſponſus,dum iuxta
illum aut ſedet,aut accumbit.Nam no
mine accubitus, peculiarem numinis
fauorem intelligere oportet.Quamob
rem is accubitus ſponſi adeò nobis om
nibus neceſſarius eſt,ſanctis etiam ho-
minibus Deoque charis ut niſi nobis
accumbat,ſi tantiſper ſecedat,nihil no
bis poſſimus ipſi parare, nihil cogita-
re,(ut Beatus Paulus inquit) niſi mor-
2.ad Co.3. tem exitium, & peccatum. Perſenſit
magno ſuo incommodo regius uates
Dauid,quam eſſet neceſſarius is ſpon-
ſi accubitus ſanctis etiam hominibus,
cum in grauiſſima incideret peccata,
quæ ſcriptura ſacra recenſet. Sponſo
non accumbente,ſubducente ſe tanti-
ſper in adulterium prolabitur,adulte-
rium ſequitur homicidium. Sed iterū
accumbente ſponſo iuxta illum, nar-
dus illa,quæ frigore peccati torpebat,
ſenſit illius efficaciam, & uim admira
bilem ſponſi,cum poſt acerbam incre
pationem Nathan Prophetæ in uerba
illa prorupit.Peccaui Domino: multis
2.Reg.12. que lachrymis deinde contractas ſor-
des eluebat. Vnde dicebat verus ſpon-
ſus Chriſtus Ieſus apud Ioannem. Si-
ne me nihil poteſtis facere. Nam licet
Ioan.25. noſter animus ſit nardus:tamen mens,
ratio,memoria, ſine Chriſti accubitu,
fauore,& afflatu,nullum poteſt emitte
re gratum odorem. Ob eamque rem
Beatus Paulus ad Romanos ſcribens
audet dicere.Quicunque aguntur ſpiri
Ad Ro.8. tu Dei,hi filii Dei ſunt. Non inquit B.
Apoſtolus,quicunque operantur,qui-
cunque cogitant, quicunque deſide-
rant,ſed quicunque aguntur, quaſi di-
cat,impelluntur:vt quemadmodum ſpi-
ritus corporea membra, ita nos ſpiri-
tus Chriſti excitat,& impellit ad ope-
randum.Sācti Apoſtoli, interim quod
Chriſtus illis accumbebat, & efficaciā
iſtam ſpiritus ſentiebant,& illorum fi-
des,ſpes,charitas,denique nardus illa
gratum præbebat odorem: ſed diſcedē
te ſponſo aliquantiſper uacillabat fi-
des,nutabat ſpes, charitas frigeſcebat. Mat.8.
Sint nobis exemplo, quæ illis accide-
runt,cum Chriſtus Ieſus illos mediis
fluctibus maris reliquit,cum ſe adoran
dum contulit:quæcunque in illius paſ-
ſione,& acerbiſſimo ſupplicio illis cō
tigerunt: quæ Petro Apoſtolo & aliis
permultis,ſcriptura ſacra refert acci- Luc.22.
diſſe. Quo fit, vt uera carminis huius
intelligentia hæc ſit.Omnia opera pie
tatis,quæ naturam nardi debent imita
ri,& optimum ſui odorem diffundere,
egent neceſſario accubitu ſponſi, & il-
lius fauore & numine. Ab iſto accubi-
tu proficiſcuntur ueræ lachrymæ in
deteſtationem ſceleris: hinc naſcitur
peccati odium:hinc vera, ſolidaque ie
iunia.hinc certa, efficaxque pœniten-
tia:hinc pendent denique omnia Chri
ſtianæ vitæ monumēta, quæ inſtar nar
di,fragrantiſſimum odorem ſolent dif
fundere.Nam ſi propius ad ipſam nar-
di naturam accedamus, nardus herba
eſt humilis, & deſpecta, ſiue radicem
intuearis,ſiue folia.Frutex eſt graui &
craſſa radice,ſed breui, & nigra fragili
que,quamuis pingui,aſpero ſapore fo
lio paruo denſoque, vt eſt apud Pli-
nium. Quæ omnia referenda ſunt ad
noſtrum de nobis ipſis iudicium; ita vt
virtutem humilitatis ſectemur. Parum
de nobis ſentiamus: ne quidpiam in ip
ſis operibus bonis nobis arrogemus,
ſed nobis certiſſime ſtatuamus, quid
ſumus,quam nihil poſſumus,quā om-
nes noſtræ vires propendeant in pec-
catum ad mortem.Hæc,inquam, ſen-
tentia,hoc iudicium,quod inter præci
puas partes odoris nardi huius debeat
annumerari,niſi ſponſus Chriſtus no-
bis aſſideat,faueat,nos impellat, mo-
ueat,agat, denique ſuo ueluti calore
excitet, huius nardi torpet odor. Et

Deut. 4. quoniam ignis Deus noſter, & ignis
Ad Heb. 1 conſumens eſt, (ut inquit ſcriptura ſacra) niſi frigus huius nardi depellat ad mortem ſemper & interitum feſtinabimus.

Charitas.

Cant. 1. FAſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea conmorabitur, inquit ſponſa in Canticis. In contextu Græco loco horum uerborum, faſciculus myrrhæ, habetur faſciculus ſtactes, in Hebræo uero eſt, ſtactes, hoc eſt, res panniculis inuoluta: Nam quæ quidam in hunc locum refert, de faſciculis herbarum boni odoris, quos ſolent fœminæ inter ubera reponere, ut ſponſi, aut mariti fragantia etiam odoris reficiantur, aut recreentur, aliquibus non poſſunt ulla ratione probari. Nam myrrha ſpecies aromatis eſt, quæ exuſta liqueſcit: neque colligitur in faſcem, ſed illius tantum reſina. Dum nobis igitur ſponſus aſſidet, dum nobis fauet, naſcitur hoc tam admirabile pietatis ſtudium ut tanta charitate ſponſum amplectamur, ut inſtar colligatæ myrrhæ, aut alterius odoramenti panniculis inuoluti, inter ubera illum reponamus. Dum itaque nobis accumbit & fauet, ab ipſa peccandi conſuetudine abſtinemus, & fragrātiſſima charitate, qua rapimur, tranformamur. Illis uerbis ſponſæ primo nobis oſtenditur ſolicitudo pię mentis, & quę uere ſit ſponſa Dei omnipotentis, cum eum aſſimilat odoramentis panniculis quibuſdā inuolutis. Nam quę ſolicitè cupimus, ſeruare, & aliquo ſunt apud nos in pretio, pannis conuoluimus; & ligamus; deinde inter ubera reponimus inſtar faſciculi. Eſt enim (ſaltem apud fœminas pudicas, & honeſtatis amantes) locus ille (pectus ſcilicet & ubera) uiris omnibus excepto ſpōſo inacceſſus. Tū etiā, & quę munuſcula impēſius amant fœminę ſolent inter vbera collocare. Poſtremo illud eſt aduertendū, ſponſū in anteriori parte collocatum, non poſt tergum reiectum. Quę omnia aperte ſatis nobis declarant qualis debeat eſſe ſponſæ, & cuiuſque fidelis animę erga ſponſum dilectio. Nam ſolicitudinem ipſam, qua illum debemus ſeruare, & retinere, ne aut à nobis diſcedat, aut aliarum rerum cōmercio offenſus, & læſus ſuam præſentiam ſubducat, inſinuabat ſpōſa, cū myrrham appellabat panniculis colligatam. Deinde & quoniam ſponſus nulla eſt à nobis ratione, aut prouocandus, aut irritandus, neq; exponendus eſt, vt alienis manibus cōtrectetur, ſed ſemper illi pudicitiam, ſidemque inuiolatam ſeruemus; honeſtiſſimo loco illum reponebat, inter ubera ſcilicet. Ad hæc cum ſit à nobis diligendus non leuiter, aut perfunctoriè, ſed tota anima, toto corde, totis uirib. inter ubera illum reponit. Nam, ut diximus, quæ fœminæ impenſius diligūt, eo in loco ſolent aſſeruare. At vero quā ſciebat ſponſa pleroſque ſponſum ipſum non in anteriori parte collocare, vbi ſemper nos admoneat ſui amoris, & beneuolentiæ, ut ſemper noſtrę mentis oculos incurrant illius in nos beneficia: ſed poſt tergum reijciunt: Id quod antiquæ Synagogæ ſæpius accidit, vt poſt tot miracula, & portenta, poſt amplíſſima dona, & beneficia, quæ illorū aures, oculos, manus reliquoſque ſenſus occupauerant poſt tergum reijcerunt, ad idola tandem, & ad ſuas libidines conuerſi. Vtinam & pleriſque in eccleſia Chriſti noua ſpōſa illius ſanguine pulcherrima, uenuſtiſſimaque effecta, non id accideret, vt Chriſti Ieſu anxietates, amaritudines, infantiles neceſſitates, labores, quos in prædicando ptulit fatigationes in diſcurrendo, uigilias, orationes, tentationes, ieiunia, lachrymas, conuitia, ſputa, colapha, denique mortem turpiſſimam, poſt tergum non reijceremus. Vtinam illius paſſiones, amaritudines, beneuolentiam, & amorem inter ubera collocaremus cū ſponſa, ut ea ſemper haberemus pręſētia,

tia, altiusque manerent noſtris animis infixa. Forſan non adeo facile quacunque leui occaſione ſuborta, ad dedecus omne, & flagitium, ad alienos ſponſos, & maritos pertraheremur. Nam conſtantiam illam, & firmitatem, quæ veris amatoribus neceſſaria eſt, ſponſa ſignificauit uno uerbo, dicens: commorabitur. Manebit, inquit, non una, aut altera die, non breuiſſimo temporis momento, ut quibuſdam uſu uenit, ut quãuis Christum ſponſum optimo, & honeſtiſſimo loco reponant, ſed leuiſſima quacunque occaſione poſt tergum illũ reiiciunt. Quale ſic igitur Sanctorum
Pſal. 118 deſiderium tacis ſponſa explicat, dicẽs: commorabitur, iuxtà illud Regij vatis. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum.

Charitas.

FVlcite me floribus: ſtipate me malis, quia amore langueo. Attendat Christianus lector, quoniam languor, & morbus in amore diuino duplici poteſt ratione contingere. Aut enim languemus quodammodo, ut dilectio ipſa ſit flagrantiſſima. & quicunque ad tantam fęlicitatem peruenit, beatus appellandus eſt, quemadmodum olim Regius uates, eum hominem appellabat beatum, cuius uolũtas eſſet in lege Do-
Pſal. 1. mini, immo (ut in Hebręo habetur) qui ob legem Domini deperiret: qui tanto illius ſtudio deflagraret, ut morbo quodam modo, & langore ſtupidus, & ut oblitus iaceret. Nam eodem uerbo uti-
Gen 34. tur, quo & Moyſes, cum incredibilem amorem refert Sychem filij Emor erga Dinam filiam Iacob, qui tantopere deperibat, ut ſui prorſum oblitus quaſi morbo, & languore grauiſſimo fuerit correptus, ſic igitur ſponſus, & quæcũque ad ſponſum attinẽt, diligenda ſunt vt ad ſponſæ normam noſtros animos componentes diuina non ſolum amemus, uerum etiam & præ nimio amore langueamus, & tanquã ægritudine grauiſſima correpti iaceat corpus, langueſcat caro, & illius nefarii conatus amoris diuini morbo reprimatur. Alio modo languemus amore, quando amor ipſe remittitur, & ſenſim uires, & robur amittitur. Simus ergo languentes in amore primo modo: nam illud propriũ eſt, & peculiare eorum, qui uino illo ſelectiſſimo ſemel fuerunt inebriati in cella uinaria ſponſi, & tamen cum fragrantes in amore ſint ſemper ſibi uidẽtur à debita, & neceſſaria charitate erga ſponſum, ergaque res diuinas, deficere. Itaque quo ardentius amant, de ſe ipſis minus ſentiunt, & remiſſius diligere, quam ſit neceſſarium pro dignitate ſponſi iudicant. Itaque quoniam ſponſa exploratis iam rebus diuinis ſponſique dignitatem, & præſtantiam admirata, fragrantiſſime quidem amabat: ſed quaſi pro dignitate rerum amor, & dilectio multo eſſent inferiores ſinquit: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Attende vero, quibus remediis ſponſa contendat ægritudinem ſuſpicatam leuare, hoc eſt, iacentem ſuo uideri dilectionem erigere, & excitare, floribus, & malis. Id vero ob eam cauſam factũ exiſtimo, quod ſuperius ſponſus lilium & florem ſe appellabat, & ſponſa ſponſum dixerat eſſe perſimilẽ arbori malo, cuius fructus eſſet dulciſſimus. Quoniam igitur ſponſus flos erat, inquit. Fulcite me floribus, quoniam autem, & malus erat, hoc eſt, arbor illa, ſtipate me, inquit, malis. Nam ad depellendos morbos ad propulſandas ægritudines animi nuſquam nobis remedia petenda ſunt, & medicamenta ab aliis arboribus ſylueſtribus, & infrugiferis. Nõ ſunt petenda Pharmaca à Galeno, & Hippocrate, ut quidam ſtulti, atque dementes ſolent: ſed ab ſponſo, qui flos eſt: ab eodem, qui arbor frugifera eſt, ſuſternendi nobis flores, ſuſternenda mala: hoc eſt, non aliunde, quam ab ſponſo quærenda ſunt leuamenta, petendæ conſolationes. Illud vero magno-

gnopere demirandum eſt, quòd ſpōſa, ut leuius ferret ægritudinem, & quodammodo mitigaret, petit ſibi ſubſter nantur flores, & poma. Nõne ſtultum, & poſtremæ inſaniæ hoc videtur? Quis unquam adeo deſipuit, ut ad leuādam ægritudinem iubeat, poma ſubiician-tur, & non potius ſtramenta puluinaria, ſindones, culcitræ, reliquaque quæ mollem & delicatum ſolent efficere lectum? Induſtę obiectioni reſpondet ſponſa. Nihil mirãdum eſt, ſi quod ego iudico magna cum ſapientia coniunctum vos ſtultum exiſtimetis. Nam diuina, ſponſique mei negotia hoc titulo ab ſtultis hominibus, & improbis ſemper excipiũtur. Stulta videtur crux Chriſti, ſtulti labores, ſtulta mors, imo & ipſa prędicatio, vniuerſaque legis Euangelicę præcepta multis uidentur ſtulta. Quo fit, ut quoniam cum flores peto, cum peto mala, remedia, & Pharmaca ad leuandam ęgritudinem peto: animalibus hominibus, & perditis, & profligatis uideatur ſtultum. Demens ſanè uidetur noſtrę carni, mala hæc ſuſtinere ad depellendos morbos & remedia omnia ſemper ab ſponſo expectare, qui flos eſt, qui arbor pomis refertiſſima: ſed conticeſcat ſtulta caro, reprimat ſe ipſam, & à ſponſo ſeduci patiatur. Nam quod ſtultum ipſa iudi-
1. ad Co. 1. cat, ſapientiſſimum quidem eſt, & magno cum iudicio, & delectu coniunctũ: Non ſit mirandum, quòd ſponſa ſolą ſponſi uoluptate dormiat, & quietem agat ſuper poma, imo ſuper ſaxa duriſ-
Sap. 19. ſima. Nam, ut probe dixit ſapiens, res omnes creatæ Deo ſubſeruiẽtes aliam figuram, naturamque induere ſolent, ut filij Dei conſeruentur. Nam nubes
Exo. 13. illa caſtra obumbrabat, & aquis prius
Exo. 14. occupata terra emergẽs ſicca apparuit,
Exo. 8. iter etiam expeditum è mari Rubro, &
Exo. 16. herboſus campus, è fluctu uiolento: & terra aliquando pro ſobole protulit Ciniphes, & pro piſcibus multitudinem ranarum fluuius euomit. Et ad placandam famem noua auium progenies è mari in caſtra deuolauit. Itaque & ad præceptum ſponſi elementa inter ſe tranſponuntur, & commutatur naturę
rerum, (quemadmodum inquit idem Simile.
ſapiens) tanquam in Pſalterio ſolent permutari concentus, cum tamē fides ſiue chordæ eundem ſemper ſonum obtineant, unde qui potuit aquatica in terreſtria mutare, & terreſtria in aquatica; ignem in naturam aquæ, aquam in naturam ignis; poterit etiam & ſuper duriſſima ſaxa non tantum poma, ſed mollem ſomnum præbere, & quie
tum. Pete ergo ô anima fidelis ab ſpon Exo. 20.
ſo, & non aliunde leuamenta, & conſolationes. Nã & uetus Synagoga olim cum amore langueret in ſecũda ſignificatione) & dilectione eſſet uacua, adeo ut Deum in igne ad radices montis Syna loquentem uehementer pertimeſceret, ad Moyſem dicebat. Tu loquere cum ſponſo, ad ſponſum aſcende, tu leges accipito, tu mandata diuina: nos enim ad tantam rem infirmi ſumus, & imbecilles. Inde ab ſponſo adducito flores, & mala, quibus morbos noſtros, & langores poſſis curare. Nam mandata legis, & inſtituta, & quęcunque neceſſaria erant ad fulciendam interiorem uitam, pietatem, religionem, &c. Et mala appellat quaſi à malo arbore diſcerpta, flores, quoniam à lilio candidiſſimo collecti, hoc eſt, ab ſpõſo. Nam quamuis reliqua omnia, quæ Deus condidit illius referant naturam: nihil tamen æque uiuidam illius imaginem exprimit, ſicut diuina lex. Nam quæcũque humanus animus de Deo concipit hæc omnia, immo & multo maiora in diuinis legibus licet inuenire. Deus iuſtus eſt, bonus, ęquus, perfectus. Nonne in diuinis legibus iuſtitiam, pietatē, æquitatem perpetuo licet conſiderare? Ergo ſiue anima langueat in amore primo modo, ſiue langueat ſecundo modo ab ſponſo diuino quærenda ſunt lauamenta.

Charitas

Caritas fons gratitudinis.

Cant. 2. Dilectus meus mihi & ego illi, inquit ſponſa in Cãticis. Verba ſunt pauciſſima, ſed quæ ſanè ardent affectibus. Senſerat ſponſæ magnam fuiſſe chariſſimi ſponſi erga ſe beneuolentiã ſummam prouidentiam, introduxerat enim eam in cellaria ſua. Hæc cum ſponſa animo reputaret ſuo ardentiſſima charitate impulſa, neſciens, quid pro tanto beneficio chariſſimo ſponſo rependeret prorupit; ſponſus meus mihi, & ego illi. Nullam uidentur habere uerba iſta ſententiam Nam quis ĩtelligat, aut poſſit colligere ex uerbis iſtis ſenſum ſponſæ, dilectus meus mihi, & ego illi? Quid tu illi? Sic ſolent ueri amatores loqui frequenter, cum uerba nõ ſuppetunt, neque humana lĩgua explicare poteſt inter nos animi affectus, & cogitatus Hic loquendi tropus & figura Apoſiopeſis apellatur Grece, Latine vero reticentia. Quę quidẽ quamuis à reticendo dicatur, eo quod multa premuntur ſilentio; ſed bene intelligentibus multo maiora explicat figura iſta, quam ſi innumeris verbis rem proſequeremus. Eã figura vtitur Regius uates, cum inquit. Anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine uſque quo? Quaſi dicat. Anima mea mœſtra Pſal. 6. eſt vſque ad mortẽ & tu Domine vſque quo? Qua figura nobis aditum aperuit ad excogitandum quecunque mæſtum animũ, & afflictum poſſunt excruciare. Tu Domine vſquequo ſines me, ſcilicet, cum morbo tam difficili, & ſæuo conflictari? Quouſque opem tuam ſic deuexato, & cõturbato, & planè fracto differes? Quouſque tandem tuæ beneuolentię, pietatiſq; oblitus, tam graue, & atrox exemplum tuæ iuſtitiæ in mea flagitia proferes? Non ſecus ſponſa præſenti carmine eadem figura eodem dicendi tropo, multo ardentiores affectus figurata loquutione exprimit, quã ſi longa oratione rem proſequeretur. Nam cum inquit: dilectus meus mihi, latiſſimam aperuit feneſtram ad excogitandum, quæ beneficia, quam ampla, quam eximia ſponſus in eam contulerit. Ad explicandam, inquit ſponſa, & ad aperiendam tantam rerum abundantiam deeſt oratio, uerba non ſuppetunt. Nam ſi dixero ſpõſus meus mihi operatur, meis rebus ſtudet, fauet, mihi indulget, uincitur ſemper, & obruitur oratio ipſa rerum magnitudine, & maieſtate. Ob eamque rem nihil aliud dicere poſſum quam: dilectus meus mihi. Excogitet humanus animus, his uerbis auditis, omnes beneficiorũ cumulos, donorum, & gratiarum aceruos ingentes, excogitet etiam, ſi libet, omnem humanitatem, beneuolentiam dilectionis, & amoris. Ideas quaſdam more Platonicorum nondum aſſequetur, poſtquam hæc omnia excogitauerit, rei amplitudinem, & dignitatem. Itaque nihil aliud dicere poſſum, quã dilectus meus mihi. Sed & pro tanto, tamq; ſingulari beneficio, quod autore ſponſo fit, multo pretioſius, quid ego poſſim rependere? Nunquid Sãctos cogitatus, puræ mentis receſſus? Nunquid orationes crebras, atque frequentes, ieiunia, uigilias, pietatis opera, reliquaque id genus alia? Sed & omnia iſta nunquam magnitudinem beneficii penſabunt, neque tãtam rerum amplitudinem, & fœlicitatem adequare poterunt. Quid igitur faciam? Vna (ut mihi uidetur) ratio erit reſpondendi huic beneficio tam ſingulari. Dixi de chariſſimo ſponſo, dilectus meus mihi propter ſummam illius in me beneuolentiam, & charitatem: ut igitur ille mihi, & ego illi: ut mihi fauet, indulget, ſuas curas, cogitationes, & deniq; ſe totum mihi dedit: & ego identidem illi, hoc eſt receſſus mentis, cogitatus, amorem, & dilectionem, & externa opera uſque ad facultates ipſas corporeas, ita ut nihil, aut mihi ipſi, aut aliis relinquam. Satis ſcio gratum iſtum animum, & gratam memoriã non poſſe

de

de paritate certare cum accepto beneficio: ſed tamen, quamuis exigua ſunt, quæ ſponſo rependimus, ille, quæ ſua bonitas eſt, quæ munificentia, boni cōſulet. Dilectus igitur meus mihi, & ego illi. Nam & uulgaris amor non ſolum diuinus ſolo amore, ſolaque dilectione rei amatæ ſolet eſſe contentus. Et amor cum diuinus, tum etiam humanus ſolo amore poteſt expleri. Nam inter reliquos humanos affectus, amor omnibus eſt liberior. Nam cæteræ animi affectiones artes operationes præmium aliquod à ſe diuerſum ut in plurimum uidentur expectare: amor uero ſe ipſo tanquam ſui ipſius præmio cōtentus eſt, neque enim aliud eſt, aut poteſt eſſe præter amorem, amore dignū. Ob eamque rem, quoniam hic de amore diuino agitur, ſciebatque ſponſa ab ſponſo ſe uehementer amari, & præmium amoris ſciebat amorem eſſe, ſapienter ſatis dixit, Dilectus meus mihi, & ego illi; Vbi præcipue de amoris uiciſſitudine agitur, qui ſecum rapit alios affectus. Ob eamque rem cū ſponſa dixit, & ego illi, ſi de amore mutuo, aut uiciſſitudine amoris locum interpreteris, nihil prætermiſit ſponſa dicēdum: ergo illi amorem reſpondeo: at uero qui amorem impendit, & dilectionem, ſe ipſum dat totum nihil ſibi ipſi relinquit.

Charitas & pro ſenectute.

IN quadam efficaciſſima exhortatione, quam Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Hebræos facit, inter alia pluri- *Ad Hebr. 10.*
mā ſic ait. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem: id eſt indefectibilem. Quaſi dicat, perſeueremus, & nunquam ceſſemus nec in tempore proſpero, nec in aduerſo: perſeueremus, inquam, in cōfeſſione bonorum, quæ expectamus. Fidelis eſt enim Deus, qui repromiſit: & conſideremus inuicem: hoc eſt, magnam ad inuicem de nobis curam habeamus. Quoniam autem euenire ſolet, ut aliqui attendunt proximos ſuos non zelo charitatis, & amoris, nec pro bono ipſorum, ſed zelo odii, & inuidiæ, atque ad ignominiā eorum, ideo dico, ut conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum, hoc eſt [*Miremos por nueſtros proximos, para deſpertarlos, y prouocarlos al amor de Dios, y a que hagan buenas obras.*] Scitote fratres mei, plurimos eſſe homines, qui inuidia, odio, & mala uoluntate incitati aliorum peccata venantur inquirentes qualiter, & quomodo viuant, vt ſic eos coram ſuis iudicibus, aut prælatis accuſent, & ſi forſan in bona opinione erant, ut illam amittant. Fateor quidem hos ad fratrum ſuorum uitam attendere, ſed non zelo charitatis, nec ut in viam Dei illos dirigant, imo vt eos ignominia, ac dedecore afficiant. Iſti charitatem, & amorem Dei non habent: etenim, vt ait Diuus Ioannes, Qui non diligit proximum, quem uidet, quomodo Deum, quem non uidet poteſt diligere? Quaſi dicat. Communicatio, & conuerſatio eſt cauſa amoris; *1. Ioan. 4.*
ſi igitur homines, cum quibus conuerſamur & tractamus non diligimus, multo minus diligemus Deum, quem non poſſumus in hac mortali carne uidere, nec cum eo uiſibiliter conuerſari. Rurſus vt diligamus hominē, qui eſt nobis ſimilis in ſpecie uiribus naturalibus (naturaliter enim inclinamur ad diligendū eos, qui ex noſtra ſunt ſpecie) id facere poſſumus: at vt diligamus Deū vires ſupernaturales nobis ſunt neceſſariæ: ergo qui non diligit proximum, cuius amor ſibi naturalis eſt, multo minus diliget Deum, ad cuius amorem viribus ſupernaturalibus eget. Qui nō poteſt ambulare, minus poterit currere, & qui non poteſt aſcendere in murum per ſcalam lapideam, multo minus per ſcalam ex funibus confectā aſcendere poterit: & qui uires non habet ad eleuandum pōdus uiginti libra- *Simile.*
rum, multo minus habebit ad eleuandum

dum pondus quadraginta. Amor proximi, ſi cum amore Dei comparetur, eſt velut deambulatio planiſſima aſcéſus facilis, & pondus leuiſſimum, eo quòd natura noſtra nos ad illum inclinat: iuxta id, quod in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt. Omne animal diligit ſibi ſimile: ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi coniſigetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Qui igitur proximum, qui eſt ex propria ſpecifica ſubſtantia ipſius, non diligit, quomodo diliget eum, qui omnes creaturas longiſſime excellit? Quo circa D. Paulus inquit. Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum: hoc eſt ad inuicem nos ipſos in amorem Dei, & proximorum noſtrorum prouocemus omni ſtudio curantes, ut ſe in ſanctis exercitijs, ac bonis operibus exerceát. Iuxta hanc ueram doctrinam ille, qui proximum ſuum prouocat ut ſibi illatã iniuriam vlciſcatur, & qui alij conſiliũ præbet, ut ſuffragium ferat pro illo, qui eo dignus non erat, & qui fauorem præbet alicui ad exequendam rem turpem, hic profecto proximum non diligit, quin potius odio proſequitur: nam amor proximi, (vt Diuus Paulus aſſerit) in hoc conſiſtit, ut illum prouocet doctrina, & exemplo uitæ ad Deum, & proximum diligendum, & ſe in bonis operibus exerceat. At quoniam unus ex effectibus charitatis eſt vnio, & conformitas uoluntatis, ideo exhortans nos Sanctus Apoſtolus ad charitatem admonet, ut conſeruemus vnionem, addens ſtatim, Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam: hoc eſt omni ſtudio curemus fratres, nos ipſos in unione conſeruare, omnes unum Deum, vnam fidem, & vna eadem ſacramenta confitentes, & etiam non deſerentes collectionem noſtram, hoc eſt, (*no hagays vando contra vueſtra Igleſia, y congregaciõ como lo hazen lo ſciſmaticos, y hereges.*) Mali etiam prælati deſerunt collectionem ſuam, quando Eccleſijs ſuis, ut debent non præſident, de quibus Apoſtolus Iuda in ſua canonica inquit. Hi ſunt, qui ſegregant ſe ipſos, animales (ideſt beſtiales) ſpiritũ non habentes: atque ita non agunt animarum negotia, ſed diuitiarum. Loquitur etiam hic Sanctus Apoſtolus aduerſus eos, qui in ſpiritualibus neceſſitatibus proximos ſuos deſerunt, cum poſſint eis bonis conſilijs, & operibus auxiliari. Ideo adiecit. Sed conſolantes, ſupple, inuicem. Animate uos mutuò ad perſeuerandum in omni bono tãto magis, quanto uideritis appropinquãtem diẽ, id eſt quanto ætate prouectiores fueritis, & quanto magis ad mortem, & ad diem in quo rationem Deo ex omni uita ueſtra reddituri eſtis, appropinquaueritis, tanto maiori cum feruore, & diligentia uos debetis in bonis operibus charitatis, & amoris erga Deum & proximũ exercere. Aliqui ſunt & etiã ex Eccleſiaſticis, qui in iuuentute ſua operibus charitatis vacant, & quanto magis ætate creſcunt, tanto amplius refrigeſcunt. In iſtis charitas eſt ueluti violenta. Alij creſcunt in amore Dei, & in his charitas eſt uelut naturalis. Nam (ut inquit Philoſophus) motus naturalis quanto magis accedit ad terminum, magis intenditur: motus autẽ uiolentus è contra. Si lapis ab alto in inferiorem partem mittatur, quanto magis accedit ad ſuum terminũ, tanto uelocius tendit, ſed ſi in altum proijciatur, quanto magis aſcendit tanto magis impetum, & uires aſcendendi amittit, (*En algunos eſta la charidad poſtiza, y como pega da con alfileres o por la gran reſiſtencia, que halla en en ſu mala inclinacion, o porque ſe fueron poco resfriãdo el exercitio de las virtudes:*) hodie non tantum ſilentium, ſicut heri habebãt: hodie in fundendis precibus minus tẽporis ſpatium inſumebant, quam alijs diebus, atque ita cum hęc ſancta exercitia minuerint, tandem charitatem omnem penitus amiſerunt, quia in eis quaſi

Eccl. 13.

Simile.

quaſi violenta erat: in alijs autem eſt velut naturalis, & hi quanto magis ad terminum ſuum uidelicet ad mortem appropinquant, tanto amplius in De amore creſcunt: de quibus in prouerbijs dicitur. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens. Procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem, hoc eſt uirtus iuſtorũ in dies magis de bono in melius creſcit donec illis dies perfectiſſimus illuceſcat, in quo nunquam eis ſol iuſtitię occidet, ſed ſemper in diuino conſpectu erunt. Et de hoc die inquit Sanctus Apoſtolus. Quanto magis videritis appropinquantem diem (ſcilicet gloriæ) tanto magis uos in amore Dei creſcere oportet. Quanuis D. Paulus hic cum omnibus loquatur, tamen particularius cum ſenibus, & prouectioribus loqui & ad illos ſermonem ſuum dirigere uidetur, quibus ſecundum naturę curſum minus tempus uitę, quàm pueris & iuuenibus manet. Vellem fratres mei, ut intelligeremus rationem, quare Sanctus Apoſtolus nos admonet, ut quanto magis fuerimus morti propinqui, tanto amplius nos in bonis exercitiis ac ſanctis operibus exerceamus. Nunquid licet aliquis male uixiſſet non ſufficeret, ut tempore mortis pœnitentiam ad gloriam conſequendam ageret, ſicut fecit bonus latro? Non dubium eſt ſecundum catholicam ueritatem, quin ſufficeret. Quare ergo nos hortatur Sanctus Apoſtolus, ut quanto magis ad finem dierum noſtrorum appropinquauerimus, tanto amplius in bonis operibus occupemur? Vultis ſcire quare? Vt uidelicet bonam mortem habeamus. Rariſſime enim euenire ſolet, ut quis bona morte dies ſuos finiat, niſi ille, qui bonam uitam habuit. [*Lo mas ordinario es que cada vno muere como ha viuido.*] Atque ita melior præparatio, & diſpoſitio ad mortem eſt hoc Sancti Apoſtoli conſilium ut uidelicet quanto minus vitæ habuerimus tanto magis nos in bonis operibus exerceamus. Videbitis homines, qui dictæ gratioſa, & lepores loquentes moriuntur, quoniam in uita ſua dicaces, & læti, atque hilares ſemper fuerunt. Alii uero in articulo mortis maiorem curam habent diuidendi facultates ac diuitias inter filios ſuos, quàm pœnitentiam agendi, quoniam ipſi totum vitæ ſuæ tempus inſumpſerunt in acquirẽdis ad filios diuitiis, immo & ieiunabant aliquando, ut eos diuites. ac potentes in mundo relinquerent. Iſti omnes ut uixerunt infœliciter moriuntur, ſui ipſorum obliti. Idcirco Diuus Auguſtinus inquit, hanc eſſe pœnam peccati eorum. Hac animaduerſione punitur peccator, ut moriens obliuiſcatur ſui, qui uiuens oblitus eſt Dei. Ergo ò ſenes quanto magis uideritis appropinquantem diem, magis liberales uos (ut Apoſtolus hortatur) erga proximos ueſtros oſtendite: cum enim uobis minus uitæ tempus maneat, minorem etiam neceſſitatem theſaurizandi diuitias habetis. Ideo æquum eſt, ut illas pauperibus communicetis. Si iuuenis diuitias in theſauro reponeret, non tanta culpa dignus eſſet, nec infamia notaretur, quoniam naturaliter loquendo plurimum ei vitæ tempus ad uiuendum reſtat; at hominem ſenem diuitias theſaurizare, res quidem abominabilis, & rationi contraria eſt. Vnde Tullius in libro de Senectute inquit. Auaritia uero ſenilis quid ſibi uelit non intelligo. Percipere non poſſum, quem finem habere poſſit ille, qui, poſtquàm uixit ſeptuaginta annos diuitias accumulat, & denuo negotiari incipit, ac ſi uiginti quinque annos natus eſſet. Et adiecit rationem dicens. Poteſt enim quidquam eſſe abſurdius, quam quò minus uię reſtat, eo plus uiatici quęrere? Supponamus, quòd cum aliquis largum iter conficeret, iam ei non deeſſet plus, quàm unius diei iter ad perueniendum in domum ſuam, & ad huius duntaxat diei

Prouer. 4.

Cic. in lib. de ſenectute.

Simile.

expenſas inter amicos ſuos nummos mutuatos quęreret, & mulos pane, vino, & carne, atque alijs leguminibus onetatos pręparatet: ſi hunc aliquis interrogaret, Domine ut ad domum tuam peruenias vnius diei tantum tibi reſtat iter: ibi omnia neceſſaria tibi miniſtrabuntur: quare ergo tanta ciborũ copia ad tam breue iter te præparas? Quid, obſecro, reſpondere poſſet niſi inſaniam eſſe, & amentiam iam larga prouiſione ad tam breue iter ſe præparare? Maior ergo inſania, & amentia (inquit Tullius) eſt illorum ſenum, qui poſt ſexaginta, aut ſeptuaginta annos ætatis ſuæ ad vnum duntaxat diem itineris hoc eſt ad vnum, vel ad tres, vt ad plurimum, annos uitę. tot diuitias, ac tot nummos accumulant, & tot negotijs ſe implicant, acſi adhuc eis quinquaginta anni ad uiuendum reſtarent: Cum his ergo peculiariter Sanctus Apoſtolus loquitur, dum ait. Quanto magis videritis apropinquantem diem &c. Mirabile dictu: tam excellens uirtus eſt ipſa charitas, ut ſuapte natura in hac uita terminum augmenti non habeat. Ratio, quia cauſa, à qua procedit infinitæ uirtutis eſt: nam Spiritus ſanctus, cum patre & filio unus Deus, & omnipotens eſt. Deinde quia ſubiectum, in quo recipitur, quæ eſt ipſa voluntas animæ, quo plus charitatis recipit, eo magis diſponitur ad maiorẽ charitatem accipiendam, ut docet Beatus Thomas. Vnde liquido comprehenditur, charitatem poſſe augeri in infinitum. Hanc ob cauſam pulchre Beatus Paulus eam uocat uiam dicens. Adhuc excellentiorem uiam uobis oſtendo. Et ad Philippenſes. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem ſi quomodo comprehendam. Satagite ergo fratres, & bonis operibus incumbite, ut charitas veſtra in dies magis, ac magis creſcat.

B. Tho. 2. 2. q. 24. art. 7.

Ad Phil. 3.

CHRI-

CHRISTIANVS.

1. Petr. 4. Beatus Petrus mirificis uerbis docet, quam obligationē nomen Chriſtianorum ipſis adducat dicens. Nemo ueſtrum patiatur, ut homicida aut fur: aut maledicus aut alienorū appetitor, ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat glorificet autem Dominum in iſto nomine. Quomodo autem debeamus glorificare Deum in iſto nomine Chriſtiano ipſe Dominus Ieſus apud Matthæum docuit, cum dixit. Videant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cælis eſt. Ergo cum per bona opera proximis noſtris sācta exēpla monſtramus, Deum glorificamus in iſto nomine: quia tanquam Chriſtiani, hoc eſt tanquam Chriſtum imitantes illa operamur. Sed, heu, heu, quam abſurdum eſt, (ut B. Chryſoſtomus inquit) quòd medicus, coriarius, textor, & omnes generatim opifices quiſque pro artis ſuæ profeſſione pugnat, Chriſtianus autem nullam ſuæ religionis poſſit afferre rationem: atqui illæ artes neglectæ ad pecuniam damnum referunt, huius autem contemptus animæ detrimentum affert: & tamen tanta inſania, tantaque miſeria laboramus, ut in illa omnem curam, cogitationemq; adhibeamus, neceſſaria autem, & ſalutis noſtrę munimenta firmiſſima pro nihilo ducimus, hoc nō ſinit gentibus errorem ſuum cognoſcere, atque deridere. Nam cum ipſi omnia faciant, ut dogmatum ſuorum ignominiam defendant, nos autem ueritatis cultores, nec minima quidem ad noſtra tutanda adhibemus. Idem quoq; S. Doctor ſuper

B. Chryſo. hom. 16. in Ioannem.

Matthæum ait. Fidelem non ſolum ex communione myſterij, ſed etiam ex nouitate uitæ oportet agnoſci. Igitur fidelem non ab his tantum, quæ ipſe accipit à Deo, ſed ab his, quę obtulerit ipſi Deo, conuenit exiſtimare, & undique eſſe notum & manifeſtum & ab inceſſu, & ab aſpectu, & à ueſte, & à uoce. Nunc uero undecunque te uoluero agnoſcere ò peccator, inuenio te à contrarijs prædicari. Si te ex loco ſcire iurauero, in foro te deprehēdo uaniſſimis tota die rebus uacantem. Si te à ueſte conſiderem, nihil te à Scenico diſtare cognoſcam: quòd ſi à comitibus, à ſermone, à cibo, maior hinc accuſationis materia naſcitur. Vnde igitur, reſponde mihi, fidelem te eſſe potero cognoſcere, cum omnia iſta, quæ diximus contrariam de te ferant ſententiā? Et quid dicam, utrum fidelis? Nec ſi homo uere ſis, poſſum euidenter agnoſcere, quando enim, ut taurus ſuperbis quando in epulas urſorum imitaris uoratum, cum lupum imitaris rapina: cū iraſceris, ut ſerpens, & atrocitate Scorpionum percutias, cum ſubdole inſidieris, ut coluber, cum ueneno malignitatis armeris ut uipera, cum quaſi Diabolus ipſe aduerſus fratres crudelis bella ſuſcipias: qua ratione in hominum te poſſum numero collocare, nulla in te humanæ cernens ſigna naturæ? O rem plenam doloris, & lachrymarum? Fidelis, & cathecumeni diſtinctionem reperire volebam, ſed nec inter homines, & feras, quod ſit diſcrimen inuenio. Quid enim te appellare debeo? Feram? Sed illę uno aliquo illorum uitio tenentur, tu uero ſimul in te omnia colligendo longe ferarum irrationale, ſtultumque tranſgrederis. An Diabolum te potius appel-

B. Chry. homil. 4. operis imperfecti.

appellem? Sed ille nec pecunias concu piſcit nec tyrānidi uentris obſequitur. Cum igitur in te plurima uitia ſint, quā in belluis ac Dęmonibus: reſponde, quæſo, unde te poſſum hominem nūncupare? Si uero hominem nequeo, quo modo Chriſtianum, & fidelem apellā bo? Verum hoc eſt multo deterrimum, quod nec iſtam animi noſtri deformitatem, atque feritatem intelligimus. Miranda ſunt certe omnia hęc, quæ hic beatiſſimus Doctor de miſeria noſtra loquutus eſt. Vnde patet, quàm indigne Chriſtiani appellemur: quod etiā ſanctiſſimus pater Auguſtinus confirmat dicens. Ille uerus Chriſtianus eſt, qui omnibus miſericordiam facit, qui nulla omnino mouetur iniuria, qui alienum dolorem tanquam propriū ſentit, cuius menſam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorioſus habetur, ut coram Deo & Angelis glorietur, qui terrena contemnit, ut poſſit habere cęleſtia, qui opprimi pauperem ſe præſente non patitur, qui miſeris ſubuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis, quod faciebat. D. Paulus, cum diceret. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Vnde etiam alibi idem Beatus Auguſtinus inquit. Deprehenderis enim, & detegeris Chriſtiane quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, & aliud demonſtras in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem, modo ingrediens Eccleſiam orationes fundere, poſt modicum in ſpectaculis cum hyſtrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis Diaboli, quibus renuntiaſti? Nummi coronati, hoc eſt, [*Los cornados*] Regni Portugalliæ, licet in ſe habeant ſculptam crucem [*Y aquellas cinco quinas*] quæ vulnera quinque Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri repræſentant, non ideo plus ualoris habent, quin potius ex omnibus monetis, quibus homines uti ſolent, uiliores ſunt, utpote uiliſſimi metalli. Sic quam plurimi homines non quia Chriſtiani ſunt, & crucem Domini in fronte habent, necnon uulnera Ieſu Chriſti confitentur, plus ualent, ſi hæc factis non correſpondent: non enim uiuunt ſecundum doctrinam Ieſu Chriſti: confitentes (ut ait B. Apoſtolus) ſe noſſe Deum, factis autem negant. Atque ita peiores ſunt, & uilioris metalli, ac deterioris cōditionis, quàm multi infideles, ſicut B. Apoſtolus Petrus teſtatur dicens. Melius. n. erat illis non cognoſcere uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quòd illis traditum eſt Sancto mandato.

B. Aug. li. de vita Chriſtiani.

1. ad Co. 11.

B. Aug. de ſimbolo ad Cathecu.

Simile.

Ad Tit. 1.

2. Petri.

CIR-

CIRCVNCISIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus, inquit ſacer Euangeliſta Lucas.

Luc. c. 2. DVABVS rationibus nomen olim in circunciſione, & nunc in ſacro baptiſmate, & non antea imponitur. Prima eſt, ut ex hoc intelligatur, hominem non habere eſſe, quouſque ab originali peccato mundetur, & in Dei gratia, atque amicitia conſtituatur: officium enim nominis eſt ſignificare eſſentiam hominis, & eius eſſe: cũ autem homo in peccato exiſtit, nihil
1. ad Co. 13 eſt, ut B. Paulus ad Corinthios ſcribẽs teſtatur dicens. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Cumque omnes naſcamur filii iræ (ut idem Apoſtolus in epiſtola ad Epheſios affirmat) nulli hominum debet nomen imponi, quouſque gratuitum eſſe habeat. Secunda ratio eſt, quia in ſacro baptiſmate, & olim in circũciſione homines in domo Dei locum obtinent, antea uero minime: in baptiſmate in Dei militiam ingrediuntur, & tunc libro eius aſcribuntur, atque eis merces ſiue ſalarium promittitur: & ita quouſque in Dei republica incorporentur & incipiant eſſe ſerui eius, ac ciues ſacroſanctæ ipſius Eccleſiæ, nomen habere nequaquam merentur. Quamuis autẽ Chriſtus reparator noſter ab inſtanti ſuæ ſanctiſſimæ cõceptionis fuerit gratia, & gloria plenus, noluit tamen, ut ſibi nomen imponeretur, niſi in circunciſione, ut per hoc cum hominibus ſe conformaret. Et tunc uocatum eſt nomen eius Ieſus. In ueteri teſtamento tres fuerunt uiri, qui appellabantur hoc nomine, Ieſus, Quidam fuit Ieſus filius Ioſedech ſummi ſacerdotis, qui templum Salomonis à Chaldæis diſſipatum refecit. Alius fuit Ioſue, qui Hebræos in terram promiſſionis intromiſit. Tertius fuit Ieſus filius Sidrach, qui librum Eccleſiaſtici compoſuit, in quo cæleſti doctrina filios Iſrael erudiuit. Omnes iſti ſignificarunt Ieſum Chriſtum uerum Reparatorem noſtrũ, qui ueros ſectatores ſui in terram promiſſam gloriæ introduxit, & ſacroſanctã Eccleſiam ab ſtrage, quam in ea Dæmones fecerant, reſtituit, ac tandem cœleſtem doctrinam ſui ſancti Euangelii plenam tanta perfectione, & ſanctitate docuit. Verum eſt tamen, quod aliqui teſtantur, hoc ſacratiſſimum nomen, Ieſu, Chriſto Redemptori noſtro *Vt Gal. t. de arcanis catholicæ veritatis.* impoſitum, & illud, quo inclyti illi uiri appellati fuerunt, non fuiſſe unum, putant enim, & exiſtimant, quod ad literam de nomine, Ieſus, Redemptori noſtro impoſito intelligitur illud Iſaiæ Prophetæ. Et uocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. *Iſa. 62.* Atque ita dicunt, nomen proprium ſacratiſſimi Redemptoris noſtri, quod eſt Ieſus, non habere quandam literam quam Hebræi uocant, he, ut aperte uidere eſt in titulo crucis, qui hodie Romæ in Eccleſia ſanctæ Crucis apparet, ubi nomen ſanctiſſimum, Ieſus, ſcri-

ſcribitur Ieſuah. At uero nomen alio- rum trium hanc literam habet. Itaque non appellantur Ieſuah. hoc eſt Salua- tor, ſiue ſalus, ſeu Iehoſuah, id eſt, De- us ſaluabit. In quo aperte ſignificarũr, Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum daturum eſſe ſaluationem. Vnde Bea- *B. Aug. in Meditat. Cant. 1.* tus Auguſtinus in Meditationibus in- quit. Quid eſt Ieſus, niſi Saluator? Ergo propter te metipſum eſto mihi Ieſus. Noli Domine, noli ſic attendere malũ meum, ut obliuiſcaris bonum tuum O bone Domine, ſi ego commiſi, vnde me damnare potes, tu non amiſiſti vn de me ſaluare ſoles. Magnam igitur o- bligationem habemus, ut huic ſacra- tiſſimo nomini, Ieſus cum omnibus, quæ ſignificat maxime ſimus deuoti. Sed oportet, ut animaduertatis id, ꝗ Sponſa in Canticis inquit, Oleum ef- *Simile.* fuſum nomen tuum. Quemadmodum enim oleum non adhæret rei madefa- ctæ ſeu aqua inſperſæ: ſic hoc ſacratiſſi mum nomen non imprimitur in cor- de, quod aqua deſideriorum, & uolu- ptatum carnalium madefactum eſt. Contendite ergo ô fratres, ut corda ue ſtra ſint arida, nec madefiant aqua car nalis, & ſenſualis concupiſcentiæ, & ſtatim huic ſacratiſſimo nomini nimis dediti, affecti ac propenſi eritis, & cor- da ueſtra hoc diuino oleo conſpergen tur. Hodie adimpletum eſt, quod Bea- *Ad Gal. 4* tus Apoſtolus ad Galatas ſcribens in- quit. Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redi meret. Poſſet quidem filius Dei nos à dato circunciſionis præcepto eripere, dicendo. Nolo pater, ut præceptum cir cunciſionis amplius ſit, ſed hic finia- tur, & aliud medium ſuauius, qualis eſt ſacer baptiſmus, adhibeatur, ſed non uult, niſi circuncidi, ut nos ipſos eripe ret à circũciſione. Quod perinde fuit, ac ſi diceret, [*Y o me he queri do circunci dar por todos los hombres, y el dolor, que ellos auian de padecer y ſufrir, yo lo he ſu frido per ellos,*] ipſis autem hominibus ſuauiſſimum remedium ſacroſancti ba ptiſmi reliquit. Atq; ita omnes per ba ptiſmum circunciſi manemus, ut Bea- tus Paulus teſtatur dicẽs. In quo & cir *Ad Col. 2.* cuncisi eſtis circunciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Chriſti conſepul- ti ei in baptiſmo. Vna ex rationibus, quare lex gratiæ appellatur iugum ſua ue, lex vero ſcripta onus, quod nec Apoſtoli, nec patres eorum (vt B. Pe- *Act. 15.* trus in actibus Apoſtolorum dixit) por tare potuerunt, ſcilicet faciliter, una, inquam, ratio eſt, quia in lege gratiæ contra peccatum tam facile remediũ habemus, quale eſt ſacer baptiſmus cũ in lege ueteri præceptum tam difficile, *Simile.* qualis erat circunciſio, Deus homini- bus dederit. Quando aliquis nobilis eques, ſiue Princeps paternum maio- ratum hæreditauit, cum uidet domũ, in qua maiores ſui habitarunt antiquo more inſtructam eſſe atque ædificatã & nimitum ueteraſcere [*Determina de dar una nueua traça ſobre los cimientos de la caſa antigua:*] nam quia ianua præci pua anguſta erat, [*Y ſalia a una calle an- goſta y lobrega, cierra a quella, y abre otra puerta, que ſale a una hermoſa y ancha pla ça, haze una portada riquiſſima, y pone alli ſus armas; hallo que un quarto eſtaua para caerſe, derribale, y haze otro hermo- ſiſſimo de nueuo: hallo que las ſalas de la caſa eran antiguas labradas a lo uiejo, a lo moriſco, haze labores a lo nueuo, a lo Ro- mano. Hallo los apoſentos angoſtos, enſan- chalos y haze otros nueuos para hue ſpa- des Ioallo que las uentanas ſalian al cier- ço, cierra a quellas, y ſaca otras al medio dia, y todo eſto ſobre ios cimientos, y pare- des fuertes de la antigua caſa.*] Hoc ergo *Ad Hebr. 1.* fecit Dominus ille, de quo Diuus Pau- lus ait. Quem conſtituit hæredem uni uerſorum. Nam cum antiquam domũ ſui maioratus uidelicet Synagogam iã iam labentem & ruinam undique mi- nantem repperiſſet, [*Determina de dar una nueua traça y hazer una rica caſa, que es la ſancta Igleſia catolica fundada ſobre los cimientos de la obra que ſon los precep-*

ptos

pcos del amor de Dios, y del proximo, que eran los ſundamentos de la ley antigua, y ſobre eſtos miſmos ſundamentos ſundo la ley de gracia. Hallo la puerta de la caſa vieja muy angoſta, que ſolo el pueblo Hebreo entraua por ella que era la circunciſion, que a ſolos los Hebreos obligaua, y era puerta tan eſtrecha, y penoſa que para entrar por ella auian de derramar ſangre, todos ſe daſcalabrauan al entrar por ella: cerro Ieſu Chriſto heredero uniuerſal del padre eſta puerta y hizo otra, que ſale a la ancha plaça de todo el mundo, que es el Sancto baptiſmo dado por remedio uniuerſal de todos los hombres. Por eſta puerta pueden entrar quantos quiſieren. Derribo todos los quartos de las ceremonias, y ſacrificios antiguos y leuanto otros, que han de durar haſta la fin del mundo, que ſon los otros diuinos ſacramentos, que inſtituyo. Puſe labores nueuos en eſta ſancta caſa, que ſon ſu celeſtial doctrina, y ſus Euangelicos conſejos. Abrio ventanas, que miran a medio dia, a la eternidad obrando en los coraçones de los creyentes nueuos deſſeos del cielo, y de la gloria eterna, y al fin quedo eſta caſa y eſta ciudad tan renouada, y tan ſemejante a la del cielo, que dize Sant Ioan della.] Vidi ciuitatem Sanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam. Ait Sanctus Apo-

Apoc. 21. ſtolus de cælo deſcendiſſe Eccleſiam noſtram militantem, quoniam donis cæleſtibus, quæ inde deſcenderunt, plena eſt.

Cum igitur circunciſio olim eſſet ianua Synagogæ, uoluit etiam Dominus per illam introire, & uoluit ut ſibi, profuſo ſanguine, ſacratiſſimum nomen, Ieſus imponeretur. Vbi ſignificauit, quod per diffuſionem ſanguinis ſui, & per ſacratiſſimam ſuam mortem ſanctiſſimũ nomen ſuum exaltandum, & ſublimandum erat, ſicut B. Apoſtolus teſtatur di-

Ad Phil. 2 cens. Chriſtus factus eſt pro uobis obediens uſque ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, hoc eſt. Dedit illi uirtutem, poteſtatem, & imperium ſuper omnes poteſtates, & potẽtatus creatos, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris, hoc eſt, Per ſuam ſacratiſſimam mortem meruit, ut ipſe Chriſtus Deus reputatus, & habitus fuiſſet, & ut ad ipſum gentes conuerterentur, quarum conuerſio ceſſaret, ſi ipſe non moreretur. Nam licet propter unionem hypoſtaticam quodcunque ex operibus eius fuiſſet infinitũ meriti, nõ tamen ipſa effectum haberent, niſi ipſe Dominus moreretur, ut præclare Bea-

tus Thomas docet. Et hoc ſignificãt uer- *B. Tho. 3.*

ba illa, quæ idem Dominus apud D. Lu- *p. q. 48. ar*

cam dixit. Oportebat Chriſtum pati, *tic. 1. ad 2*

& ita intrare in gloriam ſuam. Vbi glo- *Luc. vlt.*

riam ſuam appellat, quod mundus in eum credat, & ei tanquam Deo ſeruiat, ideſt, [*Llama ſu gloria el creer el mundo en el, y el adorarle, y ſeruirle como a Dios.*] reputat enim clementiſſimus Ieſus in gloriam ſuam, ut homines per uerã uiã incedant, qua æternam gloriam conſequantur. Hoc tam admirabile medium quod diuina ſapientia ad conuertendũ mundum, & ad ſuam obedientiam attrahendum elegit, Philoſophi Gẽtiles ſtultitiam, & inſaniam exiſtimarunt, ſicut Beatus Apoſtolus ad Corin. ſcribẽs

aſſeuerat, ubi ſic ait. Nos prædicamus *1. ad Co. 1*

Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiã; ipſis autem uocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam. Nam ſi hic eſſent nunc duo aduerſi, & contrarij exercitus, & Dux alterius pro medio ad ſuperandum hoſtem ſumeret, ſe ipſum ac ſuos milites manibus inimicorũ interficiendos tradere, & hoc modo uicti, & interfecti exiſtimarent ſe uictores euaſiſſe; hoc profecto mundus inſaniam reputaret. His igitur medijs, quæ mundus amentiam eſſe exiſtimaret, ſi aliquis Dux illis uteretur, elegit Dominus ad omnem

mundum ſuperandum, & de facto illũ ſuperauit: etenim morte ſua, ac ſuorũ, Eccleſiam militãtem plantauit, ubi uerus cultus ſuę diuinę maieſtatis exiſtit, per quem cœleſtis beatitudo comparatur. Vt igitur Chriſtus Saluator noſter hos ſacratiſſimos mortis ſuæ effectus ſignificaret, uoluit, ut in Circunciſione ſua ſanguinem profundendo ſacratiſſimum nomen. Ieſus ſibi imponeretur. Triplicem legimus in ſacra ſcriptura Circunciſionem, ſcilicet Abrahę, Sichimitarum, & Chriſti Redemptoris noſtri: & unaquæque earum peculiarem ſortita eſt effectum: nam circũciſio Abrahæ fuit ſignum diſtinctiuum inter populum Dei, & populum gentium, & manifeſtatiuum iuſtitiæ, & fidei Abrahæ, ut B. Paulus ad Rom. ſcribens docet, cum ait. Abraham ſignum accepit circunciſionis ſignaculũ iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio. Vocat Sãctus Apoſtolus circunciſionem Abrahæ ſignum & hoc duobus modis: primo ait, quod accepit ſignum circunciſionis: vbi conſtructio eſt intranſitiua, ideſt, accepit circunciſionem, quæ erat ſignum, ſcilicet diſtinctiuum inter populum Dei, & populum Gentilicum ſecundum id, qđ in ſacro Geneſis libro ſcribitur, vbi de circunciſione loquens, ait Deus. Et erit ſignum pacti inter me, & vos. Erat etiã circunciſio ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ erat in præputio, hoc eſt; circunciſio erat manifeſtatiua iuſtitiæ quæ data eſt Abrahæ uirtute fidei, antequam circunderetur. Non ſolum uult Deus ut homo ſit amicus eius in ſecreto; ſed uult, ut in exteriori oſtendat hanc amicitiam, [*y que en lo exterior ſe honre de ſer ſu ſiervo.*] Ideo B. Paulus ad Romanos ſcribens inquit. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Contingit aliquando, ut quis occultet fidem non odio Chriſti, ſed timore humano, ſicut fecit B. Petrus, quãdo abnegauit Dominum ore tenus, retinebat tamen in corde fidem: at quia ore tantum negauit, peccauit mortaliter; quia non confeſſus eſt ore quod corde credebat. Vnde B. Gregorius in homilia Apoſtolorum de eo ait. Dum mori timuit, uitam negauit. O quot ſunt, qui præ ſe ferũt Chriſtum, quouſq; ſeſe eis aliqua offert occaſio uitã, aut diuitias amittendi, & tunc faciunt, quod Petrus fecit. Longe aliter fecit Abraham, qui cum accepiſſet ſignum iuſtitiæ, in omnibus ſe exhibebat ſicut miniſter Dei, uſque adeo, ut præcipiẽte Deo immolarit filium ſuum. Hoc eſt, quod cęleſtis magiſter apud Matthæum docet, ubi ait. Dico uobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Et gloſſa D. Hieronymi ſuper Iſaiam ait, quod quando San. Iſaias Propheta plorabat dicens: væ mihi, quia tacui, quia uir pollutus labijs ego ſum, ideo plorabat, quia à Domino punitus fuerat, eo quòd Regem Oziam, quando uſurpauit ſacerdotis officium, non reprehenderat: ualde enim Dominus iraſcitur in ſuos, quando neceſſitatis tempore pro ipſo uexillum non erigunt. Oportet ergo nos Patriarcham Abraham imitari, qui non ſolum corde, ſed etiam opere ſe altiſſimi Dei miniſtrum exhibuit.

Ad Ro. 4. *Gen. 17.* *Ad Ro. 10* *Matt. 10.* *Iſa. 6.*

Alia fuit circunciſio, quæ refertur in Geneſi, vbi dicitur, quod cum Emor Rex Sichimitarum magno deſiderio afficeretur, ut filius ſuus Dinam filiam Iacob vxorem duceret, obtulit filijs Iacob quidquid poſtularent, ipſi autẽ Sichem Regi dixerunt vt illa, ac filius eius cum omnibus ciuibus vrbis ſe circumciderent. Rex vero ſic ad populum ſuum locutus eſt. Si circuncidamus maſculos noſtros, ritũ gentis imitãtes, & ſubſtantia eorum, & pecora eorum, cuncta quæ poſſident, noſtra erunt: atque ita omnium animis, & uoluntatibus attractis propter temporale lucrũ, & quia opes ac diuitias Iacob poſſidere putabant, ſi ſe ipſos circuncideret, tandem id facere decreuerunt. Porrò tertio die, quando grauiſſimus vulnerũ *Gen. 34.*

dolor

dolor eſt Simeon, & Leui vrbē ingreſſi ſunt, & omnes nouiter circunciſos, in vltionem ignominiæ illatæ à Sichem Dinæ ſorori ſuæ, crudeli internecione necarunt. Circūciſio tunc actus religionis erat, ſicut & nunc ſacer baptiſmus. Sichimitæ circunciderunt ſe, & ueræ religioni unius Dei non propter eius honorem, ſed præmio temporali, quod expectabant commoti ſe ipſos obligarunt dicentes, ſe futuros eſſe dominos diuitiarum Patriarchæ Iacob & filiorū eius ſi eos in circunciſione imitarētur. O popule Chriſtiane, o ſtatus Eccleſiaſtice heu quot hodie ſacris ordinibus initiantur, nō propter Sacerdotalis ſtatus deuotionem, ſed quia poſtquam ſacros ordines habuerint, canonicatū, uel aliquod pingue beneficium, quo in mundo triumphent, conſequentur. Væ illis, qui ſe Deo conſecrant, & obedientiam ſuo prælato promittūt, ac uotum ſolemne continentiæ uouent, non propter honorem altiſſimi Dei, nec ut magis quiete, & maiori tranquillitate ſuæ conſcientiæ illi ſeruiant, ſed propter temporale bonum, uel potius lucrum, quod ex ſacris ordinibus ſe conſecuturos eſſe expectant. Hoc idem faciunt plurimi commendatarij D. Ioannis. Quid hinc ſuccedit? Profecto id, quod Sichimitis euenit; nam circunciſio eis perditionis, ac mortis cauſa fuit. Sic ijs, qui præcipue propter hunc finē ſacris ordinibus initiantur, omnia in malum uertuntur, ſicut finis eorum malus eſt. Quid igitur remedij? Propoſitum mutare, & diuitijs bene vti oportet, ipſas pauperibus communicando, & ſacrum ſtatum maxima cordis puritate, & mūditia exercendo. Tertia circunciſio eſt, quam refert ſacrum odiernum Euangelium, ſcilicet Chriſti Redemptoris noſtri. Debuit enim (ut inquit Beatus Apoſtolus ad Hebræos ſcribens) per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret. Præter has circunciſiones extat alia ſpiritualis, de qua in Deuteronomio dicitur. Circuncidite præputiā cordis ueſtri. Licet autem circunciſio carnalis iam ſit euacuata, non tamē hæc ſpiritualis, de qua inquit Beatus Paulus: circunciſio cordis in ſpiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

Ad Heb. 2 *Deut. 10.*

Circunciſio Domini.

ET vocatum eſt nomen eius Ieſus. Hoc ſacratiſſimum nomen Ieſus eſt perfectiſſimum, atque integrum Ieſu Chriſti Reparatoris noſtri exemplar, id eſt [*Eſte nombre ſacratiſſimo Ieſus es vn retrato de Chriſto, perfecto, y entero conforme a ſu calidad.*) In Hebræo autem ſic ſcribitur Iehoſua, atque in eo continentur literæ, ex quibus componitur nomen Dei, quod uocant quatuor literarum, vltra quas habet etiam alias duas: nomē vero Dei quatuor literarum, quod in hoc ſacratiſſimo nomine includitur, nunquam profertur, vel quia omnes literæ eius uocales ſunt, vel quia modus ſonitus eius neſcitur, vel propter religionem, & reſpectum, quem Deo debemus, vel quia, ut aliqui exiſtimant, nomen illud, & literæ illæ faciunt ſignum, quo mutus qui loqui non poteſt, aut quicunque alius, qui loqui non audet, ſuum affectum exprimit, id eſt [*con que ſignifica ſu affecto, y mudez con vn ſonido rudo, y deſatado, y que no haze figura, que llamamos en Latin interiecion, que es vna voz toſca y como ſi dixeſſemos ſin roſtro, y ſin faciones, ni miēbros:*) voluit enim Deus dare hominibus pro nomine ſuo ſignum, & ſonitū noſtræ (vt ita dicam) munditatis, vt inde intelligamus aperte, quod Deum non poteſt capere intellectus, aut lingua humana, ideſt [*que no cabe Dios ni en el entendimēto, ni en la lengua humana, y que el verdadero nombrarle es confeſſar ſe la criatura por muda todas las vezes, que le quiſiere nombrar, y que el embraco de nueſtra lengua, y el ſilencio nueſtro, quando nos leuantamos a el es ſu nombre, y loor.* Itaque nomen illud quatuor literarum

nomen eſt ineffabile, & quod non profertur. Sed quamuis in ſe non profertur habet tamen apertam pronuntiationẽ, & ſonitum formatum, atque ſignificationẽ expreſſam in ſacratiſſimo nomine, Ieſus, idque propter duas literas, quæ ei adduntur: [*para que acontezca en el nombre lo meſmo que paſſa en Chriſto, y para que ſea (como diximo) retrato el nõbre del ſer. Porque porla meſma manera en la perſona de Chriſto ſe junta la diuinidad con el alma, y con la carne del honbre, y la palabra diuina, que no ſe leya iunta con eſtas dos letras ſe lee, y ſale a luz lo eſcondido hecho conuerſable, y ſenſible, y es Chriſto vn Ieſus, eſto es vn ayuntamiento de lo diuino, y humano de lo que no ſe pronuncia, y de lo que ſe puede pronunciar, y es cauſa que ſe pronuncie lo que ſe junta con ello. Significa eſte ſacratiſſimo nombre Ieſus Saluacion o ſalud* Voluit autẽ cæleſtis Reparator noſter ſumere pro nomine proprio ſalutem, quæ eſt Ieſus: nam ſalus non eſt vnum duntaxat bonum, ſed quædam bonorum vniuerſalitas. In ſalute enim ſunt vires, uelocitas motus, elegantia formæ, ideſt (*El buen parecer.*) locutio grata, diſcurſus integer rationis, atque bonum exercitium omnium partium, & omnium operum hominis, *El bien oyr, el buen veer, el buen guſtar, y el bien ſentir. Por manera que ſalud es vna preñez de todos los bienes y aſſi porque Chriſto es verdadera preñez de todos los bienes por eſſo eſte nombre Ieſus es el que mas le conuiene.*] Sicut enim ipſe in diuinitate ſua eſt idea, theſaurus, ac fons omnium bonorum: ita ſecundum humanitatem habet omnia reparamenta, & omnia medicamina, atque omnes ſalutes, quę omnibus neceſſariæ ſunt, atque ita eſt bonum, ac ſalus uniuerſalis, non ſolum quia omnibus benefacit, & quia in ſe ſalutem habet, quæ ad omnia mala expellenda neceſſaria eſt, ſed etiam quia in unoquoque ſuorum omnia bona, atque omnes ſalutes operatur: [*Y para cada vno de los ſuyos es Ieſus de innumerables maneras.*] Nam licet inter iuſtos ſint gradus tum in gratia, quam Deus illis communicat, tum in præmio, quo illos in gloria condecorabit, tamen nullus eorum eſt, qui mediante Ieſu Chriſto non habeat non ſolum omnia reparamẽta, quæ neceſſaria ſunt, ut à malo liberetur, ſed & omnia bona, quæ ei opus ſunt, vt diues perfecte fiat, nullus, inquam, eorũ eſt, cui tandem Dominus Ieſus perfectam ſalutem in omnibus ipſorum potentijs tam animæ, quàm corporis non præbeat. Denique in quolibet eorum omnes ſalutes operatur, quas in omnibus efficit id eſt [*En cada vno dellos haze todas las ſaludes que en todos*] mũdificans à culpa, à tyrannica ſeruitute Diaboli liberans, libertatem præbens, redimens ab inferno, gratia induens, ſuum ſpiritum communicans, ac deniq; ſenſus, & corpus reſuſcitans, & glorificans. Has autem plurimas ſalutes, quas Chriſtus Dominus in quolibet ſuorum operatur, & uniuerſalem copiam ſalutis, quã in ſe habet, perpulchre Regius Propheta deſcribit in illo uerſiculo. Tecũ principium in die uirtutis tuæ: in ſplendoribus ſanctorum ex utero ante luciferũ genui te. *Pſal. 109.* Qui quidem uerſiculus ſic legi poteſt. Populus tuus nobilitates in die illa exercitus nobilitates in ſplendoribus ſanctorum, quia plus quàm uẽter, & pluſquàm aurora eſt in te ros Natiuitatis tuæ. Quaſi dicat, quod in die, qui luceſcet, quando nox huius ſæculi obſcuriſſimi finietur in die, inquam, q uerè dies eſt, & noctem non habebit, quia in eo ueritas eniteſcet, atque ita erit dies ſplendorum ſanctiſſimorum, quoniam ſplendor iuſtorum, qui nunc in eorum pectore abſconditur, tunc in lucem prodibit, & publice ſe manifeſtabit, & ſplendebit eis per oculos, per faciem, ac per omnes corporis ſenſus: in illo ergo die, qui vere dies eſt, hoc eſt, dies uniuerſalis Reſurrectionis totus populus Chriſti erunt nobilitates. Vocat autem populum Chriſti iuſtos tantummodo populus Dei appellantur; etenim

etenim in ſacra ſcriptura iuſti tãtũmodo, quãuis Chriſtus ſit uniuerſalis omnium rerum Dominus. Eoſdem uero, quos populus uocat hic S Dauid, poſtea nuncupat exercitum: non quia ipſi Chriſtũ Dominum potentem faciant, ſicut milites terrenos Reges potentes efficiũt: ſed quia ſunt probatio magnę, atq; ingentis poteſtatis Ieſu Chriſti, & hoc omnes ſimul, & unuſquiſque per ſe: poteſtatis, inquam, uirtutis, & efficaciæ ſui ſpiritus, & uirium ſuarum manuum inuincibiliũ, quibus eos ab ultima miſeria in æternæ uitæ fęlicitatem auocauit. Hic ergo populus, & lucidus Chriſti exercitus eſt, inquit, nobilitates; quilibet nãque eorum eſt non una tantum nobilitas, ſed plurimæ nobilitates, non una ſalus, ſed plurimæ ſalutes propter innumerabiles ſalutes, quas Chriſtus in eis per infinitam nobilitatem ſuam ponit, & operatur, eos ſalute circũdans, *[Y leuantãdo por todas ſus almenas de llos ſeñal de victoria: Lo qual puede bien hazer Ieſu Chriſto por lo que ſe ſigue y es, que tiene en ſi rocio de ſu nacimiento, mas que viẽtre, y mas que aurora.]* Ros uocat efficaciam Chriſti, & uim ſpiritus, quem prębet, quæ in diuinis literis nomen aquę habere ſolet: *[y llamale rocio de nacimiento, porque haze con el que nazcan los ſuyos a la buena, y dichoſa vida: y llamale ſu nacimiento porque lo haze el, y porque naciendo ellos en el, el tambien nace en ellos. Y dize mas que vientre, y mas que aurora]* ad ſignificandum efficaciam & copiam huius roris: *[la efficacia, como diziendo, que con el rocio de Ieſus, que en ſi tiene ſaca los ſuyos a luz de vida bienauenturada muy mas preſto, y muy mas cierto, que ſale el Sol a la aurora, o que nace el parto maduro del vientre lleno. Y la copia de eſta manera, que tiene Chriſto en ſi mas rocio de Ieſus para ſerlo, que quanto llueue por las mañanas el cielo, y quanto embian las fuentes, y ſus manantiales, que ſon como vientre donde ſe conciben, y de donde ſalen las aguas.*

Simile.

Eſt etiam obſeruandum, quod ſalus eſt bonum conſiſtens in proportione, & harmonia rerum differentium, & eſt ueluti concinna muſica, quam inter ſe humores corporis efficiunt. Hoc igitur idem eſt officium Chriſti redemptoris noſtri: & hæc eſt alia ratio ob quã uocatur Ieſus: non ſolum enim ſecundum diuinitatem eſt harmonia, & proportio omnium rerum, uerum etiam ſecundum humanitatem eſt quædam muſica, & (ut ita dicam) correſpondentia omnium partium mundi. A que Diuus Paulus de illo ad Coloſſenſes ſcribens inquit. Quia complacuit per eum reconciliari omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. Et alibi idem Apoſtolus inquit. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum & medium parietem macerię ſoluens inimicitias in carne ſua. Vbi aperte fatetur Diuus Paulus, Chriſtum Dominũ abſtuliſſe diuiſionem, qua Deus, & homo diſiuncti erant, & ipſi homines inter ſe. uidelicet Gentiles, & Iudæi: & ex his duobus fecit unum. Ideoq; in pſalmo dicitur. Lapis angularis poſitus in capite anguli: ipſe enim eſt pax omnium, quæ inter ſe differunt, & nodus ſiue uinculum ligans uiſibile cum inuiſibili, & eſt ille, qui componit, & concinnat in nobis ſenſum, & rationem, & eſt dulciſſima melodia cuius ſacratiſſimo ſonitu id, quod turbatum erat, quietatur, & componitur: atque ita Chriſtus ineffabili ueritate Ieſus appellatur. Dicitur etiam Ieſus, ac ſalus, ut ex hoc nomine intelligamus, quale eſt proprium eius opus, & quid in nobis efficit, hoc eſt, ut intelligamus in quo conſiſtit bonum, ſanctitas ac iuſtitia noſtra, & quid ab eo petere, & ſperare debemus ipſum nobis daturum: nam ſicut ſalus ægroti non conſiſtit in his, quæ extrinſecus ei ad refrigerandum applicantur, nec in epithymis, quæ in corde ponuntur, nec in diligentia quæ adhibetur ab his, qui ipſum diligunt in curatione eius: ſed conſiſtit in

Ad Coloſſ. c.1.

Ad Eph. 2.

Pſal. 117.

Simile.

in hoc, quòd qualitates, & humores eius, quæ intra corpus ipſius ordinem excedebant, debito temperamento reducantur, &, ut oportet, intus temperentur. Quod ſi hoc remedium interioribus & ſecretioribus corporis partibus applicetur, ſtatim quod extrinſecus apparet, abſque eo quòd aliquid amplius applicetur, temperabitur, & ad antiquum bonum colorem reducetur. Sic Chriſtus Dominus factus eſt, quia bonum, quod in nobis efficit, eſt inſtar huius ſalutis, quam modo depinximus [*y no de ſola apparencia, ni que toca ſolamente en la ſobre haz.*] ſed eſt bonum ſecretum, & in uenis infuſum, atque in anima immerſum, & incluſum. Quapropter optime Sanctus Iſaias Propheta ait. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael. Non eſt circum circa te, ſed intra te, & intra uiſcera, ac medullas tuas & in interiori cordis tui, & in centro animæ tuæ. In medio tui, inquit: quoniam proprium opus Chriſti eſt eſſe ſalutẽ, hoc eſt componere partes ſecretiores animæ intra ſe, & cum Deo, & componere humores, & inclinationes, atque extinguere in ea ſecretum, & radicatũ ignem paſſionum eius: nam componere corpus extrinſecus, & faciem fucare, hoc eſt exercere ſe aliquem in his exterioribus cæremoniis, ieiunare, flagellare ſe, uigilare, cum aliis quæ adhoc pertinent, licet, inquam, hæc omnia ſancta ſint, ſi in Deum ordinentur, & propter ipſum fiant (tum propter bonum exemplum, quod ex illis recipiunt hi, qui ea contemplantur, tum quia diſponunt animam, eamque dirigunt in hanc ſecretam ſalutem, & iuſtitiam, de qua loquimur) tamen formalis, ac pura ſanctitas, & illa, quam proprie in nobis Chriſtus operatur nõ cõſiſtit in his: opus enim Chriſti eſt ſalus, quæ conſiſtit in concordia humorũ interiorum: [*y eſtas coſas ſon medicinas, y refrigerantes, o fomentaciones de fuera, que ſe encaminan, y endereçan para aquella ſalud, mas no ſon la meſma ſalud.*] Idcirco quãuis aliquis in ieiuniis magnos progreſſus faciat; & ſilentium obſeruet, corpus ciliciis affligat, per gelu nudis pedibus incedat, in uictu & ueſtitu ſit pauperrimus: ſi tamẽ cum his omnibus intra cor eius paſſiones ebulliũt, ſi adhuc uetus homo in eo uiuit, ſi inani gloria inflatur, ſi cupiditate ardeſcit, & in eo regnat ira, ſi denique inuidiæ, odia, atque æmulationes in ipſum dominantur, licet ſibi uideatur plurimum in his omnibus exercitiis exterioribus, quæ iam retulimus, profuiſſe, credat, immo & pro certo habeat, ſe ad ſalutem, qui eſt Ieſus Chriſtus nõ perueniſſe, & ſciat atque intelligat, neminem, qui hanc ſalutem non fuerit integre conſecutus in cœleſtes ſedes ingreſſurum, nec altiſſimum Deum uiſurum eſſe in æternum, ſicut B. Apoſtolus ad Hebræos ſcribẽs, teſtatur his uerbis. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo uidebit Deum. Quo circa quilibet noſtrum animaduertat, & uigilet, atque animum fortem concipiat, [*y pueſtos los ojos en eſte blanco, de que tratamos eſperando en Ieſus alargue el paſſo a Ieſus y pidale a la ſalud, que le ſea ſalud, y por eſto ſuſpire y llore no ſe oluidando de eſtotros ſanctos exteriores exercicios.*] Itaque Ieſus eſt ſalus, & ſalus eſt iuſtitia ſecreta, & compoſitio animæ, quæ ubi primum in anima prædominatur, ſtatim ipſa de ſe radios emittit, qui exterius eniteſcunt, & omnes motus, atque exercitia corporis componunt, & pulchritudine exornant: & quemadmodũ mendacium eſt & error, reprobare, & indignas præmio reputare has obſeruantias exteriores: ſic etiam eſt fraus, & deceptio cogitare illas ipſas eſſe puram & integram animæ noſtræ ſalutẽ, atque iuſtitiã, quæ formaliter nos Deo gratos, & amabiles reddit: hæc namq; proprie eſt Ieſus, hoc eſt ſalus, quæ directe intra nos ipſos, & non ſine nobis id efficit. Et nõ uocatur Ieſus, eo quòd ipſe hanc ſalutem dumtaxat operetur, ſed

Iſa.12.

Ad Heb.12.

ſed quia illemet eſt ſalus: nam licet ue-rum ſit, quòd Chriſtus in illis, quos ſan ctificat ſalutem, & iuſtitiam per mediū gratiæ operetur, tamē ſine hoc ipſemet per medium ſui ſpiritus cum anima no ſtra ſe coniungit, & iungendo ſe ei, illā ſanā reddit & pulchritudine condeco-rat: & ipſamet gratia, quam in anima operatur eſt ueluti ſplendor, qui in ea ex ſua amabili præſētia reſultat. O bea ta ſalus? O Ieſus dulciſſime, & omni deſiderio digniſſime, utinam me iam à te integre ſuperatum uiderem; utinam animam meam, & cor meum iam pene trares, ac me totum ab omni ſcoria pu rificares? O vtinam iam non eſſem, qui ſum, nec in me aliquid præter te eſſet? O Domine nihil in me video, quod nō ſit odio, & contemptu dignum: omne ferè, quod ex me oritur incredibiles ſunt miſeriæ, imperfectiones, & mali-tiæ, atque ut in libro Iob dicitur, Sicut ceruus deſiderat umbram, & ſicut mer cenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes uacuos, & no-ctes laborioſas enumeraui mihi: ſi dor-miero, dicam. Quando conſurgam? Et rurſum expectabo veſperam, & reple-bor doloribus uſque ad tenebras. Indu ta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris cutis mea aruit. Dies mei ue-locius tranſierunt, quàm à texente tela ſuccidatur, & conſumpti ſunt abſque ulla ſpe. Memento, quòd uentus eſt ui-ta mea, & non reuertetur oculus meus, ut uideat bona, nec aſpiciet me uiſus hominis. Oculi tui in me, & non ſubſi-ſtam. Hoc eſt. Quotidie in me nouos ſentio dolores, & oppreſſiones: & cum expecto illorum finem, plurimos men ſes uacuos, & plurimas noctes dolore plenas enumeraui: & quādo uenit ſom nus, ferè ſemper dico, utinam iam mi-hi eluceſceret, id eſt [*O ſi ya amaneciera mi mañana, y quando me leuanto, y ueo, que no me amanece deſſeo la tarde, y nun-ca ueo que me uiene eſſe bien*] Induta & operta eſt caro mea corruptione miſe rabili. Videó Domine dies meos tran-ſiiſſe, [*y que han bolado mas que buela la lançadera en la tela:*] uideo illos ferè cō ſumptos, & finitos: ſed tamen ſalutem meam ò Domine non uideo, quòd ſi ip ſi finiuntur, finitur & cū eis ſpes mea. Memento Domine, uitam meam eſſe inſtar aeris uelociſſimi, [*y que ſi paſſo ſin alcançar eſſe bien no boluerán jamas mis ojos a uerle.*] Si morior ſine te, nō me otio, & tranquillitate boni frui uide-bunt, & tui oculi, ſi eos in me dirigis non uidebunt rem, quæ ſit uiſu digna. Ego Domine me contemno, me ipſo ſpolio, me fugio, me abhorreo ut cum in me nihil meum ſit, tu ſis meum eſſe, meum uiuere, mea ſalus, meus Ieſus, tu inquam, ſolus ſis in me omnia.

Iob 7.

Circuncisio Domini.

CVm ſuperius agitur de nomine Ie houa, poteſt etiam dici ſecundum aliorum ſententiam, quòd hoc nomen non pronuntiabatur o Iudæis, niſi tan-tummodo in ſanctuario in die ieiunii ſanctificationis ut tradit Rabi Moyſes Ægyptius, tuncque etiam à ſolo ſum-mo ſacerdote, cum populo benedice-ret. Ineffabile quippe eſſe nomen Ieho ua affirmabant Hebræi. Non quòd iux ta uocem ipſam proferri nequeat ipſū nomen, quandoquidem à ſummo pon tifice pronunciabatur, & æque ut ſcri-ptum eſt, facile poteſt proferri, ſi literę ipſæ cum apicibus ac punctis legātur: ſonat etenim Iehoua. Sed ideo ineffabi le dicitur, quia cum omnia alia Dei no mina ab effectibus deriuata ſint, æqui-uoceque (ut aiunt) ſignificēt, & ad crea turas referantur: At ſacroſanctum Dei nomen, tetragrammaton, Iehoua (cui uel ipſis Hebræis teſtibus deriuatio no ta neſcitur, neque ipſum cum alio par ticipat) uni tantum Dei eſſentiæ, atque ſubſtantiæ ſignificandæ, confabricatū eſt ita quòd nulla creatura cum illo in ſignificatione communicat. Nomen ue rò Dei, El, quod ſeptuaginta interpre-tes Deum: Aquila uerò fortem: Vulga-

tus

tus nonnunquam Deum, nonnunquã fortem interpretati ſunt, & quod nos excelſum dicimus, & robuſtum, & ſufficientem ad omnia perpetranda: aliaq; his ſimilia Dei nomina per collationẽ utique ad creaturas concinnata ſunt, illisque ex parte aliquando tribuũtur. Sunt etenim, (ut inquit Beatus Paulus) qui dicantur Dij, ſiue in cælo, ſiue in terra: ſiquidem ſunt Dij multi, & Domini multi. Quia ergo Deus trinus, & unus, qui omnino ineffabilis eſt, & incomprehenſibilis, per hoc nomen Iehoua ſignificatur. Ideo nomen ipſum, ineffabile eſſe dixerunt. Quoad myſterij igitur ſignificatum, non quo ad uocem, ineffabile eſt: ita namque Diuinã eſſentiam per ſemet exiſtentem ſignificat, ut cum ſimpliciſſima ipſius unitate, & diuinarum perſonarum trinitatem, & ęternam earum diſtinctionem, originem, productionemque inſinuaré dicatur.

1. ad Co. 8

Circunciſio Domini.

ET uocatum eſt nomen eius Ieſus. Ieſus (vt ait Euſebius Cæſarienſis) idem eſt, quod ſalutare Dei. [*Y eſſi quã do al ſoberano Ieſus la exprimieron en la cruz, por la boca echaua perdon de peccador,*] per oculos profundebat lachrymas, per manus uero, ac pedes, & per latus effundebat ſanguinem, quo ſanctiſſimis ſacramentis ad ſalutem animarum uirtutem tribuit, denique per omnes partes ab eo ſalus, & remediũ exibat. Alius autem interpres inquit, pro ſalutare Dei, transferri poſſe, Deus de Deo, hoc eſt, hic, qui ſalutem dedit mundo, æterni patris filius eſt, & Deus, ſicut ipſe pater, qui ad hoc fuit miſſus à patre. Et pro iſto Saluatore ſuſpiria mittebant antiqui patres uehementiſſima cordium ſuorum afflictione, ut ex Prophetarum ſcripturis patet. Atque ita quando Regi Ezechiæ mors nunciata fuit, ipſe ſuſpirans dixit. Non uidebo Deum in terra viuentium. Terram viuentium vocauit ibi terram Iudææ, in quam Deus, humana carne indutus uenit, & pro illo ſuſpirabat ibi dicẽs. Nunquid moriar abſque eo, quòd in hac terra tantũ bonum uideam? Et ſeptuaginta interpretes ſic uertunt. Et dixit. Non iam, non iam, non videbo ſalutare Dei? In qua uerborum repetitione denotatur ingens deſiderium, quo bonus ille Rex hanc cœleſtem ſalutem uidere cupiebat. O magnam confuſionem hominibus huius temporis, qui cum iã hoc ſummum bonum in manibus habeãt, & quotidie illo frui poſſint, tam paruũ ex tanta opportunitate cõmodum eliciunt. [*Exprimioſe por nueſtra ſalud en la cruz, y tenemos los diuinos ſacramentos como eſtan ques llenbs de gracia, y ſanctificacion, que mano de aquella precioſiſſima fuente y por nueſtra floxedad, y tibieza no nos lauamos, y bañamos en ellos, y anſi andamos tan immundos, como ſi no tuuieſſemo remedio para lauarnos.*] O peruerſi peccatores utinam ſciretis, quantum malum ſit, uos eſſe in peccato. Notate, obſecro Beatum Ioannem in Apocalypſi dicere, quòd agnus iratus erit contra peccatores, & ipſi mõtibus dicent. Cadite ſuper nos, & abſcondite nos ab ira agni. Et Propheta Hieremias ait. Facta eſt terra in deſolationem à facie iræ columbæ. Vbi ſignificatur, quantũ ſcelus, & flagitium ſit peccatorum, & quam digni ſupplicio ſunt: ſi quidem ille, qui agnus, & columba eſt, aduerſus eos iram habet, hoc eſt, ille, qui infinitæ clementiæ, & pietatis eſt, ira in peccatores excandeſcit.

Iſa. 38. *Apoc. 6.* *Hiere. 25.*

Circunciſio Domini.

QVæritur quando circunciſio data fuit in ſignum, cur nõ fuit in parte manifeſtiori præcepta? Reſpondetur id fuiſſe, ut hinc colligamus, iuſtificationes noſtras, quo ſecretiores exiſtũt, eo tutiores eſſe, Deoque magis acceptas, & maiori in pretio habitas. Vult enim

B. Hiero. in quadã epi. de vera circunciſione. Tom. 4.

enim Deus,ut,cum ipſe ſolus ſit bono
rum operum retributor,propter ſe tan
Magiſter tum ſiant,& non propter homines. Ve
li.4.diſt.1. runtamen mutilum erat medicamen il
lud antiquæ legis, eo quòd tantum ui-
ris,non mulieribus ſalutem dabat. Sal
uabantur autem puellæ fide parentum
vti Magiſter aſſerit. At baptiſmus ſa-
cer uniuerſalis medela eſt, utrumque
ſexum amplectens,& omnes filios Dei
conſtituit, Apoſtolo ſic conteſtante:
Quotquot baptizati eſtis,Chriſtum in
Ad Gal.3. duiſt is.Quod perinde eſt,ac ſi dicat,tã
efficax eſt ſacramẽtum hoc, ut qui ſan
cti baptiſmatis vnda abluitur, Chriſti
Ieſu meritis participet: & ſicut quon-
dam Iacob ueſte fratris ſui indutus, à
patre benedictionem accepit, ita qui
baptizatus fuerit, niſi obicem ponat,
Gen.27. gratia Saluatoris coopertus euadit: &
ita decorus & ſpecioſus efficitur corã
patre cæleſti,vt voce alacri clamet:Ec
ce odor filii mei, ſicut odor agri pleni.
O quam plena omnium chariſmatum
donis anima noſtra ex illo ſacro fonte
4.Reg.5. exit.Lepra Naaman in Iordane diſpa-
ruit, & adeo mundus factus eſt, poſt-
quam,iubente Eliſeo,ille ſe lauit,ut ca
ro eius refloruerit tanquam caro pue-
ri.Quæ omnia ſacri baptiſmi figuram
adumbrabant.Tandem aſſerẽdum eſt,
baptizatos ne dum gratiam accipere,
Ad Tit.3. ſed uirtutum copiam.Ideo Beatus Pau
lus ad Titum ait:ſaluos nos fecit per la
uacrum regenerationis, & renouatio-
nis Spiritus ſancti,quem effudit in nos
abunde. Gloſſa, id eſt,ad remiſſionem
peccatorum & copiam uirtutum, de
B. Tho. 3. p.q.69.artic.4. quo eſt uidere Beatum Thomam.Sum
mopere etiam notandum eſt, quod ba
ptiſmus adeo euacuauit circunciſionẽ
illam carnis, vt incunctanter Apoſto-
lus dicat.Si circuncidamini,nihil Chri
ſtus profuit uobis.Mira res, quæ antea
ſalubris erat,& originale peccatum de
lebat,nũc facta eſt lethalis, & nociua,
poſtquàm ſacroſanctum Euangelium
clareſcere cœpit,& per Apoſtolos ubi-
Ad Ro. 4. que terrarum illuxit. Sanè circunciſio
illa ſignaculum fidei erat populo Dei,
Apoſtolo teſte, & ob id præparatoria
fuit ad ſanctum baptiſmum. Veniente
autem luce,umbra effugata eſt: Immo
omnia illis in figura contingebant. Iã *1.ad Co.10.*
igitur ueritas,& gratia per Ieſum Chri
ſtum facta eſt. Quandoquidem uti in
illa circunciſione auferebatur pellicu-
la illa carnis,ſic per baptiſmum expo-
liatur homo à carnali conuerſatio-
ne, ut perquam docte docet Beatus *B. Tho. 3.*
Thomas. *par. q.70. art.1.*

Quod uero cultro lapideo fiebat ex
Domini inſtituto factũ eſt,quamuis Se
phora uxor Moyſi acutiſſima petra fi-
lium ſuum circunciderit, nam Domi- *Exo 4.*
nus Ioſue dixit,Fac tibi cultellos lapi- *Ioſ.5.*
deos,& circuncide filios Iſrael. In quo
facto id ſacramenti latebat, circunci-
ſionem ſpiritualem ſcilicet faciendam
eſſe per Ieſum Chriſtum Saluatorem *1. ad Cor. 12.*
noſtrum.Quippe qui merito ab Apo-
ſtolo petra vocatur. Itaque Saluator
abſtulit circũciſionem carnalem,& in-
uexit nobis alteram ſpiritualem. Quæ
profecto etiam populum illum coar-
ctabat. De hac ſpirituali circunciſio-
ne, uel ſuccincto ſermone nonnulla
dicamus. Etenim Hebræis, nec non &
nobis Chriſtianis datum eſt mandatũ
illud. Circuncidite præputium cordis
veſtri, neque induretis ultra ceruices
ueſtras. En ſpiritalis circunciſio à Do-
mino præcipitur, quam niſi quis ſerua
uerit, ſine dubio peribit.Eodem quidẽ
pertinet oraculum Hieremiæ dicentis.
Circũcidimini Domino,&auferte præ
putium cordium ueſtrorum, ne forte
egrediatur,ut ignis indignatio mea, &
ſuccendatur,& non ſit, qui extinguat.
Quis noſtrum audiens comminationes
has, non pertimeſcat? Verumtamen,
præputium cordis praui affectus ſunt a
quos improbi amplexantur ac ſequun-
tur.Ideo eos, qui adhuc praui cordis,
& duri ſunt, incircunciſos corde rectè
appellat ſacra Scriptura in Leuitico,&
in Actis Apoſtolorum. Sed iam, rogo,
beatum Paulum audiamus dicentem;

Cha-

Leuit. 26. *Act.* 7. *Ad Ro.* 2. Chariſſimi, non quæ in manifeſto in carne circunciſio eſt, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo. Quid excellentius, obſecro, aut conmodius dici potuit de ſpiritali circunciſione? Id ipſum *Ad Phi.* 3 ad Philippenſes repetit dicens. Non enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur non in carne, ſed in Chriſto Ieſu, qui, ſcilicet, iuſtificatio noſtra eſt. In quo uidelicet Chriſto, circunciſi eſtis circunciſione non manufacta in expoliatione carnis, ſed in circunciſione Ieſu Chriſti. Agite ergo fratres chariſſimi, ſpoliate ueterẽ hominem cum actibus ſuis, & cordis ſuperflua reſecate. Alioquin nihil uobis ꝓderit baptiſmus, ſicut Hebręis nihil frugis erat circunciſio carnis tantum. An neſcitis quoniam auari, adulteri, molles, fures, & alij huiuſcemodi regnum Dei non poſſidebunt? Proh dolor, quot ſunt poſt baptiſmum tales inter fideles. Verum qui huiuſmodi eſt, gloriari de batiſmate non poteſt. Ecce myſterium abſconditũ in circunciſione Chriſti: ſi quidem ipſe in Euangelio ſanctiſſimo ſuo ſpiritualem à nobis exigit circunciſionem. Quid ſibi uult uerbum illud: Si manus tua, uel pes tuus ſcandalizat te, præſcinde eũ, & proijce abste, inque de oculo Dominũ obnixe præcipere, niſi ut expoliemus ueterem hominem? Rurſus inſectatores iniquos redarguens ait: Quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Ecce ſpiritualem circuncíſionem docet in his omniaus diuinus Saluator: Atqui circunciſio illa carnis nõ abſque nimio fiebat dolore: & ad eandem imaginem ſpiritualis circunciſio, & affectum noſtrum inciſio ſine cruciatu fieri nequit. Mirabile dictu fratres, Hebræorum nemo terram promiſſam lacte, & melle manantem *Ioſ.* 5. adijt, niſi circunciſus: ita orthodorum nullus cœlorum regnum planè intrabit qui incircunciſus fuerit corde.

CLAVSVRA.

D. Ambr. ſup. Luc. 1. BEATVS Ambr. ſuper illa uerba: Et ingreſſus Angelus ad eam, ait. Diſce uirginem moribus diſce uirginem uerecundia, diſce uirginem oraculo, diſce myſterio. Trepidare uirginum eſt: & ad omnes uiri ingreſſus pauere, omnes uiri affatus uereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris, ſola in penetralibus, quam nemo uirorum uideret ſolus Angelus reperiret: ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo de genere deprauaretur affatu ab Angelo ſalutatur.

Ex hac cœleſti doctrina ſequitur, nõ bene ſe compati uirginitatem cum publicitate, aut cum diſſelutione. Et licet omnibus clauſura ſit neceſſaria, multo tamen magis uirginibus conuenit. Quapropter ſponſa in Canticis *Cant.* 1. ſpõſum ſic deprecabatur. Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne uagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Obſecro ſponſe mi, doceas certum locum, vbi te inueniam, ne uagari cogar interrogans quempiam ubi ſis: nõ enim uirgini bene conuenit, decetve curſitare, aut uagabũdam incedere. Vbi litera Hebræa habet. Ne cooperta ſim circa gregem ſodalium tuorum, ideſt, ut non appareã ſicut cooperta circa illos, hoc eſt, [*porque no parezca muger con reboço a tus compañeros los paſtores.*] Apud Hebræos ſolebant meretrices facie uelata incedere, quas ubi primũ ſic uelantes faciem Hebræi cõſpiciebant, ſtatim

ſtatim meretrices eſſe putabant. Ita cõ tigit Iudæ filio Iacob cum Thamar, q̃ (ut ait ſacer textus) cum uidit Iudas ſu ſpicatus eſt eſſe meretricem, operuerat enim uultum ſuum, ne cognoſceretur. Vnde apparet, quòd ubi in noſtro textu habetur, uagari, in Hebræa litera legitur, Meretricem apparere. Maxima profectò hæc ponderatio eſt, in qua ſignificatur, quod ex nimia uagatione oritur, ut mulier tandem meretrix fiat. *Gen. 38.* *Exo. 11.*

Cum Dominus uoluit populum Iſraeliticum ab Ægyptiaca ſeruitute educere ſic ad Moyſem loquutus eſt. Dices omni plebi, ut poſtulet uir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua uaſa argentea, & aurea. Cum Dominus iuber, ut mulieres à uicinis ſuis peterent uaſa aurea inſinuatur aperte (ut perpendit Liranus) mulieres uon debere aliquem uirum cognoſcere, nec ab aliquo, præter quam à uicinis ſuis cognoſci. Quapropter aliquo modo lex Ægyptiorum laude digna fuiſſe uidetur, quæ præcipiebat, ut omnes fœminæ excalciatæ ac nudis pedibus incenderent. Intentio autem legis, ut ait Plutarchus, ea fuit ut uidelicet cum ſe excalciatas uiderent pudore, & uerecundia afficeren tur extra domũ exire, & per uiros curſitare; atque ita non exeuntes nec uiderent, nec uiderentur. O utinam hac lege hodie mulieres uterentur, quamuis earum pedes offenſionibus lapidũ ſanguine cooperirentur. Minus profectò hoc malum eſſet, quam damna, & inconuenientia, quæ ex earum greſſibus, & uagationibus oriri ſolet. Vnde quòd in Canticis dicitur de ſponſa; Hortus concluſus, fons ſignatus, ad curam ſui, & uigilantiam referendum eſt, qua uidelicet pij omnes ſolerter inuigilãt ad cordis ſui cuſtodiam, dum & ſenſuum, & linguæ ſuæ aditus diligẽter obſtruũt, & omnes etiam otioſas cogitationes manu diſcretionis, & ſolicitudinis abigunt, ut hortus animæ ſuæ, ubi cœleſtis ſponſus paſcitur, & fons, unde bibit, nullò terrenarum cogitationum cæno turbidus, ſed purus ſemper, & ſerenus exiſtat, ut adimpleat, quòd Beatus Paulus ad Corinth. ſcribens admonet, dicens. Secundum aliam tranſlationem. Glorificare, & portare Deum in corpore ueſtro, & in ſpiritu ueſtro, quæ Dei ſunt: ut uidelicet & integer ſpiritus, & corpus, & anima inueniatur. Contra uero faciunt illi, qui cordis, & ſenſuum ianuas omnes apertas habent, quibus animam ſuam non ut hortum concluſum, aut ſignatum fontem, ſed ut fœdiſſimam ſintinam intra ſe gerunt, in quã omnes impurarum cogitationum ſpurcitiæ confluunt. *Liranus.* *Plutarc.* *Cant. 4. c.* *1. ad Co. 6.*

Quam uero neceſſaria, ſit cuſtodia oculorum, declarat Beatus Auguſtinus in lib. confeſſionum, ubi narrat, Alipium familiarem amicum ſuum, qui ludorum Scitcientium ſpectacula deteſtabatur, ab amicis quibuſdam multa ui precum eo ductũ fuiſſe, quibus tamen ille corpore tantum ſe illic affuturum prædixit, mente uero abſentiſſimum. Aſtitit ergo ibi clauſis oculis quos tamen ad nouum quendam populi clamorem aperiens ita ludorum eorum ſpectandorũ amore captus fuit, ut alius inde egreſſus fuerit, quam intrauit. Tantum aliquàndo uidendi ſenſus animæ nocet. Vnde quam utilis, & neceſſaria ſit clauſura manifeſte apparet. In ſacris literis commune, & immundum idem ſunt, ut patet, cũ Beatus Petrus, dixit. Nunquam manducaui omne commune, & immundũ. Cur hoc? Nimirum, quia paucorum eſt uera, & germana uirtus; uitia autem communia ſunt. Quare nihil mirum, ſi quod immundum eſt, commune dicatur? Quiſquis igitur mundus eſſe deſiderat communes hominum mores fugiat, & paucorum uirtutem æmuletur, & ſuſpectum ſibi ſit, quidquid multorum commune eſt, & quidquid hominum uulgus probare ſolet, ad quod ſupra modum clauſura conducit. *B. Aug. li. confeſſ.*

Beatus Anſelmus inquit. Humana natura tam facilè per uitia, quàm per planum profunditur aqua, ſic ergo a- *B. Anſel. li. de ſimilitudinibus*

p.112. Simile. gere debet, qui eam reſtringere appetit, uelut qui aquam currentem retinere contendit. Sicut enim ille, qui aquam concludit in ſtagnum, atq; coercet: ſic iſte naturam humanam uagam infra regulam aliquam cohibere debet. Vt quæ ille procurat, ne qua parte dirumpatur ſtagnum qua effluat aqua: Ita & iuſtum præuidere condecet, ne ſuam in aliquo uiolet regulam, quo ad peccatum proruat. Sic enim reſtringi carnis appetitus poſſunt: quod eſt, quandam facere pacem inter ipſam carnem & ſpiritum; quam quidem pacem nemo melius habere poterit, quam qui diſtrictioni ordinis monaſtici ſemetipſum ſubiugare ſtuduerit. Ipſa enim eſt quaſi quædam clauſura, uel ſtagnum uiuarij: quoniam quidem ſicut piſces decurrente aqua uiuarii moriuntur, ſi clauſuræ ipſius minutatim, ac ſæpe crepent, nec reficiuntur: ita omnis religio monaſtici ordinis funditus perit, ſi cuſtodia eius per modicarum contemptum culparum paulatim à feruore tepeſcit.

Clauſura ſenſuum.

IN uitis Sanctorum legimus pium quendam ſacerdotem oculis captum ad cuiuſdam ſancti tumulum multis precibus contendiſſe, ut illi uidendi facultatem reſtitueret. Quod cum impetraſſet, miſſamque de more celebraſſet, ubi poſtea uidendi periculum expertus eſſet ſaluti magis animæ, quam corporis, & interno magis lumine, quã externo proſpiciens ab eodem ſancto priſtinæ cæcitatis remedium petijt, & impetrauit. Cæterum de multis infidelium regibus legitur, pulchras mulieres videre noluiſſe ne earum pulchritudine capti aliquid ſe regia maieſtate indignum committerent. Quod ſi hac erant animi continentia prædici uiri nulla diuinarum rerum cognitione imbuti, & ſuorum oculorum ita erant domini: quam erit indignum, ſi Chriſtianis non præſtet fides, quod ethnicis infidelitas præſtitit?

Explicans Beatus Hieronymus uerba illa Oſeæ. Da nobis Domine. Quid dabis eis, inquit, ſi his, quæ Deus pro benedictione donauit male abutamur, &in contrarium, quam ab eo data ſint, conuertantur? Expedit, ut auferantur à nobis. Denique lingua data eſt ad laudandum Dominum Deum, & quæ bona ſunt eloquenda, ſi quis ea abutatur in blaſphemiam, aut in periurium, aut in mendacium, aut in murmurationé, contra hunc regius uates ſic dominum deprecatur. Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione. Et in alio loco. Diſperdat Dominus uniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. *B. Hieron. ſup. Oſe. li. 2. c. 9.* *Pſal. 30.* *Pſal. 11.*

Si magnus ille Philoſophus Democritus, cuius eximias laudes, & encomia in ſuis Tuſculanis quæſtionibus Tullius proſequitur, ſibi oculos eruit, ne carnis concupiſcentia tentaretur, cum tamen ille gentilis, ac barbarus eſſet. Quantam, quæſo, adhibere debet diligentiam uir Chriſtianus, ad præſcindendas omnes omnino occaſiones peccandi, & diuinam maieſtatem offendendi? *Pli. li. 14.*

COGITATIO.

Pſal. 93. DEVS ſcit cogitationes hominum, quoniā uanę ſunt, inquit regius Propheta. Vanæ ſunt, quia non ſunt intendentes hominis finem, id eſt *B. Tho. 1. p. q. 57. artic. 4. in copore.* beatitudinem B. Thomas eleganter docet, cogitationes, prout ſunt in intellectu, & affectiones, prout ſunt in uoluntate à ſolo Deo cognoſci, quia illi ſoli ſubiacet uoluntas rationalis creaturæ. Angeli autem cogitationes hominum in ſuis effectibus cognoſcunt, non tamen exiſtentes in ſe ipſis, quia quæ ſũt *1. ad Co. 2.* hominis nemo nouit (ut ait B. Paulus) *Hiere. 17.* uiſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Et ſanctus Hieremias inquit. Prauum eſt cor hominis, (hoc eſt, inuolutum, & inſcrutabile) & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probās renes. Quia Deus ſolus operatur in uoluntate hominis, & ideo illi ſoli ab ſolutè cognita. Verum eſt tamē animam Chriſti Redemptoris noſtri in verbo *B. Tho. 3. p. q. 10. artic. 2.* (vt ait ipſemet Doctor Sanctus) cognoſcere omnia exiſtentia ſecūdum quodcunque tempus, etiam hominum cogi*Ioan. 2.*tationes: ideoque de illo Beatus Ioannes ait. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine: quod poteſt intelligi non ſolum quantum ad ſcientiam diuinam, ſed etiam quantum ad ſcientiam eius beatiſſimæ animæ, quam habet in uerbo. Qund autem Chriſti Ieſu anima in uerbo uideat hominum cogitationes patet euidenter: nam cum ſit omnium actuum humanorum iudex inquantum homo, & iudicaturus ſit hominum cogitationes, neceſſario illas ſcire debet. Time ergo ô homo, cogitationes immundas in corde tuo retinere cum certiſſimè credas illas Deo parere, & Chriſto iudici.

Cogitatio praua.

SEnſus, & cogitatio hominis proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua dicitur in libro Geneſis. *Gen. 8. c.* In primis enim parentibus corrupta fuit, & infecta natura, nec in poſteris emendata. Albertus magnus ait. *Albertus Mag. trac. 2. lib. 2. de cauſa propriet. element. c. 2.* Si ſupra fauillam candelæ extinctæ, non tamen ſic omnino mortificatæ quin illi aliquis ignis remaneat, ſuper infundatur uel tenuis puluis ſulphuris, candela iterum accéditur. Sic quantumcumque homo in ſe flammas uoluptatis extinxerit, ſemper tamen igniculus manet, hoc eſt, fomes carnalis concupiſcentiæ quę dum uiuimus, extingui omnino non poteſt. Quare ſummopere cauendum eſt, ne ſuper talem ſcintillulā uel tenuis quidem ſulphuris puluis proiiciatur, ne iterum maiores flammas erumpat. Sulphur quidem calidus eſt, fætidus, & tenax, luxuriamque deſignat, puluis nerò tenuis, & modicus cogitatio moroſa eſt, quæ non ſolum reaccendit extinctam ſcintillam, uerum etiam fouet atque nutrit, ut tali incendio tota flagret domus, & fęteat. Quia autem, ut B. Gregorius inquit, *B. Greg. 2. Moral. 5.* ſæpe mens ita in culpa recordatione concutitur, ut ad perpetrationem illius longe grauius, quam prius capta fuerat, urgeatur, ideo Dominus in Deutero. ait. *Deute. 15.* Caue ne ſubrepat tibi impia cogitatio: ſolet enim latrunculus paruulus per anguſtum intrare, ut maioribus latronibus fera s aperiat. Sic Diabolus reneras, ac paruulas cogitationes immittit, *Simile.* quæ ſi per ignauiam creſcere relinquantur tradunt homines ad maiorum conſenſum. Sextus Iulius ait. Caius Pompeius, cum in feſtos haberet Trecenſes, & uereretur, ne præſidium reciperent, petiit ab eis, ut ægros interim apud

ſe reſici paterentur, fortiſſimis deinde habitu languentium miſſis, ciuitatem occupauit. Sic Dæmon perpendens uiros ſanctos ſuggeſtiones in opere non admittere, debiles, & quaſi languentes cogitationes immittit, quaſi præ teneritudine noxiæ eſſe non poſſint: cum tamen poſtea ſocordia creſcant, & in fortiſſimas euadant, ita ut animam ad conſenſum trahant, arcemque mentis expugnatam diruant. Quare ſtatim detur banda eſt uoluptuoſa, atque illecebra cogitatio, ne cum ſit moroſa cordis arcanum inficiat. Vnde Propheta Hieremias dicit. Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Vbi Beatus Gregorius inquit. Non reprehendit cur ueniant, ſed cur morabuntur: etenim in bona corda cogitationes illicitæ ueniunt, ſed morari prohibentur, ſtulti tamen eas abigere neſciunt. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur. Præcordia fatui qua ſi rota carri, & quaſi axis uerſatilis cogitatus illius. Rem quippe millies cogitat, eodemque reuoluitur, ubi affectus eius alicubi hæret, ut qui ſe inde explicare, ſibique imperare, & certum aliquid ſtatuere neſciat. Hanc autem cordis uolubilitatem, par linguæ uolubilitas comitari ſolet.

Hiere. 4.
B. Greg. li. 17. mora.
Eccl. 33.

Cogitatio praua.

Beatus Gregorius in Moralib. ait. Id quod eſt radix arbori, eſt unicuique ſua cogitatio. Occultatur quidem radix humi, ſed extra poſtea in uirgultis procedit. Sic cogitatio hominis ſub terra corporis deliteſcit, ac poſtea in opere ſeipſam palam facit. Sicut ergo areſcente radice, & planta aret, atque deficit: ſic cogitationibus pijs deficientibus, etiam religioſa opera exſiccantur. Ideo ait Sanctus Pontifex. Omnis iniquus prius in cogitationibus areſcit, & poſtea in bonis actibus deficit, quique fructuoſam uult generare mentem, curet, ne in cogitationibus areſcat. Sicut qui fructiferam arborem cupit, radices humectare non deſinit, nè ſiccitate deficiant, & præcipue fimus, & ſanguis humanus maximè conducunt, ne areſiat radix. Sic cogitatio mortis, & ſanguinis à Chriſto Ieſu effuſi, tanquam ros quidam matutinus utiliſſimè ſimul, & fæcundiſſimè radices animæ madefaciunt, & fæcundant.

B. Greg. in moral.
B. Gre. 12. mor. c. 22.
Simile.

Et B. Macharius loquens de eiſdem cogitationibus ait. Veluti ſi fuerit hortus arboribus fructiferis, & alijs bene olentibus plantis conſitus, & per omnia bene excultus, & exornatus, qui etiam ſit munitus exiguo pariete proſepio, & uallo, iuxta quem contingat flumen rapidum tranſcurrere, licet aqua modica illidat parieti, corrumpit fundamentum, & paulatim illud diſſoluit, & ingrediens effringit, & extirpat omnes plantas, uniuerſam culturam delet & fructibus ferendis inutilem reddit. Ita ſe habet cor hominis, quod non caret cogitationibus honeſtis, at inſtant cordi perpetuo uitiorum fluuij uolentes illud diruere, & ſibi uēdicare: itaque ſi leuis paululum fuerit animus & labatur in cogitationes impuras, & in ſpiritus erroris, pabulū acceperunt & ingreſſi euerterunt, quæ illic ſplendebant, deletisque probis cogitationibus animam deſertam reddiderunt. Et B. Auguſtinus de honeſtate mulierum ait Quomodo ſi aliquis carbones apprehenderit, cito eos proiecerit, nihil ei nocebunt, ſi uero diutius tenere uoluerit, ſine uulnere abire non poterit. Ita & qui ad concupiſcendum oculum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde ſuſpiciens, morari in corde permiſerit, excutere à ſe ſine animæ plaga non poterit. Ideo iugiter clamamus cum Propheta. Oculi mei ſemper ad Dominum.

B. Macha. homil. 34.
Simile.
B. Aug. de hon. mulierum 5. c.
Simile.
Pſal. 24.

Cogitatio praua.

Cæſarius homil. 3. CÆſarius Arelatenſis loquens de fugiendis cogitationibus turpibus inquit. Quod luxurioſas cogitationes non debeamus in corde ſuſcipere, euidentibus exemplis poſſumus approbare. *Simile.* Attendite, quomodo ſi aliquis in ueſtimentis noſtris flegmata, uel ſputa proiiciat ita nobis horrēdum faciunt, ut nec oculis aſpicere, nec ſummis ſaltem digitis uelimus attingere. Et ſi nobis ſputa, quæ ſine peccato in ueſtimētis noſtris proijciuntur, horrorem faciunt; putas cogitationes libidinoſæ, quas animabus noſtris Diabolus ingerit, qualem horrorem Deo faciunt, & ſputa, vel flegmata. Sic per horreſcimus, quæ utique inuiti excipimus: quāto magis cogitationes ſordidas, quas cum noſtra uoluntate in corde noſtro moras habere permittimus, opus eſt, vt cum Dei adiutorio celerius reſpuamus? Eſt & aliud, unde hoc, quod diximus probare poſſimus. Qui cum in arca, ubi ſunt ueſtimenta noſtra qualem cunque ſcintillam ignis nolumus intrare, per iniquas tamen cogitationes intus in arca conſcientiæ noſtrę flammas iracundiæ non ſolum intrare permittimus, ſed etiam falſis ſuſpitionibus ad maius incendium prouocamus. Quam ergo excuſationem apud Deum habere poterimus, qui plus amamus ueſtem noſtram, quam animam noſtram?

Cogitationis otioſitas.

INgens malum eſt otioſitas ſpiritualis, quæ ſic definiri poteſt. Eſt quædā relaxatio intellectus, quando ipſemet intelleſtus ſolutus remanet. *Simile.* Sicut nauis, quæ ſine anchora eſt in portu, & minima quaque orta tempeſtate, ſeu paruis uentorum flatibus frangitur ac diſſipatur. Sic intellectus, qui alicui ſanctæ cogitationi ueluti anchoræ nō eſt alligatus, minima quaque oblata occaſione deperditur. Noſter intellectus eſt uelut molinum, in quod ſi triticum ad molendum mittatur, farinam triticeā ex ſe mittendo præbet: ſi hordeum, farinam hordeaceam; ſi denique granum ſigilinum mittatur, farinam præbet ſigilinam. Sic noſter intellectus [*conforme a lo que le days, que pienſe eſſo echa a la voluntad para que ſe afficione a ello.*] Dicite ergo mihi, ſi molinum res intellectualis eſſet, quæ cognitionem ad diſcernendum, & eligendum id, quod moliturus eſſet, haberet; nunquid hordeū moleret, cum poſſet molere triticum? Minimè profecto. Cum tu igitur frater poſſis intellectum ſanctis cogitationibus occupare, quare illum turpibus, ac prauis cogitationibus impendis? Sententia eſt Gabrielis, Dæmonē non poſſe cogere uoluntatem ad malam cogitationē, etſi anima eſt occupata in ſancta cogitatione in ſua poteſtate eſſe, ꝑ illo tunc non recipere aliam cogitationem, & ſic non poſſe Dæmonem tunc peſſimam cogitationem in anima ſtatuere, quia non poteſt anima ſimul diuerſas cogitationes habere. *Gab. lib. 2. diſ. 8. q. 2.* Hinc eſt, quod poteſt uoluntas præcipere intellectui, ut ſe in bona cogitatione occupet, & eam apud ſe retineat eo tempore, quod ipſa uoluerit, in cuius temporis ſpatio non poteſt ibi Dæmon malā cogitationem imponere. Quando igitur, frater, uoluerit diabolus te prauis imaginationibus inquietum reddere, terga ei uerte ipſumque parui facito, & res ſanctas cogita, ac ſic ipſe tędio affectus te relinquet. *Simile.* Cum per uicum incedis, & tibi canis latrat, ſi ad ipſum te conuertis, & indignaris, nunquam latrare & te perſequi deſinit: at ſi illum relinquis, & contemnis, ultraque progrederis, ſtatim te relinquit, & in domum ſuam reuertitur. In hunc modum ſi diabolum relinquis, eum contemnendo, ipſe etiam te relinquet. Animaduerte ergo frater hæc omnia, quę tibi maximè conducunt, ne in peccatum pro-

labaris. Sicut enim uermiculi ſerici in ſuo principio ſunt ueluti minutiſſima grana, quæ mulieres pectoribus ſuis recondunt, & ipſa granicula calore concepto fiunt uermiculi: ſic prauas cogitationes, quantumcunque initio minime uideantur, declinare, & auertere oportet: ſunt enim ueluti ſemina, quæ cordibus noſtris adhibita, & admiſſa, calore concupiſcentiæ, & conſenſu uoluntatis poſſunt fieri uermes, qui animas noſtras deſtruant, & funditus corrodant. Quapropter in Prouerbiis dicitur. Abominatio Domini, cogitationes malæ. Vnde Propheta Ezechiel ait. Qui quieſcit, quieſcat, ideſt, qui quieſcit à malo opere, quieſcat à mala cogitatione: alioquin dicet de illo. Viderunt eã hoſtes, & deriſerũt ſabbatha eius, quia quieuit ab opere malo, & non quieuit à cogitatione peſſima. Illud aũt in hoc loco, cum de cogitationibus agimus, prætermittendum non eſt, quod uita noſtra ſcala quędam eſt in excelſo loco conſtituta, cuius primus gradus cogitatio eſt, ultimus uero opus: in medio autem ſunt multi alii gradus conſiderationis, & deliberationis. Vt autem homo facile caderet ſi uellet à primo ad ultimum abſque mediis peruenire: ſic qui primam cogitationem ſtatim exequitur abſq; deliberatione, quæ affert utilem curam cogitandi, nec conſiderat, offendat necne Deum, aut proximum, nec aſpicit rerum humanarumt exitum, & mundi uarietatẽ, facilè ruit & præceps in exitium cadit. Oportet ergo deliberationum gradus prius attingere, & per eos firmiter incedere, ut in ultimo, & altiſſimo gradu tranquilli maneamus.

Prou. 15. *Ezec. 3.* *Thren. 1.* *Simile.*

Cogitatio inutilis.

Mich. 2.

VÆ qui cogitatis inutile: inquit Propheta Michæas. Volens uates ſanctus ſcelera Hebræorum, quibus cõtra proximos peccabant narrare, ita in principio exorditur uoce quadam ualde lamentabili dicendo. Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus ueſtris: quaſi dicat: uehementer ò uiri, doleo uicem ueſtram, qui cogitatis uana, malaque operamini. Eſt. n. hęc particula, ualde, indicans affectum hominis condolentis de miſeria alterius. Sic Chriſtus Dominus apud Matthæum dicebat. Væ mundo à ſcandalis, ideſt, væ hominibus habitantibus in mundo, in quo tam plurima offendicula reperiuntur: hanc particulã, uæ, in ſcripturis interitum æternum nominare annotat B. Hieron. in 2. commen. Amos ubi inquit; vę, pœnarum ultimũ eſſe. Et B. Greg. in quadam homilia annotat de iuſtis nunquam dici uæ, ſed de impiis, & peſſimis, & ſæpius de æterno luctu, quam de præſenti poteſt intelligi. Cum ergo particula, uæ, ex Sanctorum Patrum ſententia graue comminetur ſupplicium de grauiſſimis criminibus, uidetur eſſe dicenda præcipuè, atque inde colligimus, optimè uerti potuiſſe ex Hebræo; uæ qui cogitatis iniquitatem, nam utrumque uerti poteſt, licet enim friuola, & inutilia cogitare, & in his inutilibus cogitationibus tempus, & mentem occupare malum ſit, uerum quia principium maioris mali eſt uana cogitatio, eis, uæ, dici poteſt, aptius tamen his, qui iniquitatem cogitant. Propheta ergo oſtendere uolens omnia eorum ſtudia, atque opera eſſe corruptiſſima, inde collit, quia eorum mens, atque cogitatio circa iniqua uerſaretur: radicem uitiatam eſſe docet dicendo: Væ qui cogitatis iniquitatem. Hieremias enim mala omnia illis uentura prænunciabat propter malitiam cogitationum ſuarum. Et ſubdit: cogitationes tuæ fecerunt hoc tibi. Vę, inquit Hieremias, uobis Iudæorum cętus, qui & cogitatis malum, & opere conſummatis: & cubilia ad quieſcendnm data ſtupris polluitis: & quidquid iniquitatis nocte tractatis, quaſi differre non liceat, ſtatim ut dies inclaruerit, feſtinatis implere, non conſiderantes,

Mat. 18. *B. Hieron. Prou. 23. & in 2. cõmen.* *B. Gregor. homi. 9. in Ezec.* *Hiere. 4.*

tes, quod aduerſus Dominum eſt manus ueſtra. Non ſolum condemnat malum operari, uerum malum cogitare etiam damnat.

Vnde præclarè à Theologis peccatũ diuiditur in illud, quòd cogitatione ſolum committitur, ore etiam, & opere, ut docet B. Thom. Et deſumpta eſt hæc doctrina ex D. Hiero. ſuper Ezechielẽ aſſerente, tria eſſe generalia delicta, q̃bus genus humanũ ſubiacet: aut enim cogitatione, aut ſermone, aut opere peccamus. Væ igitur, inquit, qui cogitatis iniquitatẽ, & hoc in cubilibus ueſtris. Eſt quippe tunc temporis homo magis ad ſeria cogitandum aptus, cum à ſomno expergefactus, & à ſenſuum exteriorum operationibus uacuus, mens ſiquidem libera relinquitur, ut ſecum cogitet de uitæ ſuæ ratione, diuina meditetur opera, ac contempletur beneficia ſibi à Deo collata mente recolat ſua. Quod regium uatem facere ſolitũ legimus, in Pſalmo, ubi ipſe inquit. Sic memor fui tui ſuper ſtratum meũ, & in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus. At illi è contra faciunt, qui in luce matutina faciunt illud, cum tranquilla ſunt omnia, cũ ante actæ uitæ ſtatum deberent conſiderare, cum ad examen, & ſtateram reuocare geſta ſua omnia tunc inutilia, immo iniqua cogitant, ut opere adimpleant. Merito illis uæ. Quemadmodum qui fluxum aliquem alicuius aquæ diuertere ſtudet, efficit, ne fluat, & prolabatur per locum ſibi minus conuenientem, & diligentiſſimè curat, ut aditum alium labenti aquæ det, nam aliter diutiùs cohibere fluxum illum non poteſt. Ita profectò quicunque noxias ſtudet declinare cogitationes, is operæpretiũ eſt mentem ipſam ad cogitandum prõptiſſimam, & expeditam alio diuertat, nempe ad cogitandum ſanctè, & purè, ne aliter ex prauo cogitationum fluxu, opera noſtra omnia contaminentur.

B. Tho. 1. 2. q. 72. art. 7.

Pſal. 62.

Simile.

Quemadmodum quamuis integrũ ferè nobis non ſit prohibere, ne aduolantes, & reuolantes hirundines domũ noſtram ingrediantur, eſt tamen facilè in poteſtate noſtra, ne ibidem nidificent, ac ſibi nidos conſtituant: ſic profectò licet minus uideamur poſſe cogitationum influxum, & refluxum declinare, depellereq́ue à mente: at certè ne quæ prauæ ſunt, & ex inani gloria conſtant in nobis nidificent, ac moram trahant, id quidem perfacile poſſumus curare, atque debemus.

Simile.

COGNITIO DEI
per creaturas.

Sap. 13.

A Magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator eorũ uideri: dicitur in libro Sapientiæ. Licet uerum ſit, quòd per cognitionem creaturarum homines in cognitionem creatoris deuenire poſſunt non tamen omnes hanc ſciunt ex creaturis utilitatem educere. Habet puer aliquis in manibus librum, in quo multæ imagines, & illuminationes depictę plurimæq́ue profundiſſimæ ſententiæ ſcriptæ ſunt, infans autem folia illius libri uertit, & euoluit, atque imagines illas, & illuminationes uidere delectatur, non tamen aliud commodum ex illis utiliſſimis ſententiis educere ſcit: at ſi prudens aliquis uir eundem librũ præ manibus ſumit, & eadem folia euoluit, grandia in eo addiſcit myſteria. Hoc diſcrimen inter peccatores, & iu-

Simile.

ſtos uerſatur, quod peccatores ex uiſio ne creaturarũ nullũ cõmodũ eliciũt, iu ſti uero magnã utilitatem educunt. Fingite & conſiderate, mundũ hũc eſſe uelut librum, cuius literæ ſunt uariæ, ac diuerſæ creaturæ quas Dominus in eo ſuæ omnipotentiæ manu exarauit. Peccatores delectantur, cum pulchritudinem cælorum, & ſolis, ſtellarum, plantarum, animalium, ac uolucrum aſpiciunt, & tanquam pueri rationis inopes aſpectu harum creaturarũ oblectantur, ſed vlterius conſiderando nõ progrediuntur. At uero pij homines ac prudentes ex pulchritudine, & excellentia creaturarum tanquam ex literis infinitam potentiam, infinitam ſapientiam, infinitam bonitatem, atque infinitam Dei pulchritudinem diſcunt, & cognoſcere contendunt: qua cognitione in diuino eius amore inflammãtur. Quamuis autẽ ex cognitione creaturarum cognitio Dei educatur, multo tamen apertius & excellentius cognitionem hanc homines ex IeſuChriſti filij eius, ac Redẽptoris noſtri cognitione aſſequuntur. In Pſalmo 66. (in quo, vt omnes interpretes fatentur, Sanctus

Pſal. 66. Dauid à Domino poſtulabat, ut unigenitum filium ſuũ mitteret in mundum) ſic inquit regius Propheta. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet uultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Illuminet uultum ſuum ſuper nos, id eſt, diſcooperiat ſuper nos faciem ſuam. Vocat regius Pſaltes Ieſum Chriſtum, in quantum hominẽ, faciem Dei, quia ſicut unuſquiſque per faciem cognoſcitur, ſic Deus nobis in Ieſu Chriſto repræſentatur, & quis eſt clariſſimè, ac perfectiſſimè oſtenditur. Quod quidem adeò uerum eſt, ut per nullam creaturarum, nec per ſe, nec per uniuerſitatem omnium illarum ſimul radij diuinarum conditionum, ac bonorum reluceant, & ad noſtros oculos tranſeant clariores, maioreſue, aut tam abundanter, quam per ſacratiſſimam Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri animam, & ſacratiſſimum eius corpus, ac per omnes ſuas inclinationes, dicta & facta cum cæteris omnibus, quæ ad Redemptoris officium pertinent. Sicut *Simile.* enim ſi plurima ſpecula in diuerſis diſtantijs coram pulcherrima facie poneremus, figura ac lineamenta eius clarius, & apertius nobis oſtenderentur in ſpeculo, quod propinquius eſſet. Sic ſanctiſſima illa humanitas Ieſu Chriſti ut erat coniunctiſſima per unionem perſonalem uerbo diuino, in ſe ſplendores eius recipit, & illos uiuacius repræſentat. Vt ergo in magnam Dei cognitionem, & per illam in magnum amorem deueniamus, maximè præſtat cognitio, atque conſideratio humanitatis ſanctiſſimæ, Ad quam etiam cognitionem Dei, ac diuinorum myſteriorum eius maximè conducit conſciẽtiæ puritas, ac recta cordis diſpoſitio, ut apparuit in Prophetis, qui propter bona opera ſua ſe diſponebant, & quia tales erant, Deus illis myſteria ſua reuelabat. Ita certè intelligitur illud Prophetæ Aggæi. Factum eſt uerbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, hoc *Aggæi 1.* eſt, loquitur Deus cum Aggæo, qui talia fecit opera, ut Deus cum eo loqui dignatus fuerit, eiq́ue ſui cognitionẽ, prębere placuerit, eo quòd ille talis & tam bonus erat. Vbi notandum quòd manus ſignificat opus.

Cognitio Dei cauſa eſt amoris ipſius.

ETSI creaturæ uiæ ſint, per quas in Dei optimi maximi cognitionẽ deuenimus; tamen cum ad hanc cognitionem acceſſerimus, oportet, ut ipſas creaturas omittamus, miſſas faciamus, atque illarum obliuiſcamur, ut melius ipſius Dei excellentias contemplemur, & in illis cõplaceamus. Quod *Lact. Fir.* Lactantius Firmianus hac ſimilitudine *lib. 2. c. 2.* docet. Si quis imaginem hominis pere *de origine* grè conſtituti contempletur ſæpius, ut *erroris.* ex ea ſolatium capiat abſenti, num

idem

idem ſanus eſſe uideatur, ſi eo reuerſo, atque præſente in contemplanda ima-
Simile. gine ipſius perſeueret, eaque potius, quã ipſius hominis aſpectu frui uelit? Minimè, pſectò. Etenim hominis imago neceſſaria tunc uidetur, cum procul abeſt, ſuperuacua futura, cum præſto eſt. Dei autem, cuius ſpiritus, ac numẽ ubique diffuſum, abeſſe nunquam poteſt, ſemper utique imago ſuperuacua eſt, poſtquam ſcilicet per cognitionẽ creaturarum ſpiritum erigimus in cognitionem, & cõtemplationem ipſius.

B. Cyrillus Hieroſolymit. catecheſi. 6. Sed dixerit aliquis, ait B. Cyrillus. Si incomprehenſibilis eſt diuina ſubſtantia, cur tu de his diſſeris? Nunquid igitur, quia totum fluuiũ bibere nequeo, id quod mihi commodum eſt, ſub menſura non hauriam? Nunquid cum ſolem oculis comprehendere nequeam,
Simile. etiam lucis illius uſum, quantum ſufficit, non aſpiciam? & ſi in hortum magnum ingreſſus fuero, & omne genus fructuum comedere non potero, uis ne ut inde ieiunus exeam?

B. Epipha. hæreſ. 6. Ioan. 1. c. B. etiam Epiphanius de Dei cognitione tractans ait. Quid igitur dicimus cum Euangelium dicat, Deum neminem uidiſſe unquam: Prophetæ uero, & Apoſtoli id aſſerant uidiſſe? Sed videbant Prophetæ & Apoſtoli, & verum eſt: uidebant autem, prout poterant ipſi, & ſicut licebat, & uiſus eſt ipſis, ſicut licuit. Et quod quidem inuiſibilis ſit Deus, ac incõprehenſibilis, hoc manifeſtum eſt & confeſſum. Sicut enim ſi quis per tenuiſſimum foramen cælum conſpicaretur, & diceret: Video cælum, & ſanè non mentitur talis, uidet enim cælum re uera: dicit autem ad ipſum aliquis, non uidiſti cælum. Et ſanè nec hic mentitur: Qui enim dicit ſe uidiſſe, non mentitur; qui dicit ad ipſum, quòd non uiderit, idem uerè dicit. Neque enim uidet extenſionem, nec latitudinem: & qui quidem uidit, uerum dixit: ſi uero contra dixit, non uidiſſe, non mentius eſt. Sæpe enim,
Simile. & in ſummitate mõtis ſtantes uidemus ipſum mare; & ſi dicamus, nos uidiſſe mare, non mentimur. Si uero quis nobis contradicat, ac dicat; Non uidiſtis, ipſe non mentitur. Vbi enim penetrat latitudinem, ubi longitudinem ubi profunditatem, ubi ſint ſeceſſus profunditatis, ac termini, & affectus, homo ſcire non poteſt. Si ita que creaturarum res ſic ſe habet apud nos, quãto magis id contingit in gratia, quam largitus eſt Prophetis & Apoſtolis? Viderunt igitur, quod eſt re vera, & non viderunt: ſed uiderunt, ſicut natura potuit ferre, & hoc ſecundum gratiam potentiæ, qua potens ille ipſum potentem fecit in omnibus,

Cognitio Dei per opera redemptionis.

OLeum effuſum nomen tuum Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te: inquit ſponſa loquens cum ſponſo in Cãticis. Cant. 1. Deus optimus maximus rebus omnibus à ſe conditis odorem quendam ſuæ altiſſimæ maieſtatis inſeruit, cuius ſenſu illectus animus Dei cupidus Deum ipſum poſſet inueſtigare & cognoſcere. Quidquid enim de Deo, aut cognoſcere, cogitare uè poſſumus, aut eloqui, in duas parte, poſſumus diſtribuere, quarum alteram odorem appellemus, alteram uero ſaporem, & odore quidem nondum poſſumus fieri beati, quamuis ſit odor ipſe ad inueſtigandum, & cognoſcendum ſummum bonum rebus omnibus inſitus. Sapor autem ita in Deo reſidet, & in illius perfecta & abſoluta cognitione; ut hoc potiſſimum cœleſtes mentes beatas efficiat, quòd ſaporem iſtum deguſtanr, Deum conſpicientes, ſicuti eſt, nõ iam illectæ, aut attractæ odore duntaxat, id quod mortalibus cõceſſum eſt. Quidquid ergo in rebus eſt uenuſtum, quidquid ſpecie pulchritudinis nos oblectat, id omne ex odore iſto naſcitur, rebus à Deo conditis inſerto. Itaque

cum ſentimus odorem, conſpecta pulchritudine comprehenſaque cuiuſpiã rei uenuſtate, odore illo excitati, hoc eſt, quadam cognitione Dei, ſaporem quærimus, quem tamen in rebus conditis inuenire non licet, atque hæc una cauſa eſt, propter quam amantes tametſi rebus pulchris, aut ipſa pulchritudinis ſpecie liberè fruantur, nuſquã aut ſibi faciunt ſatis, aut animi cupiditatem explere poſſunt. Nam ad odorẽ diuinæ pulchritudinis, qui in rebus pulchris comperitur, ſaporem quærunt: quos tamen, ſi interroges, quid quærãt? Reſpondebunt ſanè, liberèque fatebuntur, ſe id ignorare. Salomon igitur, præſenti carmine quidquid de Deo, aut ſponſo pius animus aſſequi poteſt, & comprehendere, ſapienter ſatis appellat, odorem olei effuſi quoniam interim quod ſponſa tetro iſto, & caliginoſo carcere detinetur, odore chariſſimi ſponſi ſuſtentatur, & recreatur, potius quam ſapore. Vnde B. Paulus,
1. ad Cor. 13.
quidquid de ſponſo piæ mentes in hac mortali, & fluxa uita habere poſſunt, imperfectum appellat: quoniam hic odore duntaxat ducimur, quouſque in poſſeſſionẽ fœlicitatis, & beatitudinis ingreſſi ſaporem deguſtemus. Cum uenerit (inquit diuinus Apoſtolus) qđ perfectum eſt, euacuabitur, quod eſt ex parte. Nam ſiue de fide ſit ſermo, ſiue de charitate, ſiue de ſpe, quibus uirtutibus tum etiam, & multarum rerum cognitione alimur, & ſuſtentamur in hac uita, omnia ex parte ſunt: hoc eſt, nondum plenè perfecta. Nam eſt in his omnibus odor quidã diuinus, qui euacuabitur, cum acceſſerit tempus deguſtãdi ſaporem. Neque enim beati illi ſpiritus egent odore aliquo ad inueſtigandas ſponſi uirtutes, magnitudinem, præſtantiam, excellentiam, quos ſapor ipſe abũdantiſſimè explet. Sponſa igitur hæc omnia intelligens inquit. Oleum effuſum nomen tuum. Quo loco nomine, olei, quodcunque genus ungenti pretioſiſſimi, & fragrantiſſimi odoris eſt accipiendum. Sed quoniam poteſt unguẽtũ uaſe circũcluſum detineri poteſt etiam & diffundi: ſponſa, quo magis dignitatem, & nomen ſponſi diuinis quibuſdam laudibus celebraret, & amplificaret, inquit, oleum eſt nomen tuum, ſed effuſum: hoc eſt, quod poſſit mortales omnes, & quia odoriferum, tum verò maxime quia diffuſum in tui admirationem, cognitionem, dilectionemq; pertrahere. Nemo, vt credo, qui non ſit ſacrarũ literarum prorſus rudis, odorem in literis ſacris figurato ſermone, & nominis claritatem & ſplendorem ſignificare dubitabit. Vnde B. Paulus: Bonus odor Chriſti ſumus. Et iterum. Odorem 2. ad Cor. 2.
ſuum manifeſtat per nos omni loco. Quare & cum cuiuſpiam famam exploramus, latine odorari nos dicimus: Et bene olere, & male olere eos, qui aut optimo nomine, & præclara fama ſunt, aut qui aduerſo morbo infamiæ laborant. Sponſa proinde quoniam odorem fragrantiſſimum tanquam pretioſum vnguentum ſponſo ſuo tribuebat: quoniam erat ſuapte natura expetibilis, quoniam id non ſatis erat ad alliciendos mortales homines, ad pertrahendas adoleſcentulas, hoc eſt, rudiores mentes in cognitionem, & amorem ſui, præſenti carmine declarat, ſpõſum, & unguentum quidem eſſe, & illius nomen unguentum fragrantiſſimum, non tamen anguſto aliquo uaſe incluſum, ſed diffuſum potius, cuius odor in omnes totius orbis partes penetret. Id vt intelligas homo Chriſtiane aduertito, Deum optimum maximũ, ante conditum orbem unguentum quidem fuiſſe, & præſtantiſſimum, ſed nõdum ſuauiſſimi odoris. Erat quidem Deus, erat ſponſus amabilis, expetibilis, omnes intra ſe complectebatur rationes amoris: erat quidem vnguentum, ſed nondum effuſum. Tum uero cœpit diffundi unguentum hoc, & latiſſime diffundi, cum uniuerſi huius machinam creauit, cum & hominibus, &

an-

angelis, apertius declarauit quantum poſſet is, qui de nihilo tantam rerum uarietatem condidiſſet, quam eſſet eximia ſapientia illius, qui conditis rebus iuxta cuiuſque captum, & naturam, uirtutes, & facultates operandi indidiſſet. Quibus omnibus magnam de Deo, ac celebrem opinionem adoleſcentulæ conceperunt, & apud gentes omnes, quantumuis barbaras, & immanes nomen celebre adeptus eſt ſponſus. Quis enim ad diuinos amores aſpiraret per diuinam cognitionem, ſi unguentum hoc intra ſua uaſa recluſum, nullum de ſe præbuiſſet odorem? Quis ſummã illam pulchritudinem diligeret, ſi non ſpeciem aliquam ſuæ uenuſtatis totius orbis creatione exprimeret? Ergo cum audis Moyſem dicentem: Terra autem erat inanis, & uacua, & ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas, vnguentum audis, ſed nondum effuſum. Cum uero Deum inducit dicentem: Fiat lux, & fiant luminaria, & producat terra herbã uirentem, & faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, audis iam nomen ſponſi inſtar unguenti fragrantiſſimi, ea ratione diffundi, ut adoleſcentulæ, hoc eſt, quæcunq; mortalium mentes nullam patrati criminis poſſint habere excuſationem, ſi ad cognitionem ſponſi, & amoris illius oſcula, atque complexus non connitantur. Magnopere. Congruit huic loco id quod Beatus Paulus ſcripſit. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque uirtus eius, & diuinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Et quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit. Quis obſecro, hæc omnia creauit? Quis præterea ea ita conſeruat, fulcit, gubernat, ac fouet? Nonne cuiuſuis mentis, etiam inertiſſimæ, is odor diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, cognitionem, & amorem poſſit excitare: Huc ſpectat carmen illud Regii uatis Dauid, quo profuſionem etiã huius unguenti, & ſponſi famam, & claritatem celebrat, uel ab ipſa cælorum machina, uenuſtate, ordine atque concentu. Nam poſtquam dixit: Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentũ, ſtatim poſt pauca adiecit. Non ſunt loquelæ, neq; ſermones, quorum non audiantur uoces eorum: hoc eſt. Nulla gens eſt, nulla lingua, quæ non exaudiat uocem illam cælorum, apertum teſtimonium illud diuinæ poteſtatis, ſapientiæque diuinæ. Salomon ergo quaſi cauſam, & rationem reddidit, propter quam adoleſcentulæ, hoc eſt, mẽtes omnes Deũ, & ſponſum & cognoſcere debeant, & diligere: quoniam eius nomen eſt ueluti unguentum effuſum ab ipſa totius orbis creatione. Sed & illud mihi magnopere probatur, quod Chaldæus interpres unguenti iſtam diffuſionem, & nominis diuini claritatem, ad ea tempora accommodandam cenſet, cum diuinis legibus, & inſtitutis Iſraeliticum populum in monte Sina formauit ad pietatem. Nam licet rebus creatis, & totius naturæ opificio omnipotens Deus odorem ſuum, hoc eſt, apertam ſuarum uirtutum notitiam mortalibus cõtulerit; ſed multo magis legum diuinarum inſtitutione claritas Diuini nominis, & huius unguenti diffuſi odor in totum orbem penetrauit. Sed unguentũ hoc nondum prorſus fuerat effuſum, cum & rerum creatione, & diuerſis oraculis, & diuinarum legum inſtitutione priſcos illos, ac ueteres homines alloqueretur ſponſus. Quamuis enim diuina prouidentia ita diſponente, multa, atque magna prophetica luce illi priſci patres cognouerint, illorum tamen nullus unquam uidit Deum, uel Ioannis Euangeliſtæ teſtimonio dicentis. Deum nemo uidit unquam Chriſtus uero, poſtquam noſtram carnem, mortalitatemque aſſumpſit, recondita diuinæ mentis conſilia hominibus patefecit. & quanta eſſet diuina potẽtia, ſapientia, bonitas, uno incarnationis opere mortalibus innotuit: ita vt reli-

qua

Marginal notes: Gene. 1. — Ad Ro. 1. — Pſal. 18. — Ioan. 4.

qua omnia opera, quæ Deus ab initio feciſſet, uetuſtate quodammodo, & ſenio confecta longo antiquitatis receſſu iaceant: unum eſt incarnationis opus, in quo odor huius unguenti diffuſi maximè ſentitur, in quo diuina gloria, diuinaque potentia maximè ſplēduit; adeò ut exorto ſaluatore totius orbis ſancti Angeli, nouo carmine diuinam gloriam celebrarent dicentes; Gloria in excelſis Deo. Neque enim ullum opus aut effecit Deus, aut efficiet unquam, ex quo maiorem conſequatur gloriam. Latius proinde ſe diffudit odor diuinæ ſapientiæ, potentiæ, tū maximè bonitatis, cum pro legis ſeueritate, gratia per Chriſtum exhibita eſt, pro umbris exhibita ueritatis lux, cuius ille non ſolum præceptor, ſed & auctor etiam uenit: exhibita, inquam, nō uni populo tantum, ſed etiam uniuerſo orbi. Ergo partes omnes odoris huius, & profuſionis unguenti ſi probe animo amplectaris tuo, facile ſanè erit Salomonis uerba ſtatim adiecta intelligere. Ideo adoleſcentulæ dilexerūt te, hoc eſt, propter illa, quæ recenſuimus opera, propter odorem, & fragrātiam eorum, quæ à condito orbe in gratiam hominum effeciſti adoleſcentulæ dilexerunt te, hoc eſt, humanæ mentes in tui cognitionem, & amorem excitantur. Nam cū ſit humanus animus præditus uoluntate, & ratione conſequens erit. ut quod ratio interiori contemplatione commodum eſſe oſtendit, uoluntas ſequatur amando. Quemadmodū enim cæteræ res ijs donis, & facultatibus utuntur, quibus ab initio ſummus rerum artifex Deus, eas cummulauit, atque id in ſuum commodum, & utilitatem: multo magis id efficiet homo ſuæ uoluntatis, & rationis compos. Nā quid non amplectitur ignis, & deuorat, utilitatis cauſa, ut ſeſe conſeruet, & foueat? Quid uero plantæ quanta ui cō ueniens ſibi alimentam imis radicibus trahunt? Cum ergo humanus animus inter res conditas præcipuū obtineat locum, fit conueniens ut illud ratione, & appetitu, cognitione, & amore ſectetur, quod ſibi maximè, & utilè, & conſentaneum eſſe cognoſcet. Sed cognoſcit ex opificio rerum, ex diuinarum legum inſtitutione, ex ipſo redemptionis opere, tum etiam ex aliis diuinis operationibus, quæ nobis ſacris ſcripturis reuelantur, Deum ſibi maximè congruentem potentem eſſe, ob idque maximè timendum ſapientem, eiuſque rei gratia conſtantiſſimè per fidem illi adhærendum: bonum, immo optimū, ob eamque rem totis uiribus fragrantiſſimoque amore diligendum. Fit autem nonnunquam, uel adoleſcentularum uitio, prauaque aliqua, aut diutina peccandi cōſuetudine, ut diuini nominis odorē minimè ſentiamus. Quābrem præter ea quæ diximus, excitat Deus nonnunquam adoleſcētulas, hoc eſt, hominum mentes nouo aliquo, & fragranti odore ſuorum operum, ne forſan in nobis marceſcat uis illa cognoſcendi, diligendique, quod nobis commodiſſimum eſt. Hinc fit, vt ſæpè peccatores inuitet, alliciat, blandiatur, & cum hac parum proficit: terreat, impetat, uexet. Vnde ſæpius adoleſcentulæ tantorum beneficiorum recordatione excitatæ, ſponſum uehementer diligunt.

Luc. 2.

Cognitio Dei per creaturas.

QVemadmodum ſi è longinquo cytharam audias ex multis, uariiſq; neruis compoſitam acutis, grauibus, & circumflexis, qui omnes pariter conſonēt, & diſtinctis interuallis ſonos ſuos, meloſque conficiant: intelligis planè, unum eſſe illic pulſatorem peritum, qui fidium uoces ex arte muſicæ ad armoniæ concentum miſceat, & æqualiter temperet, tametſi illum minimè intuearis: ſic ex concordia & cōſona ubique mundi diſpoſitione, ubi nec inferiora contra ſuperiora, neque infirma aduerſus ſublimia eriguntur, cōfeſtim

ad

ad unum Deum animo recurris, omnia hæc ſua uirtute mouentem.

Cognitio ſui ipſius.

Mercur. MErcurius trimagiſter hominem uocat miraculum mundi: Pytagoras menſuram omnium rerum: Plato intellectum diuinum vinctum terrenis uinculis: Proculus denique ipſum appellat perfectionum congregationem. Verum regius Propheta diuino *Pſal. 36.* afflatus ſpiritu nos admonet, & à fraude illorum gentilium eripit dicens. Veruntamen uniuerſa uanitas omnis homo uiuens. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Nolite credere Philoſophis, qui de homine tractantes, quid ipſe ſit definiunt: mihi credite, & uobis perſuadete, quod homo uniuerſa uanitas eſt: *Pſal. 9.* Ideo alibi idem Propheta, ſic ait. Non *B. Hieron.* apponat magnificare ſe homo ſuper terram, aut ſicut Beatus Hieronymus uertit: Non apponat magnificare ſe homo de terra, hoc eſt, cum homo de terra conditus ſit & in terram iterum ſit reducendus, non erigat ſuperbè cogitationes ſuas à terra, quin potius humili conſideratione utilitatem ſuam recognoſcat. Quòd ſi dicas. Solus Adam è terra conditus fuit, nos autem omnes mulierem matrem habemus. Nunquid uiſcera mulieris non ſunt terra? plane *Pſal. 188.* quidem. Atque ita ubi nos legimus quando S. Dauid cum Domino loquēs ait, Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto & ſubſtantia mea in inferioribus terræ, Paraphraſis Chaldaica habet loco pro inferioribus terræ. In uentre matris, inſinuans in hoc uentrem mulieris terram eſſe. Hebræi etiam ſolent mulierem terrã *Hiere. 3.* appellare: atque ita ubi nos apud Hieremiam legimus, Contaminata erit mulier illa, Hebræa litera habet. Contaminata erit terra illa, ſignificans in hoc mulierem uelut terram eſſe. Ergo omnes terra ſumus, & (ſicut regius Propheta ait) non ſolum terra, uerum etiã uniuerſa uanitas. Cauendum eſt ergo, ne ſe homo talem iudicet, qualem aliquando uel oblata aliqua noua, raraque occaſione, uel afflatu aliquo diuino adiutus forte ſe deprehendat. Non enim fluminum magnitudinem ex aqua, quæ à luuione aliqua ſuperuenien- *Simile.* te exundat æſtimare ſolemus, id enim non perpetuum ſed rarum, & inductũ eſt. Quod multi non aduertētes ſeque de illa occaſione metientes, lōgè plus ſibi tribuunt, quam habent. Vnde Bea- *B. Gre. li. 22. moral. cap. 6.* tus Gregorius inquit. Habet hoc humana infirmitas, ut plus intueri ſibi libeat quod ei in ſe placet, quam quod diſplicet. Et ideo B. Auguſtinus de uer- *B. Aug. de verb. Domini & ſuper Matt. ſer. 59.* bis Domini ait. Nihil eſt, quod ſic quiſque cogitare debet, niſi ut in ſemetipſum oculos conuertat, ſe diſcat, ſe diſcutiat, ſe inſpiciat, ſe quærat, ſe inueniat, & quod diſplicet, necet; & quod placet, optet, & amplectetur. Et ſuper Matthæum inquit idem Sanctus Doctor. Magis cogitare debetis, quid uobis deſit, quam quid uobis adſit. Quod habes caue, ne perdas: quod non habes ſupplica, ut habeas. In quantis ſis minor eſt cōſiderandũ, non quãtis ſis maior: Si enim cogitas, quantum præ ceſſiſti alterum, time tumorem: Si uerò cogitas, quantum tibi deeſt, ingemiſcis, curuaris? Si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non labe- *B. Aug. ſuper Pſal.* ris. Et ſuper Pſalmos ait. Hæc tota ſciētia hominis, ſcire quia ipſe nihil eſt per ſe, & quoniã quidquid eſt, ex Deo eſt. & propter Deum eſt.

Cognitio ſui ipſius.

COgnitio ſui ipſius eo præcipue dirigitur, ut homo latentia in corde ſuo uitiorum germina agnoſcat, ut hac cognitione, & humilitatis uirtutē foueat, & ſibi à ſeipſo, & ab ea quæ dormit in ſinu ſuo, hoc eſt, à carne ſua ſolicite caueat. Cuius malitia appoſitiſſima ſimilitudine in Eccleſiaſtico deſignatur, ubi dicitur. Non credas inimi- *Eccleſ. 12.* co tuo in æternum, ſicut enim æramentum

tum eruginat nequitia illius. Inimici autem nomine carnem noſtram intelligit Eccleſiaſticus, quæ inter tres animę noſtræ hoſtes tanto eſt atrocior, quanto familiarior, & uicinior, quam eius malitiam deſcribit, cum illam æramento comparat. Vt enim æs, & ferrũ, niſi tractetur, ſponte ſua ferruginem generat, qua ſeipſum conſumit, ita caro noſtra originis peccato infecta uariarum cupiditatum, & uitiorum ferruginem profert: quo fit, ut etiam ſi ſtrenuus tẽtator, & hoſtis deſit ipſa ſibi ad perniciem noſtram pro tẽtatore ſit. Quid ergo magis miſerendum, quid magis timendum, quam talem intra nos hoſtem circunferre? Quid ergo erit miſer homo, ſi ſuper hæc mala in peccato fuerit? Merito ergo B. Auguſtinus hæc conſiderans in ſuis ſoliloquijs inquit. Væ mihi vulnerauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non ſenſi, quia nihil eram, quia ſine uita eram, quę eſt uerbum, per quod facta ſunt omnia. Ideo Domine lux mea inimici mei de me fecerunt quęcunque uoluerunt; percuſſerunt, nudauerunt, uulnerauerunt, polluerunt, corruperunt, & occiderunt me quia receſſi à te, & factus ſum nihil ſine te. Heu Domine uita mea, qui feciſti me, defenſor uitę meę miſerere mei, & reſuſcita me, ſolatio mea in die tribulationis meæ. Reſpice inimicos meos: ipſi enim conſiderauerunt me, & uidentes me ſine te, deſperauerunt me. Diuiſerunt ſibi ueſtimenta uirtutum, quibus ornaueras me, fecerunt ſibi uiam per me, ſub pedibus ſuis conculcauerunt me, fecibus peccatorum polluerunt templum ſanctum tuum. Ibant poſt eos cæcus, & nudus, & laqueatus funibus peccatorum: trahebant me poſt ſe de luto in lutum. Seruus eram & cęcitatem deſiderabam, uinctus eram, & uincula non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum credebam. Adhęream ergo tibi uerbum, ut conſerues me: quia ubi à te receſſi, perij in me. Et in meditationibus idem ſanctiſſimus Doctor ait. Heu me de quanto bono in quantum malum cecidi? Quo tendebam, & quo deueni? Vbi ſum & ubi non ſum? Ad quem aſpiraui, & nunc in quibus ſuſpiro? Quæſiui bona, & ecce turbatio. Ecce iam morior, & Ieſus non eſt mecum: & ecce melius eſt mihi non eſſe, quam ſine Ieſu eſſe. Melius eſt non uiuere, quam uiuere ſine uita. Et tu Domine Ieſus, ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquę? Nunquid iraſceris mihi in finem? Placare, obſecro, & miſerere mei. Et ſi ego commiſſi, unde me damnare potes; tu non amiſiſti, unde ſaluare ſoles. Quid enim eſt Ieſus, niſi Saluator? Ergo Ieſu per te metipſum exurge in adiutorium mihi, & dic animæ meæ: Salus tua ſum. Multum Domine de tua bonitate præſumo, quoniam tu ipſe doces petere, quærere, & pulſare, & ideo tua oratione admonitus peto, quæro, & pulſo. De cætero tibi ſeruiã, tibi uiuam, tibi me tradam. Scio Domine mi, quia ex hoc, quod me feciſti, debeo tibi me ipſum: & quia redemiſti deberem tibi pluſquam me, ſi haberẽ. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo, tibi dare poſſum ſine te, ſed accipe me tu, & trahe me ad te, ut tuus ſim imitatione, & dilectione, ſicut tuus ſum conditione, & creatione. In aqua turbida, & commota imago faciei tuæ uideri non poteſt, quouſque ipſa aqua quietetur. Sic inquietudo, & perturbatio in corde efficit, ut homo ſeipſum minime cognoſcat, idcirco cordis trãquillitas, & corporis quietudo (quantum unicuique poſſibile in ſuo ſtatu fuerit) maxime neceſſaria eſt, ut homo ſe ipſum agnoſcat, ſuas miſerias frequenter conſiderans, atque animo euoluens. Sancto Prophetæ Iſaiæ Dominus dixit. Clama. At Sancto uiro interroganti. Quid clamabo? Reſponſum fuit. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Audiant potentes, & qui non habent poteſtatem, diuites, & pauperes, magni & parui doctrinam

B. Aug. ſoliloquij. 6.

B. Aug in meditat. c. 38.

Iſa. 40.

hanc adeo uniuerſalem, & neceſſariã, omnes enim comprehendit, & omnibus cõue nit, atque ita omnes uilitaté, atque infir mitatem ſuam conſiderent, & animaduertãt in tam infimum gradum, eos peccatum adduxiſſe, ut fœno comparentur. Ad audiendam autem, & intelligendam attente hanc cæleſtẽ doctrinam maximè conducit corporalis quietudo & receptio, nec non ſenſuum omnium obſeruatio.

Cognitio ſui ipſius.

B. Bernar. BEatus Bernardus in quodam ſermone ait. Orans quidam Sanctus dicebat. Deus nouerim me, nouerim te. Breuis oratio, ſed fidelis. Hæc eſt enim uera philoſophia, & utraque cognitio prorſus neceſſaria ad ſalutem, ex priori ſiquidem timor concipitur, & humilitas, ex poſteriore ſpes, & charitas generatur. Et B. Gregorius in libro Moralium inquit. Iſte in hac uita iuſtorum labor eſt, ut ſemetipſos inueniãt, & inuenientes flendo, & corrigendo ad meliora perducant. Et alibi ait. Ille ueraciter ſe ante ſe ponit, qui ſe in ſuis actibus tanquam alium attendit. Ab hac tã neceſſaria ſui ipſius cognitione aliqui hominum laudibus obcæcati impediuntur. Quod B. Gregorius etiam in Moralibus annotauit dicens. Multa in occulto mala facientes, pro bonis, quæ patenter laudantur, ab occultis malis oculos auertunt, taleſque ſe exiſtimant, quales foris audiunt, non quales intus nouerunt: ideo bona in iudicio numerant dicentes. Domine in nomine tuo prophetauimus.

B. Greg. li. 10. Moral. c. 22. & li. 5. Moral. c. 1.

B. Greg. li. 8. Moral. c. 32.

Cognitio ſui ipſius.

QVID eſt homo, ut immaculatus ſit, & ut iuſtus appareat natus de muliere, ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem? Hęc dixit Eliphaz Themanites. Iob 15. Duobus ex locis augmẽta petit prudens uir, ad extenuandam hominis iuſtitiam, & comprimendos vaniſſimos illius conatus, qui propriam apud Deum innocẽtiam aſſerere poſſe arbitratur. Primo argumentum petit ab ipſa hominis appellatione. Eſt enim homo in literis ſacris caro, puluis, terra, cinis, pollutus corpore: Apud Aggæum interdum appellatur fœnum, aliquãdo flos: & uniuerſa vanitas, dicitur à regio Propheta. Pſal. 138. Sic Pilatus Chriſtum Redemptorem noſtrum appellabat hominem, ut illi grauiſſimam imponeret iniuriam dicens: Ecce homo: Ioan. 19. per contẽptum ſcilicet, & contumeliam. Sed cum triplex ſit hominis appellatio, ut legentibus Sacras literas cõſpicuũ eſt: appellatur enim homo aliquando Adam, nonnunquam etiam is, interdum appellatur Enos: Hoc loco Eliphaz poſtremam hanc vſurpauit appellationẽ, dicens. Quis eſt Enos, ut mundus ſit? Dicitur autem Enos (ut ab Hebrææ linguæ peritis proditum legimus) ab afflictione & męrore, męſtitia, pauore, deſperatione, & obliuione præterea. Oblitus enim fuit diuinarum amicitiarum propter peccata, & fuerunt diuina omnia beneficia propter ſcelus obliuione obſcurata. Alterum argumentũ eſt ſumptum ab ipſa cauſa, primaque origine hominis. Et ut iuſtus appareat, inquit, natus de muliere: Eſt autem fœmina prima peccati inuentrix, & quę primò aditus aperuit antiquo ſerpenti, ut totam poſteritatem Adami, ſcelere, & iniquitate inficeret. Acſi dicat. Poterit, qui eſt Enos, hoc eſt, miſer homo, ſummi Dei per peccatum oblitus, in quo nihil eſt boni omnino de muliere natus, id eſt, qui primam ex fœmina duxit originem, à qua tanquam à primo fonte ſcelus, & impietas omnis dimanauit poterit, inquam, mundum ſe ab omni ſcelere gloriari? Idem probat petendo argumentum ab excellentiſſimis creaturis: Ecce, inquit, inter

inter ſanctos eius nempe angelos nemo immutabilis, propria natura intellige. nam quod ſcelus, & impietatem abduci non poſſint diuinæ gratiæ beneficiũ eſt. Et cęli non ſunt mundi &c. Metonymia eſt, & continens pro contento accipitur. Siue Angelorum impuritas fuerit arrogantia (ut aliqui aſſerunt) ſiue inobedientia (ut ſententia affirmat aliorum) ſiue aliud flagitium hominibus incognitum: uerum aſſerit Eliphaz, non fuiſſe mundos in conſpectu Dei. Quamuis locus de ſublimioribus illis corporibus accipi poſſit, quæ inter cætera corpora ſupremum puritatis tenent locum: quæ tamen comparatione ad Deũ impura appellari poſſunt, nam & corporea mole afficiũtur, & mutabilia maxime ſunt: Si ergo quę puriſſima eſſe uidentur maximeque ſyncera, immunda iudicantur, cum numenis puritate collocata; quid ergo ſtatuendum eſt de homine abominabili, & inutili, qui quaſi aquam iniquitatem bibit? Elegantiſſima profecto metaphora impuritatem hominis, & propenſionem in ſcelus omne, & flagitiũ explicauit. Nam potuiſſet dicere, qui bibit quaſi uinum iniquitatem, ſed aquam dixit propter multa. Nam qui aquam bibit, eam haurit citra ullã obſeruationem. Contra uerò qui bibit uinum, aliquam ſemper adhibet animaduerſionem, ne fortaſſe, uel uinum capiti noceat, uel uniuerſo corpori perniciem afferat. Qui aquam bibit, ſiue integra ſit ſalute, ſiue aliqua ægritudine affectus magna profecto auiditate bibit. Secundo qui aquam bibit, nullo labore, nulla opera, nulliſque impenſis id facit: Semper enim in promptu eſt aquam bibere, obeamque rem magna facilitate aqua bibitur: cum contra uinum non ſemper paratum ſit, quæ miro modo explicant hominis facilitatẽ ad peccandum. Tertio ſi quorundam interpretatio nobis probetur, & ita uertamus locum: Qui enim bibit quaſi aquam iniquitatem, Metaphora ſumitur ab ſpongijs, quibus ineſt mira quædam raritas, & mollitudo, propter quã tantum hauriunt humoris, quantũ uix credi poſſit. Sic de homine: empapado en peccados. Inutilem autem hominẽ appellat, & abominabilem, his uerbis notans & fœditatem peccati, & torporem, & impedimenta naturæ ad uirtutem, iuſtitiamque ſectandam.

Simile.

Iob 7. Ad propriam ſui cognitionem ſpectant uerba illa Sancti Iob. Peccaui: quid faciam tibi ò cuſtos hominum? quamuis non recte quidã Hebręi hũc locum exponunt, ſic dicentes: Licet peccauerim incommodo tibi non fui. Eſſet enim peccati ineptiſſima excuſatio. Non enim Deus pœnas ſcelerum repetit: quia ei ullum incommodum attulerint: cum detrimentum ipſe accipere non poſſit: Sed quia cum æquus hominum iudex ſit, debet, iniquitatem uindicare. Iam verò Iob non dicit, puid feci tibi ò cuſtos hominum, (ut illi exponunt) ſed, Quid faciam tibi? Quare ita explicandum eſt. Quamuis peccauerim delectique mei pęnas pendam, ut amici mei iactant, quibus tibi pœnis ſatisfaciam, niſi tua miſericordia accedat? ideſt, licet infinitas ex me pœnas ſumas, ſatis à me nunquam habebis, niſi mihi peccanti pro tua clementia ignoſcas: Quod uehemens argumentum eſt ad Dei clementiam implorandam, apteque coniungitur, cum eo, quod ſuperiori uerſu dixerat. Vſquequo non parcis mihi, nec dimittis me? Et quidem nulla re alia meliùs Deo homo ſatisfacit, quàm crimen cognoſcens, & ueniam petens. Quam ſatisfactionem ipſe ſupplicijs, & alijs modis extorquere conatur. Prudenter uerò addidit: ò cuſtos hominum, ut oſtendat hac ſatisfactione contentum eſſe debere eum, cuius munus eſt homines ſeruare, & qui uult (ut Beatus Paulus inquit) omnes homines ſaluos fieri.

CON-

CONCIO.

2.ad Theſ. 4.c. B.Aug. in epiſt. TANTA verbi Dei vtilitas,& neceſſitas eſt, vt B. Aug. in quadam epiſt. dicat. Qualis eſt caro,quę poſt multos dies percipit cibum, talis eſt anima,quæ non aſſiduè paſcitur Dei verbo. Quod intelligens ſancta Eccleſia nunquam ita contra improbos ſæuit, vt facultatem illis adimat audiẽdi verbum Dei, quamuis excõmunicati ſciſmatici,& interdicti ſint, & omnibus ecclesiaſticis beneficijs priuati. Cur ergo patres filias veſtras tam ſalutari, & neceſſario beneficio fraudatis? Et vos ò peccatores quare à tanto bono uos abſtinetis? Audite, obſecro, quid Spiri-
Prou. 28. tus ſanctus in Prouerbiis dicat. Qui declinat aures ſuas,ne audiat legem,oratio eius erit execrabilis. Vbi alia tranſlatio habet. Oratio eius erit abominabilis. Quaſi dicat Spiritus ſanctus. Nõ audis me,nec ego te audiam. Eſt autem maximè notandum,quod ubi nos legimus: Qui declinat aurem ſuam,in rigore originalis habetur. Qui alienat aurẽ ſuam. Vbi inſinuatur,quod præcipuũ, ad quod Deus aures hominibus dedit, fuit ad diuina ipſius uerba audienda:at miſer homo aures ſuas alienat, & quodammodo furatur,quoties illas à diuini verbi auditione diſtrahit, easque in otioſis rebus,atque impertinẽtibus occupat, & impendit. Cum verò vna ex præcipuis orationis excellentiis ſit, ꝙ ſit imperatoria,oratio iſtius, nõ ſolum hunc effectum non habebit,uerum coram Deo abominabilis erit, Quapro-
Prou.4. pter merito ſapientiſſimus Salomon in Prouerbiis ait. Fili auſculta ſermones meos:& ad eloquia mea inclina aurem tuam,ne recedant ab oculis tuis: cuſtodi ea in medio cordis tui: uita enim ſunt inuenientibus ea &, uniuerſæ carni ſanitas. Vbi alia translatio habet. Et uniuerſæ carni medicina. Cogitas ò prophane homo,ac delicate, te in ægritudinem aliquam caſuram,ſi ad concionem audiẽdam antelucaris? Deciperis profecto,nec ita erit,quin potius ſi uerbũ Domini audis, vitam, medicinam, ac ſalutem conſequeris. Verbum Domini ita viuere docet, vt cũ eo animæ, & carni remedium adhibeatur,&utrũque egregia bona conſequatur. Quo circa cuſtodi ea in medio cordis tui, vt potius cor amittas, quam verba Dei. Hoc Sanctus Dauid rectè ſeruabat ſiquidem ait. In ęternum non obliuiſcar Pſal.118. iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. In æternum,inquit,hoc eſt, in æterno meo,ideſt, in tota vita mea. Sicut enim cib. in ſtomacho receptus, Simile. & ſtatim reiectus nihil homini proficit,ſed magis lædit ſtomachum: ita & lex Dei audita uel lecta,ſi memorię nõ tradatur. Vnde B. Chryſoſtomus in- B. Chryſo. quit. Non quales eduliorum ſenſibi- homil 43. lium,tales ſunt inſenſibilium reliquię: ingeneſim illæ variæ licet non parem tamen conniuis uoluptatem præſtant,ſed in diem poſterum reſeruatæ fiunt inutiles: hæ vero non in vnum tantum diem,aut alterum,ſed quouis tempore ſeruatę eandem ſeruant voluptatem, vt diuinæ,ac ſpirituales, nec vllum eis imminet à tẽpore nocumentum, ſed nouum quotidie vigorem afferunt,& eos,qui frui volunt,multa implent lætitia. Vnde idem Sanctus Doctor alibi inquit. Sicut cũ B.Chry.homil.45. magna fercula, ſumptuoſaque apponũtur, præcedens conuiuarum ſatietas facit,ut aliquid decedat ſplendoris appoſitorum,& magna nonnũquam nullius videantur momenti, eo quòd conuiuæ Simile. abſque edendi auiditate uenerunt. Cõtra qui ſuſceperunt famelicos, & eſurientes, licet illis tenuem proponant men-

menſam, ſplendida tamen apparebit conuiuis prompte appoſita, auidè comedentibus. Sic eodem modo & nos, benefici ueſtro ſpirituali appetitu non grauamur pauperem & vilem hanc menſam veſtræ charitati continuo apponere. Rurſus idem Sanctus Doctor in alia homilia, inquit. Sicut ſæpe multi ex prato roſam, vel violam, vel quępiam taliū florum capiunt, digitis circunferentes recedunt: alij uero ex uiridario domum abeuntes arborū ramos fructus habentes reportant: alii rurſum à lautis cœnis menſæ reliquias neceſſariis ſuis referunt. Sic & tu ex concione recedens admonitionem reporta filiis, uxori, ac neceſſariis omnibus.

Simile. B. Chry. homil. 6 ad pop. Antiochenū.

Concio.

Cant. 5.

Gvttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis, inquit ſpōſa loquēs de ſponſo in Canticis. Guttur ſponſi ſuauis eſt, totusq; deſiderabilis nam illius bonitas, & benignitas illius verbo declaratur, quoniam in eo reſidet omnis boni ratio, quidquid experiri poteſt ab humano animo ſiue iucundum ſit, ſiue vtile, ſiue honeſtum, licet in ſpōſo inuenire, & quia hæc omnia ſponſi verbo nobis reuelantur, ſponſa guttur illius appellat ſuauiſſimum. Quis non credat ſponſum ſuauem eſſe, de quo regius uates inquit. Guſtate, & videte qm̄ ſuauis eſt Dominus. Huic ſanctiſſimo Regi, & ſapientiſſimo filio eius Salomoni, qui hæc uerba guttur illius ſuauiſſimum protulit, adhibenda eſt fides, & non eſt audienda vox vulgarium hominum, humīque repentium, qui ſuauitatem huius gutturis nunquam experti ſunt. Omnes cupimus ſuauitatem illā, qua poſſimus eſſe fœlices, maximis autem in hoc negotio implicamur erroribus dum ea ſuauia exiſtimamus; è quibus ſuauitas nulla, ſed amaritudo potius, & maximus angor animi proficiſcitur. Tum tandem detegitur humanus error, & antiqua fraus venit in lucem, cum incipit animus ipſe deguſtare dulcedinem iſtam & ſuauitatem ſpōſi. Quam Philoſophi appellarunt voluptatem, eam honeſtiori vocabulo ſcriptura ſacra ſuauitatem appellat. Fuerunt inter Philoſophos, qui dicerent omnes propter voluptatem operari, & finem humanarum actionum uoluptatem eſſe. Quorum ſententia, ſi ad voluptatem ſpiritalem non ad corporeas voluptates, craſſiores, & ignobiles referatur, ſatis (ut mihi uidetur) rationi eſt conſona: Vltimum enim, quòd in omni operatione expetitur voluptas eſt: adeo vt ſuprema ſanctorum fœlicitas non ſolum in ipſa fruitione ſponſi, verum & in voluptate illa, quæ ex fruitione naſcitur, conſtet. Quis enim dubitet, oblectamenta illa, ſummasque voluptates, quas ſancti carnea mole exuti Deum videntes perſentiunt ab illis haberi inter præcipuas fœlicitatis partes? Igitur finis humanarum actionum in vno ſponſo admirabili quadam ratione inuenitur Plato in Philebo ſummum bonum aſſerebat ſapiētiam eſſe, ſed voluptatis quadam mixtione contemperatam: adeo ſine voluptate ſummum bonum conſtare non poſſe. Quia vero verba Dei vta ſunt ad Diuinā ſuauitatem ideo ſponſi guttur ſuauiſſimū dicitur: quod & regius vates teſtatur, dicens. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Eſt autem quod homines ſolet impellere, ſcilicet ipſa ratio boni in rebus cognitione deprehenſis. Hæ vero in ſponſo non per partes inueniuntur, ſed coniunctæ potius, & ad vnitatem quandam redactæ. Eſt bonum aliquod quod vtile videtur in quo forſan non deprehendas vllā rationem honeſti. Et honeſtū in quo non appareat ratio vtilis. Summæ itaq; dementiæ eſt illud ſummū exiſtimare bonū, in quo, quáuis aliqua boni ratio ſe inſinuet, varios tamē è veſtigio oſtēdit defectus. Plato in Thimæo multitudinē omnē ad vnitatem reducere, & vnitatem

Pſal. 33.

Plato in Philebo.

Pſal. 118.

Plato in Thimæo.

taté in multitudinem diſtribuere,ſummam iudicabat ſapientiam. Nam oẽs boni rationes, quæ ſeparatim ſingulis in rebus comperiuntur,ad vnum Deũ, tanquam unitatem iſtam colere,& adorare,tum & bona illa prout à Deo proficiſcuntur in rebus ipſis agnoſcere ſũma eſt veræ ſapientiæ ratio. Sponſa igitur nobis oſtendit præſenti carmine, quod ſit bonum illud, ad quod rediguntur omnes rationes expetibilitatis, cum inquit. Totus eſt ſponſus deſiderabilis.

Concionator.

Ephe. 5.c. Estote imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi: ait Beatus Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, Vnum ex præcipuis, in quo Chriſtum Saluatorem noſtrum imitari debetis, eſt in eo, quod idem Sanctus Apoſtolus alibi dicit. Heb.1.c. Purgationem peccatorum faciens lauans nos à peccatis; non ut aqua diluens linteamina, & in ſe ſordes retinens,ſed uelut ſol. Sol .n.iuſtitiæ uocatur Chriſtus Ieſus, quia ſicut Sole Simile. oriente & lumen ſuum in aera diffundente mox tenebræ,quæ in aeris regione ſunt,euaneſcunt,& pereunt, & non tantum Sol tenebras tollit, uerum etiam,lumine ſuo diffuſo omnem fœtidam nubilem, caliginoſumque uaporem in aere exiſtentem deſtruit, atque abſorbet, aerem ipſum reddens lucidum,pulchrum, ac ſalubrem, terram inſuper uelut uiuificam, & fœcundam faciens,in ſe tamen ſuam retinens puritatem. Sic Chriſtus Sol iuſtitiæ per lumen gratiæ cælitus in animam diffuſum corda hominum à maculis purificat & à caligine erroris illuminat, ſanat, uiuificat, & fœcundat eliminatis procul immunditiis peccatorum, ipſe in ſe mundiſſimus, & puriſſimus remanens.In boc ergo omnes miniſtri eius eum imitari debent. Sic ò Patres concionatores ſalutem aliorum operamini, ut in peccatis eorum nullo modo maculemini.Supra uires hnmanas eſt, aliquem bonum: Dei miniſtrum eſſe, atque ita Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens ait.Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, 2. ad Cor. 3.c. ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti. Si igitur non ſumus potentes cogitare unam duntaxat bonam cogitationem, quanto minus potentes erimus ad perſuadendum peccatoribus, ut ſe ſe à peccatis & ſceleribus auertant, Deumque efficaciter diligant? Sed ſufficientia hæc à diuina nobis manu prouenire debet. Ergo omnes,qui hoc ſanctum miniſterium exercemus, efficaciter à Deo poſtulare debemus, ut illam nobis communicet.Obſeruantia etiam diuinæ legis excellens diſpoſitio eſt ad ipſam,ut oportet, prædicandam.Quod quidem apertè nos Spiritus ſanctus in Prouerbiis admonet dicens.Cuſtodi legem meam, atque conſilium meum,& erit uita animæ tuæ,& Prou.3.c. gratia faucibus tuis. Vita,id eſt uigor, & uirtus. Et gratia, in faucibus tuis, hoc eſt,ut verba,quæ loquutus fueris, ſale condita ſint,& plena lepore,atque fructum uberrimum in audientium cordibus efficiant, & in uiſceribus eorum ſedeant,oportet, ut tu prius ea opere exequaris, ſicut Beatus Apoſtolus faciebat,qui ad Romanos ſcribens Ad Ro. 5. ait. Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum,nõ enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecerit Chriſtus,hoc eſt.Non audeo de humilitate,aut caſtitate ſermonem proponere,non audeo de miſericordia & & patientia diſputando docere, quin per me hæc effecerit Chriſtus. Gratus certè gratia Dei, & uerè humilis, qui Chriſto Domino omnia bona aſcribebat,ſiquidem ait per me effecerit Chriſtus.Hoc etiam regius Propheta ſeruauit, qui poſtquam confeſſus fuerat, ſe iudicia Dei in toto corde exequi ſciuiſſe, atque in uiſceribus condidiſſe, adiecit.In labiis meis pronuntiaui om

B. Ambro. & Caſſia. nia iudicia oris tui: quia nimirum uerus diuini verbi concionator (vt Beatus Ambroſius, & Caſſianus adnotarunt) prius totam animam ſuam imbuere, implere, & ſaginare debet diuinis inſtitutis, quàm alios doceat. Sed aduertendum eſt Sanctum Prophetam dicere, Pronunciaui, non docui, quia concionator uerba exterius pronuntiare poteſt, ſed audientis mentem docere non poteſt, ut Beatus Gregorius in Moralibus docet, ubi ſic ait. Quilibet prædicator uerba auribus dare poteſt, corda uero aperire non poteſt, & niſi per internam gratiam ſolus omnipotens Deus prædicantium uerbis ad corda audientium præſtet auditum in caſſum prædicatio aure audientis percipitur, quia peruenire ad intima ſurdo corde prohibetur. Vnde in Actibus Apoſtolorum dicitur. Credidit Lidia purpuraria, cuius Dominus aperuit cor. Prædicauerat quidem B. Paulus, at non ipſe corda credentium mouebat ſed Deus.

Concionatoris eloquentia.

LOquens Sponſus cum ſancta Eccleſia in Canticis inquit, Mel, & lac ſub lingua tua. Nõ dixit, in lingua, ſed ſub lingua, quoniam lingua Eccleſiæ ſimpliciſſimo fatur ſermone, fucoſque, ac rethorum phaleras deteſtatur, nec illa dulcedine, qua ſæculares oratores docet. Vnde Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens: Non, inquit, miſit me Dominus baptizare, ſed euangelizare non in ſapientia uerbi, ut non euacuetur crux Chriſti. Pſeudo Apoſtoli illi, contra quos Beatus Apoſtolus hanc ſcripſit epiſtolam his artibus corda innocentium ſeducebant: gloriabantur enim in ſapientia uerbi, hoc eſt in arte erudite, & compoſite dicendi, hoc autem alienum putat diuinus uir ab Euangelica uirtute, quaſi crux Chriſti (quæ plena eſt ſapientiæ, ac uirtutis) ſapientia, & eloquentia humana indigeret, ut ſuam oſtenderet, & ſuaderet uirtutẽ. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax &c. ut ipſe ad Hebræos ſcribit, nec extraneis indiget auxiliis, ut poſſit, cum in ſe uirtutem, potentiam que Dei cõtineat. Quare diſcipuli Domini, ut docet B. Thomas, acceperunt donum linguarũ, non ut eruditi oratores euaderent, eleganterque, ac compoſite dicerent, figuriſque Rethoricorum loquerentur. Sed vt ſimplici, planeq; ſermone, ſimplicem quoque docerent ueritatem. *B. Tho. 2. 2 q. 176. articu. 1.* Vnde de B. Paulo dicebant, pſeudo apoſtoli, quaſi irridentes eũ, quod ſermo eius eſſet contemptibilis, hoc eſt, quod non compoſite, ſed barbare loqueretur. *2. ad Cor. 10.* Et ipſe fatetur eadem epiſtola, quod ſit imperitus ſermone, ſed non ſcientia. *2. ad Cor. 11. c.* Non enim eſt in ſermone uerbum Dei, ſed in uirtute. Quare ad Coloſſenſes ſcribens, eos ſic admonet. *Coloſ. 2. c.* Ne quis uos decipiat in ſublimitate ſermonis. Quod ſi modo eruditis, phaleratiſque ſermonibus concionatores uerbi Dei illud prædicant, id eſt, quia non illa uirtute, ac charitate pollent, qua priſci patres, & ideo ſupplere nituntur uerbis, quod in factis de eſt. Sicut poſtquam Seſac Rex Ægypti tulit ſcuta aurea, quæ fecerat Rex Salomon, pro eis ærea poſuit Roboan filius eius, ut in libro Regum ſacra narrat hiſtoria. Sic quia Rex Ægypti, hoc eſt tenebrarum harum diabolus à nobis tulit charitatis aurũ, quod in noſtris patribus elucebat, loco eius nos ænea cõſtruimus ſcuta, æs quippe ſonorum eſt: *3. Reg. 14.* verbis perſonantes intumeſcimus, qui factis charitatis deficimus, & ſermone incaleſcimus, qui charitate tepeſcimus. Accedit adhoc, quod ipſum chriſtianorum uulgus his compoſitis ſermonibus delectatur, nec nudam audire ueritatem dignatur, niſi his induatur veſtimentis, taliq́ue dulcedine dicendi cõdiatur, ut uaticinium D. Pauli adimpleatur, qui Timotheum diſcipulum admonet, ut inſtet ſermonibus ueritatis. *2. ad Tim. 4. c.* Quoniã erit, ait, tempus, cum ſa

nam

nam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quod utinam non hac calamitoſa ætate adimpletũ ſentiremus. Hinc fit, quod & prædicatores populi applauſum quærẽtes dulcia potius, quam ædificatoria uerba prædicent, & populus hũc ſuauem uerborum ſonum potius, quam correptionem quærat. Lapidatus eſt Acham, immo & populus punitus fuit, ut legitur in libro Ioſue quoniam furatus eſt de anathemate Ierico linguam auream, ut legunt Hebræi, & ut B. Hieronymus poſt Origenem adnotauit, illi diuina punitione ferientur, qui linguam auream ab anathemate Ierico furantur, id eſt, qui compoſita, reſplendentiaq; uerba à mundi ſapientibus ad Euangelicam doctrinam, quaſi furtiuè afferũt tanquam ſi his diuinum indigeret eloquium. B. Theodoretus de curandis Græcorum affectionibus luculenter hanc doctrinam docet.

Ioſ. 7. c.

B. Theodoret. de curandis græcorum affectionibus.

Concionator quare uocatur canis.

Pſal. 67.

LOquens regius Propheta de concionatoribus legis gratiæ ait. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Obſcura quidem ſunt hæc uerba, prius namque dixerat. Vt intingatur pes tuus in ſanguine. In quo inſinuatur, cum ſancta Eccleſia Prophetam loqui, cui dicit. Qui prius inimici tui erant, ut Paulus, Matthæus, & alii quam plurimi, facti ſunt pes tuus, te ducendo, & docendo uſque ad ſanguinis effuſionem, & mortem, & ſic lingua canum tuorum, id eſt, concionatorum fit ſcilicet, ex talibus inimicis ab ipſo Deo, & Domino noſtro IeſuChriſto. Ecce quomodo ex illis, qui erant aliquando ſanctæ Eccleſiæ inimici, facti ſunt à Deo canes latrantes contra perſequentes ipſam Eccleſiam, & lambentes uulnera peccatorum, Vnde ſanctus Propheta Iſaias de peſſimis cõcionatoribus inquit. Canes muti non ualentes latrare. Ex quo infertur, canes bene latrantes, bonos concionatores eſſe. Quare fidelis cõcionator tria cum cane debet habere. Primum medicinam in lingua, lingua enim canis medicinalis eſt, morbumque à uulnere extrahit. Sic cõcionatoris lingua medicinam peccatorum uulneribus cauſare debet. Secundum, morſionem in dentibus contra obſtinatos peccatores. Vnde Dominus per Hieremiam Prophetam inquit. Viſitabo ſuper eos canes ad lacerandum, hoc eſt. Mittam contra obſtinatos peccatores, homines plenos ſpiritu & fortitudine ad lacerandum illos increpatione dura, & latratu terribili. Deniq; clamorem in faucibus fidelis concionator habere debet ad pigros, & in culpis dormientes excitandos. Canis etiã domeſticis applaudet, & contra latrones latrat; ſic prudens concionator bonos obſecret, gaudia illis cæleſtia promittens, malos uerò deterreat, ut reſipiſcant; Verum tamen eſt, canes magnis ſe periculis in his obiicere. Vnde B. Gregorius ait. Tutius ueritas auditur, quàm prædicatur: quoniam cũ auditur, cordis humilitas cuſtoditur, cum autem prædicatur vix non ſubripuit cuiquam hominum quantulacunque iactantia, in qua utique pedes affectionis, uel intentionis aliquantulum inquinantur. Et B. Auguſtinus ſuper illa D. Iacobi uerba: Sit autem omnis homo uelox ad audiendum tardus ad loquendum, inquit. Vidit Apoſtolus in audiendo facillime ſeruari humilitatem, quæ difficilis eſt in docendo, quoniam neceſſe eſt, ut Doctor habeat ſuperiorem locum, ubi laborioſum eſt obtinere, ne ſobrepat elatio. Sed non propter hoc contemni, aut relinqui debet tale munus, quia ut idem Pontifex Gregorius inquit. Nullum omnipotenti Deo tale ſacrificium, quale eſt animarum zelus. Sed obſerua, eundẽ Beatiſſimum uirum in libro Moralium ſu

Simile.

Iſa. 56.

Hiere. 15.

B. Greg. in Ezec.

D. Aug. ſuper verba Iac. c. 1.

Grego. homil. 22. ſup. Ezech. & lib. 11. Mor. c. 10.

per illud pſalmi, Super ſenes intellexi, quia mandata aut quæſiui, dicere. Quoniam ſtuduit operando implere, quod didicit, accepit intelligere, quod doceret. His etiam arridet id, quod B. Auguſtinus legit, ubi nos legimus: In mandatis tuis exercebor, ipſe ait. In mandatis tuis garriam uel in mandatis tuis loquar. Cuius diuerſitatis in cauſa eſt uerbum græcum quod hic eſt, adoleſcheſo, quod latini nonnulli interpretantur, garriam, uel loquar. Alii uerò, exercebor. Significatur tamen in hoc, eum fructuoſe loquuturum, & concionaturum Dei uerba, qui in illis exercetur. Vt enim Beatus Gregorius inquit. Ad ſupernum deſiderium inflammare auditores nequeunt uerba, quę frigido corde proferuntur: nec enim res, quæ in ſe ipſa non ardet, aliud accendit. Ignis, qui in Apoſtolorum cordibus ardebat, apertiſſime oſtenſus, & manifeſtatus fuit, ſiquidē diuini amoris igne totum ferè mundum conuerterunt, & inflammarunt, atque ita ſcribens. Beatus Apoſtolus ad Corinthios inquit. Incipimus iterum nos commendare. Nunquid egemus, ſicut quidam commendatitiis epiſtolis ad uos, aut ex uobis? Epiſtola noſtra uos eſtis, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Attendat mundus, & animaduertat, quales eratis: antequam uobis prædicaremus, quam infideles, quam cupidi, quam ſuperbi, & quam luxurioſi. Quales autem nūc eſtis, poſt quam uobis prædicauimus, quam fideles, quam humiles, quam pii, quam denique caſti, atque inde conſpicietur qui, & quales nos ſumus. Itaque bonitas, ac ſanctitas ueſtra teſtimonium noſtrum reddit. Vos eſtis epiſtola noſtra commendatitia apud omnes, qui uos modo uident & antea uiderunt.

Pſal. 118. B. Aug.

B. Greg. li. 6. mora. c. 39.

2. ad Co. 3

Concionatoris uita.

QValis uita prælati, & concionatoris eſſe debeat, ſponſa in Canticis, mirabilem ſponſi ſui pulchritudinem per ſingula membra deſcribens oſtendit, cum ait. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Quam multa in his paucu lis uerbis deſignātur. Oculorum quippe nomine concionatores eccleſiæ, atque Epiſcopi intelliguntur, ut ipſum quoque Epiſcopi nomē inſinuat, quod contemplantem, uel ſuperintendentē ſignificat, hi autem quamuis oculorū nomine rerum cognitionem, & intelligentiam præ ſe ferant, columbarum tamen ſimplicitatem imitari debent, ut ſint prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Columbis quidem aſſimiliantur, quæ lacte ſunt lotæ. Satis erat columbæ nomen ad cordis puritatem deſignandam, ſed tamen addit. Quæ lotæ ſint lacte, & quod magis mirum eſt, quæ non aqua, ſed lactè ſint lotæ, ut eximiam & ſingularē quandam eorum puritatem hac ratione intelligamus: nam qui adhoc munus deſtinatur, ut alios ex impuris, puroś efficiat, puriſſimus eſſe debet. Idcirco B. Paulus Timotheo diſcipulo ſuo ait. Attende tibi, & doctrinæ. Prius dixit, tibi, ut munditiam propriam commendaret. Quod Eccleſiaſticus hortatur etiam dicens. Recupera proximum ſecundum uirtutem tuam, & attende tibi, ne incidas. De his rurſus dicitur, quę ſunt iuxta riuos aquarum, reſideantq́ iuxta fluenta pleniſſima. In quibus uerbis ſanctarum ſcripturarum fluenta deſignantur, iuxta quæ perpetuo reſidere debent in lege Domini, die ac nocte meditantes, ut inde copioſè hauriant, quod largiter populis effundāt. Quod autem & riuulos nominat, ſimul, & fluenta (quæ duo inter ſe diſſimilia uidentur) inſinuant, quod cum ſapienti-

1. ad Tim. 4. c.

bus,

ſus,& inſipientibus debitores ſint ex riuulis quædam,quę rudibus,& ſimplicibus,ex fluentis uerò quæ promotioribus,& perfectioribus exhibeant, haurire debent, Quamuis autem eos Spiritus ſanctus propter columbinam puritatem, & ſinceritatem columbis comparauerit,non idcirco amittere debét increpationis ſeueritatem , quando id neceſſitas poſtulauerit . Vnde B. Apoſtolus diſcipulo ſuo Timotheo inquit. Argue, obſecra , increpa . Et alibi de Cretenſibus agens . Increpa , ait,illos durè. Sed proh dolor , quot ſunt hodie adulatores , qui maxime potentibus blandiuntur,& ceruicalia,ac puluillos ponunt ſub omni cubitu:quos quidem uehementer illa uox Balaam, aliàs impiiſſimi damnat qui ſic ait . Si dederit mihi Balac domum ſuam plenam auro non potero loqui aliud,quàm quod mihi præceperit Deus . Hæc omnia ex eo ortum habent , quod prædicatores huiuſmodi magis ſuam, quam Dei gloriam inquirunt . O terribilem abominationem æternis ſupplicijs dignam. Non collocemus ò patres concionarores oculos noſtros in alio,quam in Dei gloria. Hanc totis uiribus in noſtris operibus quæramus , qui enim propriã gloriam quærit , & attendit ſimilis eſt ei qui cum à Rege legatione fungens, & tanquam paranimphus miſſus eſſet ad quandam uirginem,quam ipſe Rex ſponſam ſibi in matrimonium cupiebat,cum(inquam)ad hoc matrimoniũ reconciliandum miſſus eſſet,ipſe eam, quam Regi ſuo comparare debuerat, ſibi ipſi acciperet,& uendicaret , quod proſectò magna proditio eſſet.Omnes prædicatores ab altiſſimo Deo miſſi ſumus,ut animas hominum ei acquiramus,& ut ipſæ animę Sponſę Dei,ſint, eiuſque amore exardeſcant, ipſumque glorificent.Magna igitur traditio eſſet contendere,ut illæ nos , & non Deum glorificent.

2. ad Tim. 4.c.

Simile.

Concionatoris opera.

FRater Ægidius B. Patris noſtri Frãciſci ſocius uidens multos libenter prædicantes, & negligenter operantes (ut refert D. Antoninus) dicebat. Si operaris bonum , quod intelligis, uenies in bonum, quod non intelligis. Magis diſtant à uerbis opera , q̃ cęlũ à terra. Melius eſt homini, quod ſe ipſum doceat , quam totum mundum doceat: Si uis multum ſcire, multum operare : & inclina caput tuum : nobilis enim prædicator eſt humilitas. Et ſuſpirans dicebat . Multum diſtat ouis balans à paſcente , ideſt prædicans ab operante. Velim reuera ſemper uerba iſta in cordé meo habere . Nam quid mihi coram iudicis tribunali tot conciones,ac tot ſcripta de uerbis,& factis Ieſu Chriſti (quibus multi poterunt pœnitẽtiam ueram agere,& ſalui fieri) proderunt, ſi me ipſum non doceo humilitatem, caſtitatem , cæteraſque uirtutes, quas alios doceo? B. Chryſoſtomus de concionatoribus agens inquit. Quod ſi poſt noſtram etiã admonitionem in eiſdem uitijs perſeuerauerint, nec ſic quidem nos deſiſtemus apud uos,quod rectum eſt,conſulere quãdo quidem & aquarum uenæ, etiam ſi nullus ad hauriendam aquam ueniat,manant tamen : & fontes , quamuis nemo hauriat, ſcaturiunt: & amnes, quamuis nullus bibat , nihilominus fluunt . Sic oportet & illum, qui concionatur,quã uis nullus auſcultet , quidquid in ipſo ſitum , eſt , præſtare . Et ibidem ait S. Doctor. Quod ſi ideo uicturi ſumus in otio,& ab omnibus actionibus uidetur abſtinendum, eo quòd ſemper euenit, ut alicubi fruſtremur oblatis, uniuerſa nobis periret, uita, nec ſpiritualia modo, uerum etiam illa, quæ ad uitæ præſentis uſum pertinent , ſimul omnia interirent . Etenim ſi agricola protinus ab agricolatione reſiliat , quod ſemel, atque iterũ , aut ſępius acciderit aeris

B. Antoni. 1.p. hiſt. tit. 14.c. 7.

B. Chryſ. cio. 1. de Lazaro.

Simile.

inæqualitas, breui fame omnes perire mus. Item ſi nauclerus ob ſemel,atque iterum,aut ſæpius ortam tempeſtatem fugiat mare, futurum eſt, ut nemo pelago ueharur,aut ſe committat, atque hinc nobis uitæ commoda peribunt. Quod ſi per ſingulas artes percurrens iſta, quæ nos facere uis, ſuadeas mone aſque cuncta funditus interibunt,terra que ædificijs, atq; domicilijs carebit. Itaque cum hæc omnia ſciant, etiam ſi ſemel, & iterum, aut ſæpius fruſtrati fuerint optato negotiorum, in quibus uerſantur, exitu denuo pari cum alacritate redeunt ad eadem: nam & ruricola ubi ſemel & iterum, aut ſæpius ſemen aruo commiſit,nec uotis reſpondet prouentus, rurſus eandem exercet ſegetem nec raro fit, ut totius téporis iacturam uno ſarciat anno.Sic & negotiator quanquàm crebrò fecit naufragium, non tamen abſtinet à portu, ſed & poſtea nauim detraxit,& nautas conduxit, & pecunijs mutuo datis eadem aggreditur negotia, idque cum nihilo magis nunc ſciat quomodo ceſſurum ſit, quam ſcierat antea. Denique quicunque ſolent aggredirem quancunque ita facere conſueuerunt, quemadmodum faciunt agricolator, ac negotiator. Et poſt hæc cum illi tantam adhibeant curam, ſtudiumque circa res ad præſentis uſum uitæ pertinentes, quarum exitus ſit incertus, nos ſi loquentes non auditi fuerimus illico deſignemus? Et quam obtinebimus ueniam? Quid excuſationis afferemus? Et tamen illis ſi non bene ſucceſſerit, nullus eſt qui dãnum acceptum leniat. Veluti ſi mare nauim fluctibus obruerit,nemo medebitur inopiæ naufragij, ſi uis imbrium effuſa in agrum præfocauit ſementem, cogitur agricola uacuis manibus redire domum. Noſtra uerò cum loquitur,aut exortamur,non eſt eadé conditio,immo ſi ſemel per te iactum ſermonem auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati cõſilii mercedé feres à Deo, nec minus accipies præmii nõ auditus, quam accepturus eras, ſi ille obtemperaſſet, quod enim erat in te præſtitiſti. Cæterum ad id, ut perſuadeamus auditoribus, non ſumus obſtricti, ſed tantum ut admoneamus. Noſtræ quidem partes ſunt admonere illorũ uerò obtépare. Et quémodum ſi nos admonendi officio non functi fuerimus, etiam ſi decem millia benefactorum prodierint, ipſis ſolis repoſitum eſt præmium, ad nos nihil redibit lucri, quandoquidem non dedimus conſilium. Ita ſi nobis admonẽtibus illi non auſcultarunt ad ipſos ſolos redibit omnis ultio, nobis autem nihil imputabitur quin potius copioſa merces nobis ueniet à Deo. B. Gregorius in paſtorali ait, Admonendi ſunt, quos ab officio prædicationis imperfectio, & ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit. Quemadmodum pulli auium ſi ante pẽnarum perfectionem uolare appetant, unde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur. Vel ſi ſtructuris recentibus, nec dum ſolidatis tignorum pondus ſuperponitur, nõ habitaculum,ſed ruina fabricatur, quodque cõceptas ſoboles ſi prius quã plenæ formentur, proferant fœminæ, nequaquã domos,ſed tumulos replent. Ad hoc etiã aliæ ſimilitudines poſſunt adduci. Vt poma immatura, quæ uento decutiuntur, neo ſuauitatem habẽt, nec ſtomacho proſunt, ſed quæ ſunt matura, & manu collecta, hęc grata, & ſuauia ſunt, ſic concionatores qui humani fauoris gratia efficiuntur ſi ante tempus hoc miniſterium exercent, nec dulcedinem habent ſpirituale,nec utilitatem mentibus afferunt. Atqui ſunt tempore oportuno inſtituti, & ſacris literis edocti,ad Dei honorem affecti, hi laudabiles ſunt, ſuaues & ſalubres. Si enim ſacerdotibus Dianæ,quã gentes abſque fide inter falſorum numinum uanitates numerarũt, tria tempora erant conſtitura (ut ex antiquorũ monimentis conſtare uidemus) primũ

Exempl. *Exempl.* *B. Greg. in 3. p. paſtorali. c. 26.* *Simile.* *Simile.*

in quo ſapientiam diſcerêt,& uirtutes, alterum in quo eas exercerêt, tertium, in qua alios inſtruerêt. Quid faciendũ cenſes euangelicis concionato ribus? Qui debent eſſe admirabili ſapientia prçditi, inſigni uitæ puritate ornati, & in magna auctoritate cõſtituti. Vt lu cerna una alterã incendere non poteſt, ſi illa fuerit extincta, ſic concionator alios non inflammabit amore diuino, ſi ille fuerit lumine eiuſdem amoris de ſtitutus. Non tamẽ me fugit fieri poſſe, ut Deus per unum flagitioſum concionatorem, ſi uelit peccatores conuertat. Nam ut hæres per famulum iniquum, bonam aliquando porrigit eleemoſynam: Sic Deus miniſterio ſcelerati hominis poteſt ad ſe impios allicere. Nihilominus tamen det operam concionator, ut careat omni uitio, ut uitia uituperet. Forcipes, & emunctoria, quæ erant in templo Salomonis, quibus lampades emungebantur ex auro erant puriſſimo, ad ſignificandum eorum amorem, & puritatem, qui aliorũ munditias purgare tenentur.

Simile.

B. Chryſoſtomus in concione de Lazaro ait. An non uides fabros ærarios artifices, fabros argentarios, denique eos, qui quamcunque exercerunt artẽ omnia artis inſtrumenta habere para ta, & integra quanuis compellat fame, quanuis affligat inopia, omnia præ optantes ſuſtinere potius, quam ut ex inſtrumentis artificij quidpiam uen dere uelint, quin frequenter multi po tius uoluerunt ad uſurã accipere, quã uel minimum aliquid ex inſtrumentis artis oppignorare, idque iure optimo: norunt enim quod venditis illis, ars vniuerſa ipſis ſit inutilis, totũque quæ ſtus fundamentum ſublatum, illis autẽ manantibus fieri poteſt, ut contractum ęs alienũ progreſſu temporis aliquãdo diſſoluant, iugiter vtentes artificio: quod ſi priuſquam diſſoluãt æs alienũ alijs ea vendant, iam non eſt, vnde poſſint ſolatium aliquod famis, inopię que ex cogitare. Hoc ſanè animo nos quoque præditos eſſe oportet. Quem admodum enim illis artis inſtrumenta ſunt malleus, intus, forceps: ſic nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum, ac Prophetarum libri, omniſque ſcrip tura diuinitus inſpirata. Et quemadmodum illi per inſtrumenta quidquid faciendum ſuſceperint, perficiunt: ita ſanè & nos per hos fabricamur, & animam noſtram deprauatam corrigimus & inueteratam renouamus, atque illi quidem hactenus modo præſtant ſuam artem, ut formam addant rebus, nec enim poſſunt materiam uaſorum tran ſmutare, nec ex argento aurũ reddere, ſed harum rerum figuras componunt duntaxat. Tu uerò non ita ſed amplius quiddam potes, nam ligneum uas accę ptum poteris aliquãdo reddere aureũ.

B. Chryſo. concio. 3. de Lazaro. Simile.

Hoc quod glorioſus his Doctor eru dit boni prædicatores præſtant, qui prius ſe ipſos reformant: nam mali ſunt ueluti mola aquaria, quæ dum in gyros circunfertur, & in circuitum ver ſatur bonam farinam ex ſe emittit, ipſa uerò quotidie magis ac magis conte ritur, & conſumitur: In hunc modum uani concionatores prędicantes doctri nam bonam ex ſe alijs proferunt, ipſi autem conſumuntur quotidie, & per ia ctantiam ac præſumptionem corrumpuntur. Sunt aliqui aurifices, ſeu fabri argentarii, qui abacum magnũ prę tioſis aureis, atque argenteis uaſis pulcherrimè ornatum habent: Si autem eorum domum ingrederis, uidebis illos uaſis luteis, & pęne confractis diuturno vſu bibentes: illa enim pretioſa vaſa, & aurea ſupellectilia ad hoc ſolũmodo habent, ut ab alijs uideantur, & emantur. Sic peſſimi concionatores ditiſſima charitatis, humilitatis, ac pa tientię ſupellectilia populo conſpicien da proponunt, ipſi autem intra de his contraria, ac viliſſima poſſident.

Simile.

Simile.

Con-

Concionatoris finis.

COncionatores verbi Dei omni cũ efficacia curare debent, ut audientium uoluntates magis moueant, quàm intellectus eorum illuminent: ſtrages enim ac perditio hominum his miſerrimis temporibus non ideo eſt, quia nõ intelligunt, ſed quia nolunt. Sed heu quanta commiſeratione dignum eſt uidere hodie prędicatores, qui magis ſe ipſos, quam Ieſum Chriſtum Redemptorem noſtrum prędicare contendũt, & animos audiẽtium potius ad ſe, quã ad Deum attrahere, atque allicere ſtudent? Vnde plus temporis in rebus ſubtilibus parui ponderis, & quæ audientes in admirationem rapiant conſumunt, quàm in attrahendis uoluntatibus ipſorum ad Dei amorem, atque ad peccatorum deteſtationem. Cum Sanctus Moyſes percuſſit petram, ex ea aquam eduxit, cauſa autem, ob quã concionatores aquam de lapidibus non educunt, nec peccatores lachrymis liqueſcere faciũt, ea eſt, quia illos duris atque aſperis fuſtibus, quæ ipſos lacerent, non percutiunt, hoc eſt quia eos non uerbis cordium penetrantibus, ſed uanis rethoricis alloquuntur. Ille magis peritus, & excellentior balliſtarius eſt, qui rectius ſagittam in album dirigit, quique melius ſcopum attingit. Sic ille erit excellentior concionator, qui rectius ſagitta uerbi Dei cor penetrat humanum. Tres dicebat quidam eſſe hominum, easque magnas infœlicitates: Prima eſt, parum ſcire, & nolle doceri: Secunda plurimum ſapere, & nolle docere: Tertia denique eſt rectè docere, & improbe operari. Venator, qui poſtquàm retia tetendit auem aliquam captam habet in illis, ſi quis ipſam uolare, & ab eis eripi facit, contra ipſum venator indignatur. Satanas poſtquam retia ſua tendit, incauti, atque imprudentes mundani, uelut amẽtes aues in illa incidunt, Diabolus videt Concionatores vocibus aucupium, ſeu aues ipſas terrere, & ſic artificium ſuũ deſtrui, & diſſolui propter quod aduerſus illos ira inflammatur: idcirco valde oportet Concionatores ueriſſimè ſe Deo committere, & commendare, quippe cùm aduerſus illos Dæmon ira ſuccẽſus ſit, & inflammatus. Maxime etiam oportet, vt priuſquã Concionem incipiant, omni, qua poterunt, humilitate orent, quo Deus eorum verbis efficaciã præbeat, & corda circunſtantiũ diſponat. Sic D. Paulus faciebat, qui ad Epheſios ſcribens, inquit. Huius rei gratia flecto genua mea, ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut det uobis ſecundum diuitias glorię ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiori homine; ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profunditas ſcilicet charitatis. Et Sancti Apoſtoli alijs dixerunt. Nos uero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Prius dicunt, orationi, & miniſterio verbi: oportet enim orationem miniſterio prędicationis præcedere. Eliezer ſeruus Abrahæ perueniens Meſopotamiam, ubi ſponſam filio Abrahæ Iſaac Domini ſui electurus erat, prius (ut ſacra Geneſis narrat hyſtoria) orationi ſe dedit, Deum obſecrans, vt illum ea in re optime dirigeret. Cum igitur prædicatores ſint paranimphi, & ſponſam Ieſu Chriſto diuino ſponſo quærant, neceſſe habent orare, vt in tam alto negotio à Deo ipſo rectiſſime dirigantur. Per Hieremiam Prophetam conqueritur Dominus, dicens. Prophetę prophetabant mendacium. Et quamuis modo concionatores Chriſtiani ueritatẽ prædicent, plurimi tamen eorum illam nõ ſerio prædicant, hoc eſt, non eam prædicant eo ſpiritu, illa efficacia, & illis verbis quibus decet, ſed tepide, frigide, & tam vanis ſermonibus euangelicas ueritates concionantur, ac ſi mendacia, fabulasq; narrarent. Fateor opidem, ueritates euangelicas dicendas, & pra-

Simile. *Simile.* *Ad Ephe. 3.c.* *Act. 6.c.* *Gen. 24.* *Hiere. 5.A*

prædicandas eſſe optime conditas, & , vt ita dicam, coctas, & non crudas. Gallina namque optimus cibus, atque optimum obſonium eſt, ſed oportet eam non crudam, ſed coctam, aut aſſam in cibum præparari: nullus enim illam crudam poterit manducare: ſic ueritas licet optimus cibus ſit, oportet tamen, ut cocta & ſale condita dicatur, & ita cor hominis confortabit, nec alicui ſcãdalum præbebit. Hoc condimentum verbis efficacibus, & caſtis, non autem vanis rhetoricis, quę ſaporem, & efficaciam ab ipſa ueritate auferunt, condiri, & præparari debet.

Concionatoris prudentia.

Mat. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, &c. dixit ſummus mundi magiſter Chriſtus Ieſus diſcipulis ſuis: quoniam *Simile.* ſicut ſerpentes totum corpus pro capite obiiciunt ferienti: ſic fideles concionatores corpus ſuum pro Chriſto capite perſequentibus offerre debent. Serpentina etiam prudentia vti debent, vt in omnibus auditorum moribus, & qualitatibus ſe attemperent. Hac prudentia vtebatur D. Paulus, qui ad Corinthios ſcribens aiebat. Sapientiam loquimur inter perfectos, & eiſdem *1. ad Co. 2.* Corinthiis imperfectis aiebat. Non po- *1. ad Co. 3* tui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potũ dedi, non eſcã, *Simile.* nondum enim poteratis. Quemadmodum non omnibus ægrotantibus, una, atque eadem medicina adhibetur, ſed uariæ pro morborum uarietate applicantur ſic non omnibus auditoribus, una atque eadem conuenit doctrina, ſed eorum uarietati, eſt oratio accom- *Simile.* modanda. Vt diligens, & prudens, atq; peritus medicus, prius quàm adhibeat ægro medicamen, non ſolum morbum eius, cui uult mederi, debet inquirere, & cognoſcere, ſed mores, conſuetudinem, & corporis naturam, & qualitatis: ſic prudens concionator diſſertus, & cordatus præſul daturi ſunt operã, ut ægritudines, mores, & ingenia ſubditorum animo percipiant, ut poſſint medicamina unicuique apta opportune adhibere. Apud S. Ezechielem, ubi noſtra uerſio habet: ſpecies autem rota- *Ezec. 10.* rum erat quaſi uiſio lapidis Chryſolithi, habet uerſio Symachi. Quaſi uiſio lapidis Hyacinthi. Hyacinthus cum aere mutatur nam in ſereno eſt perſpicuus, in nubilo uero ſubobſcurus. Tales eſſe debent doctores, & concionatores, omnibus auditorum moribus ſe attemperantes, ut diximus. Ideo Chriſtus Dominus illis ait: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. Prudentia enim maximè neceſſaria præſuli ac concionatori eſt.

Prudentia etiam concionatori neceſſaria eſt, quia ut apes multa percur- *Simile.* rentes prata ſolum floribus delectantur, & illos decerpunt, alia uero relinquunt, ſic multi auditores totam concionem audientes nihil uolunt niſi flores, & pulchrè dicta, hæc tantum curant, ſolidam autem doctrinam contẽnunt, & iuxta eam uiuere penitus ſpernunt. Id præuidens Beatus Paulus ad Timotheum ſcribens aiebat: Erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, &c. Et in Actis Apoſtolorum ſcriptum legimus, Athenienſes ad ni- *1. ad Tim. 4.* hil aliud uacaſſe, quam ut aliquid noui dicerent, aut audirent. Prudentia ue- *Act. 17.* rò concionatores uti debent, ut nõ propterea munus concionandi relinquãt, nam & ſi multi ſunt auditores curioſi, uani, & impii; ſunt etiã multi graues, docti, & pii, qui animi utilitatem quærunt. Et quamuis omnes abirent præter unum, ei tamen eſſet ueritas nuntianda. Notum eſt illud Antimachi clari poetæ dictum, qui (ut refert Cice. de *Cic. de cla. oratorib.* Claris oratoribus) cum conuocatis auditoribus legeret eis uolumen ſuum, eumque loquentem omnes præter Platonem reliquiſſent: legam, inquit, nihilominus. Plato enim mihi unus inſtar eſt omnium. Vnde Beatus Auguſtinus in

in lib. de diſciplina Chriſt. ſic ait. Qui timuerit, ne ſemen cadat in terram malam, non peruenietad bonam. Iactamus ſemina: ſpargimus ſemina: ſunt qui contendunt: ſunt qui reprehendunt, ſunt qui irrident. Iſta ſi nos timuerimus, nihil habemus ſeminare, & in meſſe habemus eſurire. Perpendat concionator, ne altiſſima myſteria ſimplicibus hominibus incautè proponat. Nam inquit B. Cyril. Hieroſolymitanus Epiſcopus: Cum catecheſis recitatur, ſi catechumenus ex te quæſierit, quid dicebant doctores: nihil dicas extra: myſteria enim tibi, & ſpem futuri ſæculi tradidimus. Cuſtodi hoc myſterium retributori. Quid obeſt, ſi & ego hoc dixero: Etiam ægroti uinum quandoque poſtulant, quod ſi intempeſtiue illis detur, phreneſim conciliat, & duo hinc naſcuntur mala nam & æger interit, & medicus male audit: ſic & catechumenus ſi audiat myſteria à fideli, phreneſim patitur: neſcit enim, quid audierit, & tamen arguit rem ignotã, dictaque irridet: fidelis uerò tanquam proditor condemnatur. Iam ergo tu in finibus noſtris cõſtitutus caue, ne quid efficias: non quod digna non ſint narratione ea, quæ ibi dicuntur, ſed quòd indignus eſt ille audire, cui refers. Beatus Chryſoſtomus etiam concionatores hoc docet ſuper illa uerba: Nolite ſanctum dare canibus, dicens: Sicut ſi canibus dederis ſanctum, aut porcis margaritas, nec ſanctum canes ſanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos, ſed cõtra canes coinquinant ſanctum, & porci margaritas ſordidant, uel confringunt: ſic ſi hominibus caninos, uel porcinos mores habentibus ſanctum dederis, aut myſteria ſecreta tradideris; nec ſanctum illos ſanctificat, nec myſteria ueritatis illos illuminant, ſed è contra ipſi ſanctum coinquinant, & myſteria ueritatis blaſphemant.

B. Aug. in lib. de diſcipl. Chri.

Cyril. in præf. catecheſeon.

Simile.

B. Chry. homi. 17. operis imper.

Simile.

Ibidemque ait idẽ ſanctus Doctor: Sicut non omnis poteſt ſe mergere, & de profundo tollere margaritas, niſi artifex qui habet uſum rei illius: ſic non omnis homo poteſt deſcendere in altitudinem ſenſuum, & inuenire myſteriorum abſconditas margaritas, niſi uir ſpiritualis, qui habet exercitationem ſpiritualium narrationum Dei. Et in alia homilia inquit: Sicut infanti ſi dederis fragmentum panis, quoniam anguſtas habet fauces effocatur magis, quam nutritur: ſic & homini imperfecto in fide, & puero in ſenſibus, ſi altiora myſteria uolueris dicere, anguſtam habens fidem, & ſenſum magis ſcandalizatur, quam ædificatur.

Simile.

Concionatoris fidelitas.

PRophetæ Hieremiæ dixit Dominus. Ecce dedi uerba mea in ore tuo. Hoc cogitare debet euangelicus cõcionator ſibi à Domino dictum eſſe. Quod perinde eſt, ac ſi ei diceret. Animaduerte diligenter quomodo uerba mea tractas: attende, quo zelo, qua intẽtione, qua efficacia ego illa protuli: ſic & tu ea proferre debes: non illa proferas cũ uanitate, ut gratus fias populo, & ut eloquens habearis: caue, ne hoc facias, & pro certo habeto, te meis uerbis in hoc ignominiæ notã incurrere. Tuã ergo intentio duntaxat debet eſſe, peccatores conuertere, ut ſe meæ obedientiæ ſubijciant, & in amore meo inflamment, & ut qui iam iuſti ſunt, iuſtificentur adhuc: quod ſi hunc finem habueris, & ad hunc ſcopum tuas direxeris actiones, omnia remedia ad illum neceſſaria in tua concione inueſtigare cõtedens, munus tuum præſtabis. In pœnã magnorũ ſcelerum populi Iſraelitici Propheta Iſaias eis ex Dei nomine ſi ait. Ecce Dominus exercituum auferet à Hieruſalem, & à Iuda omne robur panis. Et credo, quod propter magna peccata noſtra nunc etiam idem Dominus eodem ſupplicio nos punit permittens, vt ſint aliqui uani prædicatores, qui nobis panem doctrinæ ſine robore, ſine uirtute, & ſine ſpiritu

præ-

præbeant, atque ita populi, poſtquam illos audiunt ſæpenumero nullos ferè in ſeruitio Dei progreſſus faciunt. Nunquid bonum eſſet, ſi cum quiſpiam tanta fame oppreſſus eſſet, ut iam iam perire uellet, tu eum melcoctilibus aut lagunis, ſiue (ut uulgo dicitur) ſupplicationibus inuitares? Nullum profecto remedium eius neceſſitati adhiberes. *Bueno ſeria que viniendo vno muerto de hambre para eſpirar, y ſalieſſe otro a conuidarle con ſuplicationes, o con melcochas? Gentil remedio paratan gran neceſſidad, dalde pan, y maniar de ſubſtancia, con que ſe esfuerçe, y ſubſtente, que eſſo es lo que le importa.* Sic dicendum eſt de eo, qui uanas rethoricas populo corrupto, & perdito ac doctrina ſolida egenti prædicare conſueuit non efficacibus, aut ſubſtantialibus uerbis, ſed inanibus atque impertinentibus rethoricæ floribus. Quando Dominus Prophetę Hieremiæ dixit; Ecce dedi uerbam mea in ore tuo, ſtatim adiecit. Ecce cõſtitui te hodie ſuper gẽtes, & regna, ut euellas, & deſtruas, ut ędifices, & plates. Vt igitur diuini uerbi cõcionator euellat, & deſtruat ſimilis eſſe debet agricolæ, qui terram non ſuperficialiter arat, ſed aratrũ in eam profundè intrare facit, & ad hoc pedes, ac ſe ipſum ſuper aratrum ponit, & ita efficit, ut aratro interiora terræ penetrante, radices ac malæ herbæ, quæ in profundo terræ ſunt, funditus euellantur, & terra ipſa hac diligentia adhibita ad uberrimos fructus producẽdos diſponitur.

Concionatoris munus præclarum.

QVAM excellens, ac prę clarum ſit munus concionatoris aperte conſtat ex illis D. Iacobi uerbis, Fratres mei ſi quis ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam ſaluauit animam eius à morte. In quo loco teſtatur S. Apoſtolus prædicatorem habere munus ſaluã di animas, ſi quidem ait; ſaluauit animam eius. Quanto excellentior eſt materia, in qua artifex tractat, tanto eſt nobilior, & honoratior eius ars. Figulus tractat in luto ſutor in corio, faber ferrarius in ferro, & ideo eorum officia uilia ſunt. Materia uero in qua tractat, ſarcinator eſt pannus, ſericum, purpura: ideo quia eius materia melior eſt ars eius etiam nobilior reputatur: Plumarius uero (*ideſt el broſſador*) & aurifex, altiora atque eminentiora his omnibus officia habent, quoniam materia, in qua tractant, longe pretioſior eſt, quippe cum ſit aurũ, argentum, ac lapides pretioſi. *Pues el predicador trata en almas, que es el mas alto metal que Dios crio aca en el mundo (y por eſſo ſu officio es nobiliſſimo, altiſſimo, y ſanctiſſimo) requiere que los artifices deſte officio ſean ſanctiſſimos, y perfectiſſimo.* *Simile.*

Quando ægrotus pharmacũ, ſeu potionem amaram ſumit, & cum illa ſtomachus eius non alteratur, ſignum eſt apertiſſimum, quod aut potio illa non erat apta morbo ægroti, aut ſtomachus eius nimis obduratus erat. Sic quando cõcionator animos audientiũ non mouet ſignum eſt, quod aut concio eius frigide, inerter, & magna cũ negligentia prædicata fuit, aut auditores illius duri erant, ſicut lapides. Chriſtus redemptor noſter de ſe apud Matth. dixit. Nõ ueni pacẽ mittere, ſed gladiũ. Ita oportet, ut cõciõnator diui uerbi eo modo prædicet, & res tã efficaces in ſua cõcione dicere iutendat, ut peccatores eum audientes maneant morſibus conſciẽtię, & ſcrupulis ſuorũ ſcelerum pleni, atq; inter ſe ipſos in magno bello, & contradictione poſiti. *Simile.* *Mat. 10.*

Concionatoris neceſſitas.

EN los lugares, que eſtan a los pies de las montañas ſe ſuele tañer al principio de la noche vna campana en pino, para que venga la gente perdida, y atinem los caminantes con el lugar. Hermanos mios ſierra muy aſpera es la muerte, y noche muy eſcura es el morir: pero tiene Dios a los *Simile.*

los predicadores como campana para que ta
ñan y agan atinar a los peccadores al lu-
gar que mas les cumple, que es el cielo.]
Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta uo-
cem tuam, & annuncia populo meo ſce
lera eorum, & domui Iacob peccata eo
Iſa.58. rum. [*No dexes de tañer, porque no pe*
ligre alguno, y ſe deſpeñe por donde ſus
deſſeos mal le guiaren. O que gran bene-
ficio es de Dios tener quien ſiempre nos en
ſeñe el camino del cielo. En las fortale-
Simile. *zas que eſtan en frontera de enemigos co-*
mo es en Africa, ſiempre tañen vna bozi-
na de noche para que ſi algun Chriſtiano
cautiuo ſe ſoltare atine alli, y ſe ſalue. O
bendito ſea Dios, y glorificado que quiere
que aya en la ſancta Igleſia frontera de Mo
ros bozinas, que ſon los predicadores, para
que ſi algun peccador ſe ſoltare de la cade
na, y cautiuerio del peccado aya quien lo di
ga. Aqui ay remedio para todos los ma-
les por grandes que ſean.

Concionator priùs faciat, quàm doceat.

Num.10. IN libro Nume. ſic legitur. Loquutus
eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Fac
tibi duas tubas argenteas ductiles, qui-
bus cõuocare poſſis multitudinẽ, quan
do mouenda ſunt caſtra. Ad vnum ex
quatuor pulſandæ erant hæ tubæ, uide
licet quando populus ad aliquod nego
tium peragendum congregandus erat:
ſecundo quando caſtra mouenda erãt
ab vno loco in alium. Tertio quando
aduerſus hoſtes dimicaturi erãt. Quar-
to quando conuiuia, & feſtiuitates ſo-
lemnes fiebant. Per has tubas ſignifi-
cati fuerunt concionatores: atque ita
Iſa.58. Dominus Iſaiæ Prophetæ dixit. Quaſi
tuba exalta uocem tuam, & annuntia
populo meo ſcelera eorum. [*En vnã de*
dos maneras ſe ſuelen labrar las trompe-
tas o por fundicion, como campana derri-
tiendo el metal, y echandole en vn molde,
o labrando el metal a golpes con martillo,
y aqui mando Dios, que las trompetas fueſ-
ſen ductiles, id eſt, labradas con martillo, y
no por fundicion, y aſſi el predicador es cõ-
parado a la trompeta labrada de martillo,
y no de fundicion, porque mas perfecto me-
tal es el que ſe dexa labrar a golpe de mar-
tillo ſin quebrarſe y mas ſuffre deſpues, que
no el que ſe labra de fundicion como el me-
tal de vna campana, que con qual quier in-
conueniente facilmente ſe quiebra.] Sic
Euangelicus concionator, vt alius fru-
ctus pœnitentię agat, prius ipſe eam in
ſe facere debet, corpus ſuum diuerſis &
aſſiduis ictibus pœnitentiæ affligens, ſi
cut faciebat Apoſtolus Paulus, qui de
ſeipſo inquit. Caſtigo corpus meum, *1. ad Co 9*
& in ſeruitutem redigo, ne cũ aliis præ
dicauerim, ipſe reprobus efficiar, hoc
eſt caſtigo corpus meum diuerſis gene
ribus multorum operum pœnalium, ui
delicet ieiuniis, diſciplinis, cilitiis, & aſ
ſidua oratione, illudq́; tam ſubiectum
ſpiritui habere procuro, ſicut facit ſer-
uus, qui domino ſuo abſque aliqua reſi
ſtentia obedire ſolet; ne mihi contin-
gat id, quod inanibus concionatoribus
qui cum aliis prædicauerint, ipſi repro
bati & condemnati remanent, quia cõ
tra id, quod docuerunt, faciunt, & ope-
rantur. Iſti nõ ſunt tubę fabricatæ mal
leo, ſed creati ſunt in biſſo, & purpura,
& epulantes quotidie ſplendide, atque
conuiuia ſumptuoſa admittentes in po
pulis ubi prædicant, doctrinam ſuã ab
aliis negligi, & paruipendi faciũt: quia
eorum uita uerbis, quæ prædicant, non
correſpondet.

Reſtat igitur, ut uideamus, quę nam
doctrina, qualis, & quomodo prædican
da eſt. In quatuor temporum differen-
tiis tubæ illæ, (ut dictum eſt) pulſaban
tur, ſcilicet, quãdo filii Iſrael aduerſus
hoſtes ſuos prælium committebant:
quando in aliquo loco congregandi e-
rant, quando exercitus Hebræorũ iter
faciebat, & in conuiuiis, atque feſtiuita
tibus ſolemnibus. Quatuor differentiæ
doctrinarum prædicandæ ſunt, quas
Concilium Tridentinum propoſuit, &
ad literam expreſſæ, & explicatæ fue-
rant.

rant à Seraphico patre noſtro Franciſco in regula ſua, uidelicet uitia, & uirtutes, pœna & gloria. Primum, ad quod inuentæ fuerunt tubæ, fuit ad prouocandum milites ad bellum. Sic primum, quod euangelicus concionator facere debet, eſt contra uitia prædicare docens, quomodo tentationes ſuperandæ ſunt uidelicet reſiſtendo maxima cum efficacia principijs. Cor eſt locus eſt ubi peccata fabricantur, & habet tres terminos: primus appellatur ſuggeſtio, quæ fit, quãdo nobis in mentem uenit peccatũ aliquod, ut iniuria accepta, aut peccatum carnale, &c. Secũdus terminus uocatur delectatio, quę tunc eſt, quando in illa imaginatione detinemur. Tertius eſt conſenſus, quando ſcilicet deliberate conſtituimus opere exequi id, quod cogitauimus. Quod igitur concionator docere debet, eſt, qualiter aduerſus hos inimicos pugnare debemus reſiſtendo principijs, uidelicet ſuggeſtioni, nec in malum creſcat, & augeatur. Hoc B. Hieronymus ad Euſtochium eleganter admonuit dicens. Impoſſibile eſt innatum medullarum calorem in hominis ſenſum non irruere. Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui cũ cœperit cogitare, allidit cogitatus ſuos ad petrã petra autẽ eſt Chriſtus. Nec ceſſare debet homo, quouſque à ſe expellat primam illam cogitationẽ, ita ut dicere poſſit illud pſalmi; Perſequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Aliqui ſunt, qui quoniam opportuno tempore ſuggeſtionibus maxime carnis, & iræ, non reſiſtunt; poſtea ſe ipſos deceptos inueniunt, & quando uolunt, non poſſunt, aut ſaltem à prauis cogitationibus difficillime ſeruentur. Idcirco prudenter dixit Philoſophus quidam. Principijs obſta, ſero medicina paratur. Cum mala per longas conualuere moras. Ægritudines corporales qualis eſt ethica, & thiſica, poſtquam febris uſque ad oſſa penetrauit, irremediabiles eſſe ſolent,

B. Greg li. 19. moral. Act. 16. c.

Cant. 4. c.

Heb. 4. c.

[y eſto ſucede por no auer acudido a los principios.] Huiuſmodi etiam ſunt ęgritudines ſpirituales, *[que por no acudirles con tiempo ſuelen hazer preſſa en el alma, y aſſi tarde o nunca ſanamos dellas]* Hoc debet prædicator docere, qui ſignificatur per tubam, quæ pulſabatur, quando Iſraelitæ aduerſus hoſtes dimicaturi erant, uidelicet initio belli. Quoniam autem non ſufficit uitia effugere, niſi & uirtutes apprehedantur, ideo ſecundum, ad quod tubæ pulſabantur, erat ut populus congregaretur ad agendum de reipublicæ pace & tranquillitate. Vnum ex præcipuis, quod concionator euangelicus perſuadere omni ſtudio debet, eſt ut pax in Republica ab omnibus obſeruetur, ab illa enim dependet totius legis obſeruatio, in qua omnium uirtutũ exercitium nobis præcipitur. Qui diligit proximum, legem impleuit: nam non occides, non adulterabis, & ſi quod mandatũ eſt in lege, in hoc uerbo inſtauratur. Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum: inquit Beatus Apoſtolus ad Romanos ſcribẽs Et quia non ſufficit quempiam eſſe bonum, & uirtutes operari, ſed oportet, ut quotidie melior eſſe intendat: idcirco tertium, ad quod tubæ pulſabantur, erat quando caſtra Hebræorum mouẽda erant ut ulterius uſque ad terram promiſſionis pergerent. Vbi aperte ſignificabatur, quòd poſtquam uirtutis uiam aggredi incœpimus, illam proſequi, & ulterius progredi debemus. Auarus nunquam auaritiæ finem imponit, quin etiam quanto amplius poſſidet tanto magis appetit habere, quia creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. *Aſſi el hombre virtuoſo no ſe ha de contentar con lo que es, ſino con lo que podria ſer.]* Quod ut efficiat, non debet ſe cũ peccatoribus, ſed cum iuſtis, quos uidet in plurimis uirtutibus exercitatos, & etiam cum ſanctis, quorum uitas admirabiles fuiſſe legimus, comparare: nam ſi cum peccatoribus ſe confert, in phariſaicam ſuperbiam incidet,

B. Tho. 2. 2

cidet, & intra ſe dicet. Non ſum ego, ſicut cæteri homines. Et hoc eſt tertiũ, quod euangelicus concionator docere debet. Denique quartum, ad quod tubæ clangebant, erat quando aliqua ſolennitas, aut lautum, & principale conuiuium celebrabatur. Vnum ex præcipuis, quod homines ad bene uiuẽdũ mouere debet, & quod prædicatores populo perſuadere debent, eſt repræſentando eis gloriæ conuiuium bonis æternis plenum & mala gehennæ infinibilia.

Concionatoris zelus, & deſideriũ.

TEſtatur B. Ioannes in Apocalypſi quandam admirabilem viſionem ſe uidiſſe, dum ait. Et ſignum magnũ apparuit in cęlo: mulier in utero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur, ut pariat. Hæc mulier eſt ſacroſancta Eccleſia, quæ ſanctis deſideriis cõuerſionis peccatorum prægnans eſt. Vbi nobis oſtenditur zelus, & deſiderium, quod iuſti in hac eccleſia habuerunt propter animarum cõuerſionem: oſtenditur etiam efficacia. qua prædicarunt, ut homines à uitiis deterrerẽt, & uirtutibus per amorem atque affectionem coniungerent. Fideliſſimum de hoc teſtẽ habemus glorioſum Paulum, qui ad Galathas ſcribens inquit; Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. *Ad Gal.4* Perpẽdite, quæſo, uerborum dulcedinem, & ſuauitatem, qua eos alloquitur dicens; Filioli mei: attendite etiam afflictiones, & anguſtias, quibus cor eius torquebatur propter deſiderium, quod habebat, ut ipſi ſancti efficerentur, ſiquidem ait. Quos iterũ parturio, hoc eſt, quod in hoc miniſterio ſanctus Apoſtolus patiebatur dolores, quos mulier in partu perferre ſolet. Nec deficiebat faciendo quidquid ex parte ſua poterat, ſiquidem ait. Donec formetur Chriſtus in uobis, hoc eſt, donec ſitis ueri imitatores Ieſu Chriſti. [*En los peccadores Chriſtianos no eſta Chriſto formado; porque no eſta con ſus luſtres y perfectiones, no eſta por gracia, y por charidad, ſino por fe, eſta como imagen informe. Como quando el pintor comiança a dibuxar la imagen, y a poner los colores eſcuros, y de menos luſtre, pero en los iuſtos eſta Chriſto formado con ſus colores, y luſtres perfectos, porque eſſa en ellos por græcia, y por charidad y por los dones del Spirituſancto, y por las demas virtudes. Y aſsi cada vno de los iuſtos es vna imagen, y retrato muy formado de Chriſto.*] Vt autem hoc opus per miniſterium Sancti Apoſtoli in cordibus credentium fieret, ait, ſe illas afflictiones pati. Propter hunc etiam finẽ idẽ glorioſus Apoſtolus ad Corinth. ſcribens, inquit, ſe uiuere in fame, in ſiti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate *2. ad Cor. 11.* præter illa, quæ extrinſecus ſunt, hoc eſt præter perſecutiones tyrannorum, & infidelium, quas extrinſecus ab illis paſſus ſum, præter illa, inquam, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omniũ eccleſiarum. O feruentiſſimam charitatem? O ſingularem Apoſtolici uiri zelum? Hęc erat maior eius afflictio, uidelicet ſolicitudo non unius eccleſiæ, aut decem, aut uiginti, ſed omnium eccleſiarum. Zelus etiam & deſiderium huius ſanctiſſimi uiri oſtẽditur in illis uerbis, quæ ad Ephęſios dixit, eis in uirtute perſeuerantiam commendans. Vigilate, inquit, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non ceſſaui cum lachrymis monens unumquemque ueſtrum. *Act.20.* Admirabilis charitas huius Apoſtolici uiri erat fons, & origo à quo tot lachrimæ profluebant, ut per trium annorum ſpatium ex ſanctis oculis eius fluere non deſtiterint. Tales prædicatores, ut hic ſanctus uir in humanis cordibus maxime operantur. O fęlices oculi iuſtorum, qui ſunt uelut fontes lachrimarum, quæ exeunt ex uiuo deſiderio conuerſionis peccatorum. In Geneſi legitur, quòd poſtquã Patriarcha Iacob cum Deo luctatus eſt ei dictum fuit. Si contra Deum fortis

fuiſti,

Gen. 32. ſuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Hoc idem poſſumus dicere de quolibet eorum, qui, cum iuſti ſint, munus prædicationis exercent, hoc, inquam, eis dicere poſſumus uidelicet, quod ſiquidem aſſidue cum Deo in oratione, contemplatione, ſanctis exercitiis luctantur, & ſuſpiriis, ac lachrymis ipſum uincunt, quanto magis homines peccatores ſuperabunt, eoſque diuino fauore adiuti ad ipſius Dei obedientiam adducent?

Concionatorum pigritia aut audacia.

Aliter ſunt admonendi, qui cum habeant ſufficientiam, & ætatem recuſant prædicare propter humilitatem, & timorem: & longe aliter refrænandi potius qui cum inhabiles ſint, id muneris uolunt exercere. Videant enim illi, quòd ſi iuſtè reprehenduntur, qui cum habeant pecunias, eas nō communicant pauperibus, multo magis ipſi reprehenſionem incurrere debent, qui nolunt, quam habent doctrinam communicare. Sapientia autem Eccl. 20. abſconſa, & theſaurus in uiſus, quæ utilitas in utriſque? Si præterea populus fame premeretur, & tu haberes triticū abſconditum, nonne hoc tuum magnum ſcelus eſſet? Multo maius certe eſt, quod doctrinam pabulum animæ abſcondas? Qui abſcondit frumenta Prou. 11. (ait ſapiens) maledicetur in populis. Abſcondere autem frumenta eſt denegare ſanctam prædicationem. Si non abſcindere putridum alicuius uulneris cum artem calleas crudelitatis cuiuſdam eſt, quandoquidem ea cauſa is moreretur, an non maior eſt crudelitas prædicationis gladio uitia non abſcindere, cum poſſis, & morbis animæ non mederi? Maledictus (ait ſanctus Hiere. 48. Hieremias) qui prohibet gladium ſuū Mat. 25. à ſanguine. Recordare præterea eius, Pſal. 39. qui abſcondit talentum, grauem pœnam, quam ſubiit. Non equidem propheta in hanc reprehenſionem incurrere uolebat. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti: cæterum illi ſunt refrænandi, & arcendi à tanto munere, qui tum propter ætatem, tū propter ignorantiam minus habent ad hoc munus authoritatis. Præſertim cū propter audaciam ſuam poſſint deturbari cum ignominia ab ea dignitate, quam tamen progreſſu temporis utilius, laudabiliuſque exercuiſſent. Sunt iſti tanquam arbores illæ, quæ intempeſtiuè flores emittunt, ſuccedentibus autem uētis, & calamitate aliqua, mox Simile. deſtruuntur, & omnino intereunt. Sunt etiam ſimiles auiculis, quæ uix bene plumatæ ſe ſe aeri exponunt, ac propterea concidunt, & intereunt. Quamobrem cęleſtis mundi magiſter Chriſtus Ieſus ad noſtram utilitatem & exemplum, licet poſſet prædicare in quacūque ætate, maturiorem tamen expectauit, ut inquit B. Gregorius. B. Greg. 3. par. paſtoralis.

Concionatoris prudentia & zelus.

Scribens Beatus Paulus Corinthijs, 1. ad Co. 3. inquit, Lac uobis potum dedi. Hoc eſt in doctrina deſcendere curaui iuxta audiētium neceſſitatem, & indigentiā. Faxit Deus, ut ita faciant concionatores omnes. Veruntamen aliqui ex his ſæpe coram infirmis ignaris auditoribus volunt pertractare ſublimia, ac nimis acuta, ut ſic eruditionis ſuæ ſpecimen proponant, ſeque doctos eſſe rudi plebeculæ, & infirmæ proclament, erubeſcentes familiaria, atque domeſtica ylla dicere, erubeſcunt illis aperire materna vbera, & lac facilis doctrinæ præbere filijs auditoribus. Quid in his tēpus fruſtra conſumis? Illud profecto tibi confirmo, nulla te melius ratione poſſe ingenium tuum eruditionem palàm facere, quam ſi noris, te audientiū neceſſitatibus adaptare, ſpiritu quodā res omnes informando, atque propterea congruenter extollendo res humi-

les. Concionator igitur Chriſtianus uideri potius affecta, quàm doctus. Cura ergo deſcendere, cum Apoſtolo, & dicere: Lac vobis potum dedi.

Concionator.

Pſal.49. PEccatori dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Si Imperator Alexander publica præconis voce iuſſit ſub pœna mortis, ne aliquis pictor præter inſignem, atque inclytum Apellem pictorem depingeret ipſius Imperatoris figuram: indignū ſua perſona reputans, quod pictor, qui in arte pingendi perfectiſſimus non eſſet, ipſam depingere auderet. Quare concionator ſceleribus, & peccatis immerſus audebit in cordibus fidelium figuram, uitam, ac doctrinam ſuperni Imperatoris cœli & terræ Ieſu Chriſti ueri Dei, ac veri hominis depingere?

CONCIONIS auditor.

CELEBRIS eſt Philoſophorū ſententia, actus actiuorum eſſe in patiente diſpoſito, quod planè adeò uerum eſt, vt quo maior fuerit in rebus diſpoſitio, eo & celerior, & perfectior actio conſequatur. Sic uidemus ligna arida igni admota facile inflammari. Quare non ſemper ſatis eſt, ut audiendis concionibus proficias, idoneū quidem eſſe doctorem, niſi ſit etiā idoneus auditor, qui uidelicet non ſegniter, non ocianter, non curioſitatis affectu audiat uerbum Dei. Quemadmodū

Simile. enim terræ aliquæ eſſe perhibentur adeò ſteriles, ut ſi in eis tritici puriſſimi ſemen ſparſeris, non triticū, ſed tiphā referāt: ita planè iſtis contingit, in quorum pectoribus ſi verbi Dei ſemen ieceris, nō ſeminis huius fructum, qui in uitæ integritate conſiſtit, ſed uanitatis, aut curioſitatis paleas proferunt. Hoc autem in ſcelerum pœnā Deo ita permittente futurum eſſe Propheta Iſaias

Iſa.17. non tacuit, cum ait. Quia oblita es Dei tui, & fortis adiutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationē fidelem, & germen alienum germinabit: Quid autem indignius, quàm atrociſſimas Dei minas non ad timorē, ſed ad delitias, & uoluptatem audire? Quia vero ad hanc animæ præparationem ſpectat, ut omnia introducendæ formæ impedimenta remoueantur, ſummo ſtudio curandum eſt, ut quę nā ea ſint intelligamus, quò illis è medio ſublatis, uerbi Dei ſemen vberem, & copioſum in nobis proferat fructum. Quæ autem ſint hæc impedimenta, cœleſtis mundi magiſter propoſita in ſigni parabola de ſemine iacto ſecus viā ſupra petram, & inter ſpinas luculenter declarauit. Luc.8.

Concionis auditor.

COncionis auditoribus ſummopere conuenit, ut perpendant verba illa, quæ Chriſtus Redemptor noſter apud Matthæum dixit, de Phariſæis loquens. Omnia quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite, ſecundum uero opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Quod perinde eſt, ac ſi dice- Mat.23.

diceret. Vos qui ſedetis in eccleſia qua ſi iudices ſacerdotũ, & non auditores, aliena diſcutientes, & propria nõ cõſiderãtes ex uobis ipſis iudicate de ſacerdotibus. Sicut uos oẽs auditis, & nõ oẽs facitis, quod auditis: ſic & ſacerdotes oẽs docent, ſed non oẽs faciũt, quod docẽt. Nã in hominibus dignitas quidẽ diuerſa eſt, oĩum aũt natura una eſt. Si bene uixerint, eorũ eſt lucrum, ſi bene docuerint, veſtrũ. Accipite ergo, quod ueſtrũ eſt, & nolite diſcutere, quod alienũ eſt. Frequẽter.n.& de homine malo bona doctrina procedit. Si quis iuxta biuiũ aliquod araret, ubi duo diuerſa itinera diuidũtur, & tu ignorans utro illorum itinerũ eſſet tenẽdũ quo pergis ab illo ſciſcitareris, quę tãdẽ via ineunda eſſet ille qui te uerã edoceret viam non diſcedens omnino a loco, in quo erat; nunquid iure poſſes conquæri, quod tibi uiam indicans nõ eſſet te comitatus, ſed arans perſeuerauerit? Aut forte renueres pergere per talem uiam, eo quod ille per eandem non incedat, ſed in eodem loco ſemper conſiſtat? Minime id quidem: Eſſet enim perabſurdum, & hominis dementis nolle illius optimo uti cõſilio. Ita planè inſani hominis eſt atque deliri uti nolle ſalutaribus conſilijs, & documentis, quæ nobis ſuggerũtur, quamuis exploratum nobis ſit illũ, q ea præbet, in peccatis uolutari cõtẽpto uirtutis itinere, quod ſuaſit. *Simile.*

Tam pigri, tamque deſides ſunt hodie homines ad uerbum Dei audiendum, ut dicere eis poſſimus illa uerba quę olim Propheta Ezechiel Hebræis dixit: Montes Iſrael audite uerbum Domini. Sed quid ais diuine uates? Confer ſermonem tuum cum hominibus non autem cum montibus. Cur inſenſibilia alloqueris, Iudæos autem ſenſus participes relinquis? At alte ſpectare uidebimus profectò ſanctum Prophetam ob Iudæorum ſcilicet, duritiã, & perfidiam, & pertinaciam, & contumaciam iratum, ad res inſenſibiles ſe merito contuliſſe, vt homines multo illis inſenſibiliores eſſe ſignificaret. *Ezech.32.*

Quærens alius Propheta à mari, quid eſſet quod in exitu Iſraelitarum ex Ægypto fugiſſet, & a Iordane cur fuiſſet retrorſum conuerſus, adfert diuerſas creaturas in hunc modum reſpondentes, A facie Domini mota eſt terra, a facie Dei Iacob qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupes in fontes aquarum. Ac ſi diceret: Quid mirum ſi nos Deo pareamus, cum terra multo nobis craſſior, ei aures præbuerit, & mirabiliter obtemperauit? Nec ſolum terra ſed etiam duriſſimæ rupes fuerunt ex eius iuſſu in fontes aquarũ conuerſæ. Et alio in pſalmo. Commota, inquit, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt quoniã iratus es eis. Vnde colliges, quam culpabiles ſint homines, qui nollunt audire uerba Dei quandoquidem nec quod lapides faciunt, ipſi facere uolunt. *Pſal.113.* *Pſal.17.*

Quantopere lætaretur B. Chryſoſtomus conſiderans auditores ſuos eſſe adeò proficiendi ſtudioſos, & auidos, uerba eius manifeſtè indicant: dicebat enim in quadam homilia. Videns ergo dilecti alacrem, & quotidianum ueſtrum in hoc templo conuentum, maximam profecto animo capio uoluptatem, miſericordemque Deum in profectu ueſtro glorificare non ceſſo, & in tanta ueſtra audiendi auiditate. Nam ſicut eſurire, cibumque appetere, corporalis ſanitatis indicium eſt: ita & magno ſtudio diuina audire eloquia, ſalutis animæ indicium eſt, maximum, & argumentum. Hinc dicitur apud Matthæum. Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. Quare ego ueſtro audiendi incenſo, & inflammato ſtudio fretus magis etiam, magiſque accendor ad ueſtram eruditionem promouendam. Propter uos enim, nempe ut proficiatis, hunc omnem laborem toleramus, maximeque nobis perſuadet tam ardens ueſtrum audiendi ſtudium, uos breui magnos in uirtute, & *B. Chryſo. ho.4. ſuper Geneſ.* *Simile.*

ſpirituali exercitatione progreſſus eſſe facturos. Tam ardens enim ſtudium veſtrum noſtram alacritatem fouet, mentem noſtram incitat, quod ſciamus non in uanum & fruſtra operam noſtram teri. Et certe cùm talia indicia in auditoribus non apparent, totà concionatoris induſtria, & feruor ſepè ſcere uidetur, atque remitti. Vnde & Chriſtus Dominus cum talia ſigna nō apparerent in auditoribus patriæ ſuæ idcirco noluit ibi prædicare.

Concionis auditor ob curioſitatem.

Plurimi cupiunt uerbum Dei propter curioſitatem duntaxat audire, ex quo eius indigni efficiuntur. Ductus fuit ſanctiſſimus Ieſus in domum impij Regis Herodis,& ei nec unum uerbum loquutus eſt. O uerbum Patris æterni quare nec ullum uerbum loqueris? Quare Domine Herodi non prædicas ſiquidem & te uidere, & audire deſiderat. Quare ipſum de iniquitate, qua in B. Ioannem uſus eſt, dum eum fecit interficere, ac de adulterio,quod contra fratrem ſuum commiſit,acriter non arguis,& reprehendis? Non magni faciatis fratres mei deſiderium audiendi concionem,nec etiam magni faciatis ad eccleſias uenire cauſa videndi Ieſum Chriſtum Redemptorē noſtrū, id enim etiam improbus habebat Herodes. At ſicut ille hoc per curioſitatem deſiderabat, ſic plurimi ex uobis illud optatis. Siquidem igitur Dominus Herodem non eſt alloquutus, nec ipſum increpauit quin potius tāquam incorrigibilem reliquit, pertimeſcite fratres, ne uos etiam in pœnam ueſtrę curioſitatis, uanitatis, & obſtinationis omnino relinquat. Ergo ne cupiatis fratres concionem propter curioſitatem tantummodo audire, ſed ut remedium animis ueſtris accipiatis, animaduertentes id, quod B. Gregorius inquit. Niſi ſpiritus ſanctus ad ſit cordi audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris. Nemo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit,qui doceat, Doctoris lingua exterius in uacuum laborat. Qua propter conuenit fratres mei,ut quando in eccleſiam ad audiendam concionem confluitis, prius Spiritum ſanctū efficaciter deprecemini, vt corda ueſtra ad cęleſtem doctrinam eius recipiendam diſponat. Etenim ut idem ſanctus Doctor ait, In caſſum homo exterius mouetur, ſi intus cor eius gratia non repletur, eſt enim mutum os omne ſi ille interius non clamat, qui ſpirat uerba, quæ audiuntur. Qua uero reuerentia cōcio ſit audienda Origenes ſuper Exodum explicat his uerbis. Videte fratres, ne effluant, quę dicuntur, & pereant. Volo uos admonere religionis ueſtræ exemplis. Noſtis qui diuinis myſterijs intereſſe conſueuiſtis, quomodo enim ſuſcipitis corpus Domini cum omni cautela, & ueneratione ſeruatis, ne ex eo parum aliquid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim uos creditis (& recte creditis) ſi quid inde per negligentiam decidat. Quod ſi circa corpus conſeruandum tanta utimini cautela (ut merito utimini) quomodo putatis minoris eſſe piaculi uerbum Dei neglexiſſe,quam corpus eius? O uerba digna ęterna memoria? firmet ea omnipotens in cordibus ueſtris. Perpendite etiam, quid Plutarchus circa hanc materiam in moralibus dicat. Non oportet hoc animo ad audiendum accedere, quo ad ſpectaculum, puta, ut tantùm delectemur, ſed ut meliores efficiamur. Quod ſi hoc Ethnicus homo dixit, quid nos Chriſtianos oportet facere? Mulieres olim ad tabernaculi fabricā inaures, & dextraliola obtuliſſe ferūt. Non enim ſat eſt propras habere aures ad uerbū Dei,niſi dexterā,ideſt,manus operi adiungamus. Non etenim auditores uerbi iuſti ſunt apud Deum,ſed factores. Fuerunt tamen alię mulieres, quę

B. Gre. ho 30. ſuper euangelia.

B. Greg. li. 11. mora. c. 5.

Origenes ſup. Exod.

Plutar. in Mora.

quæ inaures ſuas non ad tabernaculũ Domini, ſed ad uituli fabricam obtulerunt. Sic modo ſunt multi, qui aures Deo claudunt, & eas mundo aperiunt, nec obulum, quidem petenti Chriſto præbent, opes autem ſuas largiſſime in uanitatis, & mundi obſequium effundunt. Sanctus Propheta Daniel Regi Nabuchodonoſor explanauit, quid arbor illa, quam ipſe in ſomniis uidit, ſignificaret, dicens, illum ob ſcelera & peccata ſua è regno, atque ab hominũ conſortio expellendum eſſe, ut cum beſtiis, feriſque eſſet habitatio eius, & ut fœnum ſicut bos comederet, eique in hunc modum prædicauit. Quamobrẽ conſilium meum placeat tibi ô Rex, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Ipſe autem Rex cum ſe illo ſermone, & concione à Propheta habito ad Deum deberet conuertere, magis in ſuperbiã elatus eſt, atque in has uoces prorupit. Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Quaſi diceret. Quis poterit tam potenti Regi, qualis ego ſum, præiudicare? Atque propter hanc nequitiam, & peruerſitatem eadem hora (inquit ſacer textus) completus eſt ſermo Domini ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt & fœnum, ut bos comedit. Hæc eſt utilitas, quam plurimi peruerſi homines his noſtris temporibus ex concionibus educunt, ſcilicet, manere uelut Nabuchodonoſor magis obſtinati, ac magis digni ſeueriſſimis Dei ſuppliciis. Aliis autem iam concionandi munus eo deueniſſe apparet, ut quemadmodũ plerique hominis tabulas, in quibus dominicæ paſſionis myſteria ad uiuum expreſſa ſunt, curioſitatis magis, quam deuotionis affectu contemplantur, ita multi in ſacris concionibus, quæ ad auditorum ædificationem inſtitutæ ſunt, non quæ ad pietatis cultum pertinent, ſed ſolam dicendi artem obſeruant: in quo uitio ſcioli magis (qui aliquid ſibi ſapere uidentur) quam ſimplices, & qui illiterati ſunt, comprehenduntur. Illi tamen ſi recte ſaperent, in hoc ſapere deberent, ut intelligerent, abſordiſſimum eſſe, tanquam ludicra audire ea, in quibus de ſumma ſalutis noſtræ agitur. Ne ſitis igitur fratres mei adeò uobis ipſis inimici, ut ex tanto bono commodum elicere nolitis. diſponite, obſecro, corda ueſtra, ut in eis uerbum Dei ita adhæreat, ut non ſolum contrita, & reformata maneant, uerum etiam curent, & deſiderent aliorum reformationem. Nam (ut B. Chryſoſtomus in quadam homilia ait) quemadmodum fauilla cum in arida ligna inciderit in flammam ipſa cõuertit, quæ ui ſua deinde uel uiridia ligna facile incendit: ita & concio.

Dan.4.c. — *Simile.* — *B. Cgry. homil.47. in Mat.* — *Simile.*

Concionis auditoris in obedientia.

IN Exodo legitur, quod S. Moyſes narrauit filiis Iſrael omnia, quæ præceperat ei Dominus, qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus, & opus duriſſimum. Promittebat Dominus Hebræis, ſe per manum Moyſi liberaturum eſſe eos ab impii Pharaonis ſeruitute, & in terram promiſſionis ducturum, atque potentiam ſuam aduerſus illum tyrannum Regem oſtenſurũ. Quando autem S. Moyſes eis hæc tam inſignia, atque excellentia beneficia ex nomine Dei promittebat, inquit ſacer textus, quod non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus, quam ex afflictione, & propter opus duriſſimũ patiebantur. Hæc duo impedimento eſſe ſolent, quo minus Deus in animã peccatoris ingrediatur, & in corde eius uerba diuina, quæ à prædicatore ex parte Dei nunciantur, nihil operentur. Vnum eſt plurima negotiorum corporalium, ac terrenorum occupatio. Vnde Regius Propheta inquit. Quoniam non cognoui literaturã, (ubi alia tranſ-

Exod.6. — *Pſal.70.*

latio habet. Quoniam non cognoui negotiationem) introibo in potentias Domini. Quoniam odiui omne genus tumultus, & negotii temporalis Deus mihi communicauit id, quod ipſe ſolus, & non aliqua creatura communicare poteſt, uidelicet iuſtitiam, & gratiam ſuam, ad omnia mala ſuperanda, & ad omnes hoſtes ſpirituales facillime uincendos. Alterum eſt propter anguſtiā ſpiritus. Plurimi ſunt qui altiſſimum Deum ab anima ſua expellunt, eiuſq; diuinis uerbis minime obediunt non quia in negotiis exterioribus occupantur, ſed quia paſſiones animæ, quæ ſpiritum ſuffocant (maxime triſtitia alicuius infœlicis ſucceſſus) in ſe regnare permittunt. Hæc triſtitia corpus inſumit, iuxta illud. Spiritus triſtis exſiccat oſſa, & ſpiritus ſuffocat. Nullus triſtitiam habere debet niſi duntaxat propter peccata ſua, iuxta id, quod Apoſtolus ad Corinthios ſcribens inquit. Gaudeo, quia contriſtati eſtis, nō quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.

2. ad Cor. 7.

Concionis auditor auidus.

B Hieron. in epiſt. ad Pauli.

BEatus Hierony. in epiſt. ad Paulinum ſcriptum reliquit, quendam hominem, qui uocabatur Apollonius, ſapientiæ adeo fuiſſe deditum, quod ut audiret quendam ſapientem diſputantem plurimis, ac maximis ſe periculis expoſuit. Per uarias, ac diuerſas regiones iter faciēs Apolonius Philoſophus (inquit ſanctiſſimus Doctor) ut Pithagorici tradunt, intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albano, Scytas, Maſſagetas, opulentiſſia Indiæ regna penetrauit, & ad extremum latiſſimo Phyſon amne tranſmiſſo peruenit ad Bracmana, ut Hiarcham in aureo throno ſedentem inter paucos diſcipulos de natura, de moribus, ac de curſu dierū, & ſiderum audiret docentem. Maximā profecto admirationem afferunt cuilibet contemplanti labores, quos Philoſoph. ille paſſus ē, regna, ac regiones quas pagrauit, pīcula magna, quib. ſe obtulit, vt tantummodo ſapientiem audiret de Philoſophia Morali, & naturali diſputantem. Et, ut B. Hieronymus concludit, inuenit ille uir ubique quod diſceret, & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret. O maximam Chriſtianorum hominum confuſionē. Nam cum in ſacroſancta eccleſia tot ſapientes uiri ſint, qui in cathedris aureis, uidelicet in pulpitis, quæ cathedræ ſunt amoris, & charitatis, doceāt, & non de motibus cælorum, nec de natura ſiderum & planetarū diſputēt, ſed de bonis gloriæ æternis, & de perpetuis inferni tormētis, ac de itineribus, quibus in cælum eundum eſt, & quibus à gehennę incendio fugiendum agant, ac denique magiſtri ſit, qui legem euāgelicam, in qua omnis perfectio conſiſtit, doceant, & ut audiantur hi magiſtri, non opus eſt in Indiam pergere, nec mōtem Caucaſum difficultatibus plenum ſuperare, nec etiam opus eſt alicui periculo ſe exponere, vel aliquē laborem pati, ſed ſatis eſt ex domibus ſuis homines in eccleſias ſe conferre, & tamem plurimi ſunt Chriſtiani ſegnes, pigri, & ſui ipſorum, at que utilitatis propriæ inimici, nec non tam parum dediti, & propenſi diuinæ ſapientiæ, ut uix illos præceptores audire velint, quin potius à concionibus tanquam diabolus à cruce fugiūt. O infælices homines, quam rationem altiſſimo Deo de tam ingenti ingratitudine, & de contemptu tanti beneficij reddetis? Per charitatem igitur uos oro, atque obſecro, ut hæc diligentiſſime animaduertatis, & à tanto bono poſthac cōmodum educere omni animi ſtudio curetis,

CON-

CONFESSIO.

Apoc. 10.

BEatus Ioannes in Apocalypſi ſic ait. Vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite eius. Hic Angelus (ut ait D. Ambroſius, & D.Thomas) eſt Chriſtus Redẽptor noſter, qui fortis venit: ad labores enim, opprobria, & crudelẽ mortem, quam paſſurus erat, uis humana nedum Angelica non ſufficiebat, ſed neceſſaria fuit diuina fortitudo. Nubes eſt ſacratiſſima eius humanitas, quæ conuenientiſſimè ſic appellatur, eo quod ſicut nubes ex terræ vaporibus, & à Solis calore eleuatis formata ſic ſanctiſſimum illud corpus ex puriſſimis ſanguinibus puriſſimæ Virginis Mariæ uirtute Spiritus ſancti deſumptum, & formatum eſt Et iris in capite eius. Iniens Deus pacem cum mundo poſt diluuium dixit. Hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & uos. Arcum meum ponam in nubibus. Itaque arcus ille ſignũ præ ſe ferebat miſericordiæ Dei. Sed aduertendum eſt, arcum illũ in cælo, & non in terra eſſe, non enim in terris poteſtas erat ad dimittenda peccata nullus erat in terris, qui poteſtatem heberet ad uere dicendum: Ego te abſoluo à peccatis tuis at ueniens Chriſtus Redemptor noſter in mundũ, uenit miſericordia & uenia peccatorũ coronatus: & hoc ſignificat Iris in capite eius. Itaque arcus pacis & miſericordiæ, qui antea in cælo erat, nunc in terris eſt. Corona filij Dei facti hominis eſt peccata dimittere, & peccatoribus remedium adhibere: hoc pro honore, & gloria habet, hoc ex cælo in terram attulit, & hanc poteſtatem in ea ſacerdotibus reliquit. Tu autem ò peccator hunc cæleſtem Dominum imitari debes, maximè in hoc, quod pro corona, & honore habeas, iniurias tibi illatas remittere, tuiſque inimicis, & ſi plurimis te conuicijs affecerint, reconciliari, inſuper & toto corde tuo hunc altiſſimum reparatorem glorificare, eo quod tale, tantũque beneficium, quale fuit ſacramentum confeſſionis, tibi contulit, ut peccatis tuis in terra medicina, & remedium eſſet, ex quo tam ſingulari beneficio commodum, & utilitatem educere frequentiſſimè curare debes. In ſancto Propheta Iſaia ſecundum ſeptuaginta interpretum translationem ſic legitur. Dictu prior iniquitatem tuam, ut iuſtificeris. Et ubi nos legimus: Omnis iniquitas oppilabit os ſuum, alia translatio habet. Omnis iniquitas oppilauit os ſuum. Et ſic eſt etiam in paraphraſi Chaldaica. Vbi ſignificatur quod ex eo, quia peccata os peccatoris clauſerunt, ne ſcelera ſua confiteretur in hac uita, inde etiam in die rationis quam redditurus eſt, os eius claudetur ab ipſis peccatis, ſiquidem tam facile poſſet peccator ſi uellet de ipſis ſceleribus à Deo ueniã impetrare, & ipſam nõ petijt. Hoc enim ſingulare eſt apud Dei tribunal, nam cum in alijs, ſi reus confitetur peccatum, damnetur ad mortem, in hoc, ſi reus faſſus fuerit delictum ſuum, abſoluitur. Ego te abſoluo, ſubinfert iudex poſt rei, ac peccatoris confeſſionem. Quod intelligẽs Sathanas ſicut uulpes gallinam per guttur iugulat, ac ſtrangulat, ne voces emittat, & defendatur, ſic peccatorum guttur pudore ſtringit, ne uoces confeſſionis peccatores emittant, & liberentur. Vnde B. Auguſt. ait Quid times ò homo confiteri? Erube-

D. Ambr. & D.Tho. ſup. Apoc. — *Gen. 9.* — *Iſa. 43.* — *Pſal. 106* — *Simile.* — *Simile.* — *B. Aug. ſuper Pſal.*

ſcis peccata tua? Peccator ſum ſicut & tu, homo ſum humani à me nihil alienum puto, confitere homo homini, homo peccator homini peccatori. Elige quod uis. Si confeſſus laicas, non confeſſus dãnaberis. Ad hoc Deus exigit confeſſionem, ut liberet humilem, ad hoc damnat non cõfitentem, ut puniat ſuperbũ. Hęc B. Auguſtinus. Huic ſententiæ aſtipulatur, quod B Iacobus ait. Confitemini alterutrum peccata ueſtra. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. *A otro tu, a otro õbre y peccador como tu.* Et B. Chryſoſtomus ſermone de pœnitentia inquit. In externis iudicijs poſt confeſſionem confuſio, & pœna, in diuino uirtus, iuſtitia, merces, & abſolutio Idcirco Pſaltes ſuſpirans iſtud ipſũ, ne quis ueritus pœnam poſt confeſſionem, neget peccata. Confitemini, ait, Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. Et propheta. Dic tu prior iniquitates tuas, ut iuſtificeris. Quis confunditur confiteri peccata? Num propter hoc iubet Deus confiteri te, ut hominum more puniat te? Non ut puniat, ſed ut ignoſcat. Hæc ille. O benedictus, & glorificatus ſit talis Deus, qui talia remedia hominibus contulit.

Iac. 5. c.

B. Chry. de pœn. & cõfeſ. hom. 7 in acta Apoſt. & homil. 3. de Ozia.

Pſal. 117

Confeſſio ſine excuſatione.

DIxi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: ait Regius Propheta. Nouerat ſanctus uir, quod propenſus ſit Dominus ad condonandas hominibus iniquitates, etiam grauiſſimas, ſi tamen ipſi confeſſi fuerint propriam iniquitatem, nec illam in uerbis malitiæ excuſauerint. Propterea inquit. Confitebor aduerſum me. Et alibi ingenti cordis affectu orauit. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtiũ circunſtantiæ labiis meis, non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quod in reprehenſione Nathã ad ipſum comprobauit. Qui cum diceret: Peccaui Domine ſtatim Natham ad illum. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Quid ſibi vult huiuſmodi forma loquendi? Dominus quoque. Huiuſmodi enim modus loquendi indicat aliquid feciſſe Dauid, propter quod & Dominus Deus aliud fecerit, quia ſi Dauid nihil feciſſet, non erat dicendum: Dominus quoque, ſed Dominus tranſtulit peccatum tuum. Cum ergo dicit: Dominus quoque, aliquid feciſſe Dauid demonſtratur, propter quod & Dominus aliud fecit ſimiliter. Quid ergo fecit Dauid, propter quod Natham ad illũ inquit. Dominus quoque? Confeſſus eſt peccatum ſuum, nõ excuſauit etiam ſi mulier, quam uidit eſſet pulchra, nec ſpectaculum tale ipſe quæſiuit, aut meditatus fuit, ſed & homicidium nõ excogitauit, immo acerſiuit Vriam Ethęum, ut cum propria uxore dormiret, ne intelligeretur adulterium, & quia noluit cũ uxore ſua dormire, ut tantum nefas tantus Rex, & Propheta occultaret, machinatus eſt Vriæ necem. Nihil horum dixit, ſed in ſimplicitate cordis ſui in multa amaritudine animæ confeſſus eſt, & non negauit delicta magna, nec excuſauit. Quod faciens Dauid audit ab ore Prophetæ. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Huius etiam peccatoris uera ſui cognitio, & humilitas apparet, quia ubi nos legimus: Tibi ſoli peccaui, & malũ coram te feci, in Hebræo maiorem efficaciam hæc uerba habent. Habetur enim ibi. Tibi tibi ſoli peccaui & grande malum coram te feci Vbi obſeruanda eſt illa repetitiõ tibi, tibi: magnam enim habet emphaſim, & grande malũ coram te feci. O ingens audacia mea? Peccaui coram tuis diuinis oculis ingens peccatum. Quemadmodum ſi uirgo pauperrima a magno Imperatore pro ſponſa acciperetur, & ipſam coram oculis eius impudenter adulteriũ commiſiſſet, quibus obſecro, verbis tanta ingratitudo amplificari poſſet? & quæ

pœna

Pſal. 31.

Pſal. 140

2. Reg. 12

Pſal. 50.

pœna quibusve ſuppliciis tanta proditio digna eſſet?

Confeßio integrè & cum feſtinatione eſt facienda.

B Baſil in reg. breui orib. interrogatione 229. Simile.

BEatus Baſilius de confeſſione agés inquit. Omnino in peccatorũ confeſſione eadem ratio eſt, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur uitia corporis nequaquam quibus vis temerè homines aperiunt, ſed his tantummodo, qui rationem qua ea curanda ſint, teneant. Eodem modo etiã peccatorum confeſſio fieri debet apud eos videlicet, qui ea poſſint curare: conſentaneum eſt enim illis quod ſcriptũ eſt. Vos qui firmiores eſtis, imbecillitatis infirmorum portate, hoc eſt, tollite cura, & diligentia ueſtra. B. Chryſoſtomus etiam de confeſſione tractans inquit. In humanis iudiciis ſi quis, uel ante accuſationem facinus confiteretur, quamuis apud humanum iudicem ſententiã omnino in caput ſuũ accerſeret: at miſericordis Dei, & animarum noſtrarum medici tanta bonitas eſt, & clementia, ut ſi aduerſarium (diabolum dico) qui in illo die ob faciem noſtram ſtabit, in hac iam uita, prius quàm tribunal ingrediamur, peccata confeſſi præuerterimus noſtri ipſorum accuſatores facti, in iuſtorum cathalogo numerabimur, ne dum à peccatis liberabimur.

B. Chry. homil. 20. in Gene.

B. Aug. in reg. cleric. Simile. Simile.

B. Aug. loquens de confeſſio ait. Si frater tuus vulnus habeat in corpore, qđ uelit occultari, cum timet ſecari, nõne crudeliter à te ſileretur, ac miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifeſtare crimen, ne deterius putreſcat in corde? Sed obſerua, quod quemadmodum nõnulli ſunt, qui cum primum uident gladium ſuum rubigine aliqua affectum, illum ſtatim exacuũt, & perpoliunt, alij ſemel in anno, alij nunquam, niſi ſint in extrema neceſſitate conſtituti, & tunc accidit ſæpe, vt non poſſint gladium euagina educere: ex quo efficitur, vt enſis cum vagina in ſterquilinium mittatur. Si ſunt nonnulli, qui cum intelligunt animam eſſe crimine aliquo contaminatam, confeſtim ſe cõferunt ad expolitorem, vt eam excolant, ac perpuliant, hoc eſt, ad confeſſarium, ad ſanctum pœnitentiæ ſacramentum ubi anima expietur, & perpuliatur. Præclarè illi quidem faciũt qui ilico ad confeſſionis lauacrum confugiunt, alij ſemel in anno minus pij, Chriſtiãni tamen. Alij nunquam, niſi forte cum iã habẽt mortem in uiſceribus conceptam. Ideo Iſidorus Clarius merito inquit. Hæc confeſsio nunquam eſt intermittenda: eſt enim quædam rationum ſupputatio, quæ accuratius à nobis exercenda eſt, quàm à mercatoribus ſuorum negotiationum ratio ſolet. Meminerimus nos Dei eſſe villicos noſtræque uillicationis exactam reddituros eſſe rationem. Codex ergo rationum conſcribendus eſt. Hic codex conſcientia noſtra eſt, in hac peccata noſtra, & magna, & parua tanquam in libro ſcribenda ſunt, & ea ſigillatim recenſenda & tanquam recenter admiſſa deflenda. Sic enim fiet, ut & animæ arrogantiam frangamus, & maior cautio, ne in eadem poſthæc incidamus, adhibeatur. Eſt etiam apud Origenem ſatis euidens de confeſſione teſtimonium: obiicit enim, quòd melioris cõditionis fuerit lex Moyſis, in qua tot ſacrificiorum genera expiandis peccatis inſtituta erant, quàm euangelium, in quo horum nihil eſt. Cui quæſtioni reſpondet multis quoque modis in lege gratię expiari peccata. Expiantur enim baptiſmo, martyrio, eleemoſynis, remiſſione iniuriarum & dilectione qua peccatrici mulieri peccata multa remiſſa ſunt, & fiũt ei lachrymæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit, ſacerdoti Domini dicere peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum, qui ait. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei. Quãdo ſpina aliqua pedi tuo aut

Iſid. Clar. oratione. c. 14. tom. I Simile.

Orig. hom. 2. ſup. Leuit.

Simile.

aut alii tuæ corporis parti incluſa eſt, quæ te maxime uexat,& magnum tibi dolorem facit, in hunc modum illam euellere curas:in primis partem illam, in qua fixa eſt ſpina abluendo tergis,ut ſic eam facile uidere poſſis, deinde illā acicula,ſeu alio acuto inſtrumento extrahis,tandem ſi aliquis tumor, aut ſanies, uel putrefactio ibi remanet,eam oleo delinire,ac perungere facis. Spinam ſanctus Dauid uocauit peccatum, dum inquit.Conuerſus ſum in ęrumna mea,dum configitur ſpina.Si igitur uis hanc ſpinam à pede,uidelicet à uoluntate tua extrahere,in primis eam aquis lachrymarum ablue, cum illis enim facile detegitur,(contritione namq; noſcitur peccatum) poſtquam autem ſic diſcooperta fuerit,illam extrahe acicula,uidelicet, lingua per confeſſionem: denique ſi tumor, ſeu ſanies prauæ inclinationis remanſerit eā olio hoc eſt, deuota oratione perunge. Siquis latronem, aliquem domi ſuæ facultates, ac diuitias ſuas furantem inueniſſet, nunquid eum iuſtitiæ aut lictoris manibus non traderet? Ita planè. Sic cum peccator in domo conſcientiæ ſuæ peccatum aliquod, quod eſt uelut latro ſpolians omnes diuitias,hoc eſt, merita eius inuenerit; ad cōfeſſorem,qui iudex eſt, omni cum celeritate recurrere debet, & cum Sancto Propheta dicere. Aperite mihi portas iuſtitiæ,& ingreſſus in eas confitebor Domino, hoc eſt, confeſſori dicturus eſt. Aperi pater ianuas iuſtitię,tibi enim latronem,quem in domo conſcientiæ meæ reperi, quique meis me diuitiis ſpoliauit, tradere uolo,et illum optimè cognoſco: Quoniā iniquitatem meam ego cognoſco. Atque ita iudex ſententiam proferet, qua iubebit,ut hic latro adnihiletur,dicens. Ego te abſoluo. Ne igitur frater hoc ſanctum opus, uidelicet peccata tua confiteri,relinquas: nam maximus honor eſt,illa,ſiquidem cōmiſiſti, confiteri. Nunquid in magnum honorem non cedet illi, qui poſtquam uiginti, aut triginta mauros occidit, amicū ſuū uocat,eiq;ue occiſos mauros oſtendens dicit. Ecce hoſtes meos,qui me obſederant à quibus ego me eripui eis mortē inferens: huic caput abſcidi, huic brachia,hunc enſe transfodi,etc. Magnum profecto honorem comparat ille, qui talia geſſiſſet:multo ergo maiorem ſibi comparat Chriſtianus, qui cum plurimis peccatis circundatus ſit, illa uenabulo contritionis interfecit,et poſtquā mortua fuerint,ipſa confeſſori oſtendit dicens. Hæc peccata me captiuum tenebant,et miſericordia Dei me ò pater grauiſſime pœnitet ea commiſiſſe: idcirco illa coram Deo, et coram te execror,et uehementiſſimè deteſtor.

Pſal. 31. *Simile.* *Pſal. 117.* *Pſal. 50.* *Simile.*

Confeſſio eſt quædam vltio.

IN confeſſione ultionem de peccatis noſtris conſequimur. Sed obſeruandum eſt,tres eſſe ultionis modos.Quædam enim eſt ultio nobilium: alia fortium,et magnanimorum:alia crudeliū. Vtinam iſti omnes ultionis modi in omnibus peccatoribus reperiantur. Vltio nobilium eſt non aggredi inimicum inopinatè uel per proditionem, ſed facie ad faciem, eumque prius admonendo,ut quotidie ad pugnam, & certamen ſit paratus. Hanc ultionem utinam ego in omnibus uideam, ne uidelicet repente, & proditoriè peccata ſua aggrediantur, cum ad confeſſionem accedunt, ſed prius ea ſeriò & paulatim cogitent, atque animo euoluant, Dominumque obſecrent, ut ipſis faueat, & ut, ſicut oportet, illa confiteri ſciant, & prius quam illa confiteantur de ipſis grauiſſimè doleant. Animaduerte ergo ò peccator, quod ſi quis proditoriè aliquem occidit, Eccleſiæ immunitate non gaudebit:in hunc modum ſi confeſſionē proditoriè aggrederis, & repente, abſque eo,quod peccata tua,cogites,nihil tibi proderit:oportet nanque, ut prius ea deplores, & ingentem lachrymarum

Simile.

copiam

copiam ab oculis tuis, uel ſaltem à corde ſuper illa profundas, ſicut regius Propheta faciebat: ipſe enim ait. Lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Dolor comparatur irrigationi, ſeu adaquationi. Ille male rigat, qui aquam recto ordine ſpargere neſcit: ſi enim aquam ſimul in unum locum diffundit, duo infert damna, alterum eſt locum lutuoſum facere, alterum uero eſſe in cauſa, ut alias partes domus ſiccæ & abſque irrigatione maneant. Qui auté rigare ſcit, aquam undique diffundit & per omnes partes ſpargit. Verum eſt tamen, quod ubi maior eſt ſiccitas ibi plus aquæ diffundi oportet. O peccatores quam malè plurimi ex uobis conſcientias ueſtras rigatis? nam omnem aquam doloris in unam partem proiicitis, uidelicet, ſuper unum peccatum, quod uos magnum eſſe exiſtimatis, & in quo cogitando ſiſtitis, & ſuper quo deploratis: alia autem relinquitis quæ forſan grauiora ſunt propter aliquam circunſtantiam, quam uos non intelligitis. Profectò nó bene rigatis: lacum, ſeu paludem facitis, in qua uoſipſos luto inficere poteſtis per deſperationem & omnem dolorem iu uno duntaxat peccato ponentes nihil de aliis curatis, & vix de illis dolorem aliquem habetis. Non ſic facere debetis, ſed undequaque, & per omnes partes rigare debetis, quamuis æquum eſt, ut pro maioribus peccatis maior etiam dolor habeatur. Poſtquam uero hæc diligentia uobis maxima conſideratione adhibita fuerit, & firmiſſimum propoſitum amplius non peccandi habueritis, cuncta crimina ueſtra integrè, & ſiucerè cófiteri debetis: & hæc ultio nobiliorum eſt. Secunda ultio quæ fortium, & magnanimorum eſt, conſiſtit in ſumendo uindictam per proprias manus: non enim eſt hominis fortiſſimi, & magnanimi centum aureos alicui præbere, ut inimico ſuo fuſtem grauiter impingat, aut ipſum percutiat. Hunc ultionis modum peccatores de ſuis peccatis ſumere debét propriis manibus de illis uindictã ſumentes, nec expectare debent, confeſſorem illa, ueluti harpagine, & ui ex illorum pectore educere, ſed ipſi propriis linguis ſuis ea ſunt dicturi, ſiquidem ea commiſerút. Confeſſorem in hunc modum ò peccator alloquere. Pater ſine me prius peccata mea proferre, & poſtea me interrogabis, & debilem memoriam meam adiuuabis, atque ita cum ſcelera tua profunda humilitate protuleris de inimicis tuis propriis manibus uindictam ſumes. Vltio crudelium eſt, inimicum iam mortuum percutere, uidelicet quando aliquis non ſolum aduerſarium ſuum interfecit, ſed, poſtquam mortuus fuerit, multis ipſum confodit uulneribus. Sic facit uerus pœnitens, qui poſtquã ſcelera ſua gladio contritionis necauit, & illa humiliter confeſſus eſt, quotieſcunque tamen eorum recordatur, ipſa eodem gladio doloris, & contritionis percutit: quibus rebus magis in uirtutis perſeuerantia ac culparum abſtinentia confirmatur.

Pſal. 6. *Simile.* *Simile.* *Pſal. 76.*

Quemadmodum contritio de peccatis rigationi comparatur; Sic confeſſionem uerrendi modo comparamus, id eſt, [*la confeſſion es comparada al uarrer,*] Atque ita idem Propheta qui dixit, Lachrymis meis ſtratum meum rigabo, ait etiam. Scopebam ſpiritum meum. Nam quemadmodum cũ quis ſcopat ſeu uerrit à pauimento, immunditias, quæ horrorem cauſabant, expellit, & purificat: ſic per confeſſioné peccator à domo conſcientiæ ſuæ ſcelera Deo nimis exoſa expellit. Et quemadmedum rigatio præcedit uerritionem: ſic contritio confeſſionem debet præcedere. Et quemadmodum ſunt aliqua pauimenta domorum nimis plana, & æqualia, & hæc facillimè uerri ſolent, & alia aſpera, & inæqualia, & hæc difficile mundari poſſunt, quia ſemper in angulis, & foueis ipſius domus remanent immunditiæ: Sic aliquæ conſcientiæ ſunt planę, lucidæ, & ſincerę: & hęc facile

facile mundantur, dictiſque confeſſoris ſeu alterius rectè cõſulentis acquieſcunt: aliæ uerò ſunt nimis ſcrupuloſæ ac reuolutionibus plenæ: & hæc maxima cum difficultate emundantur, atq; ſcrupulis & timoribus plurima plerũque in confeſſa relinquunt: quibus etiam ſi confeſſores præſtantiſſima conſilia præbeant, nunquam acquieſcunt, nec ſibi ipſis ſatisfaciunt.

CONSCIENTIA.

BEATVS Chryſoſtomus in quadam concione inquit. Cum perpetratur peccatum, & priuſquam perpetretur, & poſt quàm perpetratũ eſt acerbus nobis imminet accuſator, maxime uero poſtquam perpetratum fuerit. Nam in perpetrando ſcelere, quoniam uoluptate ſumus ebrij, non perinde ſentimus, cæterum ſimul atque commiſſum eſt, ceperitque finem, tunc demum extincta uoluptate amarus pœnitentiæ ſtimulus ſuccedit. E contra accidere ſolet mulieribus, nam illis ante partum labor eſt ingens, grauiſque nixus difficãte eas dolore, poſt partum uerò relaxatio doloris ſimul cum infante egrediente. Verum hic non item, ſed dum parturimus, concipimuſque corruptos affectus, delectamur, gaudemuſque Cæterum ubi fuerimus enixi malum illum puerum, ſic cõſpecta fœditate partus diſcrutiamur grauius, quam mulieres parturientes. Et ibidem ait ſanctus Doctor. Pater, ubi ſemel, iterum, ac tertio, decies uè filium increpauerit, ſi uiderit incorrigibilem permanere, deſperãs ab dicat, expellit è familia, è cognitione reſecat. At non eodem modo conſcientia, ſed licet ſemel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tuque non obtemperes monebit iterum, nec deſſiſtet uſque ad ſupremum halitum, ſiue domi, ſiue in biuijs, ſiue in menſa, ſiue in foro ſiue in itinere frequẽter, & in ſomniis peccatorũ nobis ſimulacra repræſẽtat.

B. Hieronymus ſuper Iſaiã iniquit. Vermis, qui non morietur, & ignis, qui non extinguetur à pleriſque conſcientia, accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſuppliciis cõſtitutos. Quaſi uitio ſuo atque peccato caruerint electorum bono, iuxta illud, quod dicitur. Verſatus ſum in miſeria, dum infigitur mihi ſpina. Et in prouerbiis. Sicut tinea ueſtimentum, & uermis lignum: ſic mœror excrutiat cor uiri. B. Bernardus ait. Riuus quà fluit, terram cauat: Sic decurſus temporalium conſcientiam rodit. Si poteſt torrẽs in agros excurrere ſine læſione ſatorum: & tu te poſſe iſta ſine mentis uulnere tractare confidis? Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & innumera Dominici gregis detrimenta neſcimus. De pretio eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara admodũ celebratur collatio cum presbyteris de peccatis populorum. Cadit aſina, & eſt, qui ſubleuet eam: perit anima, & nemo qui reputet. Sic optimi æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam, uel nullam de maximi curam gerant. Hoc prauæ conſcientiæ maximum ſignum. eſt

Conſcientia pura.

IN libro Iob dicitur. Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo in iuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuã abſque macula & eris ſtabilis, & non time-

timebis. Eleganti ſchemate, & uenu-
ſtatis pleno exprimitur his uerbis eo-
rum imago, qui nullis peccatorum ſor
dibus ſunt infecti, ſed conſcientia ad-
ornati. Vt enim confuſa conſcientia, &
perturbata caput ſolet demittere præ
triſtitia atque rubore: ita & qui neceſſa
ria mentis puritate, & animi candore
gaudeat, caput intrepidus leuare ſolet.
Hiſpane dicimus: *Bien puendo andar mi*
cara deſcubierta. Si hæc igitur feceris ò
homo, leuare poteris faciem ſine ma-
cula, & (vt quidam uertunt) ſine uitio.
Mihi uehementer probatur, ut ſit id,
quod hiſpane dicimus, [*ſin tener paño*
en la cara.] Qua periphraſi utimur ad
explicandum ruborem, & uerecundiã,
quæ ex conſcientia praua naſcitur, &
ſubijcitur, Eris ſtabilis, & non timebis.
Illud enim proprium eſt perturbatæ
conſcientiæ, & confuſæ, & paueſcere
ſemper, & inconſtanter agere. Sic Sa-
Sap.17. piens, ſemper ſæua præſumit pertur-
bata conſcientia, & Moyſes aiebat, ſce
leratos homines ad crepitum uolantis
folij expauescere. Contra uero iuſtus
confidit, ut leo, ſciens, ſe Deũ habere
Leui.26. propitium, quẽ nulla inimica uirtus ex
Prou.28. pugnare poteſt. Hoc manifeſtè patuit
Iob 13. in uerbis, quæ ſanctus Iob loquitur di-
cens. Tamen omnipotentem loquar, &
diſputare cum Deo cupio hoc eſt, quã
uis credo Dei omnipotentiam, & in-
finitam eius ſcientiam, non hoc me de
terret, neque impedit ullo modo, quo
minus cum eo diſputare, & ei innocen
tiam meam probare optem. Ex quo in
telligitur, quam magna ſit bonæ, & in
tegræ conſcientiæ uis, quantumque fa
ciat animum probis, & honeſti uiris.
Immo Dei immẽſa uirtus, atq; Sapien
tia non ſolum uiros bonos non pertur
bat, ſed etiam maxime reficit, & con-
ſolatur. Qua enim alia releuarẽtur hi,
quos ſæpe homines improbi, & homi-
num imperita multitudo contemnit, vi
les, atque adeo iniquos exiſtimat, niſi
Pſal.68. quod Deo ſe probari confidunt. Qua
de cauſa Regius uates Pſallebat, Con-
fortati ſunt, qui perſequũtur me inimi
ci mei iniuſtè: quæ non rapui, tũc exol-
uebam. Deus tu ſcis inſipientiam meã,
& delicta mea à te non ſunt abſcondi-
ta. Cur enim ii Dei non ament iudiciũ?
Cur non ad illud aſpirent? dicente Da
uid. Quam bonus Iſrael Deus iis, qui *Pſal.72.*
recto ſunt corde. Paulò verò inferius in
quit idem ſanctiſſimus Iob: vias meas
in conſpectu eius arguam. Dixerat an-
tea: Diſputare cum Deo cupio. Et idem
uerbum Hebræum, ſcilicet, Iachah, po
nitur illic ad ſignificandum diſputare,
quod hic ad ſignificandum, arguere, ut
intelligatur hic locus cum illo eſſe con
nexus, eandemque eſſe utriuſque ſentẽ
tiam. Quare non ſignificat uias ſuas
uelle accuſare, caſtigare, atque repre-
hendere: ut quidam non recte contextũ
intelligentes arbitrati ſunt: ſed uelle de
uiis ſuis cum Deo diſputare, ut hone-
ſtas ei fuiſſe probet, id quod in reliquo
capite facit, ut patebit aſpicienti. Eadẽ
ergo optimorum conſiliorum conſcien
tia, quæ efficit, vt bene de Deo licet ca-
ſtiget ſperemus, efficit etiam, ut licet a-
criter tanquam rei puniamur, licet tan
quam iuſto iudicio damnati in crucia-
tum agamur, cauſæ tamen noſtræ æqui
tate freti, uel cum Deo in iudicium ue-
nire non dubitemus: Qui animus, & ſpi
ritus tantus eſt, ut infinitus eſſe uidea-
tur: quandoquidem infinitam tantis in
commodis debilitatus non timet potẽ
tiam. Nec mirum, nam infinita etiã ip-
ſe potentia nititur, Dei ſcilicet bonita-
te, & erga ſuos immenſa pietate. Fœlix
ergo ille, qui conſcientia bene actæ ui-
tæ, & multorum benefactorum recorda
tione ſe in malis, & graui Dei animad-
uerſione ſuſtentat: nunquam enim ruet
ſed reſpirabit aliquando, & à miſeriis
emerget. Ideo addit ſtatim S. Propheta
& ipſe erit Saluator meus. Ecce ut ap-
tiſſime diuinus uir exponat cuius nam
patrocinio nixus tãtam diſputationem
non recuſet, Dei uidelicet. Ipſe enim
tanquam pater coercet, atque caſtigat:
iuuat etiam, atque cõfirmat, neque ita
ma-

magnum rectis hominibus iniicit timorem, ut non longè maiorem faciat ſpē. Luculenter uerò exponit, & amplificat Dauid, quā alacri, & erecto animo ſint, qui Deum obſeruant, & quo adiutore multa officia præſtitiſſe recordantur. Beatus, inquit, populus, qui ſcit iubilationem, ideſt, qui ſcit, quem laudare, & cui res à ſe geſtas acceptas referre debeat. Nam illud conſequitur, quod deinde dicit: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria uirtutis eorū tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum. Quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri. *Pſal. 88.*

Conſcientiæ malæ remorſus.

Gen. vl. c. IN libro Geneſis legitur, quòd mortuo Iacob timentes fratres Ioſeph, & mutuo colloquentes, ne forte memor ſit iniuriæ, quàm paſſus eſt reddat nobis omne malum, quod fecimus mandauerunt ei dicentes. Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi uerbis illius diceremus. Obſecro, ut obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorū, & peccati, atq; malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, ut ſeruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioſeph, & ait. Nolite timere: ego paſcam uos, & paruulos ueſtros, conſolatuſque eſt eos et blande et leniter eſt locutus. Quando Iacob in Ægypto mortuus eſt, plurimi iam erant elapſi anni poſtquā ipſe, et filij eius ibi morabantur et plurima bona opera, ac beneficia à fratre ſuo Ioſepho acceperant, et amorem, atque fidelem amicitiam eius erga ſeipſos experti fuerant, quare ergo potuerunt cogitare illum iniuriæ quódam acceptæ ab ipſis, potuiſſe memoriam habere? Nunquid intellexerant, & cognouerāt eum eſſe hominem vltiuum, crudelem, & qui humanum ſanguinem profundere delectabatur? Minime profecto: quin potius eum mitem ſemper, & miſericordem eſſe uiderant. Quę ergo eis timoris ratio eſſe poterat? Ex parte Ioſephi nulla equidem, at ex parte eorū magna erat timoris cauſa, uidelicet mala conſcientia propter delictum, quod aduerſus innocētem fratrem perpetrauerant: nam (ut in libro Sapientiæ dicitur) ſemper timet ſæua perturbata conſcientia: *Sap. 17.* hoc eſt ſemper mala conſcientia timet crudelia tormenta, quibus ſe dignam eſſe recognoſcit. Contra vero bona conſcientia cum non commiſerit culpam, pœnam non pertimeſcit. Hoc etiam eleganter expreſſit Tullius in oratione pro Milone, vbi loquens cum iudicibus inquit. *Tullius in orat. pro Milore.* Magna uis conſcientiæ ò iudices, & magna in utramque partem, ut nec timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccauerint. Maximum ergo ſolatium eſt bona conſcientia, & ingens tormentum mala.

CON-

CONSIDERATIO diuinorum myſteriorum.

Cantic. 1.
Simile.

BOTRVS Cipri dilectus meus mihi, dicebat Sponſa in Canticis. Vocat Sponſa, ſponſum ſuũ botrũ. Sicut enim, ut quis uino ex botro ſeu racemo educto, frui poſſit, oportet prius ipſum racemum premere: ſic ut cæleſtis ſponſi fructibus ualeamus perfrui, opus eſt, ipsũ prius per profundã conſiderationem premere. Exprime ergo frater pulcherrimum racemũ Ieſum Chriſtum, & altiſſima eius myſteria, quæ prædicantur, & celebrantur, & uitam perfectiſſimam & uidebis admirabilem eius amorẽ, profundiſſimã humilitatem, & ſingulariſſimam patiẽtiam, atque ita hunc cæleſtem botrum guſtabis, & illius amorem capieris, atque ſuauiſſimo uino, quod ex eo fluit ebriaberis. Tanti ponderis, ac momẽti ſancta conſideratio eſt, ut Beatus Bernardus in libro de conſideratione ipſam cõſideratiõnẽ amplificãs dicat.

B. Ber. lib. de conſideratione.

Primum ipſum fontem ſuum, id eſt, mentẽ, de qua oritur conſideratio purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus cõponit mores, uitã honeſtat, & ordinat, poſtremo diuinarum pariter, & humanarũ rerum ſcientiam confert Et Hugo inquit. Sicut nullum eſt momentum, quo homo nõ utatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia: ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidiſſe. Vtinam hoc tam ſalubre conſilium in cordibus noſtris infigeremus: beneficiorum enim, ac operum Domini conſideratio magnopere homines in officio continet, ad illam enim pertinet, quod in Eſdra legimus. Reuoca diem præteritum metire uentum, ignem pondera. Quæ omnia conſideratio efficit, quæ, præterita Dei beneficia in memoriam reducit, quæ uitæ noſtræ breuitatem (quæ inſtar uẽti eſt) metitur, ut intolerandum gehẽnæ ignẽ aſſidua cogitatione ponderet. Hanc uerò rerum conſideratio mentes noſtras magnopere ad uirtutem acuit? & in ſancta deſideria accẽdit. Vnde B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Videmus planè corporis oculos, cum in fumo remorantur, lachrimas effundere: ſi uero potiantur aere purgato, & florentibus pratis, & hortis uirentibus, & fontibus inter amœna fluctibus ſaniores eſſe, multoque maiori aciei fulgore rutilare. Talis profectò eſt & mentis oculus, ſi in pratis ſpiritualibus paſcatur eloquij, erit totus ſine dubio purus. atque lucidus, & acutius cuncta perluſtrans. ſi uero in fumũ ſæcularium negotiorum fuerit ingreſſu ad innumera prorſus mala lachrymabitur, atque flebit.

Hugo li. 1. de clauſtro animæ.
Eſdræ li. 4 c. 4.
B. Chry. ſuper Matt. homi. 2. operis.
Simile.

Conſideratio etiam operum mirabilium, & geſtorum Dei uehementer leuat afflictum, ne deſperatione torqueatur. Quæ in memoriam reuocabat Dauid in anguſtum coactus, & in tantam rerum difficultatem adductus, ut ſecũ reputaret dicens, Nunquid in æternũ proiiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc aut obliuiſcetur miſereri Deus? Quem dolorem maximum ut aliqua ratione mitigaret adiungit. Memor fui operum Domini, & memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.

Pſal. 77.

Con-

Conſideratio.

Simile. COnſideratio in omnibus maximè neceſſaria eſt uita enim noſt. e ſca la quædam eſt, in excelſo loco conſtitu ta, cuius primus gradus cogitatio eſt vltimus uero opus. In medio autem ſunt multi ali gradus conſiderationis, & deliberationis. Vt autem homo faci le caderet, ſi vellet à primo ad ultimũ ſine mediis peruenire: ſic qui primam cogitationem ſtatim exequitur abſque deliberationé, nec conſiderat, offendat nec ne Deum, aut proximum, nec aſpicit rerum humanarum exitum, & mundi varietates facile ruit, & præceps in exitium cadit. Oportet ergo deli beratione gradus prius attingere, vt in vltimo gradu tranquilli maneamus. *Omnia quæ habentur hac litera, titulo con templatio, deſeruiunt huic materiæ.*

CONSILIVM.

PER ſingulo uitæ noſtræ, actus interrogãdum eſſet de via uitę, ne for te in magnum illud impinguamus quod in Prouerbijs ſcriptum eſt. Eſt via, quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius deducũt ad mortẽ. Via enim ſtulti recta in oculis eius. Qualis eſt moeror, & triſtitia quæ obuenit tibi ambulãti uiam, quam rectã exiſtimabas, cum è contra accidiſſe comprobas? Aduerſus temet ipſum in ſurgis, quia non interrogaſti de recta via, cum facile id peragere poſſes, habens obuiam viros à quibus certitudinaliter id diſceres, Hic eſt vermis conſcientiæ inter alios, qui corrodẽt viſcera dannatorum, qui ambulantes viam mortis exiſtimabant, ad uitam ſe peruenturos. Viri timorati in Iſaia deſcri buntur, ubi mutuo loquuntur dicẽtes.
Iſa.2.c. Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob (hæc eſt ecclesia) & docebit nos uias ſuas, & ambu labimus in ſemitis eius. A quo edocti iterum inquirunt, & dicunt. Domus. Iacob venite ambulemus in lumine Dei noſtri. O utinam apud noſtrates hoc genus hominum inueniremus? Vnde in Prouerbiis dicitur. Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis inter ſum cogitationibus. Prou. 8. c.
Ex quibus verbis infertur, ſapientiam non habitare in eo, qui non petit conſilium, & in quo peſſimæ, & ſtultæ reſident cogitationes. Qui autem ſapientiam habet, fundamentum poſſidet omnium bonorũ. Ideo Propheta Iſaias enumerans donã Iſa. 11. c.
Chriſti Redemptoris noſtri primum retulit donum ſapientiæ, ait enim. Re quieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, id eſt, intelligentiæ. Ideo B. Chryſoſtomus merito inquit. Si mil lies ſapientes ſimus, & ea, quæ fieri oportet conſpectemus, homines tamẽ ſumus, & conſultore indigemus: ſolus enim Deus citra indigentiam eſt, ſoluſque conſultor non eget. Quamobrem & de ſolo ipſo dicitur. Quis conſiliarius eius fuit? Homines uero, & ſi mil lies ſimus ſapientes, millies redarguimur, & naturæ noſtræ imbecillitas ſe prodit. Quemadmodum iubar fulgens Simile.
à ſolis lumine caligo ſuperueniens occultat: ita ſæpenumero intellectum quoque noſtrum veluti in ipſo meridie ſplendentem, & luce conſpicuum, ſtultitia, uel amentia ſuperueniens obſcu rat: & uir ſapiens quid facto opus eſt, non cõſpicit. Alius autem multo inferior eo acutius rem deprehẽdit, atque hoc

hoc ita ſit, ne vel ſapiens ſuperbiat, vel obſcurus, & uirilis homo miſerum ſe reputet. Hæc ille. Aduertendum tamen eſt, quòd in accipiendis conſilijs plurimum valet vitæ probitas. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi vitiorum confuſio eſt, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? Quis vtilem iudicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? An eum idoneũ putabo, qui mihi det conſilium, quod non ſibi dedit, & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat, cuius animam voluptates occupant? Super hæc omnia obſeruandum maxime eſt, quod B. Ambroſius in hac materia docet: ait. n. In rebus autem dubijs non viros ſapiẽtes, & probos modo ſed ipſum quoque Dominum ſuppliciter conſulendum, & cum Propheta orandum. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Et Deus meus illumina tenebras meas. Quã aũt neceſſarium ſit conſilium in omnibus petere, docet Plutarchus in Moralibus, vbi ait. Ex omni genere curioſitas hominum ſigna collegit inſtantis tempeſtatis. At multo magis conueniebat hac vti diligentia in cõſultationibus, vt obſeruatis experimentis conuiciant, quid malorum ex vno quoque perperam inſtituto conſequatur. Ex his verbis aperte conſtat, conſilium petendum eſſe a prudentibus viris, & multa experientia præditis. Idem vero Plutarchus ibidem inquit. Vt lamię domi ſecutientes, foris nihil non vident. Ita quidam in alienis, negotijs plus ſatis oculati, in ſuis parum proſpiciunt. Ex qua ſententia infertur, tales maxime indigere conſilio.

B. Amb li. 2. de offic.

Plutar. in Mora.

Simile.

CONSORTIVM bonum.

Senec. lib. 19. epiſ. epiſt. 19.

Simile.

SEneca inquit. Qui in vnguentaria taberna reſederunt, ac paulò diutius commorati ſunt, ſuauem inde ſecũ odorem ferunt, & qui apud philoſophum fuerunt hoc eſt, apud ſapientem, & modeſtum uirum hauſerunt etiam ſecum aliquid, quod prodeſſet.

Idem ait: Nulla res magis animos hominum ad honeſta quæque inducit, dubioſq; imò & in praua quæque propenſos, ad uirtutem reuocat, quam conſuetudo, & ſocietas bonorum.

Idem. li. 14 epiſt epiſt. 95.

Simile.

Quemadmodum vini ardor, & virtus temperatur, & tollitur ipſa aquæ infuſione & per myſtionem: ita profectò ferũens bilis, ſcita præcipitatio, & deniq; furor praui hominis mitigatur, temperatur, atque comprimitur conſuetudine modeſti, ſobrij, ac cordati viri.

Simile.

Quemadmodum fieri prorſus non poteſt, vt quis ſolis radijs rutilantibus expoſitus non illuſtretur, & igni ſplendido ac ingenti propinquus non calefiat: ſic planiſſime fieri vix poteſt, vt quis a bonorum latere nunquam diſcedens, bonus tandem non fiat, & meliorem frugem ſapiat.

CONSORTIVM Prauum.

Alb. Mag. li. 7. de uegetalibus.

ALbertus Magnus docet, quod in oĩ arbore conſita oportet amputare quæcunq; ramis, & virgis aruerunt, quia uicina ſibi arboris mẽbra corrũpũt. In ſingulis arboribus, hoc eſt, in ſingulis populis aut congregationibus, eſt inuenire ramos aridos, ideſt, humore gratiæ, & virę ſpiritualis carẽtes, qui membra vicina ſibi ſtudent corrũpere. Hi ſunt amici peruerſi, qui ſuis vitijs amicos ſuos deſtruere contendunt. Quare vnuſquiſq; tales a cõſortio ſuo præſcindere debet, nę corrũpatur. Qui verſus Compoſtellam pergit iungitur illi, qui in Hiſpalim iter agit? Diuerſa itinera capiunt, quomodo ſimul ambulare poterunt? Iuſtus cęlos, impius inferos petit. Contrarij & diuerſiſſimi termini ſunt. Quid cum illo iungeris ſerue Dei? Quomodo poteris cum illo ambulare, qui diuerſiſſima via incedit? Vnde & B. Paulus ad Theſſ. ſcribẽs ait. Denũtiamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt abſtineatis vos ab omni fratre inordinatè ambulãte, & non ſecundum traditionem, quã accepiſtis a nobis. Vt autẽ fratrẽs mei apertius intelligatis damnum, quod ex prauo conſortio oritur, ſciẽdum vobis eſt Dæmones non omnia mala per ſe facere, ſed impios homines pro inſtrumẽtis ad id faciẽdum ſumere cum ipſi per ſe non audeant obtinere, ꝙ per illos cõſequuntur. Hoc ad literã ſignificauit viſio, quã B. Ioan. in Apoc. vidit, vbi aſſerit ſe ingẽtem equitum numerũ vidiſſe. Et numerus (ait) equeſtris exercitus vicies millies dena millia, & ita vidi equos in uiſione, & qui ſedebant ſuper equos habebant loricas igneas, ac ſulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus & ſulphur. Et ab his tribus plagis occiſſa eſt tertia pars hominũ de igne, & de fumo, & de ſulphure, quæ procedebãt ex ore ipſorũ. Poteſtas. n. equorũ in ore eorũ eſt. Hi equites dæmones ſunt: numerus aũt horũ equitũ quos S. Apoſt. uidit, erant uigeties centena millia diabolorũ. Et notandũ eſt, quod uigeties cẽtena millia diſperſa in decẽ partẽ, vnicuiq; partiũ ducẽta millia eueniũt: atq; vt notat D. Thom. per hunc denariũ numerũ decẽ præcepta ſignificãtur & aduerſus vnũquodq; eorũ ducẽta millia dæmonũ exiſtũt, & præliantur. Aduerſus primum præceptũ de diligendo Deo ducẽta millia dæmonũ ſunt. & aduerſus ſecũdũ de nõ iurãdo ſunt alia ducẽta millia, & ſic de cæteris. Equi vero in qbus iſti equites ſedent (inquit B. Tho.) ſunt peſſimi homines. O equi Satanæ ò peruerſi diabolorũ caballi ſcelerati peccatores, qui licet pulcherrimi contenti, ac pretioſis veſtibus adornati inceditis, equi nihilo minus Sathanæ eſtis, & ipſe vobiſcũ alijs hominibus bellũ infert, atq; auxilio veſtro victoriã, quã per ſe ſolũ obtinere nõ poſſet, cõſequitur. Maxime pendẽdũ eſt quod dicit. Capita equorũ erant tãquã capita Leonũ, & de ore eorũ procedit ignis, fumus, & ſulphur. In quo ſignificatur crudelitas, qua impij, ac ſcelerati homines proximos ſuos puertũt, & quod pręcipuũ inſtrumentũ quo hęc operantur, eſt os, quo verba plena peruerſitate, & cupiditate loquuntur,

Simile.

2. ad Theſ.

Apoc. 9. c.

D. Thom.

quuntur, atque hinc eſt ignis, qui ex ore ipſorum prodit. Fumus autem verba infamatoria deſignat, quæ ipſi loquuntur, & quibus fama ſuorum fratrum denigratur. Tandem ſulphur deſignat turpia, ac luxurioſa uerba, quibus etiam puriſſimos, ac nimis caſtos corrumpũt: & ideo additur, poteſtas enim equorũ in ore eorum eſt. Ex omnibus infertur quam nociuum, pręiudiciale, ac monſtruoſum ſit horum equitum Sathanæ conſortium, ſiquidem eorum prauis exemplis, & obſcænis verbis Diabolus, quos per ſe non poteſt, peruertit. Rurſus infertur debere nos maxima cum cautela, ac timore uiuere, ſiquidem tot tamque crudeles hoſtes, qui noſtram euerſionem tantopere deſiderant, quique tot modos quærunt ad nos vincendum, habemus.

Conſortium peruerſarum mulierum.

B. Baſil. 9. quod Deus non eſt auctor malorum. BEatus Baſilius in quadam homilia de peſſimo conſortio agens inquit: Quemadmodum peſtilentibus locis ſenſim attractus aer latentem corporibus morborum inijcit: ſic item in praua conſuetudine, & conuerſatione maxima nobis mala hauriuntur, etiam ſi ſtatim incommodum non ſentiatur. *Simile.* Ex quibus uerbis ſequitur, hominem peſſimum aerem corruptum appellari, a quo oportet nos maximè fugere: præcipue tamen a corruptis mulieribus, quæ tanquam flatus dęmonis omnia inficiunt. O maledicta mulier diabolo ſimilis, quæ incunctanter operam das honeſtas mulieres ad peccatum inducere, & eas de manu Dei ſui tollere, vt lupis infernalib. tradas, immo; quod anaius malum eſt, ubi dęmon deficit, iam defeſſus, & non ualens miſeram mulierem ad voluptatis conſenſum adducere: incipis tu ipſa diabolo quodammodo potentior, ipſum adiuuare, quoniam (quod nimis dolendum eſt) perficis ipſa, & obtines a muliere culpam, quam dęmon per multum tempus non potuit obtinere. De te ego, & tuis ſimilibus poteſt illud Saluatoris dictum apud Ioannem uere dici. Vos ex patre diabolo eſtis, qu ia deſideria illius perficere uultis. *Ioan. 8. ca.* Quod enim ipſe non poteſt a muliere elicere: vos cito illis ſuadetis. Lingua tertia mulieres uiratas eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis: inquit Eccleſiaſticus. *Eccl. 28. c.* O maledicta lingua malignę mulieris, tertia inter lenones, & mulieres, quæ mulieres fortes, & uiratas in uoluptatem eiecisti, & in peccata multa, in infamiamque, & in odium Dei, & hominum, illaſque ſuis meritis, & honoribus priuaſti. Attende ergo tu mulier quanta mala tibi irroget lingua, & caue ſummopere ab illa. Vnde ibidem inquit ſacra ſcriptura. *Eccleſ. 28.* Beatus qui tectus eſt à lingua nequam: utilis potius infernus, quam illa, hoc eſt, minus malus, quia infernus ſuo igne malas mulieres, & obſtinatas, & a uita ſine pœnitentia diſcedentes comquritur; lingua tamen peſtiferæ mulieris caſtas coniuges, & ſanctas uirgines urit, & ad malum uoluptatis attrahit. Eſt denique lingua tertia diaboli lingua, & omnia: quæ de mala lingua B. Iacobus aſſerit, facillimè linguæ lenæ adaptari poſſunt. *B. Iac. 3. c. Simile.* Faber ferrarius uolens ferrum ad libitum ſuum ducere, & ignitum facere, apponit illi carbones, & incendit fol libus, uſque dum ferrum liquefacit. Quis eſt iſte faber, niſi diabolus? De quo per Iſaiam Prophetam Dominus ait. *Eſai. 4. ca.* Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas. *Iob. 41.* Et B. Iob inquit. Halitus Leuiatham prunas ardere facit. Iſte maledictus faber cupit homines, & mulieres omnes igne concupiſcentiæ molles reddere, ut illis abutatur ad libitum. Sunt autem multæ mulieres adeo fortes, ut ferrum: quas ipſe per ſe lique facere non ualet, ſicut nec faber ferrum: tamen quia malignus, & callidus

eſt, carbonibus utitur nigris, nempe ue tulis, quæ ſicut carbones prius prunæ fuerunt incenſæ, & deinde carbones manent. Sic maledictæ uetulæ quæ lenæ officium exercent frequenter, & fere ſemper tales fuerunt meretrices, & luxuria incenſæ, & quando nec canes eas aſpicere uolunt, tanquam carbonibus, & ſollibus, rugis plenis illis diabolus utitur, ut ſuis flatibus, hoc eſt, uenenoſis uerbis incendant fortes mulieres igne conſenſus, et molles ad omnem dæmonis ſuggeſtionem reddant. O maledicti carbones, et folles diaboli, quantas miſeras mulierculas incendiſtis, quas dæmon, et leno ſimul non potuerunt comburere, et ex hoc igne ad ignem æternum miſiſtis?

Simile.

Conſortium prauum ſiue bonum.

QVis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, et omnibus qui appropiant beſtijs? Sic et qui comitatur cum uiro iniquo, et obuolutus eſt in peccatis eius: inquit Eccleſiaſticus. Et rurſus. Omnis homo ſimili ſui ſociabitur, ſi communicabit lupus agno aliquando ſic peccator iuſto. Quæ communicatio ſancto homini ad carnem? aut quæ pars diuiti ad carnem? Et alibi. Stupa collecta ſinagoga peccantium, et conſummatio illorum flamma ignis. His omnibus, quantum praua conſortia noceant, inſinuatur. Vnde B. Chryſoſtomus ſuper illa Apoſtoli uerba: Neſcitis quod modicum fermentum totam maſſam corrumpit? inquit. Sanies quædam peccatum eſt, reliquum corpus depopulans ueluti domo ardente, et qui nondum malo læduntur his, qui in malo ſunt moleſtia non minori premuntur, atque uniuerſa conferunt, quo ne urgens ignis ad proprias inualeſcat domus. Sic et B. Paulus eos excitat dicens: Pyra quædam eſt, præueniamus malum, extinguamus incendium, priuſquam eccleſiam inuadat. Et ſuper illa uerba eiuſdem Apoſtoli: Corrumpunt bonos mores colloquia praua idem D. Chryſoſtomus inquit. Prorſus ergo colloquia bona caſtigant, et colloquia terribilia. Eſt enim animus inſtar ceræ cuiuſdam. Nam ſi frigida colloquia alicui induxeris, ſolidabis ipſum, atque indurabis. Si uero calida, & feruentia emollieris, emollitũ autem ad quodcunque, voles, finges, ac formabis, imaginemque illi Regiam inſculpes. Non eſt enim anima noſtra uel bona, uel mala natura, ſed uoluntate, aut mala fit, aut bona. Quemadmodum enim uedum eo nauem defert quocunque ſpirauerit uentus, imo quemadmodum ipſe clauus nauem defert ſi proſper, ac ſecundus fuerit uentus, ita & uoluntas ſi ſecundo, & proſpero uento bona ſpirauerint uerba abſque periculo nauigabit, ſi uero contraria, ſæpenumero animam ſubmerget. Quod enim nauigijs ſunt flatus, hoc animis ſunt ſermones. Summopere ad hoc conducit, quod idem beatiſſimus Doctor eadem homilia docet inquiens. Melius eſt triſtibus immorari, quam iucundis. Nam ſi domum ingreſſus fueris, vbi parantur nuptiæ ad horam quidem ſpectaculo oblectaberis, nouiſſime vero digreſſus te ipſum mœſtitia macerabis, propterea quod tanta non habebis, ſi uero domum lugentium intraueris, etiam ſi valde diuites fuerint digreſſus, magis recreaberis: non enim liuorem illinc capies, ſed conſolationem paupertatis tuæ: uidebis re ipſa, quam nihil boni habeant, diuitiæ, & quam nihil mali paupertas, ſed vtræque res ſint indifferentes. Ita & nunc ſi delicijs ſermocinatus fueris magis animum dolore obtondes non habentem pari modo unde delicietur: Si uero aduerſus delicias loquutus fueris, & de gehenna ſermoné feceris, exhilarabit te res iſta, pluri-

Eccleſ. 12.
Eccleſ. 13.
Eccleſ. 21.
B. Chryſo. hom. 10. de pœnit.
1. ad Cor. 5 cap.
1. ad Cor. 15
B. Chryſo. ho. 2. in 2. ad Theſ.
Simile.
D. Chryſo. vbi ſupra.

plurimumque uoluptatis capies.

B. Baſil. in pſalte. B. Baſilius de bono conſortio agens inquit. Non aliter, quam ceruus uenenum ex antris trahit ſuo halitu, & purgat: ita quidam ſua pia conuerſatione alios a peccato retrahunt, & cõuertũt. *B. Baſil. in Gordij. martyrẽ.* Et alibi idem Sanctus Doctor ait. Quẽadmodum ſuauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem continentem ſpirant, quibus pręſentes recreantur: ita uir bonus toti ſibi commorantium contubernio ſalutaris eſt, ac iucundus.

B. Chry. ho. 43. operis impe. B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit: Vt aurum eligitur, & uilis terra relinquitur, & ut apes flores colligunt, & herbas relinquunt: ſic uos ab homine malo colligite doctrinam, conuerſationem autem relinquite. *B. Chryſo. ho. 28. in Matth.* Et alio in loco. Velut lutum, farinam, acetum, uinum corrumpit: ita mali homines bonos. Diſcedamus ergo a Babylone.

Gen. 13. Quamuis S. Loth uir iuſtus erat, conſortium tamen eius ſancto Patriarchæ Abrahę commodum non afferebat, propterea quod utriuſq; paſtores (ut ſacra refert ſcriptura) inter ſe multoties rixabantur. Porrò licet S. Abraham eum magnopere diligebat, & in peregrinatione ſua tanquam fratrem ſecũ attulerat, uoluit potius hanc conſolationem amittere, quam pacem, & quietudinem uiolare, atque ita poſtquam ab eo diſceſſit hoc (ut ait ſacer textus) illi contigit. Dixit autem Dominus ad Abraham, poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth. Leua oculos tuos, & uide omnem terram, quam conſpicis, dabo tibi, faciamq; ſemen tuum ſicut puluerem terrę, &c. Quando propter Deum uoluit S. Patriarcha ſe humana conſolatione priuare, tunc ei Dominus apparuit, ipſumque conſolatus eſt, tantiſque fauoribus affecit. In hoc nos docens, ut omnes conſolationes, ac conuerſationes humanas parui faciamus, & contemnamus, humanis enim deficientibus diuinæ appropinquabunt, maximè cum illas relinquimus propter Dei amorem, & quia in eis aliquam occaſionem ipſum offendendi reperimus.

Egregius Propheta Dauid eos appellat fœlices, qui conſilijs improborum nõ accederent, neque inſtituto flagitioſorum uiuerent, & cum malitioſis nullam inirent ſocietatem. *Pſalm. 1.* Quo loco omnem penitus conſuetudinem cum impijs, omneque commertium dãnauit: non ſolum quod periculum ſit, ne fortaſſe nobis illorum ſtudia arrideant, & ad ſui imitationem alliciant, ita ut animo ſtemus illorum inſtitutis infixo, uerum etiam quod cum impij ſint tanquam puluis, quem proijcit uentus, aut ſicut quiſquiliæ, quæ uẽto diſperſæ omnia commaculant, & oculos hominis uehementer lædunt, ne hoc in nobis efficiant.

Conſortium prauum fugiendum.

QVam fugienda ſint praua conſortia, uerba ſponſi in Canticis manifeſtè indicant, ubi inquit loquens cũ ſponſa. *Cant. 4.* Veni de Lybano ſponſa mea, ueni de Lybano, ueni, coronaberis de capite Amana, de uertice Sanir, & Hermon de cubilibus leonum, de montibus pardorum. In Hebręo pro, de capite, & de uertice, idem eſt utrobique uocabulum, quod caput ſignificat uerticem, cacumen, & ſumitatem cuiuſcunque rei. Si quidem autem hic locus difficilis eſt, operæ pretium erit illum in ſenſu, quem literalem uocant, explanare. Sponſos olim cum iam legitimas nuptias celebrarẽt, coronis ornari conſueuiſſe produnt etiam diuinæ literæ. Hoc eſt enim, quod inquit Iſaias: Quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. *Iſai. 61.* *Cant. 3.* Et in eodem Cantico canticorum: Egredimini, inquit ſponſa, & uidete filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſpõſatio-

nis illius. Sed & de Beata Agnete canit Eccleſia. Induit me Dominus ueſtiméto ſalutis, & tanquam ſponſam decorauit me corona. Ergo ut ad explanationem huius loci ueniamus, confingit Salomon, ſpóſam in extremis finibus Paleſtinæ in niuoſis, atque prẹruptis, ferarumque plenis Libani cacuminibus pauiſſe gregem. At ſponſus dum uenuſtiſſimam illius formam auidiſſimè contéplaretur, dumque eius pulcherrimas corporis partes laudando ſigillatim percurrit, & enumerat flagrantiſſimo illius amore ſuccenſus, quaſi qui ſine ea uiuere ſe poſſe inficietur, nuptiis neceſſaria confeſtim ſe apparare uelle denunciat: ſcilicet, ut in domũ ipſam ſpóſam traducat. Statuit ergo in montem mirrhæ conſcendere, ut coronas nuptiales contexat, & in collem thuris, ut aromata colligat concremanda. Ait igitur. Quam pulchra es amica mea, quã pulchra es. Oculi tui columbarũ. Moxque ſingula membra cômendat, & quaſi dicat: certum eſt, amplius à te nó abſentia ſeiungi, addidit. Vadam ad montem mirrhæ, ut coronas connectã: & ad collem thuris, ut comporté aromata. Tota quippe pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Porrò tam uenuſta coniuge carere, ab eaque longius abeſſe quis ferat? ueni ergo de Libano ſpóſa mea, uenĩ de Libano, ueni de niuoſis, & rigentibus Libani uerticib. ſcilicet Amana, Sanir, & Hermon: deſere periculoſa cacumina, deſerta hẹc inhoſpitatéſque, pardis, atque leonibus, omniqúe genere ferarum horrifica. Veni autem, ut coroneris, utque mihi in poſterum iam in legitimum matrimonium, atque in inſolubilem ſocietaté iungaris. Hæc omnia poſt modum ſe apparaſſe ſpóſus affirmat capite ſequẽti, cum ait. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrhã meam cum aromatibus meis. Verbum enim, ueni, præteriti eſt tẽporis, ut Hebræus codex teſtatur. Quin & nuptiale conuiuium, ſe obſonaſſe, ac præparaſſe affirmat ſponſus: Comedi, inquit, fauum meum cum melle meo: bibi uinũ meũ cum lacte meo, ideſt, præſto ſunt, atq; parata hæc omnia, ut mox comedi, atque bibi queant. In diuinis enim libris, quæ in procinctu ſunt, ut fiãt iam fuiſſe facta, dici conſueuerunt. Cuiuſmodi eſt illud in libro Ioſue: Ecce dedi in manus tuas Iericho, & Regem eius, omneſque fortes uiros. Et illud quoq; apud Hieremiam: Dicite, capta eſt Babylon, & confuſus eſt Bel uictus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia eius, ſuperata ſunt idola eorum. Hoc auté ex ſequẽtibus fit manifeſtum; addit enim: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Meminit porrò bis ſponſus mellis, dicens: comedi fauum meũ cum melle meo, quoniam olim ouum, & mel initio conuiuii miniſtrari, in fine uerò ſecundiſque menſis, poma ſimul & mẹl rurſus dari & apponi conſueuerunt. Perindeque eſt dicere: comedi fauum meum cum melle meo, ac ſi diceret. Parata ſunt omnia à melle uſque ad mel ab ouo uſque ad mala. Apponebatur autem initio conuiuii fauus: in fine uerò mel bellariis pomis, atque nucibus liniendis. Quod uero addidit: Bibi uinum meum cum lacte meo: multa hominum genera bibiſſe lác Athenæus, atque alii teſtantur. Hẹc ad explanationem literalis ſenſus huius loci ſatis ſint: quæ omnia ſignificant, quod ad hoc, quod anima fidelis, ſponſa Dei ſit, opórtet, ut à prauo peccatorum conſortio exeat, & ſe abſtineat, ut etiam commodius donis diuini ſponſi & beneficiis frui poſſit.

Cant.4.

Circa conſortium quid dixerunt philoſophi.

CIrca conſortium etiam, quod deligere debeamus, Philoſophi aliqua documenta tradidere. Nam Solon dixit. Cum malis commercium ne habeto. Item Cato: Cum bonis ambulato.

lato. Philemon. Cum viro improbo iter ne facias. Epictetus: ſcito eum inquinari,qui cum inquinato ingenio cō flictatur. Socrates. Malorum conſuetu dinem fugito. Plautus: Nolo ego cum improbis te viris gnate mi neq; in uia, neque in foro ullū ſermonem exequi. Viri improbi comitatum ſemper fuge. Lycurgus. Cum pari uiuito: qui enim cum potentiore uiuit, neceſſe habet ſæpe de ſuo iure concedere; cum æquali autem æquale tibi ius erit. Pindarus. Caue certamen congredi cum potentioribus. Iſocrates. Nullam familiaritatem temere aut ſine ratione contrahe: ſed his gaudere congreſſibus aſſueſce,qui re & ſapientia augeant,& uirtutis apud alios opinione.

Simile. Si dens vnus molaris affectus vicinos ſibi molares quamuis duros afficere poteſt,& corrumpere, quid ni ſufficiet ſocius affecto,& infecto uitiis corde mollia, fragilia, & denique carnea corda ſociorum ſuorum contaminare, & commaculare?

CONSVETVDO mala.

QVAM difficile à peccatis conſuetis diuellitur,uerba Baati Apoſtoli manifeſte oſten dunt; qui de huiuſmodi hominibus ſermonem faciens inquit. *2 ad Tim. 2.* Captiui ad ipſius diaboli voluntatem. Vnde conſuetudo quaſi ſecunda, & effabricata natura dicitur, & lex quidem peccati eſt uiolentia conſuetudinis, qua trahitur etiam iniuſtus animus eo merito, quo in eam uolens illabitur. Quare B. Aug. ſic ait. *B. Aug. li. 7. confeſſ.* Conſuetudo adeò graue malum eſt, ut quāuis magna, & horrenda peccata in conſuetudinem uenerint, aut parua eſſe, aut nulla credantur, uſque adeo ut non ſolum non occultanda, uerum etiam prędicanda, diffamandaq; uideantur. Hęc eſt conſummata infœlicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placēt, & deſinit eſſe locus remedio, ubi quæ fuerant uitia, mores ſunt, ut inquit Seneca. *Sen. epiſt. 28.* In hanc infœlicitatem deuoluti erant illi, de quibus Propheta Iſaias, *Iſa 3.* ait. Agnitio vultus eorum reſpōdit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. Iuſte quidem dixit Sanctus Propheta. Agnitio uultus eorum reſpondebit eis. Quid ſibi uult hæc circumlocutio? B. Hieronymus inquit. Sua recipiēt peccata. Breuis quidem expoſitio, & obſcura. Hoc ergo intendit S. Propheta dicere. Eueniet eis id quod magnitudo, ſeu enormitas peccatorū meretur. Quaſi dicat. Facies eorum indicat, eos eſſe ſuperbos, iracundos, inhoneſtos, ira, inuidia, atque odio plenos, ideo ſecundum hæc fiet eis, hoc eſt, Præmia ſuis factis digna recipient.

B. Chry. homil. 11. in 1. ad Cor. & homil. 80. ad pop. Antioche. B. Chryſoſtomus in quadam homilia ait. Planta nuper inſita facilius euellitur, diuturniori autem mora profundius actis radicibus multo labore opus eſt, ut euellatur. Et ædificium nuper compactum facile rumpitur, tempore autem conſolidatum difficile diruitur. Et fera, quæ alicubi moram diutius fecit egrè capitur. Sic & bona, & mala, quæ diutius in nobis immorantur uehementiora fiunt. Igitur qui nondum uitiis ſe ſubdiderunt, his ego ſuadeo,

ne capiatur: facilius namq; caſum poſſumus cauere, quam poſt caſum reſurgere. Et contra gẽtiles idem S. Doctor inquit. Anima, quę ſemel peccatum guſtauit, & nec dolore, nec pęnitẽtia eius tangitur negligentia ſua facit, ut ſemper morbi creſcat acceſſio. Et quemadmodum in materiam recẽtem cadẽs ſcintilla, ſtatim tactā accendit, nec ſubſiſtit, donec quod reliquum eſt, paſcatur, & quanto plura comprehendit flāma, tanto maiores uires ad conſumenda alia concipit: capitur enim edacitate lignorum, quæ conſumuntur, ſi quid reliquum, quod & ipſum conſumendũ, & iterum alia conſumit, ſemper fortius ſe armante incendio. Sic & natura peccati ubi cogitationis animi inuaſerit, & nemo ſit, qui malum extinguat, procedens vlterius peior ſemper ſit, magiſq; ac magis indomita, & ideo poſteriora peccata ferme prioribus ſunt grauiora. Accedit ad hæc, quòd poſteriorib. peccatis, ad maiorem ſemper diſſipientiā, & inconſiderationem uergit, uiribus q; deſtituitur. In hunc modum plurimi, quia priorem flammam non reſtrinxerunt, in omne peccatorum genus inciderunt. Plutarchus in ſuis moralibus appoſitiſſimam ad hoc adducit ſimilitudinem. Qui diu in uinculis fuerunt, cum ex illis ſoluuntur, tamen claudicant adhuc, nec gradi poſſunt: ita diu uitiis aſſueti etiam cum ea deſerunt, quædam ipſorum retinent ueſtigia.

B. Chry. cõtra gẽtiles et hom. 22 ad populũ Antioche.
Simile.
Plutar. in moralib.
Simile.

Conſuetudinis peccandi peſtiferi effectus.

Conſuetudo peccandi vel minuit, vel omnino tollit ſenſum peccati, ſicut fodiendi inſuetus, cum primum tractare ligonem incipit, laceratur, ac læditur, vbi aũt aſſuetus callos abduxit, iam nihil ferè ſentit: ita quo quis peccatis aſſuerit hoc minus mortifera peccati vulnera ſentit, ideo in Prouerbiis uehementer Salomon hominem male aſſuetum increpat dicens. Vſque quo piger dormies? Quoniam conſurges de ſomno tuo, paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas, vt dormias, & ueniet tibi, quaſi uiator egeſtas, & mendicitas quaſi uir armatus. O appoſitiſſimam ſimilitudinem? Viator paulatim progrediens, tandem peruenit quo deſtinauit: ſic qui peccata peccatis addit ad cumulum malorum appropinquat. Vir autem armatus difficilis ad ſuperādum eſt: talis autẽ eſt praua conſuetudo, quę difficillimẽ ſuperatur. Vnde eſt illud Hieremię Prophetæ. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & uos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Ex hac pertinacia peruenit homo ad obſtinationem, quod eſt ſummum illud periculum à quo uates ſanctus liberari petebat, cum dicebat. Non me demergat tempeſtas aquæ, nec abſorbeat me profundum, nec vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Clauſo enim putei ore, quæ ſpes emergendi relinquetur? Ad hunc autem ſtatum peruenerat, qui dicebat. Lapſa eſt in lacum uita mea & poſuerũt lapidem ſuper me. De huiuſmodi indurato ait B. Bernardus libro de conſideratione. Longius à ſalute membrum abeſt, quod obſtupuit, & ęgrotus ſe ſe non ſentiens periculoſius laborat. Et ibidem ait. Quis magis mortuus, eo, qui portat ignem in ſinu? peccatum in conſcentia, nec ſentit nec excutit, nec expaueſcit.

Prouer. 6.
Simile.
Hiere 13.
Pſal. 98.
Tren. 3.
B. Ber lib. de conſid.

Conſuetudo peccandi pernicioſa.

Deus nos ab habitu malo peccādi eripiat: hæc enim ægritudo difficillime atque efficaciſſimis medicamẽtis curatur: ſicut B. Hieroy. ſuper Iſaiā teſtatur dicens, hoc ſignificaſſe Spiritum ſanctum in illo ſexto Iſaiæ capite: ubi conquerens S. Propheta de ſuorũ labiorum impuritate (propter quam non pouit Deum cum Seraphinis col-

B. Hiero. in c. 6. Iſa.

lauda-

laudare)inquit, vnum ex illis uolaſſe, & forcipe carbones ignitos ex altari, quod ante Deū erat ſumpſiſſe, & os ſibi cautherizaſſe, atque dixiſſe. Iam os tuum mundificatum, ac purificatum remanet,& tuum peccatum remiſſum. Rigidum profectò eſt medicamentum cauterij, ignis, maxime in ore, illud enim conburit, & ſignatum relinquit S. Propheta Hieremias (ut ait B. Hieronymus)conquerebatur et de ſui oris defectu, atq; dicebat, ſe neſcire loqui. Et ad hoc non fuit opus igne, ſed ſatis fuit illum manu pertingere, vt ſic ei remedium adhiberetur. Quoniam S. Hieremias (ait B. Hieronymus) puer erat, ad caſtigandum autem puerum, & morti ſicandam atque retorquendā eius uoluntatem nō opus eſt carnificē vocare,ſed ſufficiunt duntaxat flagella leni manu inflicta. Ad reſiſtendum actibus peccati incipientis non tanta eſt difficultas. At propheta Iſaias ſenex erat: ad medendum autem ægritudini peccati inueteratæ, & in anima radicatæ opus eſt diuina fornace forcipe, maleo, igne atque optimo artifice uidelicet Seraph, & Vtinam ſufficiat, quod ſignificatum fuit in hoc curationis modo. Vt autem melius deprauatę conſuetudinis grauitas intelligatur notandū eſt, bonitatem Dei eſſe infinitam nec poſſe aliquo modo à malitia alicuius peccati quantumcunque enormis ſuperari. Vnde concluditur magis peccaſſe Cain de Dei miſericordia deſperando quam fratrem ſuum Abel interficiendo. Et impius Iudas plus etiam peccauit defidens ex Dei miſericordia quam dum Chriſtum Redemptoré noſtrum vendidit. *Mat.12.* Et licet de hoc peccato Dominus dicat, quod nec in hoc mundo, nec in alio remittitur, non tamē dixit illud eſſe irrimiſſibile abſque dubio enim nullum eſt talis naturæ peccatū, quod remitti,& condonari non poſſit, dum uiuimus: ſed dixit illud non remitti his uerbis. Qui dixerit contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, nec in futuro: etenim multa non fiunt, quæ fieri poterant: ut uidelicet per illum loquendi modū grauitas illius peccati, & quod communiter euenire ſolet, explicaret. Qui enim de bonitate Dei tam indigne ſentiunt, & concipiunt ſolent ſe laqueo ſuſpendere, uel aliter deſperantes ut Iudas, interficere, aut denique moriūtur in ſuis peccatis perſeuerantes finali impœnitentia,& obſtinatione ſicut Cain. Et ad hoc genus peccati in Spiritum ſanctū reducitur deprauata peccandi conſuetudo,& perſeuerantia, atque obſtinatio in peccato: Atque ita Sapiens Philo inquit. *Philo. lib. de Blibicis antiquit.* In hoc malum Ophni & Phinees ſummi Sacerdotis Heli filios cecidiſſe, qui patri ſuo de peccatis commiſſis ipſos increpanti reſpondebant. Deſine nos uoluptatibus, & deliciis humanis nunc frui, quando autem, ut iu ſenes fuerimus, tunc pęnitentiam faciemus. Sed profectò hæc longæ ui:ę ſpes (quā, ut ait Laurentius, Ariſtoteles ſomnium euigilantium appellauit) hoc eſt, [*ſueño de hombres deſpiertos*] *Lauren. In vita Ariſ.* magnopere eos decepit, *1.Reg.4.* atque longe aliter ab eo, quod ipſi cogitabant, illis euenit: nam, ut ſacra Regum narrat hiſtoria, in quodam prælio in flore ſuæ iuuentutis miſerrime occubuerunt. Qua propter ſemper in memoria noſtra uerba illa diuina Regii Prophetæ debent eſſe, quæ magna cum maieſtate, & grauitate B. Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos refert, dicens. *Pſal.94. Ad Heb.3* Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Et paulo inferius. Videte fratres, ne forte ſit in aliquo ueſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo uiuo, ſed adhortamini uos metipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex uobis fallacia peccati. Hoc, hodie, de quo Sāctus Apoſtolus loquitur (ut placet D. Baſilio) *B.Baſ. epiſto.5. Achilon.* ſpatium, & tempus huius uitæ eſt, quæ cum omnino incerta ſit, magna profectò inſania eſt, nec ad punctum quidem pęnitentiam in ea differre, vel

eta,

craſtinum diem expectare, cum nihil temporis noſtrum habeamus præterquam hodie, & licet aliquod tempus, ſeu plurimos uitæ annos haberemus, ingens profecto malum eſſet pęnitentiam procraſtinare: conſuetudine nãque anima induratur, ac tandem peccatum ſuum, uel damnum non ſentit. Quapropter eleganter inquit Hippocrates. Qui in aliqua corporis parte habent ægritudinem, & illam non ſentiunt, ſatis oſtendunt, & ſignum eſt illos longe maiorem ægritudinem retinere. Qui ergo in anima ęgritudinem habẽs adeò induratus eſt, ut eam non ſentiat, ſignum eſt, quod ipſam mortuam habet, quodque ægritudo eius eſt propemodum irremediabilis, ut per Hieremiam Prophetam Dominus explicare uidetur, dicens. Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua: non eſt qui iudicet iudicium tuum: ad alligandã curationem tuam utilitas non eſt tibi, nullus enim tibi perſuadere poteſt ligaturam uulneri tuo eſſe neceſſariam. Satis aperte Chriſtus Redemptor noſter oſtendit eſſe aliquam ægritudinem, ex qua ægrotus minime ſanari uult, ſiquidem ut paralyticũ, qui in piſcina probatica per triginta, & octo annorũ ſpatium ægritudinem illam patiebatur, ſanare, eum interrogauit, an ex illa ægritudine ſanari uellet, dicens. Vis ſanus fieri? Magna profecto miſeria eſt, quod cum Dominus continuo paratiſſimus ſit ad uulnera noſtra ſananda, & tã ſingularia medicamenta, qualia ſunt ſacramenta habeat, nos adeò amentes ſimus, ut ſani eſſe nolimus: atque ita per Hieremiam Prophetam ipſe Dominus inquit. Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filię populi mei? Galaad terra eſt in qua balſamum conficitur. Cum autem inquit: Nunquid reſina non eſt in Galaad perinde eſt, ac ſi diceret. Nunquid aqua in mari deeſt? Nunquid in Deo non eſt miſericordia? Nunquid in ſacroſancta Eccleſia eius remedia non ſunt ad adhibenda animis curationem? Quare igitur curati, ac ſanì non ſumus, niſi quia nolumus? O ingens malum, & abundantiſſimis lachrymis deplorandum? Animo euoluens hoc S. Hieremias ſtatim in principio ſequentis capituli inquit. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei. Ideo loquens Dominus per Prophetam Iſaiam cum peccatoribus inquit. Lauamini, mundi eſtote, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite, & arguite me, hoc eſt. Conquerimini de me, ſi uos in gratiã meam, & miſericordiam non recepero: uobis enim dico, quòd ſi fuerint peccata ueſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabũtur, & ſi fuerint rubra, quaſi uermiculus, uelut lana alba erunt, ideſt, ſi peccata ueſtra fuerint adeò radicata in animis ueſtris, ſicut color rubicundus in lana coccinea ego faciã, ut ſicut nix reddantur alba: & licet magna conſuetudine peccandi animam ipſam uelut coccinum tinxerint, ego illam ſicut lanam albam reddam, dummodo uos ad me per pęnitentiam reuertamini.

Hip. lib. 2. Aphoriſ. · *Hiere. 8.* · *Hiere. 9.* · *Iſa. 1.*

Simile. Quemadmodum quidam, ſi gladius ipſe rubigine obducitur, illico eũ mundant, alii uerò adeò negligentes ſunt, ut annum etiam differant, alii denique nunquam eum uel uident modo, niſi cum tandem neceſſitate urgentur, unde fit, ut cum uſus poſcat, ne educere quidem ex uagina gladium poſſint. Ita quidam ſi tantillum maculę euaſerit conſcientiam, illico eam mundant, alii ſequentem annum expectant, nõnulli etiam mortem ipſam, unde fit, ut ſæpe permittat Deus tales mori cum anima immunda & minus à uitijs expurgata.

Con-

Conſuetudo peccandi difficile medetur.

Eccleſ. 10. VEriſſimè dictum eſt in Eccleſiaſtico. Langor prolixus grauat medicum. Sicut enim, vt ait Beatus Chryſoſtomus, facile eſt riuulum cùm primũ à fonte ſcaturit, quocunque volueris, flectere: at vbi aliorum fluminũ acceſſione auctus é, vix vlla arte poſſis eius impetum reprimere aut curſum alio deflectere: ita facile eſt uitium recens adhuc natũ abſcindere, at multorum annorum conſuetudine auctum, & roboratũ, quis facile ſuperare queat? Quam leui opera nouellam ſtirpem, & vix dum radicibus hęrentem euellere poſſumus, annoſam tamen, & diuturno tempore firmatam, quis ſine maximo labore eradicare ualeat? Idem igitur de uetuſto ſcelere ſentiendũ eſt, quod quo diutius animo hęſit, hoc altiores in eo radices egit, difficiliuſque auelli poteſt. Hinc formidanda illa B. Gregorij ſententia. Tenent prauæ conſuetudines, quos ſemel cæperunt, & quotidiè duriores exiſtunt, & non niſi cum peccatoris uita finiuntur. Itemque rurſus. Sæpè nonnulli exire à prauis actibus cupiunt, ſed quia eorundé actuum pondere premuntur in malę conſuetudinis carcere incluſi à ſemetipſis exire non poſſunt. Conſulto autem uir ſanctus ponderis nominè utitur: ut enim infirma iumenta ſub graui onere ruentia, niſi ab alijs iuuentur exurgere nequeunt: ita quicunque in peccato iacent, atque hi præcipuè, qui ſceleribus diu aſſueuerunt, prauæ conſuetudinis pondere preſſi niſi ſingulari Dei ope, atque beneficio, à peccati onere ſugere non ualent. In quo quidé ſtatu miſeri non iam de peccati remedijs, ſed de ſolatijs cogitarunt, quemadmodum idē ſanctiſſimus doctor teſtatur his verbis. Eneruis animus cum ſolui non uult, ad quædam ſe ſolatia falſæ conſolationis inclinat. Rectè autem eneruem, ſiue eneruatum animum appellat eum, qui praua peccandi conſuetudine debilitatus, & fractus difficilimè ad ſanitatem perducitur. Itaque cum huiuſmodi homines ea uitia, quibus aſſueuerunt, quæque magno amore amplectuntur, à ſe abdicare nolunt, ad quędã ſe ſolatia uertunt, quibus ſe in mali ſſuis cõſolentur. Aliquãdo enim ad praua aliorum exempla, aliquando ad miſericordiam Domini quandoque ad merita dominicæ paſſionis confugiunt, non nunquam uero ad futura tempora pœnitentiæ propoſitum differunt, quo minori moleſtia in ſceleribus ſuis requieſcere valeant. Adeo enim cæci, atque dementes ſunt, ut cum de ſolis morbi remediis agere ſemper deberent, non de remedijs agere ſemper deberent, non de remediis, ſed de ſolatiis cogitent, quibus uim morbi augeant. Tanto enim periculoſius morbus ingraueſcit, quanto maiora peccator in eo ſolatia inuenit. Veriſſimè enim ab eodem Diuo Gregorio dictum eſt. Creſcit culpa fauoribus nutrita. Hoc eſt, non modo externis adulantium uocibus laudata, *Pſal.* 9. quando uidelicet laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, ſed etiam cum his rationibus, quas modo retigimus amés, & cœcus homo ſibi ipſi blanditur, & inania hæc ſolatia captat. Huiuſmodi autem homines vſque adeo à ſalute diſtare idé ſanctus ait, ut ad ipſos illa Domini uerba pertinere dicat. Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortuos enim appellat, qui ſine vllo *Mat.* 8. peccandi ſenſu in ſceleribus ſuis tota vita perdurant.

Simile. *Simile.*

CON-

CONTEMPLATIO quid ſit.

ALiud eſt meditatio, & aliud contemplatio, meditatio eſt inquirere, & inueſtigare veritatem mediāte aliquo diſcurſu. Cōtemplatio vero eſt, quando aliquis magna cum tranquilitate, & quietudine, atque unico ſingulari actu intellectus fruitur ueritatibus inuentis mediante diſcurſu, aut notitia, quam fides maximo cū gaudio, & uoluptate nobis prębet. Denique meditatio eſt ueluti ignis inflammatio: contemplatio uero eſt ueluti cum quis igne accenſo, & flamma lucida abſque fumo perfruitur. Non pōt tamen mens liberè eleuari ad contemplationis ſtudium, niſi prius paſſiones appetitus ſenſitiui per exercitiū moralium uirtutū fuerint moderatę. Quod *B.Greg.li. 6.mor.17* B. Gregorius his uerbis docet. Prius ergo mens appetitur gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione tergenda eſt, & tunc ad aciem contemplationis eſt erigenda. Ideo ut Caſſiadorus, & Lyranus bene adnotarunt, prius dixit S. Dauid: *Ezec.10.* Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini, quod ad uitam actiuam attinet, deinde addidit. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius in toto corde exquirunt eum, quod ad contemplationem ſpectat. Non certe hoc obſeruant, qui uix pedem à mundo auertunt, *Pſal.118.* & iam ultimum apicem perfectionis attingere uolunt. Animalia illa ſancta, quæ propheta Ezechiel uidit, habebant manus hominis ſub pennis eorum: pennata erant, ſed manus hominis ſub pennis eorum. Per pennas uitā contemplatiuam, per manus hominis actiuam intelligimus: manus ergo erāt ueluti fundamentum pennarum, nam uita contemplatiua ſuper opera actiuę fundantur. Prius quod animale, deinde quod ſpirituale ait B. Paulus ad Cor. *1.adCo.15* ſcribens. Vita actiua reſpectu contemplatiuæ eſt ueluti uita animalis, eo ꝙ circa opera exteriora & actiones circa opera proximorum vt in plurimū uerſatur: licet etiam ad vitam actiuam pertineant conſilia, prædicatio, & alia bona ſpiritualia: ſed quia erga exteras actiones uerſatur, & præcipue quæ ad corpus attinent, dicit animalis reſpectu uitæ contemplatiuæ, quę tota circa ſpiritualia uerſatur. Prius eſt ergo vita actiua, deinde contemplatiua. In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare: di *Eccl.24.* citur in Eccl. Iacob luctator dicitur Iſrael fortis, & uidens Deum. Prius ergo Iacob, deinde Iſrael, prius in uita actiua luctator fortis contra carnis illecebras, contra ferociſſimas Dæmonis inſidias, contra maxima, & aſſidua pericula, quæ paſſim occurrunt. Deinde hæreditabeis in Iſrael. Accipies uelut præmium actionum uitæ actiuæ, tanquam hæreditatem ſummi Dei cōtemplationem. Nam certe uita contēplatiua uelut præmium ſolet eſſe actiuæ. Quare in templo Dei prius erat altare, in quo mactabantur carnes animalium immolatorum, quam altare quo adolebatur incenſum: prius enim mortificare, mactare, & deſiccare debes carnem tuam ieiunijs, uigilijs, & alijs carnis macerationibus, quam uenias ad altare incenſi, ideſt, ad contemplationis ſacrificium, ubi anima recto

tramite dirigitur ad Deum, ſicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, ut dicitur in Canticis. Prius myrrha, quæ eſt amara, deinde thus dulciſſimæ contemplationis eſt adhibendū. Hæc doctrina eſt omnium Sanctorum, quam B. Thomas confirmat.

Cant. 3.c.

D.Tho. 2. 2. q.180. art.2.

Contemplationis effectus.

B.Greg.ſuper c.39. S.Iob.

BEatus Gregorius ſuper illa verba ſancti Iob, Nunquid ad præceptū tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſibi, in hunc modum ait. Hoc loco aquilæ nomine ſubtilis Sanctorum intelligentia, & ſublimis eorū contemplatio figuratur. Cunctarum quippe auium uiſum acies aquilæ ſuperat, ita ut in ſolis radijs diu fixos habens oculos nulla lucis eius coruſcatione reuerberantis claudat. Ad præceptum ergo eleuatur aquila, id eſt, mens illa, quæ diuinis iuſſionibus obtemperans in ſupernis ſuſpenditur, & in arduis nidum ponere dicitur, quia deſideria terrena deſpiciens ſpe iam de cœleſtibus nutritur. In arduis nidum ponit, qui habitationem mentis ſuæ in abiecta, & infima conuerſatione non conſtruit. Videamus aquilam nidum ſpei ſibi in arduis conſtruentem, quæ ait ad Epheſios ſcribens. Qui conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cœleſtibus. In arduis habet nidum, qui profecto in ſupernis figit conſilium, non uult mentē in ima deijcere, non uult per abiectionem conuerſationis humanæ infirmis habitare. Tum Paulus fortaſſe in carcere tenebatur, cum ſe conſedere Chriſto in cœleſtibus teſtaretur: ſed ibi, ubi ardentem iam mentem fixerat, non illic, ubi eum neceſſario pigra adhuc caro retinebat. O admirabilem uiri ſancti contemplationem, in carcere corpore erat, & ſe conſedere cum Chriſto in cœleſtibus per diuinam illam mentis actionem affirmabat. Hic eſt ille dulciſſimus ſomnus, quem amantiſſimus ſponſus in ſponſa ſua cupit non inter turbari cum ait. Adiuro uos filiæ Hieruſalem per capras, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit. Sicut enim parentes ægrotante filio, ſi ſomnum forte ſalutarem capit, obſeruare ſtudioſe ſolent, ne aliquo domeſticorum ſtrepitu ſomnus ille intercidatur. Ita cœleſtis ſponſus, anima in illo dulciter quieſcente, & dormiente, diligenter curat, ne ſalutaris iſte, ac uitalis ſomnus intercipiatur. Quid autem tali ſponſo dulcius? Quid amantius? Qui tali ſtudio, talique adiuratione ſaluti, & incolumitati ſuorum proſpicit? Nomine uero caprarum, atque ceruorum qui in altiſſimis rupibus habitant, celerrimeque mouentur, & acutiſſime uident, uirtutes angelicæ deſignantur, quibus hęc omnia maxime conueniūt. Ex uirtutum ergo cæleſtiū nomine adiurantur omnes, ne piorum quietem, & tranquillitatem perturbent, ne in illā Apoſtoli maledictionem incurrāt. Vtinam abſcindantur, qui uos conturbāt. Vt commodius autem ita & facilius eſt quotidie Deo uacare, & ſe intra ſe colligere. Cithara enim, quæ aſſidua artificis manu pulſatur, minimo negotio ad hoc ipſum paratur, quæ uero diu ſiluit, uix lōgo ſpatio ad hoc inſtruitur. Sic igitur qui aſſidue orat facile purā mentem in Deum leuat qui uero hoc diu diſtulit, uarijs terrenarum rerum (quibus aſſueuit) imaginibus infeſtatur, & interna uacatione, & ſilētio auocatur. Itaque cum in cœlum mentē attollere nititur, in ipſo conatu à terrenis curis, & cogitationibus ad terram trahitur. Quare ſuper illa uerba Prouerbiorum: Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudētiæ, ſi quæſieris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc ſciētiam Dei inuenies, ait B. Hieronymus. Qui theſauros effodit, terram reiicit, foueam in altum facit, id eſt, in profundum ſedulus inſiſtit, donec inueniat, quod quærit. Sic qui theſaurus ſapientiæ

Ad Epheſ. 2.c.

Cant. 2.c.
Simile.

Ad Gal. 6. c.

Simile.

Prou. 2.c.

B.Hieron. in Prou.
Simile.

tiæ inuenire deſiderat omne pondus terrenum à ſe reiiciat, in ſe foſſam humilitatis faciat, nec quieſcat donec inueniat. De ſtudio uerò ſapientiæ (quod quidem in aſſidua diuinarum rerũ contemplatione poſitum eſt) ac de mirandis huius ſtudij fructibus dicitur in Ecclesiaſtico. In quo quidem ſtudio quantum laboris, & ſolicitudinis ſit, declaratur ibidem his uerbis: Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper eũ, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, doctrina enim ſapientiæ, veterem hominem cum actibus ſuis, ut nouum ſuſcitet, qui ſecundum Deũ creatus eſt, demoliri conatur: ideoque neceſſe eſt in hoc certamine, in quo aduerſus corruptam naturam, inueteratamq; conſuetudinem gratia pugnat, multum ineſſe ſolicitudinis ac laboris.

Eccl. 51.

Contemplatio vitæ Chriſti Redemptoris noſtri.

Cant. 7.

AD hoc nos ſponſus excitat, cum ad ſponſam in Canticis ait. Caput tuũ ſicut Carmelus. Caput noſtrũ Chriſtus Carmelo comparatur, qui eſt pinguiſſimus, & amęniſſimus mons, lætiſſimumque gregibus pabulum præbet. Quod autem aliud pinguius, aut lætius animarum pabulum eſt, quam ſtudioſa uitæ, atque doctrinæ huius Saluatoris contemplatio? In hoc igitur pinguiſſimo, & amęniſſimo monte rationales oues paſcuntur, & adoleſcunt, hoc eſt, miros in uirtute progreſſus faciunt. Et ubi nos legimus in eiſdem Canticis: Comæ eius ſicut elatæ palmarum, in contextu Græco habetur. Comæ eius elatæ, nigræ quaſi coruus. In Hebręo uero ad uerbum legitur cincinni eius criſpi, ſiue criſpantes; nigri quaſi coruus. Quod de capillorũ ſponſi pulchritudine ſponſa dicit, ad ſanctos referendum eſt, qui à Chriſto capite deriuantur, & ab eo nutriuntur quoniã de plenitudine Chriſti capitis noſtri omnes accipimus gratiã. Capilli autẽ criſpi partim uirilẽ fortitudinem, partim eleuationem mentis ad ſuperna deſignant, quod vtrumque ſatis maxime eis conuenit, quorum uita omnis in expugnanda carne, & eleuanda in Deum mentem conſumitur. Quod uero nigros capillos eſſe ait, ſanctam piorum triſtitiam, & humilitatem deſignare uidetur, cor enim ſapientis ubi triſtitia, & beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Hinc Beatus Hieronymus de ſe ad Euſtochium ſcribit. Quotidie lachrymæ, quotidiæ gemitus, &c. Quo etiam nomine turturi fidelis anima comparatur, quæ in continuo gemitu eſt, gemitumque habet pro cãtu. Ex his elicere poſſumus cauſam miſeriæ noſtræ præcipuam eſſe, quia in hoc amæniſſimo monte non paſcimur. Miſeratione profecto dignum eſſet; ſi cũ in remota aliqua regione infinita penè vis eſſet lapillorum atque gemmarum indignæ autem adeò rudes eſſẽt, ut ijs pro uilibus ſaxis in ſtructura domorũ uterentur. Quãto ergo magis miſerandi ſunt, qui cum intellectu, & uoluntate diuino munere præditi ſint (quibus Deum contemplari, diligere, & diuinos mores imitari, diuiniſque dilicijs paſci ualeant) hęc dona Dei ad res uiliſſimas, atque abiectiſſimas deijciunt, & ſiliquis procorum, quam diuinis epulis veſci malint. Quid quod tẽpus etiam, & uitæ ſpatium (quo inæſtimabiles, perpetuoque duraturas ſibi comparare poterant) in rebus nihili expendunt? Quod ſi barbari illi, & inculti homnes miſeratione digni eſſent, tu profecto magis miſerandus es, qui res longe præſtantiores ita conculcas. Somnium illud primi parentis Adam (quo in eum Dominus ſoporem miſit, vt ſacri Doctores exponunt, & Hebræum uerbum, nec non & Græcum ſimul cum ſeptuaginta interpretum tranſlatione inſinuat) ſomnium quoddam Propheticum exthaticum, ac reuelatiuum fuit, ubi ſignificatum eſt, quod iuſti ador-

Cant. 5. c.

B Hieron. ad Euſtoc.

Simile.

adornati cõſcientiæ puritate magnam lucem, grãdiaque beneficia in ſomnio cœleſtis cõtemplationis adepturi erãt. Cauſa, ob quam tam rari ſpirituales uiri extant, ea (ut arbitror) eſt, quia uidelicet plurimi tempus expeditum, & ab omni humana cura liberum expectant, ut ſe diuinę contemplationi tradant; quod ne dum illi, qui culmen ſunt religionis, conſequuntur. Quocirca omnibus ſatius eſſet ſtatim incipere, interim cogitantes, atque animo euoluentes, quod licet occupatiſſimi ſint, nullo forſan tempore maiorem ad id, aut commodiorem opportunitatem habebunt, atque ita magna cum ſolicitudine hoc exercitium cum neceſſarijs rerum temporalium curis uobis coniungentibus Dominus illud ſanctificabit, perficiet, ac ſolidabit: denique corda munientur, & fortiora reddentur ad expellendum ex ſe omnes ſuperfluas curas, & ſolicitudines. Homo nobilis, qui à ſecretis, & à latere Regis eſt, & coniugem rixoſam habet, nũquam domi niſi prandendi, aut dormiendi tempore reperitur? ſemper in Regis palatio commoratur, ſi illum in domo ipſius quæris, ſerui eius tibi dicent. Domine nunquam nobiſcum habitat, ſed cõtinuo in Regis palatio eſt. Sic iuſtus [*continuo del Rey celeſtial*] cum habeat uxorem, uidelicet, ſenſualitatem rixoſam, & peruerſæ conditionis, nunquã domũ eius ingreditur, niſi comedendi, aut dormiendi tpe, hoc eſt, non correſpondet ſenſualitati ſuæ, niſi præſtando ei ſuſtẽtationem, ac ſomnũ neceſſarium, reliquum uero temporis in diuini Regis palatio per ſanctam contemplationem reſidet, & inſumit. O quàm excellens continuis domus Dei erat B. Paulus, qui ad Philippenſes ſcribens inquit. Conuerſatio noſtra in cælis eſt. Et ob hanc cauſam in domum carnis, & concupiſcentiæ ſuæ nõ ingrediebatur, ei dumtaxat cum neceſſarijs ad uitam propagandam correſpondens, & ideo alibi inquit. Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſumus. Loquens B. Bernardus cum illis, qui ſe in bonis operibus exercent, nulla habita ratione interiorum, uidelicet contemplationis rerum diuinarum, unicuique eorum ſic ait. Tantum ante aufers, quantum alijs præbes, cum interioris animæ tuæ non recordaris, ſed exercitijs corporalibus totum te tradis & committis. Sicut candela cerea, quæ quo magis illuminat, eò amplius conſumitur; uel ſicut uermiculus Sericus, qui ſuis met filis ligatur, & intricatur ita, ut quo plura fila ex ſuis viſceribus educit, eo magis ipſe irretiatur. Qua propter frater mi te obſecro, ne in plurimas partes ſeu negotia diuidaris. Nam etiam flumen in plurima brachia diuiſum facile conſumitur, & exſiccatur. His omnibus docemur, quod ſeruus Dei in exterioribus operibus, quamuis pietatis, & miſericordiæ ſint, ita ſe exercere debet, vt ſemper tempus ad interiora exercitia, quibus correformatur, aſſumat.

Simile. — *Ad Phil. 3* — *1. ad Thi. 6. c.* — *D. Ber. lib. de conſid.* — *Simile.*

Contemplatio vitæ Chriſti Redemptoris noſtri dulcis.

Qvam ſit dulcis Chriſti conuerſatio, & eius ſacratiſſimę uitæ contemplatio, inſinuauit ſanctus Dauid loquens cum æterno Patre his uerbis. In uia teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Quem locum ſic interpretatur B. Auguſtinus. Viam teſtimoniorum Dei: nihil uerius, nihil certius, nihil breuius, nihil grandius intelligimus, quam Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Vnde hic ait, Se iucundatum in hac uita ſicut in omnibus diuitijs: teſtimonia quippe Dei ſunt, quibus quantum nos diligit probare nobis dignatur. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ut

Pſal. 118. — *B. Aug. ſuper Pſal. 118.* — *Ad Coloſ. 2. cap.* — *Ad Ro. 3.* — *Ioan. 14.*

ut B. Paulus ad Romanos ſcribens inquit. Cum ergo ipſe dicat. Ego ſum uia, & humilitas eius carnalis natiuitatis, atque paſſionis euidentia ſint teſtimonia diuinæ ſuæ erga nos dilectionis, proculdubio uia teſtimoniorum Dei Chriſtus eſt. Hæc Beatus Auguſtinus. Itaque vult dicere Sãctus Doctor, omnia, quæ Chriſtus (qui uia eſt) in carne pro nobis perpeſſus fuit, euidentia teſtimonia eſſe, quod nos diligat: unde crux eius, flagella, ſpinæ, claui, lancea, acetum, ſputa, alapæ, ceteraque tormenta, quæ pro nobis tulit Dominus Ieſus maximam fidem ſui amoris nobis faciunt, immo & euidentiã: nullam etenim fortius, & euidentius teſtimonium amoris eſt, quàm damnũ propter amicum: cætera enim quæ te non tangunt, non tantam faciunt fidẽ tui erga me amoris, quàm quæ tu ipſe pateris. Vnde nihil fuit ſatis diabolo, ut crederet, quod Iob Deum diligeret, niſi ipſe ſanctus uir in ſe ipſo, in carne ſua aliquid pateretur. Perdiderat quidem omnem ſubſtantiam, amiſerat filios, & nihilominus conſtans in tot aduerſis permanſit: operæ pretium videbatur, ut iam diabolus eius innocentię conuictus eam fateretur, ſed cùm Dominus ei rurſus dixiſſet. Nunquid non conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis ſuper terram, ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo & adhuc retinens innocentiam? Cum tanta ſcilicet perpeſſus ſit? Tu autem commouiſti me aduerſus eum, ut affligerem eum fruſtra? Reſpondit adhuc pertinax, & incredulus Satan, Pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro anima ſua alioquin mitte manum tuã, & tange os eius, & carnem, & uidebis, quod in faciem benedicat tibi. Pellem pro pelle, hoc eſt, uitam ſuam anteponet homo uitæ vxoris, & filiorum, & omnium quantumuis cóiunctorum, potiuſque patietur, ut pelles eorum patiantur, quam ſua, tanta eſt uis proprij amoris, ſed cum Dominus copiam feciſſet Satan, ut id faceret, percuſiſſetque Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad uerticem capitis ita ut teſta ſaniem raderet ſedens in ſterquilino, cumque integrum, conſtantemque gratias adhuc agentem Deo uidiſſet, confuſus, conuictuſque tantæ innocentiæ abijt. Nullum enim efficacius teſtimonium veræ amicitiæ eſt, quam aliquid perpeti propter amicum. Vnde Sapiens in Prouerbijs ait. Qui negligit damnum propter amicum, hic iuſtus eſt. Et B. Paul. ad Hebręos inquit. *Prou.12.* Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis id eſt, nondum manifeſta iudicia ueſtræ charitatis exhibuiſtis, cũ adhuc nihil propter amicũ paſſi eſtis. *Ad Hebr. 12.* Ad propoſitum ergo. Multa quidem & maxima beneficia à diuina bonitate homo acceperat, quę teſtimonium dabant eius erga hominem beneuolẽtiæ, ſed hęc quid impendij, aut laboris addiderant? Ipſe dixit, & facta ſunt. Præter verba nullos alios ſumptus fecit: at poſtquam noſtra indutus carne mortali dolores, & patibulum tulit, & à plãta pedis vſque ad uerticem capitis percuſſus eſt; iam maiora teſtimonia accepit homo tãti, ac tam diuini amoris. Ergo iure optimo vocatur Chriſtus uia teſtimoniorum Dei, & in hac via delectatus eſt Dauid, & delectantur iuſti, in eius ſcilicet conuerſatione, & contemplatione, & per eam imitatione ambulantes. A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator eorum uideri dicitur in libro Sapiẽtiæ. Quemadmodum illi, qui pulcherrimum, atque pretioſum ſpeculum vident, non ſolum illud videre gaudent, ſed imaginem, quam repræſentat cupiunt aſpicere: ſic nos contemplatione, & conſideratione bonitatis, ac pulchritudinis creaturarum vti debemus, in ipſis nos minime detinentes, ſed ulterius ad contemplationem diuinæ bonitatis quę in illis tanquam in pulcherrimis ſpeculis elucet procedentes, & *Sap.13. Simile.*

con-

contemplantes. Quemadmodum etiã fructus recens, & amarus ſi in ſaccaro decoquatur, omnem illam amaritudinem amittit, ſaporemque accipit illius liquoris, in quo decoctus fuit. Sic Chriſtianus, qui ob imperfectiones ſuas eſt Deo amarus, ſi igne diuini amoris in ſaccaro diuinæ contemplationis coquitur, dulcis fit, ac ſapidus gutturi Dei, ut in D. Paulo apparuit, qui prius perſequutor fuit, & ſacroſanctæ eccleſiæ nimis amarus, poſtea uero amittẽs id, quod erat ueteris hominis, ſaporem ſumpſit Ieſu Chriſti, cui ſe ardentiſſima caritate coniunxit. *1. ad Co. 4.* Idcirco merito poſtea dixit: Fratres imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Quare non inquit Sanctus Apoſtolus; Imitatores Chriſti eſtote? Quoniam poterant reſpondere; Quomodo tu nobis præcipis, ut Chriſtum, qui uerus Deus eſt, *Simile.* imitemur cum nos tam debiles, & impotentes ſimus? Et ideo ait; Eſtote imitatores mei, qui purus homo ſum, ſicut & uos. Magna profecto confuſio noſtra eſt uidere curam, quam hyberno tempore adhibemus in quærendis faſciculis aridis, & in obſeruandis aſſulis ad incendendum ignem, cuius calore caleſiamus. Si autem dies unus tráſit abſque eo quòd hanc diligentiam adhibeamus, ſi frigus uiget, uidere qualiter illud patimur? Et ſi plures dies tranſirent, maxime in oppidis, aut urbibus frigidiſſimis, id nullo modo ferre poſſemus. Si ergo corporis neceſſitati tanta cum diligentia ſubuenire & prouidere ſtudemus, quare miſerabili animæ, quæ frigore multo algeſcit, remedium non adhibebimus? O quam bonum faſciculum nobis præbet Sanctus Dauid inquiens: In meditatione mea exardeſcit ignis. His faſciculis cale- *Pſal. 118.* fiebant ſancti, qui inſtar ignis erant; nos autem tanto frigore tabeſcimus, & adeo gelidi ſumus quia illis non utimur.

Contemplatio uitæ Chriſti inflammans.

SIcut malus inter ligna ſiluarum; ſic dilectus meus inter filios. Subumbra illius, quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, inquit ſponſa in Canticis. *Cant. 2.* Super hæc uerba primo inueſtigandum eſt, cum ſponſus ſimilis malo dicatur arbori frugiferæ, quæ & umbra, & fructu poteſt refocillare, & recreare eos, qui ſub arbore ſedent, quam ob cauſam reliquas omnes arbores appellat ſponſa ſilueſtres, aut arbores ſiluarum. Arbor ſilueſtris præſenti loco eſt quidquid in ſe, ſtultorum hominum iudicio aliquam ſummi boni, & fœlicitatis uidetur continere rationem. Sunt arbores, (ut uidetur) proceræ, umbroſæ, quæ uirore externo, tum etiam & foliis, totoque externo apparatu magnopere intuentium oculos oblectent: quæ tamen ſi propius acceſſeris, fructuſque deguſtaueris, acidi uidebuntur & per acerbi, umbra uerò, qua una maxime fieri ſolent arbores commendabiles peſtilens eſt, & noxia. Quemadmodum de multis arboribus Plinius refert. Ea igitur om- *Plin. li. 12. natu. hiſ.* nia, quæ ſpeciem aliquam uidentur habere boni, quæ mundus procul oſtemat, ut magna appareant, & expetenda, quæ ſolo uirore externo commendantur, perſimilia ſunt his arboribus, de quibus ſponſa præſenti carmine dicit, infructuoſas arbores eſſe, & ſilueſtres: ſponſus autem meus, inquit ſponſa, fructus edit ſuaues, dulces, ſapidos, qui & corpus, & mentem poſſunt ſuſtentare, & utriuſque uitam tueri. Fructus autem (ut arbitror) præſenti loco ſponſa appellat omnia Dei beneficia hominibus collata, in quorum comparatione aliarum arborum fructus acidi, & peſtiferi ſunt. Nam ut ea omnia peccata & ſcelera colligamus in unum, quæ

nos magnopere ſolēt oblectare, in quibus (ut ſtultis perditisque hominibus uidetur) ita eſt magna fœlicitatis pars, quis eſt omnium horum fructus? Affirmabis conſtanter cum ſponſa arbores eſſe ſilueſtres, noxias, & peſtilētes, quæ in noſtram ſemper perniciem fructus edant. Quærebat aliquando B. Paulus quem fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis? *Ad Rom. 9* Fructus ergo omnium iſtarum rerum, cum te ad cultū, & amorem creaturarum conuertes, uerecundia ſemper erit, labor, pudor, dolor pœnitentia, lachrymæ. Fructus autem huius arboris, quæ ab ſponſa commēdatur, pax iuſtitia, ſanctificatio, gaudium in Spiritu ſancto. Inquit autem ſponſa. Sub umbra illius quem deſiderauit anima mea, ſeu quem expetiui, ſedi. Nā arbor hæc, ut eſt propter fructus dulciſſimos expectandā, ita etiam propter umbram ſaluberrimam. Itaq; reliquę arbores, neque propter fructus expeti poſſunt, neque propter umbras. Nam Ariſt. Platonis, Pythagoræ, Democriti, arbores ſunt proceræ & umbroſæ, ſed illarum umbræ, (ut omittamus, quod multis grauiſſimarū ægritudinum fuerunt cauſæ,) nouas, & teneras plātulas, neq; obumbrare poſſunt, neque enutrire. Quis unquam ad umbras iſtarum arborum ſe contulit? qui in uirtute & honeſto, pietate, religione, fide, ſpe, charitate magnos fecerit progreſſus, multa ſanè in eis licet comperire, quæ à uera religione, & pietate auocent, à uera Dei cognitione à rectis opinionibus, & certiſſimis. Si autem cū ſpōſa ſedeas, ſub umbra iſtius pretioſi arboris Chriſti Ieſu per piam & perſeuerantem contemplationem incredibile dictu eſt, quam cito apicem pietatis, & religionis penetrabis: quam erit ardentiſſima charitas ſolida fides, uiuida ſpes: in dies te ipſum optimis operibus, ſtudio uirtutis, & honeſti ſuperabis. Qualis euaſit Paulus Apoſtolus? Qualis mulier peccatrix? Qualis Clemens Philoſophus Iuſtinus, Dionyſius, Lactantius: Qui à noxia, & peſtilenti umbra cum non potuiſſent in pietate, neque greſſum promouere, ad umbram iſtius arboris ſe contulerunt, in alios homines repēte ſunt mutati? Hic nullos ferè ſentitur ſolis ardor, & æſtus. Quamuis enim tentationes grauiſſimę carnem infeſtent, labores, ærumnę, calamitates: ſed ſub umbra iſtā, omnia tuta ſunt, omnia ſecura. Paulus tentatus per omnia, immo colaphizatus inſtanter petebat, ut ſtimulus carnis à ſe depelleret ſponſus: Sed audit; Sufficit tibi Paule gratia mea: *1. ad Co. 12* Nam plantulā illa, quam ego mea umbra operuero, nunquam areſcet, nuſquam deſtituetur neceſſario ſucco. Sed neceſſarium nobis eſt cūm ſponſa non ſolum ardenti deſiderio umbram huius arboris petere, ſed ſub illa ſedere. Nām ſeſſio iſta & conſtantiam, & diuturnitatem ſignificat. Sunt pleriq; qui in umbram illius arboris ſe recipiunt, Ægyptum fugientes, carnis motus, & perturbationes, ſæculi fallaciam, & dæmonis aſtuciā: ſed nondum deguſtatis fructibus dulciſſimis huius arboris, ſtatim diffugiunt, diſcedunt, & ad alias arbores ſilueſtres ſe conferunt. Vt ergo huius umbræ præſtantiam, uirtutem, & efficaciam ſentiamus, figendus eſt gradus, conſtanter permanendum, & tandem ſedendū eſt cum ſponſa. Quod autem ſponſus malo aſſimilatur, arbori nō adeò inſigni, nulli debet uideri mirum. Nam quæ Dei ſunt in ſpecie quidem humilia uidentur & abiecta, immò ut Beatus Paulus inquit, ſtulta: *1. ad Cor. 1* ſed ſi propius acceſſeris, inuenies dulciſſimos fructus, umbramque ſaluberrimam. Chriſtus Redemptor noſter, ut malus in ſiluis pauper uenit, humilis uenit, exemplar denique ferendæ crucis, ſed dulciſſimos fructus, & ampliſſimos ſponſæ ſuæ contulit, & modo ad ſe confugientibus confert.

Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Aues celerrimè montes, colles, maria, & ſcopulos momen-

B.Chry. homil.22. ad Hebr. *Simile.* to temporis ſine ullo impedimento, tranſuolant: talis eſt etiam mens, cum pennas acceperit, cum à ſæcularibus abſceſſerit, nihil tam apprehendere poterit, omnibus erit eminentior iaculis ignitis diaboli, non eſt ita perfectus ſagittarius diabolus, ut poſſit ad illam altitudinem pertingere, ſed dimittit quidem iacula, non autem attingit, ſed reuertitur ad eum iaculum inane, immo in caput eius.

Idem eadem homilia inquit. Vt corporis oculos, cum in fumo forte remorantur, lachrymas ſemper effundere, ſi *Simile.* uerò potiantur aere purgato, & florentibus pratis, & hortis uirentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & ſaniores eſſe, multoque maiore aerei fulgore rutilare intelligimus: ita mentis quoque oculus ſi in pratis ſpiritalis paſcatur eloquii, erit totus ſine dubio purus, ac lucidus, & acutius cuncta perluſtratur: ſi uero in fumum ſæcularium negotiorum fuerit ingreſſus, ad innumera mala lachrymabit. Beatus Bernardus ait. Si famelicum hominem apertis faucibus, uento inflatis haurire buccis aerem cernas, qui quaſi conſultat fami, non credas inſanire? ſic non minoris inſaniæ eſt, ſi ſpiritum rationalem rebus putes quibuſcunque corporalibus non magis inflari, quàm ſatiari. *B.Bern. de diligendo Deum.* *Simile.*

Philo ait. Quemadmodum poſt ſolis ortum illuſtrantur in terris omnia, in cælo uero cælantur, & è diuerſo, poſt eius occaſum ſidera quidem promicant, terreſtria uerò cuncta obteguntur umbris ſuperuenientibus: ad eundem modum res noſtræ ſe habent, quoties ſenſuum ſplendor tanquam ſol oritur, tunc ſcientiæ reuera cæleſtes occultantur; quoties autem ad occaſum accedit, tunc fulgentiſſimæ uirtutum ſtellæ ſe proferunt, quando etiam mens ipſa re nulla uelante, fit ſenſibilis. *Philo. lib. de ſomnijs.* *Simile.*

CONTRITIO.

QVASI amputatis palmitibus uitis undiq; fluens humorem puriſſimum, ſic fuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus tota uitæ ſuæ tempore flens, ac dolens pro peccatis noſtris. Quoniam autem ipſe apud D. Ioannem inquit. Ego ſum uitis, & uos palmites, non ergo difficile, aut durum ſit uobis ab hac uite cæleſti humorem contritionis amaræ, ac duræ pœnitentiæ trahere. Sicut certe palmites primò ſuccum trahunt à uite amarum & acetoſum, deinde dulcem, & ſuauem. Quia uerò contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia ipſe Dominus uirtutem uos docere intendit ideo illæ uoces in Leuitico toties repetitæ ſcriptæ ſunt. Eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum. Vbi notandum eſt illud uerbum, eſtote, & in Apoſtolo Petro, In omni conuerſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum, magnumque eſt illud uerbum, quod priori loco ibi repoſitum eſt. Secundum eum, qui uocauit uos ſanctum. Vbi imitationem ſanctitatis Dei nobis diuinus Apoſtolus præcipit ad quam ſummè neceſſaria eſt cõtritio quæ cum adiutorio ipſius Dei ex ſanctis cogitationibus noſtris oriri ſolet: ideo oportet nos ex toto corde facere, quod Rex Ezechias de ſe apud Iſaiam fatetur, ſcilicet. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine

Ioan.15. *Leuit 11. 19 & 20.* *1.Pet.1.* *Iſa.38.*

animæ meæ. Plurimi ſunt qui peccata ſua præterita recogitant, ut in ipſis delectentur, & inuoluantur: ſicut enim qui per ſtationes ambulant, ſic iſti memoria euoluunt delicta præterita, ac de turpitudine in turpitudinem cogitatione curſitant, uidelicet de adulterio in adulterium, de fornicatione in fornicationem, in his, & ſimilibus ſceleribus iam peractis uoluptatem capientes. O abominabilem, ac diabolicam peruerſitatem. Non ſic faciebat, qui dicebat. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quid eſt: Recogitabo tibi? Quid datibus ipſe ſignificat? Recogitabo tibi, inquit, tibi, id eſt in multa amaritudine animæ meæ ad honorem tuum, dolens nimis de ante actis peccatis: ſunt enim (ut diximus) qui recogitant peccata ſua ſibi cum Dei dehonoratione, gloriantes ſe in rebus peſſimis, & delectantes in peccatis ſuis. Notandum eſt etiam, quomodo non contentus eſt nobiliſſimus Rex dicere, Cogitabo, ſed ait. Recogitabo, iterum, atque iterum, & millies cogitabo peccata mea in amaritudine animæ meæ.

Heſt. 14. c.

De Regina Heſter narrat ſcriptura ſacra, quod omnia loca, in quibus lætari conſueuerat ipſa crinium laceratione compleuit.

Simile.

Sicut enim pharmacopola, & pigmentarius ex diuerſis hortis herbas colligunt, quas ibi ſciunt naſci, eſſeque contra malos humores, & uulnera proficuas intelligunt, eaſque tundunt in morteriolis, atque ex eis uel fomenta, & emplaſtra, uel ſuccus quibus euacuationes fiant, conficiunt. Sic peccator recogitare debet loca, in quibus commoratus eſt, atque peccata, quæ ibi commiſit in mentem reuocare, in tali ciuitate hoc feci, in tali domo talia uerba loquutus ſum, uel tale deſiderium habui, ac omnia in morteriolo cordis ſui per contritionem tundere, ac conterere, lachrymis ſuis liquefacere, ac diluere, & bibere talem amarum potius cum fletu, ut ſic purgationem peccatorum faciat, & dicat cum Rege Ezechia. Recogitabo tibi omnes annos meos, &c. Non ſolum recogito, ſed recogitabo. Vbi perſeuerans pœnitentia deſignatur.

Tren. 2. c.

Magna eſt uelut mare contritio tua: inquit Propheta Hieremias. Et quamuis Sanctus Propheta in præſentiarum de contritione peccatorum non loquatur, ſed de euerſione urbis Hieruſalem, nobis tamen incitamentum præbet, & motiuum, ut dicamus contritionem recte mari comparari licet contritio, quàm modo aliqui habent, non ſit uel ut mare, ſed ſicut fluuius, qui ad tempus fluit, & alio tempore ſiccatur. Et ſicut nix, in quam ſi ſol reuerberat, liqueſit, & tanquam aqua labitur, ipſo uero recedente, cum calor ille deficiat, rurſus nix ipſa congelaſcit. Sic ſunt aliqui, qui ad tempus duntaxat deuotionis calorem habent, & peccata ſua deplorant ſed hoc in eis non permanet, niſi dum ea confitentur, & etiam nix. Non igitur fratres mei contritio ueſtra ita ſit, ſed uelut mare quod nec caloribus, nec frigore, nec aere minuitur, aut ſiccatur. In hunc modum ſpiritus contritionis nulla occaſione conſumi, & exhauriri debet.

Ariſt. lib. de anim.
Simile.

Aranea, ſi forſan telam eius muſca rumpit, eam (ut inquit Ariſtoteles) iterum reparat incipiens à medio, antequam ſol occidat. Sic homo, cuius uita ab immundis muſcis, uidelicet à peccatis deſtruitur, reparationem debet à corde incipere, antequam ſol occidat, hoc eſt, antequam dies eius finiantur, appropinquante enim nocte, id eſt, morte non eſt tempus idoneum pœnitentiæ.

Ioan. 9.
Simile.

Veniet namque nox, quando nemo poterit operari, Pharmacopola, qui ex uariis, ac diuerſis herbis collectis in diuerſis hortis, & in mortario preſſis conficit unguentum ad uulnera curanda, ſolet illud igne perficere. Vnguentum, quod ad animas noſtras curandas conficere debemus, contritio eſt: herbæ uerò ſunt pec-

peccata, quæ in mortario memoriæ cũ manu doloris cordis ferenda , atq; exprimenda ſunt,ſed hoc ſimul debet eſſe cum diuini amoris igne confectum . Si autem dicitis.Vbi nam gentium herbas reperiemus ad hoc medicamen cóficiendum? Non opus eſt eas in hortis, ſeu pratis alienis quærere, quin potius ipſas in horto conſcientiæ ueſtræ reperietis.

Faciam planctum, uelut draconum, & luctum quaſi Sthrutionum : inquit
Mich.1.c. Propheta Michæas. Camelus in deſerto inſidiatur draconi, & planta pedis caput eius infringit : draco autem magnum tunc planctum excitat: Sthrutio verò, qui oua in terra ponit, & ab alijs beſtijs pedibus conteruntur, & conculcantur,cum ea ſic confracta uidet,plãctum magnum extollit.Horũ animaliũ clamoribus, ac fletibus Sãctus Propheta luctum,& planctum,quem pro peccatis Hieruſalem,& Samariæ, facturus erat,comparat.Quod ſi ſanctus ille uir tanta amaritudine, & animi dolore aliena peccata deplorabat, quanta cum maiori ratione peccator ſcelera ſua flere, & collachrymari debet uidẽs caput ſuum confractum,ideſt animam ſuam, & cor ſuum à dæmone contritum , & cernens etiam oua ſua hoc eſt merita à diaboli pedibus fracta , & conculcata ?

CORRECTIO

fraterna.

B. Grego. Naz. orat. in ſanctũ paſcha.

BEATVS Gregorius Naziãzenus de modeſtia in correctione agẽs, inquit. Sed quo pacto reformaretur, & rurſus aliquid fieret id, qđ vehementer medelam reiicere,tanquã inobediens , & quod minimè propter longi temporis ſuperbiam corrigi poſſet ? Nempe, ut manſueto , & humano curationis modo ad correctionem induceretur, cum nec ramus incuruus ſubitam inflexionem, & producentis manus uiolentiam ferret , citiusque frangeretur,quam dirigeretur. Nec equus ferox , & adultus abſque aſſentatione ,
Simile. & deuulſione fræni ſuſciperet tyrannidẽ. Ex hoc infertur,quòd licet ubi nos legimus:Vidi præuaricantes,& tabeſcebam,litera Hebræa habet:Vidi præuaricantes,& faſtidio affectuoſum. *Pſal.118.* Et in paraphraſi Chaldaica habetur: Vidi præuaricatores , & certaui cum illis : hanc tamen certationem,& correctionem cum ſpiritu lenitatis fieri debere . Quamuis enim mel ex natura ſua dulce ſit,ac ſuaue, tamen ſi cauſa ſanitatis *Simile.* uulneribus adhibeatur, magnum dolorem excitat . In hunc modum licet correctio fraterna perutilis ſit, & fructuoſa, ſi dulciter , ac ſuauiter adhibeatur : nihilominus tamen illi,qui uulnera habent,eam ſentiunt, ipſaque dolore afficiuntur,&profecto maximè dolendum eſt,ſi correctio aſpere,& uerborũ amaritudine exhibeatur: immerito equidẽ peccatores conqueri poſſunt de illis , qui charitatiuè , & benignè eos corrigunt:quia (ut ait Clemens Alexandrinus)quemadmodum ſpeculum non eſt *Clem. Alexan. 1.Pedago c.9.* malum deformi, eo quòd ipſum oſtendat,qualis ſit, & quemadmodum medicus non malus ægrotanti , quod ei febrem annumeret , non enim medicus *Simile.* febris cauſa eſt,ſed ipſe febrim arguit, ita nec is , qui aliquem reprehendit ei malè uult, qui laborat animo .

Nullũ omnipotenti Deo tale eſt ſa-

B.Greg.ſu per Ezech. rificiũ, quale eſt zelus animarũ: inquit B.Gregor.ſuper Ezechielem. Sed hic
B Chryſo. ho.de Dauid et Sau. zelus cum magna moderatione in correctione fraterna exercendus eſt, vt enim ait B Chryſoſt. in quadam homi-
Simile. lia. Quoties diutina quædam ac dura inflatio corporibus inhæſit, tum & longo tempore, multoque labore, & multa ſapientia in admonendis remedijs eſt opus, ut collectus tumor abſque uitæ periculo diſſoluatur. Idem uidere eſt in anima. Quoties enim aliquis morbum, qui iam radices egit in anima, multoque tempore concretus ſit radicitus euellere uoluerit, non ſatis eſt ad correctionem unius diei, duorumvè admonitio, uerum oportet frequenter, ac diebus compluribus in hac cura cũ magna moderatione uerſari, ſi modo non ad ambitionem, ac uoluptatem, ſed ad fructum munus hoc geſturi ſumus. Maximum diuinæ gloriæ zelum, & aduerſus mundi ſcelera odium præſe ferunt illa Prophetæ uerba. Quis cõ-
Pſal.93. ſurget mihi aduerſus malignantes? Aut
Pſal.118. quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Vbi autem nos legimus. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, alii vertunt. Horror tenuit me. Quod quidẽ uerbum maiorem habet emphaſim, eo quod uates ſignificat, quo odio peccati malitiam deteſtaretur, ac Dei gloriã deſideraret, quando totus horrore cõcutiebatur cum peccantes homines cerneret. Qui autem hunc zelum Dei habet, quid propter conuerſionem ta-
B. Chryſo. hom.1.uerſus Iudæos lium peccatorum non faciet? Quid mali non ſubſtinebit? Vnde B. Chryſoſtomus in quadam homilia ait. Donaria omnium præclariſſima ſi animas pereuntium reduxerimus, etiam ſi contumelia fuerit ferenda, ſi toleranda uerbera, breuiter ſi quid aliud his etiam moleſtius ſuffe rẽdum, omnia faciamus ut illos recuperemus, quandoquidem & ægrotos ſerimus, calcibus ferientes, con tumelijs, & conuitijs inceſſentes, nec offendimus contumelijs, verum nihil aliud videre cupimus, quam ſanitatem hominis præter modum indecora facientis. Quin & medici ueſtem ſępe lacerauit ægrotans, & non ideo a cura deſiſtit ille. Quo fit igitur, vt qui corporibus conſulunt, tamen utantur diligentia nos animabus iſtorum pereuntibus ceſſemus, perinde quaſi exiſtimemus, nihil accidere graue, cum membra noſtra putreſcunt? At non ita Paulus, Sed quomodo? Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor?

Correctionis fraternæ obligatio.

QVantum fraternalis correctio obliget aperte illa uerba, quæ B. Gregor. in Regiſtro ait, declarant. Qui emendare poteſt, & negligit, participem ſe proculdubio delicti conſtituit. *B.Greg.li. 19.Moral.* O tremendam ſententiam quis eam audiens non timore concutitur? Quid ergo ſi uerba multo magis timenda, quæ B. Auguſtinus ſuper Matthęum inquit, perſpexerimus, dicemus? Ait enim. Vlnus fratris contemnis, tu eum uides perire, & negligis, peior es tu tacendo, quam ille conuitiando? Sed neceſſario in hac materia regula ab ipſo Sancto Pontifice tradita obſeruanda eſt. Regat inquit, diſciplinæ uigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, et ſic alterum commendetur ex altero, ut nec uigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta. Hoc enim, vt ipſemet Sanctus Doctor ait, Chriſtus Dominus noſter ſuis miraculis mirabilius præbuit, quod delinquentium corda manſuetudine potius, quã terrore correxit. *B Greg.li. 9.mor.c.31* Etiam ad hoc maximè conducit, quod idem Sanctus vir inquit. In omni rectione ſubeſſe menti debet iracundia, non præeſſe: nec executionem iuſtitiæ dominando pręueniat ſed famulando ſubſequatur, iudiciumque impleat, non percurrat. *B.Greg.li. 26 moral. c.26.* Quã ſit autem ſalutaris hęc correctio, & admonitio, qua proximum corripimus,

mus, aut monemus, manifeſtant illa Salomonis in Prouerbijs verba. In auris aurea, & margarita fulgens, Qui arguit ſapientem, & aurem obedientem. Vbi ponderandum eſt maxime illud verbũ, ſapientem. Verè enim ſapiens eſt, qui correctioni obedit. Sed ubi tamen inueniemus, qui ſic corripi gratum habeat? Qui culpam ſuam agnoſcat? Qui non in iurgia concitetur? Qui non mille prætexat excuſationes? Quamobrẽ orandus eſt cum Propheta Dominus. Ne declines cor meum in uerba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hoc inter Dauidis, & Saulis peccatum (ut alia prætermittam) diſcriminis fuit, quia Saul partim non agnouit peccatum ſuum, cum ad Samuelem eũ corripientem dixerit. Benedictus tu à Domino, impleui uerbũ Domini, partim illud obtentu religionis excuſauit: Dauid autem ubi primũ commiſſi ſceleris admonitus fuit, protinus confeſſionis, & pœnitentiæ ſalutare uerbum protulit, dicens. Peccaui Domino. Quã uis vero correctio peccatori non grata ſit, non ideo ab ea ceſſare debemus, quod Beatus Chryſoſtomus ſuper illa verba Saluatoris; Si te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos teſtes docet, dicens. Quanto ille impudẽtior, ac pertinacior fuerit, tanto magis ad emendationem eius abſque ira, & moleſtia nobis ſtudendum eſt. Nam & medicus, cum grauiorem uiderit morbum, non deſiſtit, nec moleſtia oppreſſus deficit, ſed ad ferenda remedia diligentius ſe accingit. Quod nos quoque facere Dominus iubet: Quoniam enim ſolus imbecillior viſus es, adiectione duorum fortior factus argue delinquentem. Et in concione de Lazaro idem ſanctiſſimus Doctor ait. An non uides parentes quomodo filiis ſuis, licet frequenter deſperatis aſſident lachrymantes, lamentantes, exoſculantes, omnia quæ poſſunt admonentes, ad ſupremum vſque halitum? Hoc tu facito pro fratribus, & tamen illi non poſſunt lachrymis ac lamentis morbum depellere, nec mortem imminentem abigere. Tu verò frequẽter poteris animam deploratam aſſiduitate, inſtantiaque per lamenta reuocare, ac ſuſcitare: dediſti cõſilium, nec perſuaſiſti, illachryma, punge frequenter, ac ſuſpira paululum, vt tua ſolicitudo incutiat illi uerecundiã, & conuertes illum ad ſalutem. Magna profectò nobis cõfuſio eſt, quòd idem Beatiſſimus Præſul in quadam homilia ait. Magnum bonum eſt ferre reprehenſiones. Iam nos ſi quem videmus veſte breuiori & ex lateribus aperta, vel alioqui indecenter veſtitum admonemus, & emendamus, verum videntes eius uitam diſſolutam, nec verbũ quidem proferimus, uidentes mores eius nefarios præterimus. Tametſi ridicula ſint ea, quæ ad corpus pertinent: periculoſa autem, aut damnoſa, quæ ad animam pertinent. Maiorem certè adhuc confuſionem nobis eiuſdem ſanctiſſimi uiri alia uerba, quæ in quadam homilia inquit, inferunt, Ait enim. Nunquid ſi quis aureum unum pro ſingulis hominibus correptis promiſiſſet, nonne omne ſtudiũ adhibuiſſet, & aſſiduus aſtitiſſet perſuadens, & exhortans? Nũc vero non aureum unum, nec decẽ, nec uiginti, & centum millia, nec totã Deus terram tibi pollicetur in horum laborum retributionem, ſed quod orbe toto maius eſt hoc tibi præbet, cœlorum regnum.

Verba ſapiẽtum ſicut ſtimuli, inquit Eccleſiaſticus. Super quæ inquit Beatus Hieronymus. Simul & hoc notandum eſt, quod dicantur verba ſapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laſciuiam, ſed errantibus, & ut ſupra diximus, tardis pœnitentiæ dolores, & uulnus infligere. Si cuius igitur ſermo nõn pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Verba quippe ſapientium, vt ſtimuli, quæ quoniam ad conuerſionem prouocant delinquentem, & firma ſunt, & à conſilio Sancto-

Prou. 25. *Pſal. 140.* *1. Reg. 15* *B. Chry. homil. 60. in Mat. Simile.* *B. Chry. cõcluſ. 1. de Lazaro. Simile.* *B. Chry. homil. differẽda reprehenſione. Simile.* *B Chry. homil. 6. ad pop. Antioche.* *Eccl. 12. c.* *B. Hieron. in c. 12. Eccleſ.*

ium data, atque ab vno paſtore conceſſa, & ſolida radice fundata. Hoc ſtimulo nedum Paulum, ſed adhuc Saulũ puto confoſſum in uia erroris audiſſe. Durum eſt tibi calcitrare contra ſtimulum Dei. Beatus Auguſtinus de hac materia diſſerens inquit Moleſtus eſt medicus furenti frænetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo, ſed ambo diligendo. Si autem iſti negligant, & perire permittant, iſta potius manſuetudo falſa crudelitas eſt. Si enim equus, & mulus, quibus non eſt intellectus morſibus, calcibuſque reſiſtunt hominibus à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum, & calces ſæpe homines periclitentur, aliquando verentur, non tamen eos deſerunt, donec per dolores, & moleſtias medicinales reuocent ad ſalutem, quanto magis homo ab homine, frater à fratre, ne in æternum pereat, non eſt deſerendus, qui correptus intelligere poteſt, quantum ſibi præſtatur beneficium, quando perſecutionẽ perpeti quærebatur? Cæſarius Arelatenſis quadam homilia inquit. Etiam ſi quæ vobis predicantur amara videantur, & aſpera libenter excipite, & vos enim bene noſcitis, quod non ſemper medici dulces potiones porrigunt ægrotantibus, ſed frequenter amaras, & aſperas, nonnunquam etiam ferramentis aliqua membra ſecare, & cauterijs exurere ſolent, & totum illi, qui infirmi ſunt, patienter excipiunt, dum poſt breuem tribulationem, longam ſanitatem recipere cupiunt. Et nos ergo, qui licet minus digni, qualeſcunque medici ſpirituales eſſe uidemur neceſſe nobis eſt, non ſemper blanda, & mollia, ſed aliquoties aſpera, & dura illis, qui anima ægrotare videntur erigere. Quomodo enim per amaram potionem digeruntur humores mali, ſic per aſperam caſtigationem peſſimi mores minuũtur. Nam illud quale eſt, fratres, quod medici corporum quando ad ægrotos venire diſſimulant, cum grandi humilitate rogantur, pecunia, & munera promittuntur, & tamen dubium eſt, vtrũ aliquid illorum medicamẽta proficiãt. Nos uero qui de medicamento ſpirituali in nullo penitus deſperamus, & nec terrenum præmium, nec aliqua temporalia lucra requirimus, ideo faſtidire debemus, quia nos vltro ingerimus, & nihil aliud, niſi patientiam, & correctionem inuenire deſideramus? Carnalis enim medicus utrum releuare poſſit ægrotum incertum eſt, ſpiritualis verò medicina ſi libenter accipiatur, abſque dubitatione etiam ſi mortua ſit anima, ſuſcitatur. Quare ergo tã graui expenſa; & cum multis doloribus requiritur ſanitas corporum, & cũ ſine ulla expenſa tribuatur ab aliquibus, non libenter accipitur ſanitas animarum?

B. Aug. epiſt. 1. ad Bonifaciũ.

Simile.

Cæſ. Are. homil. 8.

Simile.

Correctiones fraternæ quales.

QVales autem eſſe oporteat, qui alios corrigere debẽt manifeſte B. Paulus ad Romanos ſcribẽs declarat, ubi ait. Certus ſum fratres mei, & ego ipſe de uobis quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſciẽtia, ita vt poſſitis alterutrum monere. Ecce quales ſunt, qui potiori titulo commonere, corrigere & docere alios poſſunt. Magnus ille Ioſeph in domo Pharaonis, cum iam non poſſet ultra ſe cohibere commotis viſceribus coram fratribus ſuis (ut ſacra Geneſis narrat hiſtoria) præcepit, ut cuncti foras egrederentur, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ, & eleuans uocem cum fletu; Ego ſum, inquit, Ioſeph frater veſter. Non eiecit foras cunctos alienos, eo quòd confunderentur coram ſeruis Pharaonis, fratres illos eſſe ſuos profiteri. Sed cum vellet eorum peccatum, qui ipſum uendiderunt arguere, noluit coram tanta multitudine illud agere, Sed nec in conſpectu unius, ideo nullus alienus interfuit, & qui obijciebat

Ad Ro. 15

Gen. 45.

fra-

fratribus antiquę venditionis crimen, nomen fraternum propoſuit cum proprio nomine, dicens. Ego ſum Ioſeph frater ueſter, vt ſic bonam ſpem infunderet, ne in nomine Ioſeph deterreren tur, & excuſauit, confortauitque eos di cens. Nolite pauere, nec uobis durum eſſe uideatur, quod uendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute enim ueſtra miſit me Deus ante uos in Ægyptum. Vide clementiam Ioſeph, & diſce quomodo corrigere, & arguere debes ſubditos tuos vel fratres tuos.

Correctio fraterna, libenter ſuſcipienda.

CÆterum ſtudeant delinquentes libenter ſuſcipere correctionem, intelligentes eſſe animo ſuo maxime ſalutarem: quod enim flagellum grano quod lima ferro, quòd fornax auro, hoc correctio, & reprehenſio uiro prudenti, atque ſuam ſalutem ſpiritualem amanti. Sed quibuſdam profecto noſtrum dici poteſt, quod Hieremias olim aiebat. Fruſtra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum uocat eos, quia Deus proiecit eos. Maledictum ferrum, quod ex lima contrahit rubiginem, Non aurū ſed paleam ſe ſe oſtēdit, qui igne correctionis non expurgatur, ſed per animi impatientiā crematur. Huiuſmodi paleas comburet Dominus igne inextingibili miſeros illos, nam pœnas perpetuas dabunt: ſic enim ait Salomon in Prouerbijs. Qui increpationes odit, morietur. Talis diabolo, qui incorrigibilis eſt, nimis aſſimilatur. Qui odit correctionem (inquit Eccleſiaſticus) ueſtigium eſt peccatoris, cum ergo diabolus per antonomaſiam peccator dicatur, talis ueſtigiū diaboli dicetur: contra uerò uiri ſuæ ſalutis amatores intelligentes, quod uirga atque correctio tribuat Sapientiam (ut Salomon in Prouerbijs ait) eā amplectuntur, eam ſuſcipiunt, ac non ſolum non obmurmurant, aut incandeſcunt ira, ſed potius corripientes proximos, ſeu prælatos amore proſequuntur: ſic enim Eccleſiaſticus ait. Vir prudens, & diſciplinatus non murmurabit correctus. Et in Prouerbijs dicitur. Argue ſapientem, & diliget te Quemadmodum enim dolium inane, & uacuū cum percutitur maxime reſonat, ſi uerò plenum fuerit minime ſtrepitū ullū facit. Sic qui uacui ſunt diuina gratia, & ſapientia cum corripiuntur, murmurare ſolent, pleni autem, tacent, & ſuſtinent immo æquo animo audiunt, & corriguntur. Hæc ex D. Bonauentura. B. Auguſtinus Fauſto inquit. Quid faciet eccleſiæ medicina ſalutem omniū materna charitate conquirens, tanquā inter phręneticos, & lethargicos æſtuans, nunquid contemnere, nunquid deſiſtere uel debet, uel poteſt? Vtriſque neceſſe eſt, ut ſit moleſta, quæ neutris eſt inimica. Nam phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari, ſed perſeuerat diligentia charitatis phreneticum ligare, lethargicum ſtimulare, ambos amare, ambo offenduntur, ſed ambo diligūtur. Ambo moleſtari, quando ægri ſunt, indignantur, ſed ambo ſanari congratulantur. Quanta uerò modeſtia, & uerborum lenitate hęc correctio fraterna faciēda ſit, docet ēt D. Hieron. ſuper illud Prouerbiorum. Qui uehementer emungit elicit ſanguinem: qui modeſte, inquit, alloquitur proximum, gratum accipit reſponſum, & quaſi de uberib. de quib. lac q̄rebat, butyrum exprimit: ſed qui incæpto verbo rixam, & diſcordiam ex fraterno corde prouocat, quaſi neceſſarium vltra modum emungens, ſanguinem elicit. Hæc B. Hieronymus. Vnde qui nimia aſperitate fratres ſuos corripiunt, ſimiles ſunt (vt B. Bonauentura ait) illis, qui patellas ueteres reficiunt, qui dum foramē vnum vno ictu mallei obſtruere volunt, uel multa foramina faciunt, vel patellam omnino confringunt.

Hiere. 6. *Prou. 15.* *Eccl. 21.* *Prou. 29.* *Eccl. 10.* *Prou. 9.* *Simile.* *Simile.* *B. Aug. cōtra Fauſtū. & habetur. 23. q. 4. c. quid faciet.* *B. Hieron. ſuper 29. prouerbiorū.* *B. Bona. de doctr. cordis.*

gunt. Quid enim aliud eſt correctio, niſi vaſis fracti reparatio? Vnde Eccleſiaſticus inquit. Cor impij quaſi vas cō fractum. Si ergo reparaturus patellam ictum mallei temperas, quare ad reficiendum cor peccatoris confractum, correctionem non temperas? Plus enim) ait B. Ambroſius (proficit amica correctio, quam turbulenta: tales enim ſimiles ſunt barbitonſoribus, qui ſine aqua capillos capitis aut barbæ nouacula radere volunt. Quid per aquam, quæ barbam humectat, niſi lenitas deſignatur, quæ correctioni perire, & comitari debet? Iuxta illud quod B. Paulus ad Galatas ſcribens ait. Vos qui ſpirituales eſtis corripite huiuſmodi hominē præ occupatum in delicto in ſpiritu lenitatis. Volebat B. Apoſtolus barbam radendam humectare, qui ſpiritu lenitatis fieri præcipiebat. Grauiſſimum ſanè eſt ab ignoranti barbitonſore nouacula dentata ſine aqua radi. Quid enim eſt dentata nouacula, niſi mordax, & aſpera correctio, quæ illos, qui male raduntur, ideſt, ineptè & aſperè reprehenduntur, cogit cum abundantia lachrymarum faciem rigare? Noli ergo abſque aqua barbam redere, ſed adhibe lenitatem, & manſuetudinem in correctione facienda auferentes à nouacula, ideſt, conuitium à correctione. ut malos capitis aut barbæ capillos, ideſt, exceſſus, & crimina fratris furari potius, quam uiolenter auferre uidearis. Qui enim iumentum ſuum onerare uolunt, mollia ſupponere conſueuerunt, ne onus ſuper impoſitum iumento lædat, dorſumque eius totum excoriet. Ille etiam, qui quadrigam trahere facile uult, modulos quadrigæ ungere ſolet, ut ab equis lenius, & ſuauius trahatur. Sic tu preces, & ſupplicationes ſupponere debes, ut onus correctionis frater facile portare ſine aliquo nocumēto poſſit B. Auguſtinus inquit. Si qui in una domo habitarent, quam certiſſime ſciremus ruituram, nobiſque id prænuntiātibus nollent credere atque in ea manere perſiſterent, ſi eos inde poſſimus eruere, uel inuitos, quibus imminentem illam ruinam poſtea demonſtraremus, ut redire ulterius ſub eius periculum non auderent, putò niſi faceremus, non immerito crudeles iudicaremur? Quid igitur de opere miſericordiæ, pro uita æterna conſequēda, & pœna æterna uitandam hominibus impendere, iudicandum eſt, ſi pro ſalute illa non ſolum temporali, ſed etiam breui, ſic hominibus ſubuenire nos ratio uera, & benigna compellit?

Eccl 21. · *Simile.* · *Ad Gal·6* · *Simile.* · *B. Aug li. de correc. Donatiſtarum. c. 21.* · *Simile.*

Haymon explicans illa uerba beati Pauli: Fratres ſi præ occupatus fuerit homo in aliquo delicto ita habet. Bene dixit Apoſtolus hominem, qui ita nobis in mentem reduxit humanam fragilitatem, quamque proni omnes ſimus, & procliues ad labendum Vnde conſiderans tu quod etiam homo es, & procliuis ad labendum nō minus, quā frater, temperabis tuam correctionē. Et certe cum exiret dominus baiulans ſibi crucem, & plangerent ſuper eum, nondum quidem omnes tribus terræ, ſed mulieres paucæ, conuerſus ad eas inquit. Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me ſed ſuper uos ipſas flete, & ſuper filios ueſtros. Ordinem diligenter attende, qualiter pijſſimus Dominus primo inquit ſuper uos flete, deinde ſuper filios neſtros. Te ipſum attende, ut alijs noueris compati, ut arguas ſpiritu lenitatis, ut inquit Apoſtolus. Te ipſum conſidera, ne & tu tenteris? Sed quia exemplum efficacius perſuadet, & altius imprimit animo, mitto uos ad ſanctum illum ſenem, qui cum audiſſet peccaſſe unum de fratribus amariſſime flebat inquiens. Ille hodie, & ego cras. Qui ſic flebat ſuper ſe, putas quia non compaſſus ſit fratri? Hic itaque compaſſionis affectus multum prodeſt ad bene fratrem corrigendum.

Ad Gal. 6. Haymō in epiſt ad Galat. · *Luc. 23.*

Paucos reperies, qui non ſtatim, ubi corrigiuntur in conuitia, contumelias, iniuriaſque prorumpant. Et certè mirabile illud eſt, quod ſi de indecenti ornatu

Diſſimile.

natu moneantur, ſi de ſordido pileo, ſi de pallio fœdato, & alij huiuſmodi nullius ponderis rebus, gratias ſtatim & agant, & habeant ampliſſimas: ſin uerò de uitæ emẽdatione, quę res eſt omniũ utiliſſima, deſpiciant, ludibrio habeant, atque cõtemnant: aut ſi tunc ceſſent quidem à conuitijs, iracundiam in aliud ſibi reſeruent tempus. Qui autem hęc declinare cupientes, atque impiorum odium effugere omnino uolentes deſiſtunt a correctione onmi, ſcelus incurrunt, debẽtes potius eos commodè increpare, & opportunè, operibuſque præclaris errorum ſuoruum admonere, & miſeriæ, in qua uerſantur. Eſt quidem uiri boni uita reprehenſio quædam tacita malorũ hominum, ac deprauatorum: eius eleemoſynę improborum auaritiam incuſant: morum compoſitio diſſolutionem: charitas inuidiam: modeſtia inuerecundiam: temperantia uoracitatem: uirtutum denique cumulus uitiorum aceruum, atque ſententiam.

CONVERSIO peccatoris.

Pſal. 118. CVM ſanctus Dauid clamabat: Erraui ſicut ouis, quæ periit, quære ſeruum tuũ, quia mandata tua non ſum oblitus: nos moraliter erudiuit, neminem à Deo errantem reuerti poſſe ad eum, niſi Deo ipſum requirente. Quia autem dicit: Erraui ſicut ouis, quæ periit, oſtendit differentiam inter caſus electorum, & præſcitorum, quia electi oues dicuntur, & ſicut oues aberrant, ab ouili: at reprobi ferarum more
Simile. taliter à Domino fugiunt, ut nequaquam redeant, imo & contra reuocantes ſæuiunt. Si leo à domo tua fugit, reuocare nequibis quoniam contra te conuertetur, & te dirumpet, at uero ouis ſi aberrauerit, & quæſieris eam, nõ contra te nitetur, ſed ſe tolli patietur, imo ligari, atque baculo feriri, & ad caulas reportari. Electus ergo errat, ut ouis, ut patuit in D. Petro, qui ad primum aſpectum paſtoris reuerſus eſt, Reſpexit Dominus Petrum (ait B. Lu-
Luc. 22. cas) & fleuit amare. At uero Iudas tanquam leo ab ouili fugatus eſt, nec rediit, immo nec bona magiſtri diuini uerba eum ab incepto ſcelere reuocare potuerunt. Ad hanc autem peccatoris conuerſionem maxime etiam cõducit, quod Beatus Paulus ad Hebræos ſcribens docet dicens. Aſpicientes in *Ad Heb.* 12.
authorem, & conſummatorem fidei ueſtræ Chriſtum Ieſum, qui (ut Beatus Petrus ait.) De tenebris uocauit uos in *1. Pet.* 2.
admirabile lumen ſuum. Lacerta in hyeme in caueis deliteſcit, nec lumen cæli uidet, unde & in tenebris illis præ nimia humiditate excæcatur: at cum uer cœperit terram afficere calore à cauea exiens ad orientem ſolem oculos *Simile.*
dirigit, cuius radii eorum exſiccant humiditatem, & uidens fit: ſic peccator, qui in terrenis curis, quaſi in fouea occultatur, ex quarum humiditate obcęcantur oculi mentis, ad Chriſtum dirigat aciem, qui oriens dicitur (Ecce uir oriens nomen eius, ait S. Propheta Za- *Zac.* 6.
charias) à cuius ſplendore mens illuminata uidebit lumen cęli, quod antea in peccatorum tenebris uidere non poterat: ſic enim illuminatus peccatorum ſuorum grauitatem cognoſcet, & in quanto periculo poſitus ſit, intelliget, & Deum pro uenia ex toto corde exorabit. Quia uero ad hanc conuerſionẽ maximè conducit peccatorem oculos

in

in periculo, in quo eſt, ponere, eũ Propheta Hieremias admonet dicens. Vide uias tuas in conualle: ſcito quid feceris: nam ſi filia Regis uelatis oculis in conuallem deduceretur, in qua ſerpentes, & leones, immaniſſimæque beſtiæ habitant, ſi uelamen auferatur ab oculis eius, cum ſe tot ferociſſimis, & uenenoſis beſtiis circundatam uideric heu quid faceret? Immo potius quid non faceret? Quis pauor? Quis ſtupor? Quot eam agitarent tremores? clamaret. auxilia poſceret: Si quis funem mi ſiſſet, vt eam extraheret, quam fortiter illum manu apprehenderet? Sic nimirum peccator, qui uelatis oculis in con ualle peccatorum præcipitatus eſt, nec reſpicit, quibus ſit uallatus monſtris ſi apertis oculis intueretur, ſi Deus uelamen ab oculis eius auferat, heu quid faciet, quam ſtupidus, & trepidus manebit? Heu me miſerum, clamabit tot malis circundatus ſum? Auxilia poſcet dicens. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Hoc in Dauid patuit, ut ipſe fatetur dicens. Cogitaui uias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Vbi Beatus Auguſtinus legit, auertiſti, uel conuertiſti pedes meos in teſtimonia tua. Quod in idem recidit, cum Deus ad peccatoris conuerſionem primus concurrat, peccator autem ipſe per liberum arbitrium Deo mouenti conſentiat, atque ad Deum ſe conuertat, & ita dicitur Deus peccatorem conuertere, & ipſe etiam impius ſe ipſum ad Deum conuertere. Vnde in Concilio Tridentino diffinitur, ut oſtendatur quod primitus mouet Deus cor impii ad ſe ipſum, ideo dici. Cõuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Vt autẽ pateſiat, quod ipſe peccator Deo conſentit, atq; eius ſuffultus auxilio ad Deum ſe per contritionem mouet, dicitur in Zacharia, Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos.

Hiere. 2. *Simile.* *Pſal. 118.* *Cõc. Trid. Seſ. 6. c. 5.* *Zac. 1.*

Conuerſio peccatoris unde oritur.

DVobus modis inter alios cor peccatoris præparatur ad conuerſionem, ſcilicet timore, & miſericordia: de primo dicitur in Eccleſiaſtico. Qui timent Deum præparabunt corda ſua. Quid eſt qui timent Deum? Qui ſummam eius bonitatem, & tremendam maieſtatem reuerentur, hi præparant, & ornant cor ſuum contritione, & aliis uirtutibus. De ſecundo dicitur in Iſaia propheta. Præparabitur in miſericordia ſolium eius. Hæc duo docuit Beatus Ioannes Baptiſta in principio ſuæ prædicationis, ſcilicet, timorem, dicẽs. Quis demonſtrauit uos fugere à uentura ira? Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Et interrogantibus turbis, quibus hæc prædicabat: Quid faciemus? Reſpondit. Qui habet duas tunicas det unam non habenti, &c. Et impletum fuit, quod in Pſalmo dicitur. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis turbabuntur omnes inſipientes corde. Montes æterni, quibus Deus illuminat mundum, ſunt ſancti, ſicut B. Ioannes, & ſicut B. Paulus, qui etiam uolens præparare corda Athenienſiũ dicebat. Nunc annunciat hominibus Deus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod ſtauit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in uiro, in quo ſtauit fidem præbens omnibus ſuſcitans eum à mortuis.

Conuerſio peccatoris uera.

PEr Prophetam Hieremiam ait Dominus. Si reuerteris ad me Iſrael, ad me conuertere. Quid Domine? Si ad te reuerſus eſt, ad quem, niſi ad te erit conuerſus? Hoc forſan dixit, quia multi conuertuntur, tamen de uno in aliud peccatum, & de malo ad malum egreſſi ſunt, ut per eundem Prophetam ipſe Dominus conqueſtus eſt. Vel ſignificat, ad me conuertere, plene, uere, & ad

Iſa. 9. ad ſemper, ſi pœnitet, te peccaſſe: nam
tunc erit plena conuerſio, ut ſuper hūc
locum B. Hieronymus docet. In libris
de naturis rerum ſcribitur eſſe quan-
dam auem, quæ dicitur auis paradiſi,
Simile. quod nomen ex eius pulchritudine or
tum habet; ſpecioſiſſima quippe auis
eſt, cuius pennæ omnem ferè colorem
exprimunt: uox autem illius ita dulcis,
ac pia eſt, ut deuotionem, atque alacri
tatem ſit potens in homine excitare,
hæc ſi deprehenditur, ac illaqueatur,
irremediabiliter gemit, ac conqueri-
tur, nec plangere deſinit, donec ſit red-
dita libertati. Anima Christiana huic
aui appoſitiſſimè comparatur, quæ pa-
radiſi incola eſſe debet, à cæloque ori-
ginem trahit, pulcherrima per gratiā,
& dona ſuperna, quæ omnium creatu-
rarum corporalium pulchritudinem
longiſſimè ſuperat, in qua Dei imago
impreſſa relucet, continuaſque uoces
habitibus ſtudioſis imbuta Dei auri-
bus placidas emittit. Hæc ſi in laqueo
peccatorum capitur, clamet, plangat,
& ululatus emittat, ploret, nec taceat
pupilla oculi ſui, donec à laqueis dia-
boli liberetur. Sic plangit Dauid, ſicut
ipſe fatetur in pſalmo dicens. Labora-
ui in gemitu meo, lauabo per ſingulas
Pſal. 6. noctes lectum meum, lachrymis meis
ſtratum meum rigabo.

Conuerſio non differenda.

QVod autem nullo modo ſit diffe-
renda peccatoris cōuerſio docet
Iob 27. B. Gregorius in moralibus ſuper illa
B. Greg. li. uerba Iob. Nunquid clamorem eius e-
18. Mora. xaudiet Deus? Vbi ait. Eius clamorem
c. 5. tempore anguſtiæ Deus non audit, qui
Prou. 28. ipſe tranquillitatis tempore clamantē
Dominum nō audiuit, iuxta illud. Qui
declinat aures ſuas ne audiat legem, o-
ratio eius erit execrabilis, tanto enim
tunc magna exercetur ſeueritas, quan-
to nunc maior miſericordia proroga-
Iſa. 55. tur. Vnde Iſaias. Quærite Dominum
dum inueniri poteſt: inuocate eum dū
prope eſt: modo inquit, non uidetur, &
inuenitur: tunc uidebitur, & inueniri
non poterit. Ideo B. Hieronymus ait. *B. Hiero.*
Væ illis, qui tunc habuerunt terminum
luxuriæ, quando uitæ: quamuis non de
ſperandum eſt de illorum ſalute ſi tūc
conuertantur, ut docet B. Auguſtinus *B. Aug. li.*
his uerbis. Conuertitur, id eſt, totus, & *de pœn.*
omnino uertitur, qui iam non pœnas
tantum timet, ſed ad bonum Deum re
dire feſtinat. Quæ conuerſio ſi contige
rit alicui etiam in fine, deſperandum
non eſt de peccatorum ſuorum remiſ-
ſione, ſed quoniam uix, uel raro eſt tā
iuſta conuerſio, timendum eſt de ſero
pœnitente. Ergo miſer peccator, ne tar
des conuerti ad Dominum, quia ut B.
Bernardus in ſermone quodam ait: Di *B. Ber. quo*
gnum ualde eſt, & omnino exigit ratio *dam ſerm.*
æquitatis, ut quibus à conſtitutione
mundi regnum paratur, ipſi etiam ſe ſe
regno parare non negligant. Duo uide
mus eſſe tempora ab ipſa natura deſi-
gnata, quorum alterum ſerendis frugi-
bus, alterum colligendis accommoda-
tum eſt. Stultus autem merito iudican
dus eſſet quiſquis hæc ipſa opera alie-
no tempore moliretur. Simili ergo ra-
tione duo tempora Dominus ad ſalu-
tem hominum deſignauit: alterum ad
ſementem bonorum operum facien-
dam, alterum ad meritorum meſſem
colligendam, hoc eſt, alterum ad pu-
gnam, alterum ad coronam: alterū ad
laboris exercitium, alterum ad laborū
præmium. Qui ergo ſeminant in la-
chrymis, ij planè in exultatione me-
tent, & qui tranſeunt per ignem, & a-
quam, adducentur in refrigerium. Stul
tiſſimus autem eſt quiſquis has rerum
viciſſitudines inuertit, & requiem, at
que lætitiam ante capit, quo tempore
laborandum eſſet, ac decertandum.
Ideò regius uates loquens de uenia ait.
Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in
tempore opportuno. Opportunum au *Pſal. 31.*
tem pœnitendi tempus eſt præſens tem
pus, huius autem oportunæ conuerſio
nis fructum exprimit, cum ſecundum

B. Hieronymi verſionem ſubdi. Vt cũ inundauerint aquæ multæ ad illud non accedant. Hoc eſt, opportuno tempore vir iuſtus veniam petit, nec mortis horam expectabit, ut imminens mortis tempeſtas iuſtitiam, ac innocentia inſtrumentum illum, & paratum inueniat. Quanta uero cum diligentia ac ſedulitate peccator poſt cõuerſioné ſuam Deo inſeruire debeat hac ſimilitudine apparet. Si quis cum in miſerrima ſeruitute intriremibus remigans captiuus eſſet libere dimitteretur, vt ad filias, & coniugem chariſſimam in domum ſuam, ac dulciſſimam patriam ſe conferret, qua, obſecro, diligentia ſe liberum uidens iter faceret, ut amicis, opibus, vxori, ac pignoribus, quam citiſſime frueretur? Si autem quiſpiam ei diceret, ut pauliſper ſpectaret, ad uidendas iucundiſſimas feſtiuitates, quæ in vrbe celebrandæ erant, qua efficacia, & agone reſponderet? Noli quæſo, Domine hoc mihi præcipere, inſtat enim amor, quo ardeo, vt in domum meam, quam maxime uidere cupio, celeriter pergam. Quod ſi ei iter facié ti rurſus ab amicis dicatur, ut in aliquo loco cõmmorari vellet, vbi quam pluriimis beneficijs oblatis efficeretur, nec hoc profecto aliquo modo acceptare vellet, ne vel vno duntaxat die detineatur. Dic ergo mihi ò homo, quæ vita peccatoris eſt, dum in peccato manet, niſi uita captiuitatis, & inſtar miſerrimi ſerui, qui in triremibus quoti die remigat & nihil ei præmij, aut mercedis ob id impenditur? At vero poſtquam ad Deum conuertitur liber eſt ab hac captiuitate eique libera tribuitur facultas pergendi in propriam patriam, quę eſt gloria, ubi omnia bona ſua retinet. Oportet ergo, ut nullo modo in alicuius creaturę affectione ſiſtat aut commoretur, & nulla voluptas, pręmium, merces, uel honor huius mundi eum detinere faciat, ſed omni cura, & diligentia cõtendat de virtute in uirtutem currere, vſque dum uideatur Dominus Deus in Sion.

Simile.

Quando lucerna extinguitur, dum fumigat vix ad eam ignis admouetur, cum iterum incenditur. Sic peccator recenter mortuus per peccatum dum aliquo bono deſiderio, ſcrupulo, ac timorem Dei fumigat facile inſtammatur, & conuertitur, ſi ad ignem correctionis, vel admonitionis, aut verbi Dei, qui ignis eſt, accedit: at uero ille, qui iam frigidu eſt, & multo tempore mortuus, non ita diſpoſitus eſt ad conuerſionem ſuam: Idcircò valde oportet, ut homo in peccato non frigeſcat.

Simile. *Pſal. 77.*

De homine dicitur in pſalmo. Spiritus vadens, & non rediens: nam ad peccandum non opus habet, ut quis ei auxilietur, ſicut lapis, qui in montis cacumine eſt, cui ſufficit, ut inde deorſum dimittatur, ut ſic ipſe abſque aliquo auxilio circumuoluendo inferius trahatur, quod ſecus omnino eſt in aſcenſu: nullo enim modo lapis aſcẽdet ſurſum, niſi ab aliquo feratur. Sic homo per ſuam propriam malitiam in peccatum incidit, abſque auxilio vero, & fauore Dei, conuerti non poteſt, nec ab illo peccato ſe erigere. Quocirca maxime neceſſarium eſt, ut hunc diuinum fauorem peccator inſtanter poſtulet, maxima autem confuſio eſt homines tanta cum ignauia, incuria, ac ſegnitie uiuere, vt ſe inculpa tanquam lapides eſſe ſinant. Qua propter ò peccator quid cogitas, petras ſciſſas fuiſſe, & velum templi à ſummo uſque deorſum, in diuiſione animæ ſacratiſſimæ Redemptoris noſtri à corpore ſuo ſanctiſſimo per mortem in cruce, niſi ut ſciàs nihil efficacius eſſe ad hoc, ut cor tuum dolore ſciendatur (quia contra tam benignum Dominum crimen perpetraſti) & nihil efficacius ad dura corda ſciendenda debita contritione reperiri, quam Ieſum Chriſtum mori uidere, & omnia oſſa illius ita ad inuicem diſiuncta cernere, ut facile quilibet ad crucem accedens poſſet illa ſigillatim dinumerare, ſicut ipſemet

Pſal.21. met apud Pſalmiſtam fatetur dicens. Dinumerauerunt omnia oſſa mea: hoc eſt, faciliter poterant dinumerare, quia foderunt manus meas, & pedes meos clauis, & ſic os ab oſſe ſeparauerunt. Eſt ne aliquod hominis cor adeo adamantinum, quin talis audiens non ſcindatur ad peccatorum dolorem tanti agni ſanguine emollitum?

Conuerſio peccatoris à Deo procurata.

QVanta autem ſolicitudine pater miſericordiarum Deus peccatoris conuerſionem curet, verba illa Iob
Iob 10. manifeſtè declarant, ſcilicet. Propter ſuperbiam quaſi leænam, (ſiue, ac ſi eſ-
Simile. ſem leo paruus) capies me. Elegãs profecto metaphora, & ad rem explicandam appoſitiſſima, quæ ſtudium diuinæ mentis erga peccatores admirabili quadam ratione explicat. Deum nãque venatorem facit, peccatores autem homines feras: quarum per montes ac ſyluas diſcurrentium nemo ignorat quantus ſit labor in venatu, ſudor, & curſus. Pernoctant venatores in niue, & in mõtibus vri ſe patiuntur, vt feram aliquã, leonem, aut urſum in retia coniiciant, & in apparatus venationũ libenter oẽs pecunias profundunt. Hæc ſanè eò ſpectare uidentur, ut intelligas, Deum nullum non mouere ſaxum, nullis artibus, aut ſumptibus parcere, quò feras iſtas in retia, aut in foueam impellat. Quid non fecit ille, quo Saulum intra retia concluderet? repete memoria, quæ in actibus Apoſtolorum leguntur: uidebis Deum huius uenationis ſtudio occupatum, atque detentum, & Saulum quaſi cruentam feram, & crucem uerſantem, reuerſantem, verberantem denique, & nunquam ab inferendis ſtimulis ceſſantem, & (quemadmodum etiam uenatores ſolent) multa occultantem animo, & diſſimulantem, nunc hinc, nunc uerò inde ex inſidiis adorientem uſquequo in uia Damaſci eũ in terram deiecit, ubi iam retibus captus dixit. Domine quid me uis facere?

Conuerſio peccatoris.

MAgnopere admirabatur Salomõ videns, quod ſolus Deus peccatorem conuertere poteſt, & hac admiratione perterritus dicebat. Conſidera
opera Dei. Sed videamus ſapientiſſi- Eccl. 7.
me uir, quænam opera oportet nos cõſiderare, quę in maximam nos rapient admirationem. Nunquid hæc opera ſunt diſcurſus, quos cœli faciunt, uirtutes ſolis, & aliorum planetarum? Nunquid diuerſitas temporum, aut elementorum proprietas? Hæc profecto maximam faciunt admirationem, ſed alia ſunt longè maiora. Nunquid hæc ſunt opera ſupernaturalia, qualia ſunt mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, & ægris ſalutem tribuere? Alia, inquit Salomon, ſunt maiora. Conſidera opera Dei quod nemo poſſit corrigere, quẽ ille deſpexit. Tanta eſt durities peccatoris, & tanta eius reſiſtẽtia, ut ſi Deus illum relinquat, ipſiusque obliuiſcatur, nullus poſſit illũ conuertere. Quoniam autem hæc conuerſio eſt opus infinitæ potentiæ, & infinitæ miſericordiæ Dei, in quo magis quam in operibus iuſtitiæ ipſius ualor, & poteſtas oſtenditur, ideo D. Paulus ad Hebræos ſcribens mentionem faciens de propitiatorio (qui erat locus, per quẽ Deus ſuam miſericordiam hominibus communicabat, & propitiabatur peccatoribus (inde enim uocabatur propitiatorium à propitiando) inquit. Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrãtia propitiatorium. Vocat Cherubim gloriæ quoniam ibi Dei gloria manifeſtabatur in peccatis condonandis: ut apertè intelligamus, quod omnipotentia Dei plus in miſericordia, quàm in alio opere ſupernaturali oſtẽditur. Atque ita eccleſia in quadam oratio-

ne

ne ait: Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas multiplica ſuper nos miſericordiam. Sed quare omnipotentia Dei magis in conuerſione peccatoris, quam in mundi creatione oſtenditur? Quoniam ad creandum omnes creaturas tantum ſatisfuit dicere Deum. Fiat lux, fiat firmamentum, quia ipſe dixit & facta ſunt, nullam ex parte creaturarum reſiſtentiam Deus inueniebat: at uero ad conuertendum peccatorem plurimas inuenit reſiſtentias, quas prius cum vincere, & ſuperare oportet, hæ autem ſunt ipſummet peccatum, & rebellio deprauatæ uoluntatis, quę omnia prius annihilanda ſunt quam Deus peccatorem iuſtificet.

Conuerſio peccatoris animam ditat.

IN libro Exodi ſancto Moyſi Deus ſic dixiſſe legitur. Cum egrediemini (ſcilicet de Ægypto) non exibitis vacui, ſed poſtulabit mulier à uicina ſua, & ab hoſpita ſua, uaſa argentea, & aurea, ac veſtes, ponetiſque eas ſuper filios, & filia ueſtras, & ſpoliabitis Ægyptum. Ex hoc infertur, quod filij Iſrael ditiores exierunt ab Ægypto, quam in illũ ingreſſi ſunt. Vbi ſignificatum fuit, quod quando peccator exit à peccato proculdubio exit magis diues, quam in illud introiuit & cecidit: nam tunc in eo per dolorem & contritionem, quam habet, omnia merita reſuſcitat. Deinde remanet homo poſt, quam peccatum reliquit, magis cautus, magiſque prudens ad omnes prauas cogitationes euitandas. Ex quo patet, quam merito B. Apoſtolus ad Romanos ſcribens dixit. *Ad Ro. 8.* Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ſiquidem uel ipſum peccaſſe, eis in bonum conuertitur, quamuis melius eſſet nunquam peccaſſe.

Conuerſio peccatoris.

DEmiratus Propheta Rubri maris aquas ad imperium Domini fugatas, & Iordanis vndas retro conuerſas exclamat. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? *Pſal. 113.* Ego uero hanc tantam vitæ hominis mutationem attendens ſimiliter exclamabo. Quo tam ſubito diſceſſiſti laſciuia? Quo abijſti impudẽtia? Quo turpido diſceſſiſti? Nimirum à facie Domini mota eſt terra à facie Domini retroceſſerunt aquæ: *Eccl. 11.* hic verò vitia cuncta ſubito fugata ſunt: veriſſimè enim dictum eſt facile eſſe in oculis Domini ſubito honeſtare pauperem, & ex duris lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.

Quemadmodum pannus coccineus, antequam hoc nomen contineat, magna quaſi tormenta perfert, imprimis enim cum fuit lana, collecta ea, & cocta eſt, deinde frequenter carminata; præterea in fila deducta, & in ipſa tela fortiter compreſſa, inſuper de pertica pendens à lanificijs duris carduis concuſſa, in aquæ feruentis ahænum immiſſa, donec tandem in talem colorem coccineum permutaretur, & tanta quidem diſtantia ab eo quod prius erat, nimirum immunda lana tranſiret, ad id, quod per huiuſmodi cruciatus efficitur, nempe ad perfectum coccineum pannum: ſic ſibi perſuadeat peccator oportet, ad conſequendum re uera iuſti nomen, per quod fit amicus, ac charus Deo, neceſſarium eſſe prius per multa laborioſa exercitia patiẽter per tranſire propter magnam diſtantiam, quæ inter iuſtum atque impium inuenitur.

Conuerſionis peccatoris prolongatio.

SÆpe quidem ſe negotijs, & curis ſecularibus, & inuicans peccator differt,

differt, & procraſtinat de die in diem conuerſionem ſuam. Vnde Beatus Gregorius ait. Grauis enim mœror eſt, cū ſua unuſquiſque peccata conſiderans curarum ſæcularium uult compedes rumpere, & uiam Dei per ſpatium ſecuræ conuerſionis ambulare, deſideriorum temporalium onus graue abiicere, & leue iugum Domini libera ſeruitute portare. Cogitanti enim iſta occurrit illa familiaris ſua delectatio carnalis, quæ inueterata dudum quanto eum diutius tenuit, tanto arctius aſtringit, atque à ſe tardius abire permittit. Et quis ibi mœror, quæ anxietas cordis? Quando hinc ſpiritus uocat, hinc caro reuocat, hinc amor terrenæ conuerſationis inuitat, illinc deſideria cœleſtia ad ſe uocant: hinc amore cœleſtis patriæ flagrat, hinc uerò in ſemetipſo carnalem concupiſcentiam tolerat. Sed quia diuina gratia diu nos iſtis difficultatibus affici non permittit, ruptis peccatorum noſtrorum uinculis citius nos ad libertatem nouæ conuerſationis conſolando perducit: & præcedentem iuſtitiam ſubſequens lætitia refouet: ita ut conuerſi uniuſcuiuſque animus eo magis ad uotum ſuum perueniendo gaudeat, quo magis pro illo meminit laborando doluiſſe. Fit cordi immenſa lætitia, quia in quem deſiderat, iam per ſpem ſecuritatis propinquat. At ne conuerſus quiſque in ſecuro ſe eſſe credat, & quem mœroris pugna ſuperare non ualuit, ne ipſa poſtmodum ſecuritas ſternat, diſpenſante Deo permittitur, ut poſt conuerſionem ſuam tentationum ſtimulis fatigetur. Iam quidem per conuerſionem rubrum mare tranſitum eſt, ſed adhuc in eremo uitæ præſentis ante faciem hoſtes occurrunt. Iam peccata præterita uelut extinctos Ægyptios poſt terga relinquimus: ſed adhuc nocentia uitia quaſi alii hoſtes obuiant, ut ad terram promiſſionis pergentibus cœptum iter intercludant. Iam priores culpæ uelut in ſequentes aduerſarii ſola diuina uirtute proſtratæ ſunt, ſed tentationum ſtimuli quaſi hoſtes alii contra faciem ueniunt, qui & cum noſtro labore ſuperentur. Conuerſio uidelicet ſecuritatem parit, mater autem negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas: ne ergo ſecuritas negligentiam generet, ſcriptum eſt. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore. Hæc igitur omnia cuiuſque animo infixa eſſe debent, & alta mente repoſita, ne uel tardet conuerti, uel poſt conuerſionem ſuam, deſidia torpeat, & ignauia.

Beatus Chryſoſtomus inquit. Præclare quidem conuerſionem ipſam adumbratam uidemus in filio illo prodigo, cum dixit: Reuertar ad patrem meum, &c. Reuerſus enim eſt, & totum illud iter aſperum rediens confecit. Sed ipſi nos faciamus: ac ſi uel extra ipſos patriæ fines abducti fuerimus, ad paternam tamen domum reuertamur, neque nos longioris uiæ pigeat. Nam uolentibus nobis facilis, ac celerrimus reditus fit hoſpitam modo, & alienam terram deſeramus. Hoc enim ipſum eſt peccatum procul nos à domo paterna abducens. Illud ergo relinquamus, quo mox domum paternam reuertamur: Eſt enim pater propenſo erga nos affectu, quaſi ſi nos de ſententia priore deductos eſſe ſenſerit: nihilo certè minoris, ſed & pluris æſtimabit, quam qui perpetua uita integri, inculpatiq; uixere. Et quo, inquies, reuertar modo? Rem tantum aggredere, & totum compleueris. Siſtito, ac peccato definito ulterius non progreſſus: ac tibi iam in manu res tota aderit. Nam quē admodum uiſu uenire uidemus in iis, qui morbo laborant; ut cum morbus non ingraueſcit, tum ſanitatis initium fiat: ſic & in ipſa uitioſitate ulterius ne proceſſeris, tertio facilius abſtinueris: Ac ſi poſt dies tres decem addideris, fiet, ut uiginti deinceps addas, & deinceps centum, tum autem uitam totam. Quanto enim magis progreſ-

ſus fueris, eo magis facilem uiam offendes. Ac poſtremum in ipſo conſtitutus faſtigio bonorum multorum fructum ſimul decerpes. Quando & tum cum prodigus ille reuertit, & citharæ, & liberalitas, & publici conuentus extitere. Atqui pro perdita impenſa, pro tam longa peregrinatione à filio pœnas repoſcere debebat, uſque adeò nihil horum fecit, ut & illum tanquam uita proba, tanquam fama eſſet incolumi, conſpexerit, ac ne uerbo quidem quiddam illi exprobrauerit: atque adeo ne leuiter quidem res illi præteritas in memoriam redigere ſuſtinuerit: ſed & illum complexus, atque exoſculatus uitulum mactauerit, ſtolam induerit multoque ornatu totam domum compoſuerit, & iucunditate perfuderit.

Conuerſio peccatoris potenti virtute Chriſti fit.

DE piſce quodam dicto Remora narrat Plin. in ſuo lib. de naturali hiſtoria quód quamuis paruus ſit, ſi nauem aliquam licet magnam, & impetuoſe nauigantem apprehendit, ipſam detinet, & ita apprehenſa tenet, vt neque tempeſtuoſi venti, neque ipſi nautæ eam ab ipſo poſſint auferre. Si ergo hoc valet piſcis prędirus virtute à Deo conceſſa, quanto melius hoc poterit diuinus ille piſcis Ieſus Chriſtus ſua infinita potentia in peccatorum animis efficere? Ipſe enim eſt detentor, qui exit ad detinẽdos peccatores licet magnos in maiori impetu nauigationis ipſorũ, qui cum ſemel peccatorem apprehenderit, ita eum detinet, vt nec vẽtus, neque vela ſeu carbaſa tenſa poſſint eum ab eius manibus eripere. Hoc ſignificauit Sanctus Iob, dicens. Ipſe ſolus eſt, & nemo auertere poteſt cogitationem eius, & animam eius quodcunque voluit. Clamà ergo ò peccator ad hunc altiſſimum Dominum ſicut faciebat ſanctus Dauid, cum dicebat. Miſerere mei Deus ſecundum multitudinem miſerationum tuarum; quod perinde eſt, ac ſi dicat. Domine omnès alias miſericordias, quas in me facturus es, quę animã meam non tangunt, ego ipſas dimitto, & renuntio liberaliter dum tamen hac mecum vtaris miſericordia mihi magnopere conducente, vt videlicet peccatorum meorum mihi veniã præſtes. [*Supplico os ſeñor que todas las otras ſe me funden en eſta, y ſalga dellas reſuelto, ſolo el perdon de mis pecados; que la honra y riquezas temporales todo ſe me reſuelua en eſto, que es lo que me importa.*

CORDIS DVRITIES.

Zachar. MVLTI Chriſtiani ſic durum cor habent, ut rectè il-
Eccl. 3. lis accommodari poſſit id, quod Propheta Zacharias ait. Cor ſuum poſuerunt ut adamantem. De his Eccleſiaſticus inquit. Cor durum malè habebit in nouiſſimo. Aiunt magni autores, nihil eſſe in rerum uniuerſitate durius adamante, præſertim adamante Indico, qui inter omnes principatum tenet in firmitudine duritiæ, & pretio: At ego exiſtimo, multo durius eſſe cor hominis, nam adamans ſanguine hirci molleſcit, & domatur, cor autem hominis deprauata ex ſcelerum obſtinatione induratum, nec ſanguine hirci molleſcit,

&

& ſedatur, nec ſanguine illius agni immaculati, qui ſe pro nobis in crucis ara hoſtiam conſtituit, & ſanguinem profudit, ut animos noſtros duritiei callo, efferatos emolleſceret. Hoc intuens Diuus Bernardus exclamat. O duri, & indurati filii Adam, quos non emollit tanta uis amoris? Olim per Hieremiam dixit Dominus. Indurauerunt facies ſuas ſuprà petram, & noluerunt reuerti. O utinam hoc de Iudæis tantum diceretur, ut nullis Chriſtianis conueniret? Sed heu, heu, & millies heu ita ſunt multi ſceleribus imbuti, libidinibus dediti, & crudelitate obruti, & contumacia indurati, ut ueluti feræ inſanabiles ſint lachrymarum abundantia deplorandi. Illis enim uerò accommodari poteſt quod Propheta Hieremias dixerat. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo, in ungue adamantino ſuper latitudinem cordis eorum. O infœlices illos, ò deplorandos, ò miſeros ſi ſe intelligunt, miſeriores ſi ſe nolunt intelligere, quorum peccata ſunt literis indelebilibus in duriſſimo eorum corde conſcripta. Narrat Plinius, quendam Lucaniæ eſſe fluuium nomine Silarum tam admirabilis naturæ, ut uirgulta, & folia in illum immerſa lapideſcant. Huius naturæ etiam eſt fons in Germania, in quem quidquid proiicitur dureſcit in lapidem: Id quod Albertus Magnus aſſerit, ſe experientia comprobaſſe. Nos, nos ſumus equidem folia uento rapta in fluuium illum coniecta, & flagitiorum conſuetudine in lapides conuerſi, atque ſcelerum duritia obſtinati, recidimus in fontem Germaniæ, ubi indurati ſumus. Hanc mortalium duritiem, & immanitatem uidentes ij, qui à gentibus idolorum cultricibus docti habebantur, dixerunt hominum genus diluuio abſumptum fuiſſe, & ſaxis à Deucalione, Pyrrhaque proiectis inſtauratum: non quod ita fuiſſe crederent, ſed quod eos reprehenderent, qui corde duro, ingenioque agri immanitatem colunt, & duritia gloriantur: eos enim ex ſaxis natos prouerbialiter uocamus. Si Chriſtus uerus mundi Redemptor diſcipulos ſuos reprehendit & exprobrauit duritiem cordis eorum cum reſpectu noſtri eſſent cera molliores, quid faciet noſtræ duritiei? Quibus ſupplicijs noſtram obdurationem caſtigabit? Quas pœnas illi noſtrorum facinorum dabimus, qui ut lapides inſenſibiles in flagitiorum omnium pelagus demergimur? Sed uide diuinam miſericordiam, quam tamen non ceſſat in corda huiuſmodi petris omnibus duriora inſpirationes ſuas diuinas immittere, ut emolleſcant, ſicut olim per Ezechielem Prophetam Hebræis loquutus eſt dicens. Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis ambulent. Cordi lapideo ex diametro opponitur cor carneum, hoc eſt, pium, docile, & quod diuino amore emolleſcat. Id uoluit Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens ſignificare dicens. Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Appellat Beatus Apoſtolus Corinthios epiſtolam Chriſti, eo quod illi Chriſtum haberent in cordibus ſuis ſcriptum: & inquit, hanc epiſtolam eſſe à ſeipſo ſcriptam non atramento ſed ſpiritu Dei uiui, ut ſignificaret inter ſe ipſum, & Moyſem differentiam: Moyſes enim tabulas lapideas adornauit, ut in illis lex uetus ſcriberetur, Paulus autem Corinthiorum animos parauit non inſtrumento corporeo, ſed ſpiritu Dei uiui, quem ipſo Deo largiente in illis ſculpſerat non in tabulis lapideis & duris, ut quondam lex, ſed in cordibus mollibus, & ad recipiendam Euangelicam doctrinam ab eo paratis. Precemur ergo fratres dilectiſſimi, ut Deus mollia cor noſtrum, quemadmodum molliuit cor illius, qui dicebat. Deus mol-

liuit cor meum. Precemur, inquam, ut nobis contingat, quod in typo diuina ſcriptura narrat in libro Exodi, & Numerorum, petram ſcilicet fuiſſe à Moyſe uirga percuſſam, & fluxiſſe aquarum abundantiam. Quibus uerbis alludit Pſalmographus. Percuſſit, inquit, petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.

Vtinam Deus uirga crucis, & memoria paſſionis ſuæ percutiat cor noſtrum lapideum, conterat duram cordis noſtri petram, ut fundantur lachrymarum flumina, & conuertat petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Beatus Auguſtinus in libro de gratia, & libero arbitrio ita ait. Liberum hominis arbitrium pulſatur, ubi dicitur. Hodie ſi uocem eius audieritis nolite obdurare corda ueſtra. Sed niſi poſſet, Deus etiam duritiem cordis auferre, non diceret per Prophetam. Auferam ab eis cor lapideũ; & dabo eis cor carneum. Quod de nouo teſtamento fuiſſe prædictum ſatis Apoſtolus oſtendit, ubi ait. Epiſtola noſtra uos eſtis ſcripta non attramento, ſed ſpiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Quod non ideo dictum putemus, ut carnaliter uiuant, qui debent ſpiritualiter uiuere; ſed quia lapis ſine ſenſu eſt, cui comparatum eſt cor durum, cui niſi carni ſentienti cor intelligens debuit comparari? Hæc ille. Quando igitur, hæc ita ſe habent non ceſſemus precari Dominum ut cor durum noſtrum emolliat, carnemque efficiat, ne ſit petra dura. Quod ſine dubio impetrabimus, ſi faciamus; quod in nobis eſt, ſi faciamus; inquam quod ipſe apud Ioelem à nobis poſtulat; dicens. Conuertimini ad me in toto corde ueſtro in ieiunio, & fletu, & plãctu; & ſcindite corda veſtra. Cor (inquit Beatus Bernardus) durum eſt, quod contritione non ſcinditur, precibus non flectitur, minis non cedit, flagellis obduratur. Vt autem lapis tendit ad centrum, ita corde obduratus deſcendit ad infernum. Et ſic dicitur de obduratis Ægyptijs. Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Corpora enim deſcenderunt in profundum maris, animæ uerò in profundum infernorum. Idcirco ait Eccleſiaſticus. Cor durum male habebit in nouiſſimo. Precemur ergo Dominum ex una parte, & ex altera ſtudeamus cor noſtrum cōterere, & tunc carneum fiet, hoc eſt, pium, humile, ac diuinis præceptis obediens.

Ioel. 2. c. *D. Bernar.* *Simile.* *Exo. 15.* *Eccle. 3.*

Cordis duritiei effectus.

IMmiſit in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis: Dicitur in libro Iob. Non improbabilis mihi illorum ſententia viſa eſt, nec parum ſacris literis conſentanea, quæ aſſerit, certam quandam homini peccatori aſſignatam eſſe periodum, & certam peccandi metam, ad quam ſi ſemel acceſſerit, difficillimè refert pedem. Hoc ſanè videtur ſignificare Baldad amicus Iob, ſumpta metaphora à re venatoria. Eſt igitur ſenſus uerborum eius: ſolent impij ſuis ſceleribus indurari, ſibique texere retia, & longa peccandi conſuetudine ſibi tendiculas parare, in quas frequenter pedes iniiciunt, & ſe ipſos dant præcipites. Atqui videmus feras, & alites, cum in retia incidunt, ita implicari, vt quo magis pertentatis maculis ſiue plagis aufugere, & ſe ſe expedire nituntur eo magis ſe implicant. Ergo qui in retia peccatorum, & ſcelerum ſeſe deiiciunt, vix pedem retrahere, & mox, vt voluerint, tendiculas effugere poſſunt. Videmus, (gratia exempli) eos, qui exemplum ad honoris, & dignitatis faſtigium euecti ſunt, multis ſceleribus, & peccatis ſe ipſos contaminan-

Iob 18. *Simile.*

nando,ad mētem reuocatos ſecum expendere,& altiori animo,& mente tractare,quo pacto ſine ſcelere fugiant id quod cum flagitio fuerunt adepti, ſed ipſa eos dignitas, quæ implicauit, tenet, ita ut uix ſine ſcelere iam fugere poſſint id,quod turpiter, & cum flagitio conſecuti ſunt. Hoc paucis uerbis expreſſit ſapiens. Iniquitate ſua capietur impius. Et tenebitur (inquit Baldad.) Plāta illius laqueo,& exardeſcet contra eum ſitis. Appellatione plantæ, ſiue calcanei, quod eſt in homine poſtremum,ſolet ſcriptura ſancta ſignificare quæcunque poſtrema ſunt,ſiue in tempore,ſiue in hominis uita. Dum coluber in uia,ceraſtes in ſemita,mordēs vngulas equi. Ergo impius homo cum in retia, & laqueos peccatorum ſe coniecit,quadam ſuperficie cogitationum & leui quodam conſilio minimeq; cōſtanti tentare incipit, an poſſit fugere laqueos: ſed quia uel dedecus,uel infamiam,& rumores uulgi, uel quidpiam ſimile reformidat,eligit potius in æternam præcipitari mortem quam aduerſum aliquid in uita ſuſtinere: Atque ita fit,ut illius planta laqueo implicata teneatur, cuius uita uſque ad ſupremum halitum culpis conſtringitur & induratur. Sed cum iam de faciendo regreſſu ad uirtutem incipit deſperare,ipſa deſperatione acrius incitatur, & magis, magiſque æſtuat animus uitæ huius oblectamentis ſeſe immergere: & irretitus animus præcedentibus flagitijs ad maiores impietates ſuccenditur. Quia autem deliteſcunt laquei ipſis in rebus quas uehementer expetimus, addidit Baldad: Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam. Veterator ille abſcondit ſemper in terra pedicam, hoc eſt in ipſis terrenis delicijs, quia ſemper humanis mentibus à longe oſtendit,quid ſit in rebus terrenis expetendum: laqueum uerò peccati,& damni occultat, ita ut peccator uideat,quod concupiſcere poſſit, non tamen uideat in quo laqueo,& confuſione pedem ponat. Videt ergo ſcelerati animus eſcam ipſam, decipulam non videt,& dum eſcam appetit,quæ exterius uidetur,magis, magiſque laqueis peccatorum conſtringitur,& per conſequens magis induratur. Dicitur uerò decipulam abſcondi ſuper ſemitā quoniam ſcriptura ſancta conſilia, & mores cuiuſq; noſtrum ſemitas appellat. Quibus ſignificare uoluit Baldad, ueteratorem illum ex arte ſemper homines tentare. Diligenter enim expendit,quales ſint cuiuſque mores,ſtudia,propenſiones animi,& iuxta uarias propenſionum rationes decipulam abſcondit in ſemita,ut blandis ac lętis mentibus uaria libidinum genera honoris,dignitates: aſperis uerò,& intractabilibus irā, ſuperbiam, atrocitatem. Ponit ergo decipulam, ubi ſemitam mentis eſſe conſpicit.

Prou. 5.

Gen. 42.

Cordis duritiei effectus.

ORigenes inquit. Vt euidentius quod diximus demōſtremus, utamur exemplo,quo in epiſ. ad Hebræos uſus eſt D. Paulus dicens. Terra quæ bibit frequenter uenientem ſuper ſe imbrem, & germina herbam optimā his quibus colitur,percipiet benedictionē à Deo: quæ autem profert ſpinas,& tribulos,reproba eſt,& maledicto proxima, cuius finis ad exuſtionem. Igitur ex his,quos aſſumpſimus Pauli ſermonibus,euidenter oſtenditur,quod uno, eodemque opere Dei, quo imbrem terræ largitur,alia quidem terra diligenter exculta, fructus afferat bonos. Alia uerò, quæ negligenter inculta eſt, ſpinas,& tribulos proferat. Et ſi quis quaſi ex perſona impiorum loquēs,dicat; Ergo imber fecit fructus bonos, & ſpinas,ac tribulos,ego feci,quamuis dure dici uideatur,uerè tamen dicitur. Niſi enim imber fuerit,nec ſpinæ,nec tribuli naſcerentur; ſuperueniente uerò pluuia utrumque terra produxit. Sed quāuis pluuiæ beneficio, utrumque terra

Orige. li. 3. Periar. c. 1

Ad Heb. 6

produxit,non tamen imbribus merito diuerſitas germinis aſcribetur: ſed ad illos iure culpa ſeminis reuertetur,qui cum poſſent frequenti aratro terram ſcindere, & raſtris grauibus torpentes glebas uertere, & omnes inutiles radices noxii germinis amputare atq; ſuccidere,cunctisq; quibus cultus ille depoſcit laboribus,ac ſtudiis purgata,ex cultaque noualia,uenturis imbrib.præparare hoc quidem facere neglexerũt. Deſidiæ autem aptiſſimè fructus ſpinas,ac tribulos metent,ita ut bonitas, ac benignitas imbrium ſuper omnem terram æqualiter ueniat, ſed uno eodemque opere pluuiæ, ea quidem terra,ſiue culta eſt, diligentibus cultorib. cum benedictione utiles fructus proferat:ea uerò, quæ cultorum deſidia obduruit, ſpinas, ac tribulos germinet.

Simile. Sic ergo accipiamus, quod ea ſigna, & uirtutes,quę à Deo fiebãt,imbres quidam erant, & à Deo deſuper miniſtrari:homo uerò terra eſt culta,uel inculta,unius quidem naturæ, non tamẽ unius,& eiuſdem culturæ. Ex quo fit,ut cor unius cuiuſque,uel induretur uirtutibus, ac mirabilibus Dei ſi incultum & ferum eſt,ac barbarum,&ſemetipſo ſuperbius,ac ſpinoſius fiat, & miteſcat amplius, ac tota mente ſe in obedientiam tradat,ſi purgatum à uitiis fuerit, & exultum.

Simile. Ibidem inquit ibi Doctor, Alia utimur ſimilitudine. v. g. ſiquis diceret, quia ſol eſt qui reſtringit, & qui reſoluit, cum contraria ſint, & reſolutio, & reſtrictio,ſed non erit falſum, quod dicitur,dum una, eademque caloris uirtute ſol quidem ceram ſoluit,limũ uerò areſacit, & ſtringit, non quod limi alia,alia quoque ceræ ſit qualitas,cum utique ſecundum naturam unum ſit, quia utrumque de terra eſt. Ita ergo una, eademque operatio Chriſti Redẽptoris noſtri duritiem Phariſæorũ arguebat, quam malitiæ ſuæ intentione conceperant:multorum uerò,qui conuertebantur obedientiam declarabat. Quod etiam inſignis, ac uirtutib. quæ Deus per Moyſem operabatur, patuit; quæ Pharaonis quidem duritiem arguebant, multorum uero Ægyptiorũ, qui Iſraelitis admiſcebantur, & cũ eis pariter ex Ægypto exierunt, obedientiam manifeſtabant.

Iſa.63. Idem ibidem ait: Quod ergo inquit Iſaias: Ad quid Domine indurasti cor noſtrum, vt ne timeamus nomen tuum? Dictum ab his, qui miſericordiam precabantur, morali utique tropo accipiendum eſt, uelut ſiquis dicat, Vt quid in tantum pepercisti nobis, nec requiſiſti nos,cum peccaremus,ſed reliquiſti nos, ut per hoc increſceret malum, & propagaretur peccandi licentia animaduerſione ceſſante? *Simile.* Sic equus ſi non aſſidui ſeſſoris patitur calcem & frænis ora ferratis obteritur, in dureſcit ſic & puerilitas, ſi nulla plagæ aſſiduitate curuetur,inſolentem ſimul, & ad vitia præcipitem iuuenẽ reddet.

B.Chry. homi.2. in epiſt ad Ro. Simile. Beatus Chryſoſtomus ſuper Epiſtolam ad Romanos inquit declarans illa uerba: Tradidit illos Deus in reprobũ ſenſũ Tradidit ſignificat permiſit: quemadmodum enim ſiquis exercitus præfectus prælio ingraueſcente abſceſſerit hoſtibus milites tradit, nequaquam ipſos impellens uerum ſuo auxilio nudans:ſic & Deus eos diuiſit,qui admittere illius præcepta noluerunt,ſed ſtatim inter primos ab eo defecerunt.

B. Hieron. q. 10. ad Hedibiam. B.Hieronymus inquit Vnus eſt ſolis calor, & ſecundum eſſentias ſubiacentes alia lique facit,alia indurat,alia ſoluit,alia cõſtringit: liquatur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris non eſt diuerſa natura: ſic & bonitas, & clementia Dei, uaſa iræ, quæ apta ſunt in interitum indurat, uaſa autem miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, non ſaluat irrationabiliter, & abſque iudicij ueritate, ſed cauſis præcedentibus.

Theo.Cire. ſer.2. Simile. Theodoricus Cirenenſis. Qui ueritatem intueri nolentes amant in tenebris verſari, ſunt ueluti aues illæ, quæ

noctu

noctu tantum uolant, ut ululæ, & noctuæ, hæ nanque lucem odiunt, amāt tenebras: ſed his quidem nemo ſanæ mentis indignetur atque ſuccenſeat: natura enim ab initio genus hoc vitæ illis addixit; qui uerò ultro ſeſe cordis duritię, tenebris addicunt, nolentes cognoſcere veritatem, quomodo, quæſo, ueniam conſequentur?

Cordis durities periculoſiſſima.

PEior ſtatus omniū, ad quem creatura rationalis peruenire pōt in hoc ſęculo eſt cordis durities, quam quidem hoc modo optimè dęfinire poſſumus. Cordis durities eſt quædam ſumma & epilogus omnium malorum culpæ. Beatus Bernardus in libro de Conſideratione ſanctum orationis exercitium Eugenio ſummo Pontifici magnopere commēdat, ne in maius omnium malorum malum, videlicet in duritiem cordis deueniat. Forſan, inquit ſanctus vir, quæres à me, quid ſit cordis durities? Cui ego quæſtioni ſic reſpondeo. Cor durum ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, minis non cedit, flagellis induratur ingratum ad beneficia, ad conſilia infidū, ad iudicia ſæuum, ad turpia inuerecundum, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens; ipſum eſt, cui præteritorum prę ter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit. Et, ut in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem uereatur. Prima conditio cordis obdurati (ait hic ſanctus Doctor) eſt, quod nec compunctione ſcinditur, hoc eſt non ipſum pœnitentia culpæ confringit, nullum enim conſcientiæ morſum ſentit, nec ullam capit pro peccatis ac ſceleribus triſtitiam: maiori pœna afficitur, quando ei dolet unguis, quam cū grauiſſimum ſcelus commiſit. O grande nefas. Aliud, & non minus malum eſt, quod nec pietate mollitur: hoc eſt, pietas, & amor, quem erga Deum habere tenetur, & conſideratio, (*de que es ſu hazedor, conſeruador, y gouernador*] ad ipſum emolliendum non ſufficiunt. Nunquid precibus commouetur? Nullæ profecto preces ſatis ſunt ad hoc, quod finem peſſimō ſuo uiuendi modo imponat, quod illata iniurias condonet, quod innocentem nō perſequatur. Leones, tygrides, atque elephantes domari quidem poterunt, durum autem cor, cū ira excandeſcit, precibus non mouetur. Nunquid minæ proderunt? Nequaquam minis cedit. Etenim non ipſum terrent tormenta, quibus Deus improbos, ac ſceleratos puniturus eſt, nec timor inferni, nec mortis memoria, nec horrendus, & tremendus iudicij extremi dies ad hoc quod peccare deſinat. Nunquid ſi puniatur, ceſſabit? Quinimo efficitur peius, flagellis induratur. Beſtiæ lignis, ac flagellis domantur: at durum cor, quanto magis reprehenditur, & pluribus perſecutionibus concutitur, magis rebelle eſt, & magis in peccato perſeuerat. Nūquid ab beneficia accepta reſpicit? Minime, ſed ingratum ad beneficia. Canes atque aliæ feræ benefactores ſuos recognoſcunt; durum autem cor nullam de acceptis beneficijs memoriam habet. Nunquid cum amicis ſuis uera loquitur? Minime, ſed ad conſilia infidum nō enim ad vtilitatem amici ſui, ſed ad propriam reſpicit. Nunquid delinquentibus compatitur? Ad iudicia ſęuum, [*cruel en la execucion de la juſticia, y carnicero en el caſtigo de los peccados, no ſe acuerda de ſus proprias maldades, y carmina las agenas.*] Inuerecundum ad turpia, [*ningun empacho, ninguna verguença tiene, ninguna infamia es baſtante, para que dexe de poner por obra todo genero de torpeza, a que la carne y la ſenſualidad le inclinan.*] Nunquid cautum eſt ad hoc, vt pericula, quę ei eue

B. Ber. lib. de conſid. ad Eugen.

nire poſſunt preuidea ?Impauidum ad pericula. Nunquid de afflictis, & miſeris compatitur? Inhumanum ad humana. *Tiene por ventura algun reſpecto a Dios?*] Temerariũ ad diuina [*es atreuido contra todo lo que es Dios, atreueſe a poner la boca en las coſas de Dios, y a blaſphemar del, y a condenar ſus juyzios*] reprobat ea, quæ Deus permittit, & facit, quorũ cauſæ ſoli Deo, & nõ alij ſunt cognitæ. Nunquid ſcintillam aliquam prudẽtię habet? Præteritorum obliuiſcens, nullam memoriam præteritorum habet, & de ſuppliciis, quæ Deus de improbis ſumpſit, ut alii reſipiſcant, præſentium negligens: omnes huius uitæ euentus ac ſucceſſus tam bonos, quam malos paruifacit: etenim ſuis ſceleribus mala pœnæ non tribuit, nec pro beneficiis quotidie acceptis ſummo Deo gratias agit Futurorum non prouidens, nullã cautelam habet ad prohibendum mala, quæ euenire poſſunt: nam ſæpenumero ex paruis occaſionibus magna oriuntur peccata, & qui gratiam Dei habet ſimiles occaſiones prudenter euitat: qui uerò induratum cor habet, cum ei deſit gratia Dei, deeſt etiã prudentia ad illas occaſiones auferendas, [*eſta ciego y amancebado conſigo meſmo no entiende los males que de ſemejantes occaſiones ſuelen ſucceder.*] Præteritõrum, præter ſolas iniurias, nihil omnino nõ præterit; id eſt, recordatur eorum, quæ obliuiſci debebat, & obliuiſcitur earũ rerum, quas in memoria retinere debebat, [*porque de todo lo paſſado ſe oluida ſino de las injurias recebidas.*] Denique ut breui cuncta horribilis mali mala cõplectar cor durum eſt, quod nec Deũ timet, nec homines ueretur [*Nj el temor de Dios, ni la verguença de los hombres le reporta ni le eſpanta, ni le pone miedo, para dexar de hazer todo genero de maldad*] Antequam aliquis peccator ad indurationem cordis perueniat, quamuis ſcelera eius grauia ſint, & ad omnia uitia inclinationem habeat, tamen aliquando aut metu pœnæ, aut pudore culpæ illa committere non audet: ille autem, qui iam induratus eſt, nullum in uitiis frænum, aut reſiſtentiam habet, [*para dhxar de engolſarſe en todo genero de vicios.*] O miſerrima atque infælicíſſima creatura, quæ ad tantam miſeriam deueniſti. Deus nos per infinitã miſericordiam ſuam à tanto malo eripiat. Vt autem adhoc tantum malum non deueniamus maxime oportet nos ſcire cauſas, unde cordis durities oriri ſolet. Pro quo obſeruandum eſt, aliquãdo diuinam ſcripturam hanc peccatoris duritiem Deo tribuere, tanquam cauſæ priuatiuæ, iuxta id quod in Exodo dicitur. Ego indurabo cor Pharaonis: aliquando uero eidem peccatori, tanquam cauſæ poſitiuæ, & demeritoriæ, quoniam ipſe ſuis ſceleribus, & demeritis fuit ſuæ duritiei cauſa. Idcirco Sanctus Dauid inquit. Nolite obdurare corda ueſtra, hoc eſt. Ne peccata peccatis multiplicetis. quoniam in duritiem cordis deuenietis. [*Y el endurecer Dios a Pharaon, no fue hazer en el alguna coſa, antes fue dexar de hazer, porque fue (en pena de ſus pæccados) no comunicarle ſu gracia, y auxilio eſpecial, ſin el qual era impoſſible hazer penitencia, y conuertirſe.*] Et hoc modo Deus ſolum. dicitur cauſa priuatiua, ſeu negatiua duritiei peccatoris. Cum igitur hæc durities ſit pœna peccati, uideamus propter qualia peccata Deus peccatorem punire ſolet ipſum indurans in eo ſenſu, quem iam diximus, priuans ſcilicet illum gratia ſua & ſpeciali auxilio. Deus hoc auxilium ſpeciale propter unum, uel propter duo, aut plurima peccata homini nõ negat, ſed propter aſſiduam conſuetudinem, quam peccator habet in aliquo uitiorum genere, quale eſt cum per dies plurimos proximum ſuum odio proſequitur, uel in adulterio, aut in alio quouis ſcelere perſeuerat, maxime quando ad talem ſtatum peruenit, ut non ſolum in ipſis peccatis uoluptatem accipiat, uerum etiam propter illa honorem compara-

Exod. 4.

B Tho. 1. 2. *q.* 80. *artic.* 3.

re, &

re,& acquirere intendant. In pœnam
Pſal.9. igitur huius malitiæ Deus peccatorē
ipſum indurare ſolet. Hoc nos docet
regius Propheta dicens. Quoniam lau
datur peccator in deſideriis animæ
ſuæ & iniquus benedicitur, exacerbauit
Dominum peccator ſecundum multi-
tudinem iræ ſuæ non quæret, hoc eſt,
ex eo quia peccator laudatur, & hono-
ratur propter peccata ſua, [*que es lo
que el pretendia, de aqui vino a multipli-
car mas peccados, y a prouocar tanto la yra
de Dios, que Dios lo deſamparo, y le nego
ſu gracia, y ſu auxilio; ſin el qual no ſe pue
de conuertir, y aſſi va de un peccado en o-
tro, haſta parar en el infierno.*] Atque ita
concludit S. Bernardus dicens. Nemo
duri cordis ſalutem unquam adeptus
eſt. O durum uerbum, & tremendum.
Quis eſt adeo marmoreus, qui illud au
diens non contremiſcat? Quid dicis ò
uir ſancte? Nunquid dum quis in hac
vita eſt, non habet locum, & tempus
ad pœnitentiam agendam? Nunquid
iuxta leges, quas Deus ſtabiliuit, non
poteſt homo ante mortem ad ipſum
conuerti? Iterum dico, ait, Diuus Ber-
nardus, quid nemo duri cordis ſalutē,
unquam adeptus eſt, nullo unquam tē
pore, quantum eſt ex parte liberi arbi-
trii potuit à peccato exire, aut gloriam
conſequi. Et adiecit ſtatim ſanctus Do
ctor, niſi quem forte miſerans Deus ab
ſtulit ab illo cor lapideum, & dedit illi
cor carneum. Quid igitur remedii ad
hanc gratiam Dei comparandam, &
quid remedii quærendum eſt ad hoc
vt Deus fauorem ſuum peccatori indu
rato ad pœnitētiam agendam commu
nicet? Remedium eſt, vt ipſe peccator
bene utatur libero arbitrio, [*empleando
le ſiempre en buenas obras morales.*] Ad
cuius declarationem obſeruandum eſt
quod quāuis vltima diſpoſitio ad gra-
tiam, uidelicet contritio, ſit ſupernatu-
ralis, ſaltem ex parte noſtra, & quantū
eſt etiam ex parte liberi arbitrij adiuti
ſolo cuncurſus generali Dei, poteſt ho
mo aliqua ſtudioſa opera facere, quæ
quamuis non ſint meritoria, ſunt tamē
impetratoria ad prouocandum Deum
in miſericordiam, & ad obtinēdum ab
eo ſpeciale auxilium quo mediate poſ
ſimus ſufficientem pœnitentiam age-
re, & ad ipſum conuerti. Vnum autem
ex operibus, quod miſericordiam Dei
erga peccatores ſuſcitat, eſt eleemoſy-
na, & in pauperes diuitiarum diſtribu-
tio. Nam ſi homo erga pauperem, & af
flictum miſericors eſt Deus etiam cum
illo miſericordia utetur. Quo circa Da Dan.4.
niel Propheta Regi Nabuchodonoſor
conſulebat, dicens. Quamobrem Rex
conſilium meum placeat tibi, & pecca
ta tua eleemoſynis redime, & iniquita-
tes tuas miſericordijs pauperum. Et in
lege gratiæ apud Matthæum Dominus
ait. Beati miſericordes, quoniam miſe- Mat.5.
ricordiam conſequentur. Quam quidē
doctrinam ſanctus Thobias filio ſuo ni
mis commendatam reliquit dicens; Ex. Thob.4.
ſubſtantia tua eleemoſynam fac, & no
li auertere faciem tuam ab ullo paupe
re, ita enim fiet, ut non auertatur à te
facies Domini, hoc eſt, [*no torciendo
tu el roſtro al probe, no te lo torcera
Dios a ti.*] Quomodo potueris, ita eſto
miſericors, ſi multum tibi fuerit, abun-
danter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, &
exiguum libenter impartiri ſtude. Si
uero aliquis quærat à me, quare hoc
ſanctus uir tantopere commendauit?
Ad hoc reſpondeo, quoniam eleemoſy
na ab omni peccato & morte liberat.
Duas proprietates habet eleemoſyna:
altera eſt, quod conſequitur ueniā pec
catorum, altera uero quod à morte æ-
terna eripit. At ſi rurſus interrogaue-
ris, quomodo eleemoſyna conſequi-
tur remiſſionem culpæ; quæ ſine con-
tritione non condonatur, & eleemoſy-
na non eſt actus contritionis? Ad hoc
reſpondetur quod eleemoſyna nos à
peccato liberat in hoc ſenſu, uidelicet
quod conſequitur nobis fauorem diui-
num ſpecialem ſine quo (ut eleganter B.Tho.1.2
docet B.Thomas) impoſſibile eſt pœ- q.79. ar-
nitentiam fieri. Fiducia magna erit co- tic.1.
ram

ſam ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. [*El que tuuiere a la lymoſna por ſu abogada en el cielo, y por ſu ſolicitadora en la camera de Dios, gran confiança puede tener de ſu ſaluacion.*] Hoc igitur remedio uti debent omnes, qui ſe in uitiis obſtinatos ſentiunt ad ſpeciale Dei auxilium comparandum, quo ſufficientem ſuorum peccatorum, licet grauia ſint, pœnitentiam agent.

Sicut illa, quæ dura natura ſunt, grauia etiam ſint neceſſe eſt: ſic ille, qui cor durum, & lapideum habet, procul dubio ima inferni petet loca. Vnde de Pharaone, qui cor durum habebat, & de exercitibus eum ſequentibus dicitur in Exodo. *Exo. 15.* Deſcenderunt in infernum quaſi lapis. Nihilominus tamen ea eſt diuina clementia, ut hæc etiam obſtinatiſſima corda mille modis nitatur mollire. Quemadmodum nanque qui aliquid mollificare uult, illud prius præſſum manibus huc, illuc uerſat, ſi adhuc reſiſtit, adhibet unctioné, poſt unctionem, ſi opus eſt etiá aquá: ſic Deus erga humana ſe gerit corda: primum enim illa quaſi manibus ſuis contrectans, benigna paſſionis ſuæ, multumque beneficiorum memoria mulcet. Secundò illa inungit diuinis auxiliis, & inſpirationibus, quibus faciliús peccati uigorem deponat. Tertiò bonorum temporalium aquis irrigat, ut gratias authori agendo, in memoriá ueniant delicti ſui. Quartò ignibus tribulationum, & infirmitatum uexat. Denique ictibus mortem minantibus efficit, ut uel ſaltem tunc reſipiſcant, & conuertantur. At uerò ſi nihil iſtorum poteſt perditam reuocare uolútatem, nulla mora eſt quin huiuſmodi miſerrimi peccatores, quorum corda marmorea ullis non potuerunt molleſcere uiribus, in infernum conijciantur, ut impleatur, quod dictum eſt in Eccleſiaſtico, Cor durum malè habebit in nouiſſimo. *Eccl. 3.* Non ſic ſe habebat ille uates regius, qui dicebat. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio uentris mei.

CORDIS MVNDITIA.

CORDIS munditia via regia eſt & quæ ad cælum vſque ducit, ſed pauci ſũt qui iter faciant, ac ambulent per eam: quis enim poterit dicere (inquit Salomon.) *Prou. 20.* Mundum eſt cor meum purus ſum á peccato? Et ſanctus Iob: *Iob 15. c.* Quid eſt, inquit, homo vt immaculatus ſit, ut iuſtus appareat natus de muliere? Cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit iniquitatem, quaſi aquam. Si ergo hanc cordis munditiam affectas, eam á Domino ex animo poſtula ſumens exéplum á rege Dauide precante, ac dicente. *Pſal. 50.* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Cor poſtulat mundum, nam de im mundo exeunt ea, quæ hominem contaminant, qualia ſunt cogitationes malæ, homicida, adulteria, furta, &c. Quod ſi ardenti deſiderio hanc cordis puritatem flagitemus, audiemus Dominum reſpondentem. Ego dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, id eſt, dabo uobis cordis puritatem, quá tam obnixè poſtulaſtis: dabo vobis uim illam, per quam nihil niſi rectum, iuſtum, ac pium expetitur. Interim tamen intellige varijs, diuerſiſque modis, Deum ſuorum electorum cor ab inquinamentis emundare, nunc aqua, nunc lixiuio, nunc ſcopis, nunc lima, nunc fornace. Solet namque Dominus aqua diuini verbi, ac ſalutaris ſapientiæ corda ſuorum illibata reddere. Iam

Ioan.14. vos mundi eſtis (ait idem diuinus Re-
demptor) propter ſermonem, quem
ego loquutus ſum uobis. De hac aqua
loquens Beatus Bernardus inquit. Sa-
B.Ber.ſup. Cant. pientia purificat intellectum cordis, &
reparat, ſano palato ſapit iam bonum
ipſa ſapientia; qua in bonis nullum
melius. O utinam ſaperes (ait idem
B.Ber. in quadã epi. ſanctus vir) & intelligeres, atque noui
ſſima prouideres, ſaperes, quæ Dei
ſunt, intelligeres, quæ mundi ſunt,
prouideres, quæ inferni ſunt. Profectò
inferna horreres, ſuperna appeteres,
quę ad manus ſunt contemneres. Aqua
ergo diuinæ ſapientiæ cor noſtrum ab
omni immunditiã Dominus emundat,
aliorum uerò corda lixiuio (ut ita di-
cam) ſpirituali purificat: ciñis enim,
hoc eſt, cognitio ſui ipſius cum aqua
lachrymarum mixtus purum facit cor
paccatorum: quo remedio Sanctus
Pſal.6. Dauid frequenter utebatur. Vnde in
quodam pſalmo ait. Lauabo per ſin-
gulas noctes lectum meum, lachrymis
meis ſtratum meum rigabo. Scopis
præterea confeſſionis pauimentum ani
mæ verrit, omnemque operam aranea
rum, hoc eſt, malarum cogitationum
Pſal.76. texturam improbam perdit. His etiam
utebatur Regius uates, ſicut ipſe fate
tur, dicens. Meditatus ſum nocte cum
corde meo, & exercitabar, & ſcope-
bam ſpiritum meum. Quo circa Diuus
B.Bern. in quadã epi. Bernardus cuidam uirgini conſulebat,
ut cõfeſſionem diligeret. Ama, inquit,
confeſſionem, ob quam amaris, ama
confeſſionem, ſi affectas decorem. Con
feſſioni namque iungitur decor, iungi-
tur pulchritudo. Confeſſionem (inquit
Pſal. 113. Rex Dauid) & decorem induiſti. Et tur
ſus. Confeſſio, & pulchritudo in con-
ſpectu eius. Vbi ergo confeſſio, quęcun
que ſit ſiue peccatorum, ſiue diuinarũ
laudum, ibi pulchritudo, ibi decor.
Quare ama confeſſionem, ſi illibatũ, &
mundum cor habere deſideras. Lima
ſimiliter correctionis emundatur cor
noſtrum à Domino. Si cordis mundi-
tiam habere deſideras fraternam cor-
rectionem non fugias, ſed potius appe
tas. Vnde Beatus Bernardus inquit. Sũt *B.Bern. in ſermo.*
qui peccata ſua ſic confitentur, ut uide
ri poſſint ex deſiderio cordis mundan-
di id agere: omnia enim in confeſſione
lauantur, niſi quod ea, quæ ſponte di-
cunt alijs, patienter ab alijs audire nõ
poſſunt; qui ſi uerè mundari deſidera-
rent, non irritarentur, ſed haberent eis
gratiam, qui ſuas illis maculas demon
ſtrarent. Non ita D. Greg. faciebat, ſed
potius corripienti maximas referebat
gratias. Vnde dicebat. Ille ſolus amicus
meus erit, qui ante aduentum diſtricti
iudicis maculas mentis meæ tergit.
Heu miſeros illos, ac nimium infœli-
ces, qui cum ex correctionis lima mun
ditiam cordis contrahere debuiſſent,
potius rubiginem contrahũt, dum cor-
correpti potius tragœdias excitant,
quam corrigantur, dum correptione
deteriores, ac multo peiores fiãt. Igne
denique afflictionis electorum corda
purgari, & purificari ſolent à Domino,
quemadmodum aurum igne expurga-
tur. Quare maximo gaudio, immenſa-
que alacritate uir prudẽs affici debet,
cum igne huiuſmodi probatur: hoc. n.
eſt, quod D. Iacobus monet his verbis.
Omne gaudium exiſtimate fratres cũ
in uarias tentationes incideritis. Hinc
colligere licebit, quod is, qui in hac
fornace poſitus per impatientiam exu
ritur, ſcoriam, & non aurum ſe eſſe
oſtendit: qui uero patienter, & æquo
animo preſſuras & ærumnas aliaque
aduerſa perfert, is aurum purum atque
perfectum dicendus eſt. Precemur er-
go Dominum ut quoquo modo uelit
cor noſtrum ab omni macula purum
reddat, ut beati eſſe mereamur, ſiqui-
dem ipſe ait. Beati mundo corde quo-
niam ipſi Deum uidebunt?

Vult Dominus, quod homo in pri-
mis, & ante omnia animæ ſuæ puritã-
tem intendat, atque ideo quendam
apud D. Lucam reprehendit phariſæũ
dicens. Nunc uos phariſæi, quod de
foris eſt calicis & catini, mundatis,
quod

quod autem intus eſt ueſtrum plenum eſt rapina, & iniquitate. Stulte non ne qui fecit quod de foris eſt etiam id, quod intus eſt, formauit? Ait, nunc, inſinuans præteritos, atque antiquos Phariſæos initio ſuæ religionis longe aliter feciſſe; prius enim animæ ſuæ munditiam, & puritatem, poſtea uero corporis, ac rerum exteriorum purgationem curabant. Hoc etiam Beatus Auguſtinus reprehendit dicens. O homo bona uis habere omnia, & bonus non uis eſſe? Vis bonam habere domũ, & bonam habere ueſtem, &c. & te non uis habere bonum? O magnam hominum miſerabilium confuſionem? Pudeat ergo uos ò fratres, ut de uobis talis abominatio dicatur, & omnibus uiribus contendite, ut in primis intus, & exterius boni, ac pii ſitis, hoc enim uobis maxime conducit. Cæterum res caducas, & momentaneas huius mundi non tantopere curetis, ſiquidem omnes pereunt, & in breuiſſimo tempore ſunt à uobis relinquendæ.

CORDIS perturbatio.

Ioan.14. NON turbetur cor ueſtrum, ait Chriſtus Redemptor noſter. Vt aqua quieta, & tranquilla oſtendit nobis eã intuentibus imaginem noſtram inſtar ſpeculi, commota uero, & perturbata nequaquam: ſic cor noſtrũ ſi placidum eſt, & ſedatum nobis figuram noſtram repræſentat, ut nos ipſos agnoſcamus, & defectus noſtros corrigamus: id quod fieri non poteſt, ſi inquietudine agitatum, & perturbatum ſit. Quam ob cauſam oportet omnes animi perturbationes maxime fugere. Quemadmodum ſera penſilis cum turbata eſt, non poteſt claue aperiri, quia non illi accurrit artificium ob intemperiem ſuam. Sic cor noſtrum, cum eſt perturbatione concitatum, nulla uult exhortationis claue reſerari: quia non obtemperat rationi appetitus. Quo fit, ut cor impii ob artificii intemperiem non aperiatur, Deo in ſacro eloquio clamante. Præbe fili mi cor tuum mihi. Aperiatur autem dæmoni claue adulterina abutenti. Cor meum (dicebat ſanctus Dauid) conturbatum eſt in me. Et alibi, Dormiui conturbatus: ſed qui ſuam cõturbationem dolebat, Deo volebat aperire. Ille autem in magno verſatur periculo, cuius cor perturbatione morum Deo clauditur, nec hoc dolet, aut ſentit; qui enim dolet, remedium talis miſeriæ diligenter quærit: nullum uero efficacius, quam obſeruantia diuinorum præceptorum. Quã enim pacatum, & fœlix ſit cor eorum, qui ſe totos diuinarũ legum obſequio manciparunt, verba illa Prouerbiorum declarãt. Fili cuſtodi legem atque conſilium, & erit uita animæ tuæ, tunc ambulabis fiducialiter in vita tua, & pes tuus nõ impinget cum dormieris, non timebis, quieſces, & ſuauis erit tibi ſomnus. Ad eandem ſententiam pertinet & illud pſalmi: Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. Quæ igitur opes, quæ imperia, aut quæ uoluptates cum hoc cæleſtis uitæ ſtatu, ac tam dulci cordis tranquillitate ſint conferendæ, ex interna hac tranquillitate, quæ guſtationem quandam continet æternæ tranquillitatis, & fœlicitatis omnium uirtutũm germina prodeunt, ſed præcipuè tamẽ fortitudo quædam ad labores, propter Deum perferẽdos, & alienæ ſalutis ſtudium quo enim ma

ius illud bonum eſt, quo cor fruitur, eo magis cupit omnes eius tanti boni participes facere. Hoc autem illa ſpôſæ in Canticis verba deſignant. Ego murus, & vbera mea quaſi turris: ex quo facta ſum coram illo quaſi pacem reperiés. Muro enim fortitudinem, uberibus uerò, quibus infantes nutriuntur, alienæ ſalutis curam deſignat, hęc autem quo bona aſſequuta eſt ſponſa, ex quo ad internam pacem, & tranquilitatē cordis diuino munere peruenit. Quàm autem non plenam pacem, ſed quaſi pacem appellat? Quia nec æterna, nec modis omnibus perfecta in hac vita eſſe poteſt. His armis indutos mittebat Ieſus Chriſtus verus Dei filius diſcipulos ſuos dicens illis. Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum: ac ſi diceret. Mitto uos inter lupos, ut lupos in oues conuertatis. Oues eſtis, quarũ lana alij induentur, quarum lacte & caſeis, ueſcentur. Vos manſuetudine ueſtra eorum iram uincetis, veſtra tolerãtia eorum excandentiam, ueſtra humilitate eorum ſuperbiam, ueſtra lenitate eorum duritiem, veſtra virtute eorũ iniquitatem, veſtra verborum ſuauitate eorum maledicentiam, veſtra patiẽtia eorum perſequutionem, veſtra veritate eorum falſitatem ſuperabitis. O fœlices, qui ut oues manſueti ſine perturbatione cordis vitam in dulcedine cœleſti degunt. Inter pœnas, quibus Dominus Cain puniuit, vna, eademq; maxima fuit illa, quæ in ſacro Geneſis textu refertur, videlicet. Eris vagus, & profugus ſuper terram, hoc eſt; vagabundus incedes, & nullum otium, aut tranquillitas in terra tibi erit, nec inuenies, ubi quieſcere poſſis: cor tuũ ſemper inquietum, & perturbationibus cõcuſſum erit. Et adiecit ſacer textus. Egreſſusque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra, hoc eſt, ſtatim ſententia altiſſimi in eo cœpit executioni mandari, Vbi maxime perpendẽdum eſt verbum illud, Egreſſus à facie Domini, in quo oſtenditur, quod ex eo quia homines tanta incuria negligentia, & obliuione uiuunt, ac ſi Deus illos non videret, & ab ipſo maxime diſtarẽt, oritur cordis perturbatio, quæ plurimorum malorum fons eſt. Quapropter fratres mei ſi in tantam miſeriam deuenire non vultis, recordamini omnibus horæ momentis, vos coram diuina maieſtate, & coram diuinis oculis ſemper incedere i

Cant. 8. c. — *Gen. 4.* — *Luc. 10.*

CRVX.

MERITO & maxima cũ proprietate ſacra Scriptura vitam humanã militiam appellat quodam vocabulo tempus pręfinitum ac limitatum ſignificante, intra quod bellum faciamus, vt patet in libro Iob, vbi pro eo quòd nos legimus: Militia eſt vita hominis ſuper terram, in Hebræo, loco illius nominis, militia, eſt Zaba, quod ſignificat bellum intra certum tempus geſtum, & non ſolum ſignificat tempus illud præfinitum, ſed etiam locum ſignatum (ideſt, [*lugar aplazado*] vbi pręlium faciendum eſt. Atque ita ſeptuaginta interpretes loco, Zaba, tranſtulerunt Piratirion, ideſt, Locus tentationis, arena, aut ſtadium. In quo inſinuatur nobis, quod vtrumque eſt vita humana, qua finita nihil reſtat, præterquam triumphus, & præmium æternũ victori: contra verò ſupplicium ſempiternum ei, qui vincitur. Quamuis autẽ vita humana generaliter vocetur bellum, particulariter tamen hoc nomen uitæ Chriſtiani in hoc mundo conuenit. Atque ita D.Paul. in plurimis ſuarum

Iob 7. c. — *D.Paul. 1. ad Co. 9. c.*

2. ad Cor. 10. 1. ad Tim. 2 & 2. ad Timo. 2. c. Tertul. in Apolog. Baſil. hom. 13. in Examer. Hila. li. 12 de Trin. et Hieron. ad Letam.

ſtum epiſtolarum locis omnia, ferè militaria videlicet arma, ſcuta, galeā, enſes, milites, & ſtipendia ad vitam Chriſtianam transfert. Vnde fit, vt reſpublica Chriſtiana in hac vita nominetur Eccleſia militans. Hoc nomē explicat vocationem noſtram, & id, quod in ſacro profeſſi ſumus baptiſmate, per qđ in ſacratiſſimo ſanguine, ac morte Ieſu Chriſti reparatoris noſtri, & excellentiſſimi ducis huius exercitus nos ipſi incorporati ei fidelitatē, & obedientiam tamquam boni milites promiſſimus, vocati Chriſtiani ab eius clariſſimo nomine. Tali enim titulo & cognomine voluit Spiritus ſanctus credentes tempore primitiuę Eccleſiæ inſignitos eſſe, ut in Actibus Apoſtolorum narratur. In quo ſignificatum fuit, quod (vt ſentiunt Tertul. D. Baſilius, Beatus Hylarius, & Sanctus Hieronymus) eſſe Chriſtianum eſt eſſe imitatorem uitæ Ieſu Chriſti, & participem vnctionis, & gratiæ eius. Quoniam autem commune eſt omnibus nationibus, vt unaquæ que in medio ſui exercitus vexilla regia ſignata ſigno, ſeu ſtemmate omnibus noto erigat. Ieſus Chriſtus filius Dei, & ſupernus dux noſter in medio campi ſuæ Eccleſię, tanquam inſigne vexillum, admirabilem crucem ſua ſanctiſſima carne conſecratam non ſolum in ſignum, & ſtemma, ſed etiam in remedium aduerſus peccatū ac ſuo pretioſiſſimo ſanguine ſignatā, & conſperſam erexit.

B Hiero. ſuper Ezech. 9. c.

B. Hieronymus ſuper illa uerba Ezechielis Prophetæ: Signa Thau ſuper frontes virorum gementiū, atque dolentium, docet hanc literam Thau, olim apud Hebræos crucis figuram habuiſſe, & (ut ipſe ſanctus Doctor refert) Eſdras deleuit characteres antiquos, & nouos inſtituit, ne cum Samaritanis, uel in figuris literarum conuenirent, Erat autem olim, Thau, huius figuræ T. immo ſi Caſſanæo hyſtoriographo credendum eſt, fuit olim ſignum hoc, atque ſtemma totius populi Iſrael, ſicut & aquila Romanorū.

Caſſan.

Liran. ſup. Num. libr. c. 2. Exo. 28.

Liranus uero aſſerit, vexillum cuiuſlibet Tribus fuiſſe ſimile in colore lapidi poſito in rationali, in quo erat ſcriptum nomen ſui Patriarchæ. Conſtat autem ex uigeſimo octauo Exodi capite, quod lapis, in quo erat ſculptum nomen Iudæ (ex qua Tribu oriundus erat Meſſias) dicebatur Carbunculus, cuius color flammas ignis imitatur, quoniam in vexillo crucis, quod dicitur ſignum filij hominis, adeo flammeſcit amoris ignis, vt non ſolum peccata combuſerit, ſed & corda hominum in ſui amorem ardentiſſimè conflagrare fecerit. Hoc autem ſignum filij hominis in die vniuerſalis iudicij apparebit, ut apud D. Matthæum dicitur: licet B. Thomas doceat, quod ſignum crucis non ſumitur ibi pro ligno, in quo Chriſtus Dominus fuit affixus, cum nullum mixtum tunc permanſurum ſit, ſed pro aliqua repræſentatione ipſius, ut appareat, ſignum aliquod ſimile cruci, niſi dicas, ipſum met lignum vſque ad illam horam miraculoſè conſeruandū eſſe.

Mat. 24. D. Tho. opuſcu. 60. art. 5.

De hac ſacra cruce inquit ſanctus Iſaias. Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ. Ad literam ſanctus Propheta hic loquitur de ſancto Meſſia, qui ex cruce clamauit, & omne humanum genus vocauit, ipſum ad obedientiam ſuam, atque amorem inuitans. In originali uero, loco huius nominis, ſignum, eſt quædam dictio ſignificans non ſolum ſignum, ſed etiam ſignū victoriæ. Atque ita idem S. Propheta inferius inquit. Et leuabit ſignum in nationibus, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et paulò antè dixerat; In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur. Vbi ſeptuaginta interpretes tranſtulerunt, In ipſo gentes ſperabunt, hoc eſt. Non eſt, cur alium Meſſiam ſiue alium Redēptorem expectemus. Et alij legunt. Ipſum gentes requirēt, hoc eſt, omnes ſe ad inuicem hortabuntur, & animabunt

Iſa. 5.

Iſa 11.

bunt ad quærendum illum, qui talem mortem, tamque crudelem propter hominum amorem patietur, & ipſi homines iam non ligna, aut lapides tanquã Deos, ſed illum, qui verus eſt Deus, cruci affixum adorabunt. Denique quod inferius ait, Et uolabunt in humeros Philiſthijm per mare ſimul prædabuntur filios orientis, intelligitur de ſacris Apoſtolis, qui per virtutem ſanctiſſimæ crucis, & paſſionis Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri ad obediẽtiam ſacri Euangelij Philiſthæos, & alias gentes Orientalis plagæ, ac totius mundi redegerunt, & ſubiecerunt. O admirabilem ſanctæ crucis uirtutem, quæ tam fortiter in duris, ac rebellibus infidelium cordibus operata eſt. Spoliauit Dauid Goliath illum pro ceræ ſtaturæ uirum, ac fortiſſimum Philiſthorum, gladioque eius decorauit templum, ut ſacra Regũ narrat hyſtoria.
1. Reg. 17. Sic noſter Dauid manu forti potentiſſimum dæmonem cum deuiciſſet eum armis bellicis ſpoliauit, atque crucem, quam ſibi parauerat (illa enim fuit gladius, quo percutere uoluit Chriſtũ Ieſum) ab eius tulit poteſtate, talique gladio Eccleſiam ſuam decorauit, quam ſummè colimus, per eamque templa, atque altaria decoramus, cum ipſa ſit
Simile. arbor decora, & fulgida ornata regis purpura. Eſt item crux pons, per quem Chriſtus tranſiuit, & ſicut qui contemnit pontem ſubmergitur in fluuio: ſic qui cruci non innititur peribit, ſecun-
1. ad Co. 1. dum illud D. Pauli. Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: his autem, qui ſalui fiunt, id eſt, nobis uirtus Dei eſt. Statera etiam eſt, in qua redemptio noſtra pependit. Diuites, qui in magna
Simile. quantitate pecuniam ſoluunt, non illã numerant, ſed pondere eam librant, qui enim centum millia ducatorum ſoluit, non ipſa numerat, ne tempus inſumat, ſed æquo pondere librat, pauperes minuta, & pauca numerant. In Chriſto Domino facta fuit copioſa redemptio noſtra, & uoluit, quia pretium exuberans fuit, vt pondere, & ſtatera, redderetur. Poſitus ergo Chriſtus Dominus in vno ponderis appendiculo, ſufficientiſſime inuentus eſt grauis, & ponderoſus, atque ideo deſcendit ad centrum terræ, cum ſanctiſſima anima ipſius inferos attigit, qui in centro terræ ſunt. Sed quanto hæc libra deſcendit, tanto alia, in qua erat peccator, aſcendit ad cœlum. Mos erat olim apud Hebræos, vt eo die, quo quis tondebat gregem ſuum; pauperes ab eo poſcerent aliquid ex fœtura, vel ex reliquijs conuiuij, quod tunc ille, qui tondebat, amicis ac propinquis parabat. Sic Dauid cum fugiens à facie Saul in deſerto moraretur, & audiſſet, quod Nabal Carmelus homo diues tonderet gregem ſuũ, miſſis aliquibus ex ſocijs ſuis petijt ab eo aliquid ex fœtura (que erat pedirle algo del eſquilmo) quia tunc opportunior dies erat ad elargiendum. Chriſtus Dominus eſt agnus ille, qui tolli peccata mundi, & qui, tanquã ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum, cuius vellus pretioſiſſimũ eſt, & quo noſtræ redemptionis pretium ſoluimus. In crucis menſa vellus eius tonſum, & pro forcipibus lancea, claui, flagella, & ſpinæ fuerunt. Tunc ergo opportunum tempus eſt, vt ex tali fœtura poſtulemus partem nobis, (que nos quepa ſennor parte de tan rico eſquilmo) nam quæ libet ſanguinis eius guttula pretio caret, quod libet lanæ cirrum pondus aureum eſt. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam in opportuno auxlio conſequamur. Hæc ſacra crux eſt etiam baculus, quo diuinus Iacob tranſiuit Iordanem mortis, & cum duabus turmis, ſcilicet, Angelorum, & ſanctorum patrum reuerſus eſt in ſua ſancta reſurrectione. Huic baculo fratres mei in omnibus uijs noſtris nos initis & adhærere oportet, quoniã uirtute eius omnia pericoloſa, quæ ſe ſe nobis obtulerint, ſecurè tranſiemus. Hoc ſuperno ſigno uoluit etiã

Dominus

Dominus ut fœciliſſimum principium omnibus ſtudijs, & occupationibus noſtris præberemus. Vnde laudabilis in ſacroſancta Eccleſia cõſuetudo ab omnibus fidelibus pijs, & catholicis recepta, & uſitata eſt, ut uidelicet initio ſuarum occupationum frontes ſigno crucis arment, recipiente à ſanctis Apoſtolis Eccleſia uniuerſali hanc conſuetudinem, & ipſis Apoſtolis ab uniuerſali magiſtro, & cæleſti reparatore Ieſu Chriſto eandem conſuetudinem ſumentibus, ſicut teſtatur Abdias ſacrorum Apoſtolorum diſcipulus, & ſanctus Ephren Cyrus uir quidem eloquẽtiſſimus & B. Baſilius. Quod & inſinuat Tertullianus, qui etiam Apoſtolorum uicinus fuit, in hunc modum dicens. Ad ingrediendum, & exeundum, ad calceandum, & excalceandum, ad abluendum, & manducandum, ad dormiendum, & è ſomno ſurgendum ac denique ad omnes occupationes, quibus intendimus, ſiue ſacræ, ſiue profanæ ſint, prius frõtes noſtras clarifico ſigno crucis armamus, & ſignamus. Et quoties ſe nobis aliquis pauor, ſeu periculum offert, hoc eodem ſanctiſſimo utimur ſigno, nec credimus aliquod aliud peculiare auxilium quærendum eſſe, quam ſacratiſſimæ crucis Redemptoris noſtri: per quam cum ipſe triumphauit, & diabolum mundi principẽ, ac tenebrarum rectorem uicerit firmiſſimè credimus, in illa nos certiſſimum ad omnia, quæ ſeſe nobis obtulerint, habere fauorem, ac patrocinium. Hæc Tertullianus. Sibylla Eritrea in verſibus, quos de finali iudicio conſcripſit, de quibus eloquentiſſimus Tullius, & B. Auguſt. & Euſeb. mentionem faciũt, inquit in acroſtichis, ſiue primis illorũ carminum literis in hunc modum. Ieſus Chriſtus filius Dei, Saluator, crux. Et in alio verſu, quem Euſeb. Cæſariẽſis, & Nicephorus referunt, eadem Sibylla ait. O fœlix lignum, in quo ipſemet Deus appenſus erit.

Crux.

AVdiens Adam voces, quas Dominus dabat, cum eum poſt peccatũ punire volebat fugit, & (ut refert ſacer textus) ſub arbore uitæ, quæ in medio paradiſi erat, ſe abſcõdit. Quæ fuga ò Adam hęc eſt, & quod auxilium, aut defenſionem expectas contra iram Dei ſub caducis folijs habere? Putas ne rigorem iuſticiæ eius ui tare poſſe? Ex eo tempore videtur Dominus peccatoribus cogitationem quandam dediſſe, qua, perciperent, optimum locum ad ſe defendendum ab eius ira futurum eſſe, ſub arbore uitæ, uidelicet cruce, cuius dulciſſimus fructus eſt amor, ſe collocare. Exiens Agar cum filio ſuo Iſmael de domo Abraham, & ambulans per deſertum, cum ei aqua deficeret, cernens filium ſuum chariſſimum ſiti perire, mœrore ac triſtitia confecta proiecit puerum ſubter vnam arborem dicens. Non uidebo morientem puerum, & ſic diſcedens paulum ab eo humiliter à Domino poſtulabat, ut ei ſubueniret. Arqui, ut ait ſacra pagina, Angelus Domini apparuit ei, & dixit. *Gen. 21.* Noli timere, exaudiuit enim Deus uocem pueri de loco, in quo eſt, & ſic tibi aqua prouidere dignatus eſt, Angele Dei quid eſt hoc? Puer ſub arbore proiectus iacet quaſi ſpirans, & non legitur ad Dominum oraſſe, mater uero eius ſemota ab eo maxima cum deuotione atque ſpiritus feruore orabat, & tu inquis Deum uocem pueri, qui ſub arbore erat, & non matris audiiſſe? O ingens myſterium? Vultis fratres mei miſericordiam à Domino obtinere? Non diſcedatis, nec uos ipſos à cruce Domini ſeparetis, quin potius ſub hac diuina arbore continuò habitare, nam cum Dominus uocem pueri Iſmael, qui ſub arbore erat, & non matris, quæ aberat, audiuit, ſignificare uoluit id, quod ſub ſacratiſſima crucis arbore homo conſequitur. Cruce Chri-

ſtus Saluator noſter glorioſum aduerſus dæmones triumphum reportauit; nos etiam uirtute huius crucis de diabolo, mundo, & carne, triumphare debemus. De hoc triumpho loquitur D. Paulus, cum ait. Spolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphãs illos in ſemetipſo. Vbi Origenes in quadam homilia legit. Palam triumphans in ligno Huius uictoriæ ſigna manifeſtiſſima æternus Pater in terreſtri paradiſo dedit, quando loquens cum ſerpente dixit. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemem tuum, & ſemen illius ipſa conteret caput tuum; & tu inſidiaberis calcaneo eius: hoc eſt, ſemen mulieris conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. O diuina, atque appoſitiſſima ſimilitudo, quam recte Dominus per illam ſuam nobis intentionem aperit? Solet coluber (quippe cum ſit animal reptans) ſe abſcõdere, & inſidiari, quouſque uideat aliquem prætereunté, atque ita ſecretè, & proditorie illum aggreditur, cũque ei in capite, uel in corpore mordere nõ poſſit propter ſuum infimum reptandi, & gradiendi modũ, ei inferiore parte, uidelicet, in calcaneo mordet, cum autem homo uulnus ſentit, uiden s colubrum pedem ſuũ eleuat, & caput ipſius colubri cum illo infringit. Itaque coluber in inferiore parte mordet, damnum uerò in ſuperiore uidelicet in capite recipit. Hoc igitur ſignificauit Dominus, cum ſerpenti dixit. Tu in calcaneo mordebis, & ipſa conteret caput tuum. Quæ quidem uerba ad literam de Chriſto Redemptore noſtro, & de diabolo intelliguntur, ut apertè aſſerit B. Erineus Martyr, & Sã. Leo Papa, atque omnis ſacer Doctorũ chorus teſtatur. Quod igitur fuiſſe calcaneum Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri dicendum nobis eſt. Omnes intelligũt fuiſſe ſacratiſſimam eius humanitaté. Sicut enim inferior, & magis infima pars hominis eſt calcaneum, ſic in Ieſu Chriſto Redemptore noſtro, quod fuit inferius erat humanitas eius, & ideò uocari poteſt calcaneum Chriſti. Serpens autem Sathanas à natiuitate eius, ipſi ut morderet, inſidias parauit: nam eum, cum natus eſt mediante Herode aggreſſus eſt, & cum illi mordere non poſſet, ipſi in deſerto inſidiatus eſt: cũque adhuc ſua intentione fraudatus eſſet, rurſus Dominum in cruce aggreditur, eique ibi momordit, quem morſũ ſanctiſſimus Ieſus ſatis ſenſit, eoq; maximo dolore affectus eſt, ſiquidem mortuus eſt, & tribus diebus ſine uita fuit. In calcaneo uerò diabolus Chriſto momordit, in capite namque uidelicet in diuinitate (ut ait D. Paulus caput Chriſti Deus) ei mordere nequaquã potuit. Sentiens autem diuinus Dominus in cruce, ſe eſſe morſu nenenoſi ſerpentis percuſſum, caput eius contriuit, nã ipſum maiorib. bonis, quæ habebat, ſpoliauit, ſanctos patres ab eius manibus eripuit, ſceptrum imperij eius, ac tyrãnicam iuriſdictionem, quam in mũdo habebat, ab eo abſtulit, ac denique caput eius confregit eadémet parte morſa, uidelicet, ſacratiſſima humanitate ſua in crucis patibulo affixa, [*con aquel calcañar mordido, boluio el buen ſeñor, y le quebro la cabeça.*] Sua enim morte ſacratiſſima omne damnũ diabolo intulit. Et hæc forſan fuit cauſa, ob quam ſupernus dux Ieſus Chriſtus uoluit, ut ſacroſancta Crux ſua in monte Caluario affigeretur. Quoniam (ut plurimi ex ſacris Eccleſiæ Doctoribus aſſerũt) in hunc mõtem primus parens Adam translatus fuit. De quorum Doctorum numero eſt doctiſſimus Origenes, qui ait, ſe hoc per traditionem habere, Sãctus etiam Epiphanius cõtra hæreſes, & B. Athanaſius, & D. Cyprianus, & S. Ambroſius, ac denique Theophilactus ſuper omnia ſacrorum Euangeliorum loca, in quibus de Caluario agitur, Sed quid huius rei opus erat? San. Epiphanius reſpondet, ut uidelicet adimpleretur uaticinium illud, de quo B. Apoſtolus ad Epheſios ſcribens mentionem

Ad Colo. 2 — *Orig. hom. 8. ſup. Ioſ.* — *Gen. 3.* — *Simile.* — *B. Erin.* — *B. Leo Papa.* — *Orig hom. 35. ſuper Mat. S. Epiphan. li. 5. contra hæreſes. Athan. li. de paſ. do. Cyp. de reſurr. do. ad Amb. li. 5. epi. Theophi. ſup. 4. Euang.* — *Ad Eph. 5*

facit dicens. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Quæ uerba dicta fuerunt Adæ ad pedem crucis ſepulto ubi alij legũt loco, illuminabit te Chriſtus: & continget te Chriſtus: extremitas enim ligni crucis Ieſu Chriſti attingebat corpus Adæ, ut uidelicet morte ſua Ieſus Chriſtus glorioſam ei uitam tribueret. Quẽ admodum Eliſeus, cum eſſet mortuus, hominem, quem corpore ſuo tetigit re ſuſcitauit; Atque ita Crux pro ſingulari ſigno huius admirabilis triumphi, & pro glorioſo trophæo huius uictoriæ remanſit: & quia in ea princeps gloriæ fixus pependit, ipſi cruci tanta gloria redundauit, ut Dominus uelit illam eadem latriæ adoratione, qua ipſe adoratur, adorari. Cum Alexãder Magnus uxorem Regis Darii inuiſeret, quam ipſe captiuam (ut narrat Plutarchus) retinebat, cumq; ſibi chariſſimum famulum, qui eiſdem ueſtibus, quibus Alexander utebatur, indutus eſſet, ſibi comitem adhiberet, mater Regis Darii ſe in terram proſternens amicum illũ Alexandri, quem ipſe in ſocietatem ſuam adhibuerat, uenerata eſt cogitãs illum eſſe Alexandrum, cumq; poſtea intelligeret, ſe in ueneratione illa errore ductam fuiſſe, ad pedes Alexandri turbata ſe proiecit, ipſumq; adorauit, qui eam ſic alloquutus eſt. Ne turberis, obſecro; nullum enim errorem cõmiſiſti; nam amicus meus cui uenerationem adhibuiſti Alexander eſt. inſinuans amicum ſuum eſſe alterum illũ, & ueros amicos non debere honorem diuidere. Tantus igitur fuit amor, quo filius Dei crucem dilexit, eo quod in ea redemptionem noſtram operatus eſt, ut uelit eundem honorem, qui ſibi exhibetur, cruci etiam tribui. Me inquit Dominus, homines adoratione latriæ adorant, hac igitur eadem reuerentia, uolo, ut cruci exhibeatur, illam enim adorantes, me adorant. Atque ita mittens hic cæleſtis Dominus diſcipulos ſuos in mundum ad ſacroſanctũ

4. Reg 3.

euangelium prædicandum (ut pulchrè in ſpiritu Propheta Iſaias refert) inter ea, quæ eis præcepit, unum hoc fuit. Super montem caliginoſum (hoc eſt ſuper mundum plenum in fidelitate) leuate ſignum, exaltate uocem, leuate manum, id eſt, non ſolum prædicate uerbis, ueſtramque doctrinam bonis operibus manuum ueſtrarum confirmate, uerum etiam ſignum Crucis erigite, ut eam omnibus nationibus amabilem faciatis. Ex hac autem ſumma gloria oritur ſanctæ cruci alia magna nimis gloria, uidelicet, quod omnia, quæ Chriſtus in ea pendens operatus eſt, omnes theſauros, quos nobis comparauit, ſanctæ cruci tribuimus; & ipſam id feciſſe dicimus. Atque ita Beatus Auguſtinus inquit. Crux de erroribus nos liberauit, ſedentes in tenebris, & umbra mortis illuminauit, & nos Deo coniungit. Ds hac ſancta Cruce Propheta Iſaias Dei nomine myſticè dixit. Figam illum paxillum in loco fideli, & ſuſpendam ſuper eum omnem gloriam, uaſorumque diuerſa genera. Quæ autem ſint hæc uaſa explicat Beatus Apoſtolus dicens. In magna autem domo non ſolum ſunt uaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia. Quibus uerbis inſinuauit D. Paulus, in hoc regio ſacroſanctæ Eccleſiæ palatio eſſe diuerſa uaſorum genera, alia aurea, alia argentea, uidelicet perfectos uiros, alia uero lignea, & lutea, hoc eſt, communem populum Chriſtianum. Hæc igitur omnia uaſa à ligno crucis pendent. O ſancta Crux, quantum tibi debemus? Nullum uas in ſacro ſanctæ Eccleſia eſt, cui ſacrata cruce non opus ſit, & ideo omnes Chriſtiani ei deuincti, & obligati ſunt: omnes animæ tam peccatrices, quam ſanctæ precioſiſſimo egent ſanguine, quem Ieſus Chriſtus in ſacra Cruce largiſſimè profudit. Hoc Diuus Paulus ad Hebræos ſcribens altiſſime commemorat, ubi locum illum Exodi explicat, ſcilicet. Lecto enim omni mandato legis a Mo ſe

Iſa. 3.

B. Aug.
Iſa. 22.

2. ad Tim. 2.

Ad Heb. 9
Exod. 14.

ſe uniuerſo populo accipiens ſanguinem uitulorum, & hircorum, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit dicens. Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad uos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia uaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit, & omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Hæc omnia, quæ ibi Diuus Paulus refert, erant (ut ipſemet exponit) ad ſignificandum, quod non ſolum prophanus populus, ſed etiam liber, & altare, atque omnia uaſa miniſterii in ſanguine mundantur, id eſt, non tantum noti peccatores ſacratiſſimo ſanguine Ieſu Chriſti, & munditia, ac puritate, quæ ex illo oritur egent, ſed etiam ſancti & magis iuſti, uidelicet confeſſores, uirgines, martyres, Apoſtoli, ac denique ſacratiſſima uirgo Domina noſtra, omnes qui in hac ſancta Eccleſia ſunt altare, liber, aut candelabrum, hoc pretioſiſſimo ſanguine eguerunt. Et ita Diuus Paulus diuinitus concludit, dicens. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cæleſtium his mundari, ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis, quam iſtis. O excellentem, atque admirabilem concluſionem dignam profecto tam ſancto Apoſtolo? Vaſa illa tabernaculi Moſayci (quæ figura erant, atque repræſentabant homines cæleſtes iuſtos, & ſanctos) ſatis erat purificari ſanguine animalium: ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis, quam iſtis, hoc eſt, hos autem cæleſtes uiros, qui cum in terra ſint, conuerſationem in cælis habent, oportebat melioribus ſacrificiis, uidelicet tormentis, & ſanguine Ieſu Chriſti per illum ſanguinem animalium ſignificato, & repræſentato purificari. Itaque non ſolum peccatores, uerum etiam ſancti hoc ſacro ſanguine egent. Omnia uaſa pendent ab hoc ligno crucis. Hæc ſacratiſſima crux ſacros Apoſtolos mundi uictores effecit, martyres fortes reddidit, uirginibus uirtutem præſtauit, & confeſſoribus perſeuerantiam, denique omnes ſancti ibi ſuã gloriam ſuſpenſam, ac dependentem habent. Ideo ipſe Sanctus Apoſtolus ad Galatas ſcribens inquit. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Ad Gal. 6.* O uir ſancte non ne melius eſſet, te gloriam alio in loco quærere? Non ne uides crucem eſſe ſupplicium malefactorum hominum, & locum ignominiæ? Abſit hoc à me, nam ſi famulus, & armiger Ionathæ ad illum (ut ait ſacer textus) dixit, Fac omnia, quæ placent animo tuo, perge quò cupis, & ero tecum ubicumque uolueris. *1. Reg. 14.* Et ſequutus eſt eum etiam per eminentes petras, & quaſi in modum dentium ſcopulos. Si hoc dixit ille fidelis ſeruus Domino ſuo, multo amplius oportet, quod unuſquiſque noſtrum ſummo Domino, & Redemptori noſtro dicat. Ero te cum ubicunque uolueris, etiam per imminentes petras, & montium ſcopulos. Hic otium, & refrigerium feſſus inueniet. Cum Sanctus Elias impiæ Iezabel conſpectum fugeret ſubter unam iuniperum (id eſt, *debaxo de vn enebro*) laſſus ad quietem capiendum ſedit, ut ſacra refert Regum hiſtoria, atque ibi otium, & ſuſtentationem inuenit: reſpexit enim, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & uas aquæ. *3. Reg. 19.* Quare ergo & nos ſub umbram ſanctiſſimæ crucis ad quietem in noſtris laboribus, & anxietatibus capiendam non confugiemus? [*V no ſe el hijo de Dios con ſu cruz, como un repreſentante, que antes que repreſente la comedia ſe enſaya muchas uezes, para ſalir con mayor guſto.*] *Simile.* Sic filius Dei tanto amore crucem proſequebatur, & tantum cupiebat in ea pro hominibus mori, ut multo ante tempore, [*en alguna manera, ſe enſayo en ella.*] Atque ita D. Ioãnes in Apocalypſi de illo inquit. Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi: *Apoc. 13.* Nam in morte iuſti Abel ſe probauit (id eſt, *ſe enſayo*) ſimiliter in naufra-

gio Patriarchæ Noe,& in ſacrificio Iſaac,quando ſcilicet in montem ſacrificandus ipſe perrexit, & quando Ioſeph uenditus fuit à fratribus in Ægyptum,& ibi in carcere incluſus, & quã do Moyſes in deſerto ſerpentem æneũ erexit. [*Todos eſtos fueron enſayos dela cruz, y muerte de noſtro Saluador Ieſu Chriſto.*

Cant. 8. Verba illa Canticorum: Sub arbore malo ſuſcitaui te, explicat quidam doctor. Sub arbore malo cognoui te. At ſi diceret. Nunquam Domine te tã apertè,& manifeſtè cognoui,ſicut in cruce, ibi clarius uidi amorem, quo nos dilexiſti. Ibi corrupta eſt mater tua, uel ut transferri poteſt ex Hebræo, ibi pèperit te mater tua. Quando uideris equitem eleganter ac perpulitè in equo ſedentem(id eſt, *que ſe pone bien a cauallo*] dicere ſoletis. Videtur ille ſupra equo natus fuiſſe(id eſt: *parece que naſcio a cauallo.*] Sic Chriſtus filius Dei in cruce natus fuiſſe uidetur:tãta enim affectione,tantaque manſuetudine, & patientia illã acceptauit,& perpeſſus eſt,ut ei dicere poſſimus. Videtur quod ibi peperit te mater tua,uidetur, quod crucifixus natus es,& uerè ſic fuit: quoniam anima eius ſanctiſſima,cum ipſe natus eſt,iam crucis tormenta ſentiebat.

Pro Crucis inuentione.

LOquens Chriſtus Ieſus cum Nicodemo dixit ei. Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis &c. Filium hominis ſe hic redemptor noſter uocat, *Ioan. 3. c.* quia quatenus homo erat mortalis, & paſſibilis,ac quatenus homo mortem paſſurus,non autẽ quatenus Deus. *Simile.* Carbunculus gemma eſt igniti carbonis ſimilitudinem referens eximio ſplẽdore refulgens,quæ (ut Plinius aſſerit) ignẽ non ſentit:ſi gemmam hanc anulo plũbeo incluſam, & unitam in ignem coniicias uidebis plumbum liquefieri, & conſumi, eam autem integram manere. ignis enim in plumbũm agit, in carbunculum autem agere non poteſt. Ita Chriſtus Redemptor noſter in igne tormentorum conſtitutus fuit, ſicut de illo Sanctus Iob prophetauerat his uerbis. Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur. Siue, ut poteſt ex Hebræo uerti, Deuorabit eum ignis nul- *Iob 20.* lis follibus excitatus. Ac ſi diceret. Ignis à quo comburetur, non erit fornacis fabri ferrarii, qui follibus uentilatur,ſed fornacis moleſtiarum, & dolorum: opprimetur enim calamitatibus incredibilibus. In hoc ergo igne paſſus, & mortuus eſt, ut homo, non ut Deus; ignis afflictionum egit in plũbum humanitatis: gemma verò diuinitatis integra permanſit. Huius autem exaltationis in cruce memor fuit Deus apud Ezechielem: nam ubi noſtra edi- *Ezech. 17.* tio habet: In monte ſublimi Iſrael plãtabo illud, ſeptuaginta interpretes habent. Et ſuſpendam illum in monte ſublimi Iſrael, hoc eſt, permittam, ut in cruce ſuſpendatur in monte Caluariæ. Loquebatur cæleſtis Pater de filio ſuo Meſſia venturo,& dixit,ſe eſſe illum ſuſpenſurum in crucis patibulo. Quo in loco nota,quòd multa dicuntur in ſcriptura concedendo, non iubendo, ut in Zacharia. Percute paſtorem. Et ita in- telligunt id, quod eſt in oratione Do- *Zacha. 13.* minica. Et ne nos inducas in tentatiònem, hoc eſt, ne permittas,ut inducamur in tentationem. Eodem modo Pater dicitur filium in manus impiorum illorum tradidiſſe,& illum in cruce ſuſpendiſſe. B. Damaſcenus ait,morem eſ- *B. Damaſc.* ſe diuinæ ſcripturæ permiſſionem Dei *li. 4. c. 14.* actionem eius uocare: quemadmodum hoc loco ait pater,ſe eſſe filium in crucis arbore ſuſpenſurum.

B. Chryſoſtomus in quodam ſermo- *B. Chry. ſermo. pen. in vener. crucis.* ne de ueneratione crucis inquit. Pingamus crucẽ & geſtemus in noſtris domibus,in noſtris frõtibus, & in noſtris animis: cum te cruce ſignaueris, conſidera,& contemplare animo quanta ſit crucis uirtus,& quanta tibi bona ex ca

conti-

contigerit. Hæc enim crux ſanctiſſima infernum confregit, nobiſque aditum cæli reſerauit, dæmonem uicit, mortẽ ſuperauit, mundi tyrannidem abſtulit, hominesq́ue nobilitauit. Hæc fecit, ut iam mortem non timeamus, ut dæmones non paueamus. Quare ſicut inuictus miles ſecum perpetuò geſtat arma, neque ea deponit: ita etiam nos perpetuò crucis clypeo cincti, & muniti eſſe debemus.

Simile.

B. Cyril. Beatus Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus in Epiſtola ad Conſtantinũ Imperatorem inquit. Imperatori religioſiſſimo, & pietatis amantiſſimo Cõſtantino Auguſto, Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus in domino ſalutẽ. His ſanctis diebus ſanctæ Penthecoſtes, nonis Maii circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce conſtabat, ſupra ſanctiſſimum Golgothæ locum uſque ad ſanctum montem Oliuarum extenſa in cœlo apparuit non uni, aut duobus hominibus, ſed ab uniuerſa urbis illius multitudine manifeſtiſſimè uiſa, neq; ut aliquis putaret apparens ſtatim euanuiſſe, ſed pluribus horis ſupra terram ſpectantium oculis uiſa, ſplendoris fulgore ſolis radios uincens. Nos igitur, qui urbem Hieroſolymam incolimus, & miraculum ualde magnum oculis noſtris uidimus, agimus Chriſto domino gratias de tãto beneficio uoluimus etiam tuam maieſtatem certiorem reddere de tanto miraculo, quod oculis noſtris conſpeximus cum rarum ſit, & ſingulare.

Pro crucis exaltatione.

NVnc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras, inquit Dominus apud Ioannem. *Ioan. 12.* B. Paulus appellat dæmones principes tenebrarum harum, hoc eſt, principes impiorum hominum, quos antea tenebras eſſe aſſeuerauit. *Ad Eph. 6* Id uoluit Chriſtus Dominus ſignificare, cum dæmonem principem mundi uocauit: nomine enim mundi impii ſignificantur, ut apud Ioannem dicitur. Et mundus eũ non cognouit. *Ioan. 1.* Porrò hic mundi princeps eſt draco ille fluuialis, qui in aquis uerſatur turbulentis, & cænoſis, à quibus dicit Hieremias, & hortatur, ut homo ſeparet ſe ipſum, inquiens. Quid tibi uis in uia Ægypti ut bibas aquam turbidam? Contra uero Chriſti aqua munda eſt, & ſalubris, de qua ait ipſe apud Ezechielem. *Hiere 2. Ezec. 36.* Effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris. Eiectus uerò fuit hic princeps tenebrarum quia iam ſanctos omnes nõ poſſidet, ſed tentando perſequitur: nam quia non in eis (ut inquit Beatus Gregorius) intrinſecus regnat, contra eos impugnat extrinſecus. *B. Greg. li. 17. moral. c. 18.* Et quia intus dominium perdidit bella molitur foris.

Ego ſi exaltatus fuero à terra (addit ſumma ueritas) omnia traham ad me ipſum. *B. Cyril. li. 8. in Ioan. c. 17.* Super quo B. Cyrillus inquit. Quomodo princeps huius mundi foras ſit eiiciendus, nunc manifeſtat, deſignans id morte ſua, quam in cruce patietur complendum, ſi exaltatus fuero inquit, à terra, id eſt, cum exaltatus fuero. Non enim dubitat futurum eſſe, quod uenit implere. Exaltationem autem ſuam dixit in cruce paſſionem, quã à terra in aerem eleuatus eſt, ut aereas debellaret poteſtates. Verum cum non omnium ſit fides, quomodo omnia ſe tracturum eſſe dicit ad ſe ipſum? At qui non hoc ad uniuerſitatem hominum retulit, ſed ad ipſius hominis integritatem, ſcilicet, animam, & corpus, ſecundum quod intelligimus, & uiuimus. Non enim animas noſtras ſolũ, ſed & corpora reduxit ad immortalitatem, per paſſionis ſuæ uirtutem, & reſurrectionis gloriam. Aut ſi per omnia, ipſi homines intelligendi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere. Aut certè ad ſe trahet omnia hominum genera ſecundum innume-

tam ferreum pectus, quod Redemptoris effuſus cruor lachrymarũ irriguus fons, exprobrantium opprobria, inſtantium Iudæorum indicibilis cruciatus, patibuli validiſſimus clamor, vulnerati, & confixi, exanimatique corporis rigor, incomparabilis dolor aſpicientis Virginis unigenitum ſuſpenſum in ligno, non emolliant ad compaſſionem, & prouocent ad lamentum, inducant ad plãctum, ad deuotionem excitent, & charitate ſuccendant? Sunt prorſus hæc omnia amoris faculæ, precioſiſſimæ gemmæ in ſpiritu militantiũ Chriſto. Horum quicunque inexpertus eſt, cæcus cum ſit, & corde hebetatus, eadẽ uilipẽdit, & dedignatur mentem in ta-
1. ad Co. 12 libus occupare. Nec ab re, nam animalis homo nõ percipit ea, quæ Dei ſunt. Huiuſmodi heu quantum plangendi ſunt, qui ſolũ, quæ carnis ſunt, ſapiunt, Dei magnalia non intelligunt, ſolis æterni illuſtrati ſplendore non vident, & affectuoſiſſimè dilecti non diligunt. At uero qui ſunt Chriſti omnia arbitrantur ut ſtercora, ut ipſum lucrifa-
Ad Phi. 3 ciant, carnemque ſuam cum uitijs crucifigunt, ſæculi illecebris conſolari renuunt, quatenus Chriſti paſſionibus ualeant communicare facilius. Hæc ille.

Quid obſecro, eſt chariſſimi Dominum dicere: Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum, niſi quod multis retro ſæculis uaticinatus
Iſa. 11. fuerat Iſaias? Leuabit ſignum in nationibus, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et paulò poſt, hoſtes Iuda peribunt. Ecce crux ſancta regale uexillum eſt, quo eleuato in monte Caluario profugi Iſrael conglomerati, ad Ieſum uenerunt. Ita ut uidentes ſigna, quæ in cœlo & in terra, ſummi numinis uirtute fiebant, omnes percutientes pectora ſua reuerterentur, perinde atque dolentes, & gementes, & de piaculis ſuis ueniam petentes. Sed quid mirum ſi ſaxea corda emolliebantur, ubi ſaxa ipſa ſenſus expertia mirabiliter ſcindebantur? Videre eſt profecto, quomodo à quatuor plagis terræ gentes accurrunt, & undique nationes adueniunt, Chriſtum Ieſum Redemptorem mundi confitentes, eumque toto corde amantes, pro uiriliq; ſua eum imitantes. Quam ante crucis myſteriũ Pſal. 75.
in Iudæa notus foret Deus, & in Iſrael dumtaxat magnum eſſet nomẽ ipſius. Nos autem fratres ad labores crucis obeundos nos accingamus, ſiquidẽ iã in ea exaltatus fuit Chriſtus Ieſus: nam ſunt, qui ipſum ſponſum Chriſtum ſine ſponſa eius (quę eſt ſancta crux) poſſidere molliantur, quod fieri nõ poteſt, eo dicente. Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Et iterum. Ego diſpono uobis regnum, ſicut pater diſpoſuit mihi. Agite, obſecro, & cum B. Paulo unuſquiſque dicat. Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Quod planè non de cruce lignea tantum dictum eſt, ſed & de quauis calamitate, & aduerſitate, quam Dominus nobis immittit. Crux enim, uel calix labores, & probra præſignant. Hinc Dominus clamat. Qui nõ Luc 9.
tollit crucem ſuam quotidie, & ſequitur me, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. En nomine crucis quotidianæ uniuerſam laborum congeriem ſubindicauit. Ad hanc uerò crucem ſubeundã ſumma huius diuini ſponſi charitas nos impellere debet. O ingẽtem amoris uim? O ſtupendam Chriſti Ieſu charitatẽ, non ſatis uiſum fuit cœleſti ſponſo humanam carnem induere, tot labores in hac calamitoſa uita annis triginta tribus pro ſponſa ſua unicè dilecta hilariter ſuſtinere, niſi crucis probra, & anxietates, pateretur. Enimuero amor hęc omnia fecit, amor noſtri compulit eum, amor uicit, & de filio Dei triumphauit. Verum amor ex patris cœleſtis ſinu in uirginis almę gremium auolare fecit. Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ ſuum unigenitum daret. Ecce ex quo

Ioan.3. fonte tot beneficia nobis exhibita dimanant. Nempè ex diuino amore, non ex merito noſtro, nam filij iræ eramus, ſempiternis ſupplicijs digni. Itaque amor vinculis, & funibus omnipotentē in horto uinxit. Amor in domo Pilati innocentem Dei agnum flagellauit, adeò ut à planta pedis uſque ad uerticē capitis in eo non eſt ſanitas. Amor ſpinea corona eum coronauit: Amor crucem humeris ſacris eius ponderoſam, & atrocem impoſuit. Amor duriſſimis clauis manus illius perforauit, & tandem amor ille mucrone diro lanceę latus eius aperuit? O inſignem charitatis triumphum, ò fortiſſime amor, quam glorioſa ſpolia reportas. Omnipotentem ſuperaſti, & contra omnipotētem *Gen.32.* triumphaſti. Mirabilis lucta Iacob cū Deo, ſed mirabilior & excellētior hæc eſt. O mirabilis & potens amor ſi contra Deum fortis fuiſti, ſi totius mundi molitorem, & moderatorem ſuperaſti, quanto magis cōtra homines deſides, & gelidos, fragileſque præualebis? O fratres dilectiſſimi amore uincitur Deus, ut ſic emolliat adamantina pectora noſtra, ut redamare non pigeat eū qui ſummopere dilexit nos. Verè fortis eſt ut mors dilectio, dura uelut infernus æmulatio, quæ pro vermiculo Deū morti exponit. O Ieſu bone gratias tibi immortales agimus, quia uictus uiciſti, & charitate nimia ſuperatus glorioſe ſuperaſti, necnon in cruce moriēs mortem noſtram deſtruxiſti. Cum beato Auguſtino diu noctuque clamabo. O Ieſu bone, dilexiſti me pluſquam te, quia mori dignatus es pro me. Trahe nos poſt te, ut quam primum cuncta terrena poſt habentes, in odorem unguentorum tuorum, curramus, currentes te Domine ardentiſſimis uotis perfrui mereamur, Amen, amen, amen.

Euſ. Emiſſ. hami. 2. de ſymbolo. Beatus Euſebius Emiſſenus in quadam homilia præclarè pro hac materia inquit. Sic fecit Dominus noſter quomodo fortiſſimi quique bellatores & principes uictis hoſtibus facere ſolent, qui non ſolum uictorias, ſed cicatrices ſuas exprimi, & exponi patriæ aſpectibus uolunt. Si quando ergo ſummi duces pium pro ciuibus in hoſtem pectus intulerunt, uictricia triumpho ſigna referentes, annalibus quamlibet æuo memoriæ æris tabulis, ac monumentis loquacibus cōſecrantur, poſteritatis ignotæ etiam oculis ingerendi, ut ſecuturæ ætati inter ueteres imagines recenti ſemper uiuant honore uirtutes. *Simile.* Hi itaque inclyti duces inter laudum celebranda præconia, glorioſa geſta gaudent exprimi etiam uulnera ſua: optant inter coronas interſeri excerpta duris oſſibus tela, ut inter umbratos colores merita uiri fortis uelut proprio cruore pingantur, & præferāt non ſolum lætitiæ triumphantem, ſed & pugna uincentem, ut hoſtilis ſanguis aſſerat fortitudinem, proprius pietatem, ac propugnatorem ſuum plus diligat per horrentes plagas reſtituta libertas: ita & Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ſolum diuinitatem ſed & crucem in mortem ſuam profuturis uoluit ſæculis celebrari, ut à peccatis, propter quæ moriebatur, non ſolum nos Dei mandata reuocarent, ſed etiā illata pro nobis ſupplicia, & uulnera deterrerent, & in amorem tanti beneſactoris raperent.

De ſancta cruce illud Sapientis nomine Chriſti Ieſu dicere poſſumus. Hanc amaui à iuuentute mea, & elegi eam mihi aſſumere in ſponſam. Puer namque Ieſus crucē ſic adamauit, ſic ſolerti cura eam quæſiuit, in præſepio ſubinde, ut natus fuit, recumbens, & abundè lacrymas pro nobis effunderit, & uagitus lachrymabiles emiſerit. Recolite fratres uitæ laborioſæ Ieſus benedicti decurſum, & nihil, niſi crucem in ea inuenietis, quam in ſponſam elegit, quando ſuper eam extenſus, brachia ſua ſuper crucis brachia ultro protendit. O ſi nos orthodoxi cum Apoſtolo iam corde, & ore clamaremus. Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini

mini noſtri Ieſu Chriſti. En chariſſimi,
quomodo aliuni ni virtutem) & Chri
ſti dilecti non crucem pati formidant,
ſed ſub ipſa gloriā rutilare agnoſcunt:
& ob hanc cauſam in illa tantum glori
antur.

Etiam in hac ſacra feſtiuitate magnopere aduertendum eſt, quam mira
bili artificio filius Dei vſus fuit, per
rem tam abiectam & mūdo fallaci exo
ſam, inſtituens prædeſtinatos ſaluare,
& aditum regni cælorū nobis reſerare.
Nam crux ſancta, clauis illa eſt, de qua
ſub nomine Eliachim pater promiſit
Chriſto Ieſu: Erit quaſi pater habitant
Iſa.22. tibus Hieruſalem, & domui Iuda, inquit, & dabo clauem Dauid ſuper humeros eius & aperiet, & non erit, qui
claudat, & claudet, & non erit, qui
aperiat. Quis vnquam miſericordiarum parens habitantibus in Hieruſalē,
hoc eſt in Eccleſia catholica, niſi Chriſtus Deus noſter? Is clauem Dauid ſuper humeros ſuos portauit quando baiulans ſibi crucem exiuit in montem
Caluarium, quemadmodum exactè be
Ioan. 19. atus Ioannes narrat. Profectò niſi hac
claue ſaluator oſtium cœli aperiret, latroni ornati non diceret. Amen dico
tibi hodie mecum eris in paradiſo.

B.Tho.3. p.q.49. artic. 5. Hoc nimirum medicamento indigebat mundus (vt docet beatus Thomas)
qui ingenti ſuperbia turgidus noluit
1. Cor.1. agnoſcere Deum, in ſapientia Dei.
Hinc beatus Paulus clamat dicens.
Quia in Dei ſapientia non cognouit
mundus per ſapientiam Deum, placuit
Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Hinc beatus Au
B.Aug. li. 4.deTrin. guſtinus ait. Cum lux luceret in tenebris, hoc eſt, in creaturis, & tenebræ
eam non comprehenderunt, placuit
Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes: vt verbum caro
fieret, & habitaret in nobis, obiretque
tandem pro nobis in cruce. Myſterium
crucis pereuntibus ſtultitia eſt. paulò
ante dixit ſanctus Apoſtolus: His autē,
qui ſalui fiunt, ideſt nobis, virtus Dei
eſt. Non igitur incommode prædicatio
ſtultitiæ, crucis annuntiatio appellatur, ſine qua nemo ſalutem aſſequi po
teſt. Verum ſi homines machinam hāc
pulcherrimam, & creaturas omnes pe
nitus conſiderarent Deum agnoſcerēt:
nam teſte Eccleſiaſtico. Effudit ſapien
tiam ſuam Deus ſuper omnia opera
ſua. Itaque creaturæ omnes perinde,
atque verba ſunt, quibus Deus optimus potentiam, ſapientiam, & bonitatem ſuam palam facit. Inuiſibilia
enim Dei per ea, quæ facta ſunt intel
lecta conſpiciuntur. At homo ob ſuam Ad Ro. 1.
inſignem vanitatem à rectitudine diui
næ cognitionis declinauit. Quam ob
cauſam per quædam alia ad ſui cognitionem accommoda fideles adduxit,
quæ in ipſis rationibus naturalibus cre
aturarum non inueniuntur. Propter
quod à mundanis hominibus reputantur ſtulta: Et huiuſmodi ſunt fidei do
cumenta, ſicut pulchrè ſanctus doctor
in Paulum notat. Sed proculdubio ve- 1. adCo. 2.
riſſima eſt illa ſententia: quod ſtultum
eſt Deo, ſapientius eſt hominibus. Ideſt
omnem humanam ſapientiam exuperat, quod in Deo homines rudes & ſtul
ti ſtultum reputant. Vt ſi duobus duci
bus cum duobus magnis exercitibus
inter ſe pugnantibus unus eorum ut cō
tra alium præualeret ſuos milites occi
deret, ab omnibus hoc pro maxima
ſtultitia reputaretur: Hoc proculdubio
ſupernus princeps Chriſtus Ieſus fe- Simile.
cit, ut diabolum, & omnes ſatellites eius ſuperaret, permittens omnes Apo
ſtolos, & reliquos eius diſcipulos crudeliter à tyrannis occidi, & ſic re uera
contra omnes mundi, & dæmonis po
teſtates uictoriam reportauit, & ſanctā
eccleſiam ſuam mirabiliter auxit, &
amplificauit. Quando enim unus ex eius ſeruis tormentis maximis torquebatur, & occidebatur, multi conſpecta
eius fortitudine ad fidem eiuſdem Domini noſtri conuertebantur.

deos enim & furioſus pariter eſt,& dæmoniacum quidem miſeramur, hunc uerò auerſamur,& odimus,quia ſponte ſibi furorem attrahit, & os, oculos aures,& cætera ſimpliciter ſenſuum inſtrumenta amariſſimas uoluptatis conficit cloacas. Quod ſi etiam interiora iuſpicias uidebis animam eius ceu hyeme, ac intentiſſimo frigore congelatam, adeo atque torpentem, ut nulla utilitas ab ea poſſit afferri. Beſtijs peiores ſunt delitioſi, illi enim nihil ultra, quam opus eſt deſiderant, omnes certe animantes, quæ rationis expertes ſunt,cum bibunt, aut comedunt ultra quam ſatis eſt,etiam ſi homines eas cogerent,nunquam elabuntur. Homines uero nimio potu inebriantur. Idē glorioſus Pontifex ſuper illa uerba B. Pauli inquit. Vidua, quæ in deliciis eſt uiuens,mortua eſt. Ventri enim ſolum modo uiuit qui cæteris ſenſibus mortuus eſt,uiuens in delitiis, nec aſpicit, quæ aſpicienda ſunt:nec audit, quæ neceſſario audire conuenit;nec loquitur, quæ loqui oportet. Quemadmodum mortuus quiſpiam in lecto iacens com ploſis palpebris, clauſiſque luminibus nullum omnino ſenſum habet: Ita & hic,imo longe deterius hic, quam ille affectus eſt:ille enim bona æquè,atque mala non ſentit, hic autem bonorum tantum amittit ſenſum,nihil enim boni penitus ſentit:nihil illũ ex his, quæ in futura uita ſeruantur mouet, ſed ad omnia perſtat immobilis, atque ita mortuus eſt,quemadmodum in tenebroſum antrum præcipitatus ſemper in tenebris inſtar morruorum degit. Iam uerò quis,poſſit tempeſtatem illam in gentem eloqui, quæ ex huiuſmodi pernicioſò delitiarum uſu in animam,& corpus irrumpit?Quemadmodum enim uaſta, ac perpetua nubium dēſitas radios ſolis nunquam ſinit uim fulgoris ipſorum oſtendere:ita delitiarum uaporationes cerebrum nō ſecus, quam ſcopulus craſſa nube tegentes non permittunt liberè uſquam ſe intēdere, uerum in tenebris perpetuis eũ, qui ſic miſerabiliter iacet affectus, detinent. Nec explicari poteſt omnino, quanta tempeſtate intus iactetur. Sicut enim ſæpe cum inundatio uehementior facta fuerit, aquarumque uis officinarum aditum occupauerit turbari eos,qui intus ſunt,cernimus, & diſcos,amphoras,ſpongas, & alia plurima ad exhauriendam aquam excogitata deferre,ut ne uiolatis fundamentis, & commotis omnis poſtea ſuppellex inutilis fiat:ita & anima quoties nimiis delitiis oppreſſa fuerit, omnis ratio perturbatur. Cæterum quod iam coactum eſt, cum eſurire difficillimum, quod rurſum aliud è ueſtigio egrediatur incredibile eſt, quāta perturbatio, quantuſque fluctus immineat.Quanto magis diſtenditur corpus pinguedine, & craſſitudine, tanto magis extenuatur, atque imbecillior fit anima. Et idē B. Chryſoſtomus alibi ſic ait.Quid animam obruis, quid parietem corporis facis craſſiorem? Quid multum fumũ, & nebulam cum uapores tanquam caligo quædam undique reddantur. Si non alius quiſquam ſaltem te athletæ doceant,quoniam gracilius corpus eſt fortius,& anima fortior aurigæ ſimilis eſt,& equo.Sed illic uides,ſicut in his, qui delitiis uacant,& carnoſis, ſic & equos carne fluentes ad motus eſſe difficiles & multos aurigis præbere labores. Optabile eſt facilem, & expeditũ equum brauium accipere: cum autem eum auriga trahere cogitur,& frequentiſſime cadentem ſtimulās, nec ita quidem exercitare poteſt, licet ipſe ſit ualde peritus,uictoria priuabitur. Ne noſtram contemnamus animam propter corpus calumniam patientes,uerum illam faciamus perſpicaciorem, alas ei leues nectamus, & molliora uincula, ac rationibus eam paſcamus.Rurſus idem egregius Doctor inquit. Multos audio dicentes, cum tales accidunt turpitudines.Non ſit uinum. O ignorantiam.Si uero dicas. Ne ſit uinum,dices,

Marginal notes: B. Chry. homi. 13. in 1. ad Tim. — Simile. — Simile. — Simile. — B. Chry. homil. 54. ad pop. Antioche. — Simile.

B. Hieron. in epiſt. ad Furiam de virg. ſeru. ces, & ſenſim procedens, Ne ſit ferrum propter homicidas, ne ſit nox propter fures, ne ſit lux propter calumniatores, ne ſit mulier propter adulteria, & omnia penitus tolles. Beatus Hieronymus ait. Non Æthnei ignes, non Vulcana tellus, non olimpus tãtis ardoribus æſtuant ut iuueniles medullæ uino plenæ, & dapibus inflammatæ.

Delitiæ carnales.

Ethic. 7. ARiſtoteles in Ethicis amplificans carnalium uoluptatum delitias inquit, eas furari intellectum ſapiẽtis: nam licet ſapiens notitiam habeat ueritatis propoſitionum uniuerſalium, qualis eſt iſta. Omnis uoluptas carnalis prohibita, eſt mala, tamen quando ipſe uoluptate fruitur, iudicat certè illam uoluptatem particularem eſſe bonam: aliter enim non illam admitteret: nullus nanque operatur ad malum aſpiciens, ſed ſub ratione boni: atque ita uoluptas carnalis furatur intellectum hominis ſapientis. *Vide B. Tho. & Caiet. 1.2.q. 77. art.2.* Huius ueritatis teſtis eſt Salomon, de quo ſacra ſcriptura inquit. Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiã multam nimis. *3. Reg 4.* Huius autem tam ſapientis uiri iudicium non auaritia, non ira, & appetitus ultionis, nec honoris ambitio, ſed turpiſſima carnis uoluptas peruertit, de qua Ariſtoteles ait, quod furatur intellectum. Atque ita eadem diuina ſcriptura, quæ eius ſapientiæ magnas excellentias refert alibi ſic inquit de eo. *3. Reg. 4. 3. Reg. 11.* Cum rex Salomon iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.

DESIDERIA SANCTA.

Pſal. 118. VERBA illa regij Prophetę: Cõcupiuit aĩa mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore, uehemẽtiſſimum eius affectum, & reduplicationem deſiderij oſtendunt. Simile eſt illud Chriſti Redemptoris noſtri. *Luc. 22.* Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, hoc eſt, nimio, ac flagrantiſſimo deſiderio hoc concupiui. Eſt enim modus loquendi Hebræis, vt maiorẽ emphaſim orationi addant. *B. Ambro. ſuper hunc Pſalmum.* B. Ambroſius hunc locũ ſic interpretatus eſt, & adducit illud. Vita viuet, & dicit plus eſſe vita viuere, quàm ſolum viuere: nam in hac vita viuimus non vita, ſed morte, cum vita præſens non ſit aliud, quàm appropinquare ad mortem, quãto enim plus viuimus tãto magis morti appropinquamus. Sed beati viuunt, hoc eſt maxima vita, quæ vera, & pura vita eſt, cum nihil habeat admixtum mortis. Vita ergo viuere eſt maxima, & perenni vita frui, ſic deſiderio deſiderare & concupiſcere eſt maximo, & perpetuo deſiderio appetere. Vnde ſubdit, in omni tempore, ideſt, tam tempore proſperitatis, quam aduerſitatis. Aeternum ergo deſiderium, & maximum iuſti explicat, vt quia opus amoris non poteſt eſſe perpetuum, ſit deſiderium, ideſt, quia non ſemper opere exequi poſſumus mandata Dei; quia non ſemper materia ſe ſe offert; ſaltem deſiderio, & amore ſemper ea impleamus, non ſolum in præparatione animi, ſed ſummopere appetentes, vt paſſim ſe ſe offerat occaſio eius mãdata exequendi. Huic interpretationi fauet translatio Fœlicis, qui ſic trãſfert. Fractus, ac contritus ſum præ deſiderio iudiciorum tuorũ omni tempore, ideſt, Adeò affectus ſum iudicijs tuis, vt penè deficiat, ac tabeſcat anima mea præ deſiderio eorum. Vel aliter ſecundum Beatum Auguſtinũ, Pro

quo

quò nota, quòd principium boni eſt deſiderium eius. Sunt tamen aliqui peccatores adeò proterui, qui nec conciones audire uolunt, ne per eas illiciantur ad amorem præceptorum Dei, ſed cum uident in ſuggeſtu ſtramen poſitũ quod eſt ſignum concionis habendæ, ſtatim quaſi arreptitij terga uertunt: aſflatus tamen aliquis illorũ diuino ſpiritu, conſideranśque ſe à diuinorum cõcupiſcentia eſſe adeo elongatum, & alienum, in hoc, uel leue deſideriũ procupit, & dicit. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, non adhuc deſidero, ſed ſaltem, deſidero deſiderare. Nam ut B. Aug. ſuper hunc locum ait, contingit frequenter infirmo, qui faſtidit edulia, nec illum appetitũ habet ciborum, ut uehementer deſideret, quod corpus appetat cibum; hoc eſt, ut tollatur ab eo huiuſmodi faſtidium, nauſeaque edendi. Sic contingit aliquando, ut anima, quæ faſtidit diuina, deſideret tali nauſea carere, quod eſt cõcupiſcere & deſiderare bona: hoc autem principium boni eſt, quia à timore Dei tale deſiderium dimanat. Huic, & aliis talia deſideria habentibus dicitur in Iſaia. Omnes ſitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argẽtum properate emite, & comedite. Sed proh dolor, quàm pauci ſunt, qui hanc ſitim habeant, miſerabile profecto piorum oculis ſpectaculum eſt, multos uidere Chriſtianos, aquas uoluptatum putridas potantes, cogitantesq́ue illarum potum ſitim animæ extinguere, & cum experientia didicerint, hoc eſſe impoſſibile, ſemper eas maximo agone perquirunt: qui uero ſpiritu Dei aguntur, his deſpectis, aquas ſpirituales quærunt, & guſtantes aliquid de diuina bonitate accenduntur ad maiora & plorant, atque gemunt ſitientes Deũ fontem firmiſſimi ſolatij, & operibus bonis anhelantes ipſum iam videre deſiderant. Aduertendum tamen eſt, quod licet omnis ſuauitas, quæ in creaturis reperitur, non ſit, niſi ueluti aſperſio aquæ benedictæ hyſſopo facta, & odor pertenuis quaſi roſæ uelociter tranſeũtis, tamen multum hoc ad cæleſtia deſideranda inuitat. Sicut enim ualde ſitiens non eſt contentus illius aquæ aſperſione, quam habere, & bibere contendit, nec cibi odore famelicus ſatiatur, nec uenator immo, nec canis deſiderium ſatiat ueſtigio feræ, quam cupit apprehendere. Sic omnis Dei uerus amator ardenter cæleſtia eſuriẽns, & ſitiens non ſatiatur his guttulis breuiter tranſeuntibus: ideo ſemper illam æternã aquã toto cordis deſiderio quærit. Væ tamẽ, & millies uæ infœlicibus peccatoribus, de qbus dici poteſt illud Pſal. Inimici eius terrã lingẽt, quia peccatores inimici Dei diuinæ ſuauitatis fonte ſpreto, terrã uoluptatis lingũt, & lambũt, ut canes ius, ſiue brodium immundum ſuper terram diffuſum. O cæci, cæci, non intelligitis ſacra eloquia teſtari orbem terrarum, & quidquid in illo eſt, voluptatis, gaudij, & honoris tanquam momentum ſtateræ coram Deo eſſe? hoc eſt, reſpectu delitiarum ſpiritualium, & cæleſtium omnia terrena eſſe prope nihil? Dicitur enim in libro Sapientiæ. Quoniam tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram. Quid ergo lingitis terram ſtulti? Cur nõ magis ad Deum fontem aquæ viuæ accedere deſideratis, ut ibi affluẽter in æternũ bibatis? Aliud eſt comedere, aliud verò lingere: amatores temporalium dicuntur lingere momentanea, quia non inueniunt in eis, vnde ſatientur. Nunquid lingendo panem, aut aliquem cibum poteſt quis ſatiari? Minime quidem, quomodo ergo lingendo terrena cogitas animæ capacitatem adimplere & famẽ illius tollere? Venite igitur omnes ſitientes ad aquas gratiæ, & qui non habetis argentum, habete deſiderium, earum, & delictorum veram contritionem, & obtinebitis illas. Omnia, quæ ſcripta ſunt,

Sap. 11.

Ad Ro 15

(ait,

poſſidetur, tunc enim aliqualem cognitionem iuſti eius virtutis habent, quia, ut in Apocalypſi dicit Dominus. Vincenti dabo Manna abſconditum,& nomen nouum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit: ideo enim non habita gratia deſiderium non mouet, ſed cum habetur, & cognoſcitur, tunc affectum delectat, & deſiderium mouet, non quidem ad aliud deſiderandum, cum nihil in hac vita pretioſius inueniri poſſit: quam Dei amicitia: Sed quia imperfecte percipitur ob recipientis imperfectionem, & amitti poteſt per culpam,& augeri per bona opera conſummataque fieri per gloriæ adeptionem, ideo ipſamet anima mouet ad deſiderãdum, vt perfecte habeatur. Et hoc eſt forſan quod dicitur in Eccleſiaſtico. *Eccl. 24.* Qui bibunt me adhuc ſitiunt: omnes enim, qui eam hic imperfecte, & cum timore poſſident, & in magno ipſam amittendi periculo (augeri ſiquidem poteſt) adhuc ſitiunt, vt eam perfecte, & abſque timore poſſideãt. *Joan. 4.* Sed quæro ò dulciſſime Ieſu cum dixiſti, qui biberit ex hac aqua fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: Quare non dixiſti: Fiet in eo fluuius, &c? Quoniã fluuius ex natura ſua ſemper ad ima,& inferiora labitur, & ad mare turbulentum pergit,gratia tamen, & dona à me data ſunt, veluti fons ſurſum ſaliens,& ſcaturiens: nam dona mea ad ſuperiora inuitantia, & perducentia ſuper naturæ vſum ſunt, aqua vero voluptatis ad ima trahit, & in mare tormentum demergit. Ex ſupradictis apertè colliges, cur maiori deſiderio trahamur ad temporalia non poſſeſſa, quam ad ſpiritualia, quod & B. Gregorius confirmat his verbis. *B. Greg homi. 36. ſuper euang.* Hoc diſtat fratres inter delitias corporis, & cordis, quod corporales deliciæ cum non habentur,grane deſiderium in ſe accedunt,cum uero habitæ eduntur,comedentem protinus in faſtidium per ſacietatem vertunt. At contra ſpirituales delitiæ cum non habentur in faſtidio ſunt, cum verò habentur, tanto à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur: in illis appetitus placet, experientia diſplicet, in iſtis verò appetitus vilis eſt, experientia magis placet.

Deſideria ſancta adiuuanda ſunt bonis operibus

MVlti totum ferè tempus vitæ ſuę expendunt in præludijs ac præparamentis, uariiſque deſideriis ingrediendi uiam Dei, ſed cum propè iam ſunt in ianuis,uel reſiliunt, uel ingredi metuunt: ſimiles figuris pictis,qui uidẽtur iam iã ciuitatẽ quandam ingredi, *Simile.* & ſemper in ianuis manẽt immobiles; alia verò figura pedem iam in ſtapeda habet ad conſcendendum equũ,& nunquam aſcendit. Nauis etiam iam erectis uelis, placidoque inſufflante uento apparet picta, & tamen nunquam è portu egreditur, nec maris undas percurrit. Sic multi bona deſideria habẽt, quorum nunquam executionẽ faciunt, de quibus in Pſalmo dicitur. *Pſal. 38.* In imagine pertranſit homo,ac ſi diceret. Quaſi picta imago minatur,ſe magna uelle facere, & nunquam facit,ciuitatem ingredi, & tamen nunquam ingreditur. Omnia ſimulachra ſunt,Ideo ait S. Dauid. *Pſal. 118.* Deduc me Domine in ſemitã mandatorum tuorum,quia ipſam uolui. Vbi in Hebræo habetur. Induc me Domine, ideſt, tu Domine manu potentiæ tuæ me induc in ſemitas mandatorum tuorum, ne deſideriis bonis tantũ contentus ſim. Beatus tamen Auguſtinus quoddam tractatu inquit. *B. Aug. tractatu 4. in epiſt.* Tota vita boni Chriſtiani ſanctum deſideriũ eſt,tantum enim nos exercet ſanctũ deſiderium, quantũ deſideria noſtra amputauerimus ab amore ſæculi,ex inanį quod implendum eſt,bonų implendus es, funde malum. Puta quia melle te uult implere Deus: ſi aceto plenus eſt, ubi pones mel? Dicens uerò hic ſan-

ctus

ctus Doctor, totam vitam boni Chriſtiani eſſe bona deſideria, non propterea opera bona excludit, ſed fundamentum eorum explicat ex bonis enim, & efficacibus deſiderijs bona opera oriri ſolent, ſicut ipſemet alibi teſtatur dicens. Deſiderare auxilium gratię initium gratiæ eſt. Euſebius Emiſſenus agens de ſanctis deſiderijs inquit. Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis, ideſt, vt petamus orando, quæramus laborādo pulſemus deſiderando, pulſemus proficiendo, pulſemus perſeuerando, & in ſpem cæleſtium promiſſionum tāto incitemur ſtudio, tantoque inardeſcamus affectu, vt præmiorum dignitati deſideriorum magnitudo concordet. Non vult Deus noſter bona ſua nimia inueniēdi facilitate uileſcere. Pretioſa, & concupiſcibilis merces cupidū amatorem, & auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum reſpuit indeuotum, lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris. Admirabilis doctrina digna æternæ memoriæ. Non ſunt autem minoris æſtimationis verba, quæ ibidem ait. Ipſa apprehendendi, ipſa conſuetudo proficiendi ſemper nos ad maiora prouocauit, & ubi viderit Deus deuotionem animi, ardentiorem inſinuabit affectum, & quantum nos addiderimus, tantum ille apponet adiutorium, quantum nos appoſuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, & ſuperabundabit. Et alio loco dicit. Poſui adiutorium ſuper potentem. Ergo de gratia naſcitur, ut profectus profectibus ſeruiat, lucra lucris, & merita meritis lucrum faciunt: vt quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur inquirere, vt acquiſitionis lucrū acquirendi nutriat appetitum, & quāto quis auidius de ſapientiæ bonis hauſerit, tanto plus haurire deſideret. Sicut ipſa de ſe ait ſapientia: Qui edit me, adhuc eſuriet. Mirabile eſt audire, quo ardore Saul Dauidem quærebat ad necem. Perſcrutabor, inquit, eum in cūctis millibus Iuda: & quærebat eū ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruię ſunt. Sicut ergo ille ex odio: tu ſimili ſtudio ex amore Deum quęre, & inuenies. Sic eum quærebat Dauid. Pro eo enim, quod nos legimus: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas B. Hieronymus ex Hebræo vertit. Deſiderauit anima meo deſiderare iuſtificationes tuas. Quod perinde eſſe videtur, atque illud, quod penitenti minus dolenti præcipit, vt ui delicet doleat, qđ nō dolet. Siqs minus uehemēter Deū deſideret, cupiat ſaltē deſiderare. Alij aūt uerterūt. Attrita ē anima mea præ deſiderio iuſtificationum tuarum in omni tempore. Quibus uerbis magnam vim deſiderij carnem ipſam attenuantis deſignat. Quāuis autem iuſti iſta temporalia aliquādo deſiderent, primum tamen deſiderant, & quęrunt regnum Dei & iuſtitiā eius, ut ſumma ueritas docuit. Quod patuit in ſancto Patriarcha Iacob, qui poſtquam Dei uiſiones uidit, dixit. Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me per uiam, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad ueſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Vbi uides, quomodo in capite maximum bonum deſiderat, quod ſcilicet Dominus cum illo ſit. Non ſic carnalis homo, qui ante omnia cibum, potum, ac ueſtem plurimam deſiderat, ultimo uero loco tanquam maieſtatis irriſor Deum ſibi propitium, & cuſtodem rogat cum Dominus dicat. Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius.

Beatus Auguſtinus maximis deſideriis flagrabat, cum loquens Deo aiebat. Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, chariſſime trahe me ad ſ..n ē

uiuum,

B. Aug. li. de correct. & gra.

Euſ. Emiſ. homi. 3. ad monachos.

1. Reg. 24.

Pſal. 118.

Mat. 6.

Gen. 28.

B. Aug. li. med. c. 36.

uiuum, ut inde pro captu in eo bibam, vnde ſemper uiuam Deus meus, uita mea: tu enim dixiſti ore tuo ſancto be nedicto. Si quis ſitit veniat ad me & bi bat. Fons uitæ da ſitienti animæ ſemper bibere ex eo, ut ſecundum ſanctam & ueridicam promiſſioné tuam ex uen tre meo fluant aquæ uiuæ, da, quæſo, to to deſiderio, & omni ſtudio tẽdere quò te aſcendiſſe poſt reſurrectionem credimus, ut ibi ſit cor meum, ubi tu es theſaurus meus deſiderabilis, & incom parabilis. In hoc enim magno huius ui tæ diluuio, ubi circundantibus agitamur procellis, & ubi pes columbæ ualet nullatenus requieſcere, nuſquã tuta pax, nuſquam ſecura quies, ubiq; bella, & lites, ubique hoſtes. Aſſumat ergo Domine ſpiritus meus pennas, ut aqui læ ut uolitet, & non deficiat, vſquequo perueniat ad decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Confugit Domine mens mea ſub vmbra alarum tuarum, & ab æſtibus cogitatio num huius ſæculi, ut in tui refrigerij tẽ peramento abſconſa lætabunda cãtet, & dicat In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Deſideratiſſime, amabiliſſime, pulcherrime, quando te uidebo, quando apparebo ante faciem tuam, quando ſatiabor de pulchritudi ne tua, quando educes me de hoc carcere tenebroſo, ut confitear nomine tuo, ita ut deinceps non compungar?

Deſideria ſancta præcipuè in iuſtis reperiuntur.

Exo 33. POſtquàm ſanctus Moyſes uidit, ſe à Deo faueri (dixerat enim illi Deus: Inueniſti gratiam coram me, & te ipſum noui ex nomine) exiſtimauit non æquum eſſe tam bonam occaſionem prætermittere, atque ita conſtituit ab eo beneficia poſtulare, dicens. Oſtende mihi gloriam tuam. Vna ex præcipuis differentijs inter filios Dei, & inter filios huius ſæculi conſiſtit in uariis ac differentibus deſiderijs quæ vtrique habent. Ponamus hic duos homines alterum prædeſtinatum, uidelicet ſanctum Moyſem, & alterum reprobatum, uidelicet Abſalonem, & uidebitis apertiſſimè, quantum differant in deſideriis ſuis. Sanctus Moyſes, quando magis in gratia Dei ſe eſſe uidit, (id eſt *quando ſe vio mas fauorecido de Dios*) inquit. Oſtende mihi glo riam tuam, quaſi dicat. O Domine non poſtulo à te aliquid ex hoc mundo, non enim id cupio, nec meum cor quietum reddit: ſatiabor namque cum apparuerit gloria tua. Contrarium prorſus huius de Abſalone ſcriptum eſt, qui (ut ſacra refert hiſtoria) ſollicitabat corda uirorum, ut regnum patris ſui uſurparet, & ad hoc antelucra batur, & omnes poſſibiles inuentiones, ut ibi apparet, diligentiſſime quærebat. 2. Reg. 15. Magnum ſignum reprobationis eſt inordinata cupiditas imperandi, ſicut etiam magnum ſignum prædeſtinationis eſt efficax deſiderium uidendi Deum. Quod ſi quis dicat, omnes hoc deſiderium habere; ad hoc reſpondeo, quòd boni, & mali differunt in modo deſideriorum: iſti enim habent deſideria inefficacia, illi uero efficacia. Quod ſi quæratis in quo hæc deſideria differant? Ad hoc etiam reſpondeo, quòd in mediis adhibendis: nam improbi licet Deum uidere cupiant, non tamen media neceſſaria adhibent ad executionem illius deſiderij: probi autem ea diligentiſſime adhibent. Qui famem patitur omni diligentia cibum quærit, quem ſi in uno loco non inuenit, illum in alio quærit, nec quieſcit, quouſque eum inueniat. Simile. Sic qui famem, ac deſiderium efficax uidendi Deum habet, non quieſcit donec illum inuenit, ſecus autem ſi fames tepida eſt: unde in Pſalmo ſic dicitur. Beatus uir, qui non

abijt in conſilio impiorum, ſed in lege Domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Sic ſanctus Moyſes ut erat prædeſtinatus diu, noctuque in obſeruatione legis Domini cogitabat. Abſalon uero exemplar ambitionis antelucrabatur, ut uoluntates hominum ad regnandum contra uoluntatem Dei acquireret. Vnuſquiſque ergo manum ponat in pectore ſuo & animo euoluat, quæ nam regnent in anima ſua deſideria, & quæ média ad illorum executionem adhibeat, atque ita conijcere poterit, an in cœlum, an vero in infernum gradiatur. *Pſal. 1.*

Deſideria ſancta cum efficacia eſſe debent.

RES quidem maximè utilis, & fructuoſa eſt, efficatia deſideria ad bene operandum habere: atque ita regius Propheta dixit. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis, ideſt cupit nimis. *Pſal. 111.* Quando anima peruenit ad tantum bonum, ut in ſanctis deſiderijs inflammetur, & uiuax, ac feruida in ſeruitio Dei incedit multum in uia Dei ambulauit, [*tiene andando mucho en el camino del cielo ǵ mucho à ganado, quien à ganado coraçon para las obras de Dios, y deſſeos encendidos.*] Nunquam Deo ſeruitia exhibuiſti uerè, & domum eius uix agnoſcis, & iam uis, ut te in bonis deſiderijs conſtituat? [*Señalaos en ſu ſeruicio, que el os dara buenos deſſeos.*] Ita conſulit Eccleſiaſticus, dicens. *Eccl. 10.* Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto; & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi. O diuina uerba? Dominus ea in noſtris cordibus imprimat, ut per illa gubernemur & tot diuitias, quot hic per ea nobis Spiritus ſanctus promittit, comparemus.

DESPERATIO.

B. Cyril. catheche. 3. BEATVS Cyrillus Hieroſolymitanus inquit. Graue ſcelus non credere ſpem pœnitentiæ: qui non expectat ſalutem temere peccata accumulat: Atqui ſperat medicinam deinceps ſibi temperat, Latro enim, qui non ſperat condonationem, deuenit in contumaciam: *Simile.* qui uero ſperat remiſſionem perſæpe pœnitentiam ſuſcipit. Hanc ſententiam confirmat B. Chryſoſtomus in quadam homilia, dicens. *B Chry. homil. 6. de pœn.* Nihil deſperatione deterius: n quis enim deſperauerit ob peccata; peccans iam non recurrit ad ſanitatem. An non uides medicos, ſi de ſalute ægrotantis diffidant, eum iam non curare? *Simile.* Artis enim induſtriam morbi malitia uincit. Hæc dicunt, qui de ægroti ſalute deſperant: ſi uero ſanitas expectatur, omnia faciunt, ægroto ſalubres afferunt medicinas. Pari modo ſi quis peccatis deſperando ceciderit, quaſi non ſuperſit pœnitenti ſalus, ſe ſe maius in malum ſtimulat. Aliam efficaciſſimam rationem ad deſperationem euitandam idem præclariſſimus, & ſanctiſſimus Doctor his verbis in quadam homilia proponit. *B. Chry. homil. vlt. ad pop. Anti. Simile.* Non eſt tam graue pugnantem vulnerari, ficut poſt uulnus deſperare. Nullus mercator poſtquam naufragium fecit, licet mercimoniam amiſerit, deſtitit nauigare,

uigare, ſed denuò mare pertranſit, & longos pernauigat ſinus, & priſtinas recuperat diuitias. Frequenter athletas cernimus poſt multos lapſus coronatos. Miles quoque qui aliquando fugit, poſtea ſe ſtrenuum exhibet, & hoſtes ſuperat. Eorum quoque multi, qui propter tormentorum pauorem Chriſtum negauerant, denuò certamē inierunt, & cum martyrij receſſere corona. Quod ſi prædictorum quiq; poſt primum uulnus deſperaſſet, ſecundis potitus præmiis nunquam fuiſſet. Idē beatiſſimus Prçſul in quadam homilia ait. Sicut infirmus donec mediocriter habet, aliquam paſſionem, & deſperat ſe poſſe curari, ſeruat ſe a nociuis eſcis: ſi autem intellexerit, ſe inſana bilem iam eſſe, eis non parcit. Sic & homo donec mediocriter peccat, ſperat ſalutem, quantumcunque poteſt obſeruat ſe a malo: ſi autem grauiter peccandi cœperit deſperare, iam nihil dubitat facere, quaſi qui iam peccatis ſuis vincit iudicium Dei.

B.Chry. homi.40. operis imperf.

Deſperatio hominis impij.

Iob 15.

NOn credit, quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circunſpectans undique gladium: dicitur in lib. Iob de homine impio. Quod perinde eſt, ac ſi diceretur, Si quando in calamitates incidat, deſperat de ſalute ſua, & vndique malum timet. Proprium enim eſt hominis iniqui, ut facile deſpondeat animum reſque aduerſas non magno, ſed abiecto animo tolleret: Sic ſanctus Dauid ait: In miſeriis non ſubſiſtent. Cum enim ſubſidijs tantum humanis nitantur illis deſtituti, quo ſe conuertant, neſciunt. Eadem vero tenebrarum metaphora pronuntiauit Iſaias, impios, quò ſe confirment, in aduerſa fortuna non inuenturos, dicens. Aſpiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, lux obtenebrata eſt in caligine eius. Ex quo fit, vt cum nullum poſſit malorum exitum inuenire deſperatione, fractus animus vndiq; gladium, id eſt, malum (ſpecies pro genere) ſibi imminere formidet, cuius rei præclarum ſpecimen fuit tenebræ illæ craſſiſſimę, quę obducta fuerunt Ægyptiis, in quibus tanto perculſi fuerunt timore, ut dicat ſapientia. Vna catena tenebrarum oēs erant colligati. Additur etiā in lib. Iob. Cum ſe mouerit ad quærēdū panem, nouit quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies. Aptiſſimè impiorum hominum ingenium hic deſcribitur, qui quamuis alijs malis opprimantur, dū tamen diuitias, & facultates habeant, cōfidunt, neq; ſpem oēm ſuę ſalutis abijciunt, cum ſpes illi ſuas in fortunis collocatas habeant, ſicut tradit ſapiens in Prouerbiis. Subſtantia diuitis urbs fortitudinis eius, & quaſi murus validus circunſtās eū. Cū verò hac vrbe fuerint expulſi, & is eorū murus corruerit, tunc ſpe ſua deturbati cognoſcunt, ſe miſeriarum tenebris vndique eſſe circunfuſos; & quam grauis eos caſus manebat, intelligunt. Gręci vero, ita totū verſum hūc reddiderunt. Vulturibus pro cibo conſtitutus eſt, ſibique conſcius eſt, quod eū maneat ruina, & tenebroſa dies. Quæ verſio deſcriptiſſimè ſuperiori uerſui contexitur, quo deſperationē hominis iniqui expoſuit: id eſt deſperatè periculis euadere poſſe. Et merito quidem, nam miſera morte mulctabitur, inſepultuſq; iacebit. Sicut Propheta Hieremias de Rege Iochin vaticinatus eſt. Sepultura aſini ſepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Hieruſalē. Deus etiam apud Ezechielem conuiuium inſtruit auibus, & beſtijs ex iniquorū hominum cadaueribus dicēs. Tu fili hominis dic omni uolucri, & vniuerſis auibus, cunctiſq; beſtijs agri. Cōuenite, properate, cōcurrite vndiq; ad victimā meā, quam ego immolo uobis victimam grandē ſuper montes Iſrael, vt comedatis carnem, & bibatis ſanguinem, carnes fortium comedetis, & ſanguinem principum

Pſal. 139.

Iſa. 5.

Sap. 17.

Prou. 10.

Hiere. 22.

Ezec. 39.

terræ bibetis. Et comedetis adipem in ſaturitatem, & bibetis ſanguinem in ebrietatem de uictima, quam ego immolaui uobis. Et ſaturabimini ſuper menſam meam, de equo, & equite forti, de vniuerſis uiris bellatoribus, ait Dominus Deus. O verba ſtupēda. Quis tam ferreus eſt, qui ea audiens timore uon contremiſcit? Sequitur etiam. Terrebit eū tribulatio, & anguſtia uallabit eum, hoc eſt, ita eum miſeria, & mala oppriment, ut ea nullo pacto effugere, aut declinare poſſit, id enim ea ratione dicendi, anguſtia vallabit eū, in ſcriptura ſacra ſignificatur. Facile vero eſt hominē ſceleratum ita malis mergi, & miſeriijs circumueniri, cū ſit valde infirmis præſidiis munitus: uirum autem bonum valde difficile eſt, & fieri non poteſt, licet vehementer nonnunquam ſit oppreſſus, ut deſperet omnino, quoniam eo nititur, de quo dicit Dauid. Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. *Pſal. 90.*

DETRACTIO.

Theologi. in 2. Sen.

SOlēt Theologi Doctores in ſecundo ſententiarum diſputare, vtrū Deus angelos ſupremos ad aliquod opus agendū mittat in mūdum, & concludunt dicentes, ipſum non niſi Angelos inferioris ordinis mittere, præterquā cum ad grauiſſima, & difficillima negotia illos mittere uult, etenim grauius negotium, & maioris ponderis ex omnibus totius mundi fuit negotiū incarnationis uerbi diuini, ad quod Deus exequendū miſit Archangelū. Vbi maxime obſeruandum eſt, ac perpendeudum quod ſi ad negotium tam graue, tantique ponderis, quale fuit incarnatio uerbi diuini Angelus è cælo deſcendit: ad curandam linguam Deus nō cō- *Iſa. 6.* tentus fuit Angelum ſiue Archangelū mittere, ſed quendam Seraph, ut Sanctus Iſaias ad os ſuum purificandum Deum miſiſſe fatetur: nam poſtquā dixit S. Propheta. Vir pollutus labiis ego ſum, ſtatim paulò inferius adiecit. Et uolauit ad me vnus de ſeraphin & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de alrari, & tetigit os meum, & dixit. Ecce tetigi hæc labia tua & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuū mundabitur. Si ergo ad expurgandam, reformandamque linguam tam ſancti uiri, qualis fuit Iſaias, Deus Seraph quendam mittit, quid, obſecro, ad reformādam linguam, & ad mundandum os peruerſi cuiuſque hominis neceſſariū erit? Maxima profecto eſt hæc pondetatio, & argumentum, quo manifeſte probatur pernicioſum ualde, nimiſq; nociuum, ac difficillimum eſſe medicinam, ſeu curationem peccato linguæ adhibere. Eſt autem maxime ponderādū, quod ubi nos legimus, Seraph Prophetæ dixiſſe, Et peccatum tuum mundabitur, in Hebræo eſt, peccatum ſine lege, quoniam detractor erga nullum legem ſeruat, nec uicino, aut amico, aut fratri, aut clerico, ſiue monacho, aut denique patri, aut matri parcit. Quodnam myſterium fuit illud quod Diuus Lucas refert de quodam mu- *Luc. 11.* to: qui cum ſurdus, mutus, ac cæcus eſſet, tamen illum ſacer euangeliſta, mutum ſolummodo fuiſſe commemorat, & Chriſtum Redemptorem noſtrum eum loqui feciſſe, eiuſque linguam ſanaſſe refert, nec mentionem fecit ſurditatis, aut cæcitatis eius? In hoc ſignificatum fuit, quod ex parte operis maius Deus miraculum operatur, quando heminem deprauatæ, ac mordacis linguæ curat, quam cum

aliis

alijs plurimis ægritudinibus medicinã adhibet. Quoniam autem detractionis peccatum tam improbum eſt, ideo à regio Propheta contra detractores maledictio nimis timenda promulgata fuit

Pſal. 30. his uerbis. Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiãt labia doloſa. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Erubeſcent in iudicio Dei, & deducentur in infernum, & muta fient labia doloſa, quę in pœna ſuæ malitiæ non bene confitentur peccata ſua. Quare tam graue malum, tamq́ue grauis pœna ò ſancte Rex his infligenda eſt? Quia loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia ſua, & in abuſione peruerſa maledicent ex linguis ſuis. Aduertendum autem eſt non minimum præſtare impedimentum exquirentibus ueritatem, malorum calumniam, & detractionem, qui ſemper in bonos conuitia iactant, atque eis falſa imponunt crimina, quibus eorum bona fama denigretur, auctoritasq́ue coram hominibus minuatur. Quare in Eccleſiaſtico dicitur. *Eccl. 26.* A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, & collectionem populi (id eſt conſpirationem, vel coniurationem cõmunitatis) & calumniam mendacem. Olim in prouerbio dicebatur. Deus eſt homo homini, hoc eſt, ſicut Deus hominibus neceſſaria prouidet: ita homo homini debet eſſe in adiutorium tamquam alter Deus. Modo autem dicitur. Lupus eſt homo homini, nõ Deus, ſed Diabolus, & Satan, aduerſarius, & calumniator, nõ Deus indigentiis ſuis prouidens, ſed lupus, honorem omniaq́ue bona eius deuorans, ac dilacerans. Quare merito Sanctus Dauid, inquit. *Pſal. 118.* Redime me à calumnijs hominum, ut cuſtodiam mandata tua. Tanquam à tyrannide, quam Domini crudeles ſupra mancipia exercere ſolent, ſic poſcit ſanctus uir ſe redimi, ne impedimento ſibi ſint ad cuſtodienda mandata Dei.

DETRACTORES
quam pernicioſi ſint.

Pſal. 58. PRO eo, quod nos legimus in pſalmo. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum, quoniam quis audiuit? Beatus Hieronymus uertit ex Hebræo. Quaſi nemo audiat. Sic enim ſe gerunt multi non ſolum in loquendi ſed etiam detrahendi licentia, quaſi nullum licentiæ ſuæ: teſtem in cælo formidarent, cum tamen Dominus per Hieremiam Prophetam dicat. *Hiere. 29.* Ego ſum iudex, & teſtis. *Pſal. 140.* Ideo S. Dauid petebat. Pone Domine cuſtodiam ori meo. Vbi alii uerterunt. Cuſtodi oſtium labiorum meorum. Intelligens ergo uir ſanctus, quam difficile ſit linguam coercere, ne de fama detrahas innocentis, ne per iram contumeliam dicas, ne multa uana temerè proferas, quorum omnium homines reddituri ſunt rationem, ut Dominus apud Matthæum minuatur. Quocirca ſemper orandus eſt Dominus, ut linguam noſtram moderetur, ne quid unquam loquamur, quod ad gloriam ipſius, atq; ad aliorum fructum non redũdet. Quã autem deceptus uiuat ille, qui cogitat, ſe propter peccata linguæ non eſſe grauiter puniendum, apertè oſtendunt uerba illa Sapientiæ, ubi ſic dicitur. Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ, & non libe-

ap.1.c. rabit maledictum à labijs, quoniam re num illius teſtis eſt Deus, & linguæ eius auditor. Et in contextu Græco vbi nos legimus. Benignus, habetur amator hominum. Beatus Auguſtinus legit, humanus. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Spiritus ſapientiæ quaſi ſi homo eſſet, ſic homines diligit, cumque talis ſit ei, qui male loquitur, & mordax eſt, minime parcit, quin potius ipſum hic, uel in alia uita punit. Et ubi
Exo.20. nos legimus. Non aſſumes nomẽ Dei tui in uanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra: altera litera habet. Quia non relinquet impunitum, qui male loquitur. Itaque eũ, qui in uanum iurat, non ſolũ Dominus impunitum non relinquet, uerum etiam illum, qui uel unum uerbũ contra proximum ſuum loquitur, puniet. Nõ ſunt tamen à iuſtis timẽdi detractores, quia
Mat.5. ſumma ueritas apud Matthæum dixit.
Iſa 51. Beati eſtis, cum maledixerint uobis homines. Et apud Sanctum Iſaiam ait. Audite me, qui ſcitis iuſtum; nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum non metuatis: ſicut enim ueſtimentum ſic comedet eos uermis, & ſicut lanam ſic deuorabit eos tinea: ſalus autem mea in ſempiternum erit.
B.Hiero. Vnde B. Hierony. in quadam epiſt. dicebat. Gratias ago Deo meo, quia dignus ſum, quem mundus oderit. Videte, obſecro, honores, & dignitates, ob quas uir ſanctus Deo gratias agit, ob iniurias, ſcilicet, in ſe iactas. Non te lædit, qui uult gloriam tuam obſcurare, & uirtutis lucem extinguere, quin
Simile. potius ſe ipſum. Vt enim pyrauſta uolens extinguere lucernã ſe ipſam combuſſit manente integro candelæ lumine, & ſplendore: ſic qui in te contumeliam facit, & uult nomini tuo tetrã maculam inurere, & tuæ gloriæ ſplendorẽ penitus extinguere, ipſe odij & malitiæ incendio flagrat, ac tantum abeſt, lucem obſcuret ut eam potius mirabiliter illuſtret. Dicunt medici infecti omnem, & fœtorem oris procedere ex infectione hepatis, & ſtomachi, ex hepatibus enim, atque ſtomacho corruptis aſcendunt uapores, qui os inficiunt ſic cauſa, ob quamplurimi homines effi æ nati, & detractores ſuorum proximorũ ſunt, ea eſt, quia corrupta, ac peſſima uiſcera, necnon peſtiferum cor habẽt: nam ut ſumma ueritas apud Matthæũ dixit: Ex abundantia cordis os loquitur. In fornace non poſſunt eſſe prunæ incenſæ abſque eo, quòd ſcintillas ex ſe emittant, nec corruptum in ſterquilinio eſt, quin à ſe fœtorem producat. In hunc modum qui uiſcera corrupta habet, uerba corrupta, ac peruerſa loquitur. Aues, quę uiuis carnibus uſcũtur (cuiuſmodi ſunt accipitres, aquilæ, milui, &c.) immundæ in lege habebantur, nec poterant ab Hebræis manducari, aut in ſacrificium offerri. In quo ſignificatum fuit, quod homo, qui alium hominem uiuum comedit, famam eius, atque honorem morſibus dilacerans, immundus eſt coram diuino conſpectu. Quædam detractiones ſunt, quæ alis uolant, quædam uero ſunt quæ ſine pennis: illæ non tam facile cadunt, hæ verò faciliſſimẽ. Quando aliquis de te detrahi, ſefectus tuos, quos verè, & realiter commiſiſti, in medium proferens, hæc detractio eſt, quæ in veritate fundatur, & ideo pennis volat, nec facile cadit, aut à memoria labitur. Cum autem de his, quæ nunquàm commiſiſti detraheris, cum hæc detractio ſit abſque alis, & abſque pennis, ſtatim cadit, & ab hominum memoria labitur: ſicut contigit in falſo teſtimonio, quod in ſanctam Suſannam dictum eſt, de qua in ſacro eloquio dicitur. Erat cor eius habens fiduciam in Domino. Qui in terram promiſſi fuerunt, vt eam explorarent, ipſam laudare cœperunt dicentes, eam nimis fertilem, & abundantem eſſe, ſtatim vero (ut legitur in libro Numerarum) de ipſamet terra, quam explorauerant multa dixerunt inconuenientia, quibus ea bona,

Simile. Mat.12. Simile. Simile. Dan.13. Num.13.

bona, quæ de illa protulerunt. quibus
auditis in Ægyptum plurimi redire de
creuerunt, poſt integrum annum, à quo
per deſertum peregrinabantur. Nam
primus annus fuit, quando Moyſes ex
ploratores miſit. Sic detractores faciũt,
prius enim de aliquo benedicitur, ip-
ſumque laudant, poſtea uerò omne id,
quod dixerant, delere ſolent, plurima
mala, & conuitia in eum proijcientes.
Si quis cognoſcere cupit, & contem-
plari deſiderat alicuius tapetis Flãdren
ſis imagines, & picturas, ipſum euol-
uere, & expandere conatur. Ita ſi optas
ſcire, qua pictura alicuius hominis cor
depictum ſit, cum illo loquere, ut enim
Mat. 12. Dominus ait. Ex abundatia cordis os
loquitur, & verba ſigna ſunt cordis. Si
quis namque ſenſualis, & obſcœnus
eſt, uerba turpia, & obſcœna loquitur:
ſi cupidus, cupida uerba profert: ſi de
nique malitioſus, & detractor eſt, per
os, & linguam eius cor ipſius oſtendi-
tur. Cum bona proximorum noſtrorũ
laudare uolumus, ſemper breues eſſe
ſolemus, cum autem defectus eorum
narramus, nimij ſumus, & pluſquam
Simile. rés in ſe eſt, addimus. Dicunt fuiſſe in
Olimpia urbe Græciæ ædificium quod
dam tali artificio compactum, ut ſi in
eo uerbum alta uoce proferebatur, ſe-
ptem reſonarent. Vnde ortum eſt, ut
Græci illud Hetaphonon, idest, ſepté
uoce appellarent. Sic detractores, dum
alienum errorem proximi ſui referunt
tot addunt, ut pro uno ſeptem comme
morent, ac de uno (ut aiunt) culice, fa
ciant elephantem. Si igitur leges Im-
peratorum præcipiunt occidere illum,
qui alienas diuitias furatur, quare non
erit lex, quæ illum, qui de proximi fa
ma detrahit, grauiſſimè puniat, quip
pe cum hoc maioris ſit ualoris, quàm
alienas facultates rapere? Per leges Im
peratorum prohibitæ ſunt balliſtæ, ne
uidelicet homines ſe adinuicem prodi
toriè interficerent. Tu autem ò prodi-
tor non animaduertis, quod proditoriè
interficis? Quando aliquis alium in fa
cie, & in conſpectu ipſius ignominia,
ac dedecore afficit, poteſt ille, qui in
honoratur, reſpondere, nec eius fama
mortua ac ſepulta manet: at uero quan
do aliquis proditorè & in abſentia de-
trahitur, cum ipſe id audire non poſſit,
fama eius, & honor magis mortuus, ac
ferè conſepultus iacet, nec tam facilè
infamiæ eius remediũ adhiberi poteſt.
Idcirco in Leuitico Deus iubebat. Non Leuit. 19.
maledices ſurdo: Surdus enim cum
non audiat maledictis, & conuitijs in
ſe coniectis nequaquam reſpondere po
teſt. Talis eſt, qui in abſentia diffama-
tur.

Detractores nimis Deo odibiles.

Viri detractores tam odibiles ſunt
quod regnum Dei minimè poſſi
debunt. Audi quid de illis Beatus Pau
lus affirmet in prima apiſtola ad Cor-
inthios. Nec malidici, nec rapaces re 1. ad Co. 6.
gnus Dei poſſidebunt. Aliquando au-
tem grauius offendunt animos audito-
rum, qui aliena flagitia apertè narrant,
quam qui committunt, & ſæpè numé
ro accidit, ut qui alios maledicentia
laceſſant, ipſi grauioribus madeant
uitijs. Ait Salomon in Prouerbijs. Re- Prou. 4. c.
moue à te os prauum, & detrahentiã
labia ſint procul à te. Viri detractores
à ſeptuaginta interpretibus latrones
appellantur: unde ubi apud Ezechielẽ
noſtra habet: Andres Leſtæi, hoc eſt, Ezec. 32.
uiri latrones, & merito tali nomine
nuncupandi ſunt. Qui enim de aliorũ
uita detrahunt, eorum famam deripi
unt, & latrones ſunt multo peſtilentio
ores ijs, qui diuitias rapiunt, quo enim
fama nobilior eſt opibus, & diuitijs,
tanto perniciofiores ſunt latrones fa-
mæ, quam pecuniæ. Detractoribus nul
la aliorum facta grata ſunt, maledictis,
& uocibus querelarum plenis viros iu-
ſtos, & iniuſtos nullo habito diſcrimi
ne uiolant, aliorumque uitam repre-
hendentes ſuam haud quaquàm curãt.
Vt gallina dum roſtri ictu domus pauí

Simile. mentum ſordibus inquinatum ſcuruta tur eſcam quærens, ſi adamantem, aut ſmaragdum, aut gemmã aliam pretioſam reperit, reijcit, & contemnit: ſi autem inuenit uermiculum, aut uile milij granum illud læta eligit, & accipit. Sic detractor uitas aliorum inquirit, & inueſtigat, ſi eorum præclara opera reperit ſilentio pertranſit, reijcit contemnit: ſint autem inuenit flagitiũ aliquod, aut erratum, quanuis leue, ei inquirẽti occurit, illud accipit geſtiẽs, ut eius autorem uocibus vulneret, & lædat.

Detractores ad inſtar maris mortui ſalſedine, & amaritudine pleni uitam in aliorum vituperationẽ traducunt. Nulla enim in eorum ore eſt dulcedo, nulla ſuauitas. Hæ ſunt immundæ, limoſæque paludes, quarum aquæ non dulceſcunt, vt propheta Ezechiel his verbis teſtatur. In littoribus autẽ eius. *Ezec. 47.* & in paluſtrib. nõſanabuntur. Et quoniam hi impij, & maledici homines finem infœliciſſimum habere ſolent, addit ſanctus vir. Quia in ſalinas dabuntur, hoc eſt, reſeruabuntur ad ſolis condimentum, vt nos miſerum eorum excidum intuentes ſale prudentiæ condiamur. Eam etiam ob cauſam arbitrantur multi fuiſſe vxorem Loth non in lignum, aut lapidem, ſed in ſalem conuerſam.

Detractio ſeu detractores à ſanctis doctoribus execrantur.

Beatus Chryſoſtomus de detractione diſſerens inquit. Quem admodum ſi inſles ſcintillam ignis, ex citas incendium, contra vero ſi ſpuas extinguis; utrumque tibi in manu eſt, quoniam vtrumq; ex ore tuo proficiſcitur. Idem fit, ſi conuitijs aſperſeris proximum, ipſum ſcandeſcere facies: ſi uero mites, & blandos ingeras ſermones, omnem iram extingues. *B. Chry. homi. quod periculo'um ſit adire ſpectacula.*

De detractoribus dicitur in pſalmo. Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Cum ergo lingua detractoris ſagittæ comparetur, ſequitur, eleganter B. Hieronymum in epiſtola ad Ruſticum monachum dixiſſe. Sicut ſagitta ſi mittantur contra duram materiam nonnũquam in mittentem reuertitur, & vulnerat eum, illudque completur: Facti ſunt mihi in arcum prauum. Et alibi, qui mittit in altum lapidem, recidet in caput eius: ita detractor cum triſtem faciem uiderit audientis imo ne audientis quidem, ſed obturantis aures ſuas, ne audiat iudicium ſãguinis illico contriſtecit, pallet uultus, hærent labia, lingua ſiccatur. Et idem ſanctiſſimus Doctor alibi inquit. Falſus rumor cito opprimitur, & uita poſterior indicat de priori. Fieri quidem non poteſt, ut abſque morſu hominum uitæ huius curricula, quis petranſeat, malorumque ſolatium eſt, bonos carpere dum peccantium multitudine putant culpã minui peccatorum. Sed tamen cito ignis ſtipulæ conquieſcit, & exundans flamma deficientibus nutrimenti paulatim emoritur. Si anno præterito fama mentita eſt, aut certè ſi uerum dixit, ceſſet uitium, & ceſſabit rumor. Plutarcus etiam ait. Iaculum ſi in ſolidnm aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur: ita conuitinm in fortem & conſtantem uirum tortum, recidit in conuitium facientem. Et ibidem inquit. Abſurdum exiſtimant opprobrare cuipiam corporis uitium à quo non ſis ipſe immunis, at multo magis ridiculum eſt, animi uitium in alterum conijcere, quod in te recidat. Et rurſus ait. Vt ſi uel inimicus oſtendat lutum adhærens ueſti, non reijcis in illum, ſed abſtergis: ita ſi quis oſtendat maculam uitæ non regerendum eſt conuitium, ſed abſtergenda labes.

Iſa. 57. B. Hieron. ad Ruſticũ monachũ. Simile. Pſal 77. Eccl. 27. B. Hieron. in epiſt. ad Euriam. Plu. in moralib. Simile.

Detractio ſeu detractores.

In Eccleſiaſtico dicitur. Lingua imprudẽtis ſubuerſio eſt ipſius. Lingua *Eccl. 5.*

ex

B. Chry. homil. 9. de pæn. ex una parte (ut Beatus Chryſoſtomus perdendit) eſt excellens quidam homi nis ſenſus, qui ipſum plurimum ador nat, & à brutis animantibus differre facit, quod alij ſenſus non efficiunt, *pues ſe comunican con el en ellos*. Oculis enim tam clarè immo & perſpicacius uident bruta animãtiam quam homo, & ſic de auribus atque alijs ſenſibus di cendum eſt: at in lingua ab alijs ani mantibus duntaxat differentiatur, cum illa enim loquitur, atque excellentes profert rationes, quod bruta non præ ſtant. Ex alia uerò parte lingua nimis periculoſa res eſt, niſi an ſit prudentiæ frænum, quod ipſam refrænet, & ducat. Quapropter animaduerte ò homo, & attentè conſidera quomodo loquaris, & de proximo tuo ne detrahas.

DEVOTIO.

Pſal. 124. ANIMA mea ſicut terra ſine aqua tibi, inquit Regius uates ſentiens, & intelligens ſiccitatem atque ſterilitatẽ cor dis ſui. Aqua deuotio eſt, quæ in terram cordis noſtri effuſa omnes uirtutum plantas rigat. Eius enim munus eſt ad omnia Dei obſequia, & uirtutum officia, alacrem hominem reddere. Quare quemadmodũ horto arboribus conſito, prima cura eſt ad eas irrigandas puteum fodere, aut aliunde aquam deriuare, ne labor omnis irritus ſit. Ita quiſquis uirtutum plantas excolere ardenti deſiderio cupit, deuotionis quoque exercitia colere debet, quibus uirtutum plãtas alat, atque ſuſtentet. Deuotio enim cupiditatum noſtrarum incendium temperat, uires carnis debilitat, robur, ac fortitudinẽ tribuit, ſancta deſideria acuit intellectum illuminat ſpiritualem læti tiam auget, qua dilatatum cor diuino norum mandatorum celeriter uiam currit.

Deuotio.

QVam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis, inquit ſponſus loquens cum ſponſa in Canticis. Pedes calceatos, ſiue greſſus ſcripturarum more, affectuum promptitudinem circa cœleſtia, & ſpiritualia ſignificant. Pes enim pro deſiderio, & uoluntate cordis uſurpatur. Vt in Pſalmo orabat Regius vates dicens. Non ueniat mihi pes ſuperbiæ: ideſt, affectus arrogantiæ: ne de mea iuſtitia, ſapientia, uiribus, arbitrioque præſumam: ne exiſtimem, me aliquid eſſe cũ nihil ſim: ex quo non inuenio in carne mea bonum, ut B. Paulus inquit. Ergo quoniam ſcripturarum more pedes affectus noſtri animi ſignificant, ſponſus ſponſæ affectus ſignificans, quoniã pedibus incedimus inquit, Quã pulchri ſunt greſſus ſui. Rapitur autem noſter animus his affectibus, perpetuoque agitur, & impellitur, ut nuſquam illum conquieſcere patiantur, neque ſinant uno in loco conſiſtere. Quo fit, ut neceſſario humana mens, uel rerum uiſibilium cupiditate incenſa, res perituras ſectetur, uel diuinarum ſtudio inflammata ad ſpiritualia, & cæleſtia cõ nitatur. Diuina Philoſophia ſolet incitare noſtros omnium animos, & excutere deſidiam, ut noſtri animi perennem motum expeditumque curſum ad res cæleſtes, æternas, ac nunquam perituras reuocemus. Solet autem diui num uerbum promptitudinem iſtam noſtri animi, & curſum expeditum, & agilem calcei nomine ſignificare: ita ut cal-

Cant. 7. Pſal. 35. Ad Ro. 7.

calceatos habere pedes, ſit idem, quod promptum, & deuotum habere animum, & expeditum ad aliquid boni operis agendum. Vnde Beatus Paulus *AdEph.8.* ad Epheſios Chriſtianum hominem in campum veluti producit cum dæmone dimicaturum. Poſtquam autem ipſum hortatur, ut ſtet accinctus lumbis, ne ſcilicet, diſſolutus diffluat concupiſcentiis: poſtquam induit thoracẽ iuſtitiæ, ut ſit pectore undique munitus: tãdem ſubiecit; calceati pedes in præparationem Euangelii pacis. Quo tropo ſiue figura loquendi Sanctus Apoſtolus Chriſtianum militem hortatur, vt prompto, & deuoto animo, paratoque ſit ad exitum dimicaturus cum hoſte: quia pedes affectus ſignificant, ſolentque iter arrepturi pedes calceare, ut expeditius, facilius, & ſuauius deambulent. Quod antem calciati pedes huius promptitudinis ſymbolum ſint, ſanctus Iſaias eadem proprietate utens inquit. Quam pulchri ſuper montes pedes Euangelizantium bona, &c. Ex *Iſa.25.* his, quæ diximus, liceat colligere, quid ſponſus in ſponſa chariſſima collaudat, cum pulchros appellat pedes, ſed greſſus in calciamentis: quia promptiſſimos motus, & expeditos ad ſectandũ cæleſtia, & ad explenda diuina mandata. Conſtat diuini uerbi reuelatione ſponſum iſtam, animi promptitudinẽ ad bonum, & agilitatem expeditionẽ, & deuotionem uehementer amare, & lentum inceſſum faſtidire. Beatus Paulus ſpiritalis hominis uitam, curſum appellat diuerſis in locis: ut intelligas Chriſtiano homini, & ei, qui uelit ab ſponſo laudari, currendum potius, quã eundum: uerbo enim currendi eãdem ipſam promptitudinem & agiles ac deuotos motus ſignificat. Ad Corinthios enim ait: Sic currite, ut comprehendatis. Ego enim ſic curro non quaſi in incertum. Quoniam inquit concito gradu ad dinina preperandum eſt, currite quoniam nobis magna, & mirabilia promiſſa ſunt. Currite, ut comprehendatis: hoc eſt, motus iſtos ueſtri animi agilitate deuotione, & uelocitate reuocate à rebus, & ad apprehenſionem æternæ fœlicitatis traducite.

DEVS VNVS
& Trinus.

DEVS nomen eſt non perſonæ, ſed maieſtatis & magnificentiæ, nonnunquam nomen patris adiicitur, ne quis audita Dei appellatione, quod & maieſtatis nomen eſt, trepidet coram illo, ſed quo potius prouocetur ad accedendum ad Deum, quẽ audit patrem, & patrem ſuum. Cum ergo Deum nominari audimus, intelligimus fontem omnis boni non inexorabilem, ſed ſic largum, ac ſui prodigũ, ut ab omnibus auferri, teneri, poſſiderique gaudeat, ac ſecũdum iſta ſic ſemper ad opitulandum accinctum, ut ubique ſuccurrat, nuſquam cunctetur. Vnde Deon Græci eum uocarunt ab accurrendo, quod ubique, dum opus ſit, accurrat, adſit, opem ferat. Vnde antiquitas nihil aliud exiſtimabat Deum, quam prodeſſe mortalibus. Atque ita frugum, & uini inuentores legumque authores, & quicunque ad uitæ cõmodum aliquid attuliſſent, dii uocabantur. Quamuis autem uaria iuxta operatio-

tionem,& uirtutem uariam ſint nomina,res tamen una eſt Deus,qui eſt Dominus Saluator,robur,uita,lux, pater bonorum omnium,largus, beneuolus, gratis diſtrahi cupiens.Hæc omnia intelligimus, cum Deum nominamus. Vnde Beatus Dionyſius libro de myſtica Theologia ait.Solenne eſt Deum dici inuiſibilem, cum ſit lux clariſſima: eum,qui multis inſignitur nominibus diei ineffabilem. Attribuuntur ergo ei priuationes, ut habituum excellentiã demonſtrent. Quando autem Moyſes Dominum interrogauit, quo nomine uocaretur,reſpõdit. Ego ſum,qui ſum. In Hebræo autem habetur. Ego ero, qui ero.Dei naturam exprimit,nempe quod æternus ſit, & nunquam deſiturus, & non qui ex alio, ut cætera oĩa, ſed à ſe ipſo ſit:atq; ſic ſit, qđ niſi eſſet, nihil eſſel, atq; omnia collaberentur. Quamuis autem addidit inferius. Dices filiis Iſrael.Deus Abrahã, & Deus Iſaac,& Deus Iacob miſit me ad uos: Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generatione, & generationem. Non tantum Abrahæ Iſaac,& IacobDeus eſſe uult,& omnis ſufficientia, ſed & ſemini eorum, hoc eſt,omnibus,qui eorum fidem, & charitatem habent. Nõ enim ſatis eſt, aut ſcire, aut credere Deu talem eſſe, niſi etiam & credas,eum tibi talem eſſe,id eſt,ut Deus tuus ſit. Hoc uero tũ ſit,cum eum uerè colis,amas, ſi ab eo totus pendes. Sicut autem tetragrammaton Hebræi ab eſſendo ſumptum aiunt, quo uidelicet Deum intelligunt eſſe rerum omnium eſſe, quippe ſolus ſit:ſic Latini,& Græci per Dei nomen ſummum nomen intelligũt,quod ſummum eſſe nequit, niſi ſumma eſſentia ſit:quando uero Deus Deorum, & dominus dominorum nuncupatur nihil alium uult his uerbis Spiritus ſanctus, quam in illo ſolo cõfitendum eſſe.Dominus dominorum dicitur, ut præter eum nihil timeas,nam ipſe faciat mirabilia ſolus,ne tu cogites, te tuam ſalutem tuis tantum operibus cõſequi poſſe.Hic uero incomprehenſibilis, infinitus,& omnipotens Deus unus, & trinus eſt, unus in eſſentia, & trinus in perſonis.

B.Dion.lib. de myſtica Theol.c.6.

Exod.6.

Eſt autem ualde notandum, Deum in hoc altiſſimo myſterio Trinitatis primas literas ueteris teſtamenti incepiſſe, & poſtrema uerba ſacroſancti Euangelii finiuiſſe.Itaque in principio ſacræ ſcripturæ,& in fine ſancti Euangelii altiſſimum beatiſſimæ Trinitatis myſterium agitur.In quo aperte ſignificatum fuit,hoc eſſe totius noſtri boni principium,atque finem. Prima uerba Geneſis hæc ſunt.In principio creauit,Deus cælum,& terram.Et paulò inferius,& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.In hoc nomine Deus, aperte nobis deſignatur Pater:in uerbo autem principio ſignificatur filius: ſic enim Chriſtus Redemptor noſter apud Diuum Ioannem uocatur. Vbi interrogatus à Iudæis quis eſſet? Reſpondit, Principium, qui & loquor uobis. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Sum Deus humanatus. Vt autem omnis dubitatio auferretur,uerſio Chaldaica (quæ antiquiſſima eſt &apud Hebræos irrefragabilis fidei & auctoritatis) pro principio poſuit filium,dicens: In filio creauit Deus cœlum,& terram. Porrò in uerbo,ſpiritus, clarè nobis Spiritus ſanctus inſinuatur, qui uirtutem præſtabat uiuificabat,& fœcundabat materiam primam.Hoc confirmat Thargus Hieroſolymitanus,qui ita uertit. Spiritus miſericordiarum,ſiue gratiæ flabat ſuper faciem aquarum. Et B. Auguſtinus inquit. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Quemadmodum auis, quæ ouis incubat, & pectus ſupra illa ponit, ac ipſa uiuificans ſuo calore ita fouet ut ex re mortua,qualis eſt ouum, res uiua qualis eſt pullus educatur.Sic Spiritus ſanctus ſuper illam informem maſſam ferebatur uitam, pulchritudinem, & ſubſtantiam omnibus rebus ſuæ infinitæ potentiæ calore præbens,

Gen.1.

Ioan.8.

bens, & faciens illas tranſire ex illo nebuloſo, & confuſo eſſe, quod habebant ad diſtinctum eſſe, atque ſpecificum, quod nunc retinent. Hoc manifeſte oſtendit uerbum Hebræũ, quod vbi nos legimus, ferebatur, taliter ponitur, vt ſignificet (andar empollando ſicut aues ouis ſuis, ut pullos educant, eiſque ui tam præſtent incubare ſolent. Ecce igitur qualiter in initio ſacrarum literarum ineffabile ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium oſtenditur. De quo etiam in fine ſancti Euangelij manifeſtè agitur: nam D. Matthæus in ultimis ſui Euangelij verbis refert qualiter Chriſtus Redemptor noſter poſtquã à mortuis reſurrexit, ſuis ſacris diſcipulis apparuit, eiſque inter alia hæc uerba protulit. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Apertiſſima huius ineffabilis ueritatis figura fuit id, quod Hebræi, & Nicolaus Lyranus Patriarchæ Iacob contigiſſe teſtantur, qui cum in Meſopotamiam pergeret in monte Bethel ſomnum capere uolẽs tres lapide capiti ſuo ſuppoſuit, uiditque in ſomnijs ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: poſtquam autem ex ſomno euigilauit, uididit tres illos lapides in unum connectos. Illud autem uerbum, quod per Iſaiam dicitur: Non à principio in abſcondito loquutus ſum ex tempore, antequam fieret, & nunc Deus meus miſit me, & ſpiritus eius, ſatis apertè myſterium Trinitatis, & incarnationis oſtendit, quaſi dicat. Ego Deus nullã uobis legem dedi in montem Sinai, in occulto plane locutus ſum, & ibi eram cũ Patre, & Spiritu ſancto in legiſlatione; ſed quoniam lex non erat duratura niſi uſque ad euangelium, ideo nunc miſit me Pater, & Spiritus ſanctus, ut uos euãgelium doceam. Vbi manifeſte uides tres diuinas perſonas, quarum ſecunda fuit à Patre & Spiritu ſancto in orbem terrarum miſſa. De hoc incomprehenſibili myſterio loquens Ricardus inquit. Vtinam Iudæi attenderent, utinam attenderent pagani cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere, non ne cum omni fiducia Deo dicere poterimus. Domine ſi error eſt à te ipſo decepti ſumus? Nam iſta tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non, niſi per te, fieri poſſunt, & certè à ſummæ ſanctitatis uiris ſunt nobis tradita cum ſumma, & authentica atteſtatione probata te ipſo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Hæc uerba quodcunque cor quamuis ferreum adamantinum, ac rebelle ſit, poſſunt efficaciſſimè quietum reddere, ac ſedare, ne rationes, quærere & inueſtigare uelit, quibus altiſſima Dei noſtri myſteria conuincat. Nam (ut Beatus Gregorius quadam homilia inquit) diuina operatio, ſi ratione comprehenditur non eſt admirabilis, nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum. Vnde idem ſanctus Doctor alio in loco ait. Tunc uere aliquid de Deo cognoſcimus, cum aliquid de illo cognoſci non poſſe ſentimus. Et Beatus Dionyſius inquit. Arcanum diuinitatis quod omnes intellectus tranſcendit, ſacris animi uenerationibus, & ineffabili, & caſto honoremus ſilentio. O uerba tanto uiro digna, in quibus humilitas iuſtorum inſinuatur. Quando fluuius inundat, & extra ripas exit, ſi quis illum traiicere uult admonetur ab illis, qui ipſum uident, ne tranſeat, eique dicunt. Caue ne flumen aggrediaris, ab ipſo enim ſine dubio rapieris, ille autem reſpondet. Fortiſſimum, & magnanimum equum habeo, ideo nihil pertimeſco: atque ita flumen audaciter aggreditur, quem paulo poſtea ſuper aquam ſuffocatum uides. Alius autem ſimiliter flumen tranſire uolens adeſt, & inquit. Ego equum non habeo ſed ualidiſſimi mihi pedes ſunt, ac brachia, & quamuis ei dicatur. Heus caue, ne tranſeas, ſine dubio enim in profundum

dum demergeris, ipſe nihilominus cō-ſilium accipere contemnens flumen aggreditur, & ſic etiam ſuffocatur. Tandem adeſt alius tertius, qui nec equum haber, nec pedes ad natandum, atque ita ſuis uiribus deſidens cymbam traiectitiam expectat, in qua ſecurus flumē tranſit. Ingens flumen eſt ſanctiſſimæ Trinitatis myſteriū: ille, qui equo ſuo confidens in profundum demergitur, eſt Philoſophus, qui ſuo intellectu altiſſimum hoc myſterium uadare contendit, ac tandem ſua infidelitate perit. Qui autem in pedibus, & manibus ſuis fiduciam habet, exiſtimatque natando ſe poſſe tranſire, eſt hæreticus, qui rationibus naturalibus uult altiſſima Dei myſteria comprehendere ac penetrare, & ſic infœliciter ſubmergitur. De utroque intelligi poteſt quod

Pſal. 146. ſanctus Dauid ait ſcilicet. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit (uidelicet Deus) nec in tibiis uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. Quis igitur eſt, qui ſaluatur? Chriſtianus, qui in fidei cimba plenus timore, & magna cum humilitate cordis in Domino confidens tranſit.

Deus vnus & trinus.

GEntes abſque fide illuſtratæ naturali lumine aſſeruerūt Deum omnia uidere. Ideo Hieroglyphi uolētes ſignificare Deum pingebant ſceptrum rectum, & erectum cum oculo ſupra omnia circunſpiciente, innuentes, (ut ait B. Cyrillus) Deum eſſe iuſtum, & rectum, cum oculo ſupra omnia circunſpicientem, illiuſque nutu omnia gubernari. Per baculum rectū intelligebant regiam dignitatem, & rectam iuſtitiam, nulloque modo poſſe diuinam naturam labefactari, per oculum uerò diuinam prouidentiam deſignabant. Immo Deus appellatur græcè Theos, à uerbo. Theaome, quod eſt uidere, & ſpectare, quaſi omnia perſpiciens. Quo fit, ut Thea ſignificet uiſionem. Homines à ueri Dei cultu alienati hoc ſciebant; multi autem Chriſtiani diuinæ legis lacte enutriti illud ignorant, uel ita uiuunt, tanquam ſi hoc ignorarent.

B. Cyril. li. 9. aduerſus Iul.

Maxime aduertendum eſt, quod ubi nos legimus in libro Iob: tunc uidebis, quod in facie benedicat tibi, Chaldæus interpres faciem Dei, uerbum eius, filium Dei appellare uidetur. Vertit enim. Si non in faciem uerbi tui irritabit te. Ita etiam Zacharias in carmine illum nominare uidetur dicens. Tu puer propheta altiſſimi uocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare uias eius. Et B. Paulus eum uocat ſplendorem gloriæ, & figuram ſubſtantiæ Dei. Quare cū Iudæi magnam habeant fidem Chaldæo interpreti aptus hic locus apparet ad eis beatiſſimam Trinitatem probandum. *Iob 1.* *Luc. 1.* *Ad Heb. 1*

De nomine Dei Elohim, & quomodo per illud beatiſſima Trinitas inſinuatur.

CVm ad comprobandum diuinæ Trinitatis myſterium efficax ſit huius diuini nominis Elohim explanatio operæ pretium erit, illud explanare. Elohim ut notum eſt omnibus, qui Hebraicam linguam callēt, plurale eſt nomen; Et id, quod Dii apud nos ſignificat. Cuius ſingulare eſt el, id eſt, Deus. Hoc igitur nomen Elohim, & ſi pluralitatem deſignet: cum uerbo tamen ſingularis numeri iungi ſolet, quoties in ſcriptura ſacra pro Deo uero accipitur, ut eſt illud in libri Geneſis principio. In principio creauit Elohim, hoc eſt, Dii cælum, & terram. Vbi igitur noſtra tam Græca quam Latina editio, Deus habet, Hebraica Lectio, Dii, dicit. Quod quidem abſque grandi myſterio factum non eſt: quia enim iuxta Diui Auguſtini ſententiam opera Trinitatis indiuiſa ſunt ad extra, idcirco *Gen. 1.*

Moy-

Moyſes ſanctus ad inſinuandum omnes tres perſonas diuinas, patrem, & filium, & Spiritum ſanctum ſimul ad mundi creationem concurriſſe. Elohim, id eſt, Dii in plurali dixit, Et non Eloha, ſiue el, quod idem eſt, hoc eſt Deus in ſingulari, Ad oſtendendum autem tres illas perſonas eſſentialiter nõ diſtingui, ſed idem omnino eſſe, hoc eſt, unum Deum eſſe, & non tres Deos, Bara, id eſt creauit in ſingulari dixit, & non, Bareu, id eſt creauerunt in plurali. Conſtat igitur per nomen Elohim cum uerbo ſingularis numeri iunctum, & perſonarum Trinitatem, & eſſentiæ diuinæ unitatem optime deſignari. Iudæi autem recentiores cum textũ hũc minime negare poſſint, ipſum falſa quadam expoſitione peruertere conantur. Dicunt enim quod & ſi nomẽ hoc, Elohim plurale ſit indifferenter tamẽ ſingulariter, & pluraliter accipi ſolet: & quãdo pro uero Deo accipitur, ſemper ſingulariter, & non pluraliter tenetur: Et ſic illud hic teneri aiunt: cum dicitur: In principio creauit Elohim: unde concludunt, quod cum Elohim, hoc loco non pluraliter, ſed ſingulariter teneatur, nequaquam nos inde inferre poſſumus, per ipſum perſonarum Trinitatem inſinuari. Sed hæc fortaſſe Hebraicarum literarum ignaris dicere poſſent, non autem ijs, qui earum penitus non carent cognitione. Doctiſſimi ergo uiri, qui illarum non ſunt expertes, & per Hebraicos ſacræ ſcripturæ textus, & per eorum doctores, falſo textum hunc eos exponere euidentiſſimè probant. Vt uidere eſt apud doctiſſimum Galatinum libro. 2. capitulo

Gal. lib. 2. c 9. 9. Quod autem de loco illo. In principio creauit Deus cælum, & terram, di-

Gen. 11. ximus, dicendum eſt etiam de illo loco eiuſdem libri, ſcilicet. Deſcendamus, & confundamus labia eorum. Quoniam ſtatim dicitur ibidem: Et deſcendit Dominus ad uidendum ciuitatem, & turrim. Et ubi ſcriptum eſt in

Gen. 31. Geneſi, quia ibi apparuerunt ei Dij, ibidem quoque legitur: Et fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi. Alia quoque multa, præter iſta, in ſacris literis comperiuntur loca, in quibus & nomen Elohim, & alia quædam nomina de Deo dicta, pluraliter ponuntur. Quem quidem de Deo loquendi modum nullus interpretum tranſtulit, cum ualde incongruus uideretur. Idcirco tamen (ut arbitror) illa priſcorum ſcriptura hunc modum admiſit loquẽdi de Deo in plurali, ut recentiorum Iudæorum pluralitatem diuinarum perſonarum negantium fortius conuinceretur impietas.

Cum de beatiſſima Trinitate agitur (ut cum reuerentia maxima, & timore loquamur) poterimus appoſitiſſimam ſimilitudinem beati Ioannis Chryſoſtomi adducere, dicentis in quadam homilia. Sit flumen, immo ſint flumina, non ſint æqualis omnia profunditatis, ſed alia minus, alia maius habent profundũ, & quod ſuffocare ignaros poſſit: hic undarum uertices ſunt, ibi nõ ſunt. Nolle omnia æquè tentare prudentiæ fuerit: Profundaque omnia ſcire nolle ſcientiæ non paruum argumentum eſt: ſicut qui omnes fluuij partes æquè trãſire uult hic maximè fluminũ proprietates ignorat, & ſæpe dum nimis præſumit ſecreta penetrare omiſſis planioribus locis, perit temeritate ſua: ita & in Deo, qui ſcire omnia uult & cuncta improba temeritate rimari, hic, quis ſit Deus, ignorat. Quemadmodum igitur in fluminibus minor pars tuta eſt multique ſunt fluctus, atque profunda: ita in Deo pars maior occulta eſt, nec inueſtigari poterunt opera eius quanto minus pfectiones eius & proprietates?

B.Chry. homi. 8. in 2. ad Tim. Simile.

Ex hortatio pro myſterio beatiſſimè Trinitatis.

QVi profundum fluuium, & periculoſum pedes tranſiturus eſt, multa imprimis ſolet cauere. Primum non

ſe

ſe proijcit temerè in aquas, ſed pede-
tentim cum multo timore, & prouidé
tia pertranſit. Secundo non fidens ſoli
uiſui baculum, quo metiatur altitudi-
Ezec. 47. nem aquarum aſſumit, quo etiam greſ
ſus regat, ne fortè ſouea occulta, & la-
tenti mergatur. In Ezechiele legimus
fluuium quendam ampliſſimum de tē
plo egredientem, per quem angelus
prophetam deducebat, & menſus eſt
mille cubitis, & traduxit uſque ad ge-
nua; & rurſus menſus eſt mille, & tra-
duxit illum uſque ad renes, & menſus
eſt mille torrentem; quem non potuit
tranſire, quoniam intumuerunt maxi-
mo quidem opere aquæ torrentis. Tor
rens iſte, qui exiuit de templo, id eſt, de
pectore ſaluatoris noſtri ſacra doctri-
na eſt, in quo inſunt quædam facilia,
de moribus & de uirtutibus, de uitijs,
& de peccatis: quædam profundiora,
de creatione, de gubernatione & de
prouidentia Dei, quædam adhuc pro-
fundiora, & altiora, de myſterijs Redē
ptionis, & de figuris eorum: quædam
profundiſſima, altiſſima, impertranſi
bilia, quale eſt hoc altiſſimum myſte-
rium de quo tractare debemus. In hoc
lacu profundiſſimo multi periclitati
ſunt: in hoc perijt Arrius, in hoc Sebel
lius, Manichæus, Photinus, & innume
ri hæretici perierunt: quia incautè in-
trauerunt. In hoc pelago magnæ ſuſci
tatę ſunt tēpeſtates in ſancta eccleſia
adeo ut nauicula Petri ualdè periclita-
ta fuerit. In eo ergo nobis ſenſim, &
pedetentim intremus, non temerè nos
proijsciamus ſicut illi: nam ſcrutator
maieſtatis opprimetur à gloria, ſicut
qui nimis attentè reſpicit ſolem non il
Prou. 25. luminatur, ſed cæcatur. Cum baculo
etiam fidei intremus, qui præcedat nos
ne fidamus uiſui noſtro, fides pręcedat,
ratio ſequatur magna quippe ſtultitia
eſt uelle myſteria fidei ratione compre
hendere. O cæca ſuperbia, ut uilis uer
miculus, & formica de terra uaſculo
modico ſui intellectus Oceanum diui-
nitatis uelit concludere, & pugillo com
prehendere vniuerſitatis authorem.
Quæ in proſpectu ſunt uidemus cum
labore: ait Sapiens, quæ in cælis ſunt
quis inueſtigauit? A principio mundi
grande fuit hominibus deſiderium eſſe *Sap. 9.*
primum illud principium & rerum om-
nium conditorem quem uocamus De-
um, qualis ſit, cuius ſit conditionis, &
naturæ, & merito. Quid enim optabi-
lius homini, quam noſſe artificem om
nium, & conditorem? O pictor no-
ſter, ò artifex mundi, omnia tua opera
corporalia obiecisti nobis, & te ipſum
abſcondiſti. Vnde neque eſt, aut un-
quam fuit gens adeò barbara quæ non
haberet, & coleret Deum aliquem,
quoniam Deum eſſe omnis gens agno-
ſcit, quaſi hanc ueritatem ipſa natura
monſtrante. Sed qualis ſi iſte Deus hoc
arcanum ſecretiſſimum eſt. O quantū
in hoc inquirendo, & inueſtigando illi
antiqui Philoſophi, & ſapientes deſu-
darunt, ſed fruſtra defecerunt ſcrutan-
tes ſcrutinio. O bone Ieſu, quantas, *Pſal. 63.*
& quàm ridiculas inſanias de Deo ſen
ſerunt, & docuerunt, & ut unū de mul-
tis dicam, quid puerilius, quam pone-
re tot Deos pro ſegetibus ſolum, ſicut
ponebat populus ille Romanus, qui
omnibus imperabat? Scilicet Sciam,
Segetam, Proſerpinam, Nodotum, Vo
lotinam, Patlenam, Hoſtilinam, Florā,
Lacturtiam, Matutam, Runcinam, Tu-
tilinam. Quaſi non potuerint unū Deū
inuenire, cui ſemel ſegetes commenda
rent, partitis muneribus uni ſata com-
mendabant, & committebant, alij ſege
tem prodeuntem, alij creſcentia germi
na, alii nodos, alii folliculos, alii ſpicā
patentem, æquantem, alii florentē, alii
lacteſcentem, alii matureſcentem, alii
meſſem, alii frumentum, ut tutò ſerua-
rent; O miſerandam inſaniam tantæ
cæcitatis, & tenebrarum? In hac pro-
funda cæcitate, & tenebris per quinq;
mille annos, & amplius ferè totus mun
dus permanſit. Pauciſſimi autem ex il-
lis Philoſophis inſtinctu diuino, ut exi
ſtimo, magis quam ſtudio, à longè ali-
quid

quid de hoc ſacratiſſimo arcano attigerunt: Sicut fuit ille Socrates, qui pro uno Deo interiit bibita Cicuta apud Athenas, & Ariſtoteles, qui unum naturæ Deum & principem aſſeruit: & Plato ille vocatus diuinus, qui licet poſuit plures Deos creatos, idest angelos, vnum tamen poſuit uerum Deum omnium conditorem. Miror hunc philoſophum, qui tantum attigit de hoc myſterio ut dicat B. Aug. ſe in libris Platonicis legiſſe totum illud principium ſacratiſſimi Ioannis Euangeliſtæ, ſcilicet, In principio erat verbum, & uerbum erat apud eum, & Deus erat uerbum, licet aliis uerbis. Et quid mirum de iſto philoſopho cum Hermes Triſmegiſtus Platone multo antiquior librum ſcripſerit de verbo perfecto? In quo dixit: Monas genuit Monadem, & in ſe reflexa produxit ardorem. Quid amplius de beatiſſima Trinitate diceret illuminatus doctor Auguſtinus? An putamus eos ſolo lumine naturali hæc attigiſſe, & non potius inſtinctu quodam diuino hæc ſenſiſſe? Sicut Sybillæ quæ multo maiora dixerunt lumine quaſi prophetico. Vnde beatus Auguſtinus de Virgilio ſenſit, non niſi inſtinctu Dei dixiſſe. Iam noua progenies cælo demittitur alto &c. licet neſciens, quid diceret, ſicut Caiphas. In populo autem Hebræo à Deo electo & illuminato de hoc myſterio hoc ſolum innotuerat, quod dicitur in Deuteronomio. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt. Neque ex ſapientibus, & legis periti s, & ſcribis quiſquam erat, qui aliud ſciret, aut pluritatem aliquam in diuinitatis natura ſuſpicaretur, præter pauciſſimos Dei amicos: quibus propter amicitiam & familiaritatem Deus, ut maximum & præclariſſimum donum, Trinitatis arcanum reuelauerat, neque æqualiter omnibus: prioribus enim illis Patriarchis generaliter & confuſè hoc expoſuerat: nam licet agnoſcebãt Trinitatem in diuinis, non tamen perſonarum proprietates, origines, & relationes, & nomina propria quæ poſteri cognouerũt. Vnde ipſe Regius uates de ſe ipſo ait. Super ſenes intellexi, quoniam præ omnibus clarius de hoc myſterio locutus eſt; proprijs nominibus nominans diuinas perſonas, & dicens. Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Et in alio pſalmo. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quid amplius Euãgeliſta diceret? Creſcente autem tempore creuit notitia ueritatis. Ingentes gratias tibi, ò bone Ieſu tu nobis ò lux beatiſſima hoc publicaſti, & notum feciſti Deum hominibus. Ecce iam ruſticus manu tenens aratrum, & paſtor ouium cuſtos, & agricola ſegetes metens nouerunt hoc ſecretum, quod tũc ſolis amicis tuis pro dono maximo reuelaſti. Vnde & ipſe dominus gratias agens Patri pro tanto beneficio eleuatis oculis in cælum ait. Cõfiteor tibi pater domine cæli, & terræ quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Vnde cum beatus Petrus interrogatus reſpõdiſſet: Tu es Chriſtus filius Dei uiui, audiuit a domino. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi. ſed Pater meus, qui eſt in cælis: ac ſi diceret. Non tibi hoc mater ſynagoga, nõ ſacerdotes, & Scribæ, ſed ſolus Pater meus de cælo reuelauit. Non itaque ratione, non ſtudio, non experientia, uel aliquo alió numine naturali, ſed reuelatione Ieſu Chriſti reparatoris noſtri hoc mundo innotuit, & mundus à tali magiſtro cognouit Deum ſuum, quis eſſet, qualis eſſet, & quomodo eſſet: adeò ut nihil reſtet niſi uidere eum. O præclara notitia, o altiſſima ſapientia: ſine alijs ſcientijs ſaluari poteſt homo, ſine hac non eſt illi ſalus, nam ſumma ueritas dixit. Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Vnde in ſymbolo dicitur. Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſq; fideliter, firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

Ioan. 1. Ioan. 11. Deut. 6. Pſal. 118. Pſal. 32. Pſal. 2. Mat. 7. Mat. 16. Ioan. 18.

terit. Si autem quæras quare hoc myſterium non fuerit Hebræis antiquitus uniuerſaliter reuelatum. Reſpondeo, quòd ſicut non conueniebat redēptionis humanæ myſterium clarè prædicari priuſquam illud perfectum eſſet, atque ob id primum per Chriſtum prædicari clarè conueniebat, vt ei illud erat perfecturus: ita ante Chriſtum Ieſum Trinitatis myſterium non conueniebat apertè prædicari. Tum ne Iudęi qui ad ipſam idolatriam erant proni, hinc exiſtimarent tres eſſe Deos, tum quod huius myſterij explicatio merito debuit Chriſto Domino reſeruari. Nam cum Deum nemo vnquam uiderat, vnigenitum filium, qui eſt in ſinu patris profundiſſimum diuinitatis myſterium reſeruare conueniebat. His accedit, quòd tūc quidem Trinitatis myſterium aperiri debuit, cum ſingulæ diuinæ perſonę ſingulari quodam pro rędemptione hominum effectu erat innoteſcendæ: quod factum eſt in ſacroſancto Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentu, quando Pater innotuit mittendo Filium, filius innotuit redimendo genus humanum, Spiritus ſanctus innotuit, totum mundum deſtructa idolatria ad Chriſtum trahendo. Itaque vetus teſtamentum aperte quidem docet, & inculcat, Deum eſſe unum, eundemque rerum eſſe omnium Creatorē & gubernatorem, nouum uerò teſtamētum præter hæc Deum etiam eſſe trinum aperte docet, hominumque redēptorem ad æternam poſt hanc vitam fœlicitatem obtinendam. Ne tamen videri poſſet noua hæc doctrina, ſpiritus diuinus in ueteri teſtamento inſinuauit redemptionis humanę myſterium, & arcanum ſanctiſſimæ Trinitatis, quāquam obſcurius, ita ut illud in ſcripturis etiam Rabini quam plurimi Iudęorum intellexerint, aut afflatu diuino, aut prophetis illud uiua uoce tradentibus his qui eius myſterij erāt capaces.

Beatus vero Thomas loquēs de hoc diuino myſterio ait, quòd non poteſt ratione naturali ſufficienter probari, cum ſit articulus fidei mirabilis, & profundiſſimus, quamuis ſint quidem rationes, quæ efficaciter doceant poſſibilitatem Trinitatis. *B. Tho. 1 p.q.32. artic.1.*

DIABOLVS ET aſtutia eius.

DIABOLVS Hebraicè pollet Satan, ſignificat autem utrunque aduerſarium, & calumniatorem: ita dicebat S. Dauid. *2.Reg.19.* Quid mihi, & uobis filij Sarulæ, cur efficimini mihi hodie in Satanam, ideſt pro aduerſarijs? Suadebant enim interficere Semei, atque ita funeſtum reddere uolebant ipſius Dauidis reditum. Ita reuocanti à cruce Petro Chriſtus Redemptor noſter dicebat. *Mat.16.* Vade retro Satana aduerſabatur enim Domino, & à mandato Patris æterni reuocare contendebat. At quia veterator ille ſpiritus nuſquā non aduerſatur nobis, & peſſima ubique ſuadet peculiariter cępit Satan uocari. Vnde in libro Regum dicitur. Surrexit autem Satan contra Iſrael, & incitauit Dauid, ut numeraret Iſrael. *2.Reg.21* Sed ſtudia eius apud ſanctum Iob plenius deſcribuntur: totus enim nobis aduerſari, & nocere ſtudet. *Iob 1.& 2. cap.* Vnde B. Petrus eum rugienti Leoni ob ambulanti, & quærenti, quem deuoret, ſimilem facit.

Euſ. hom. 3 de epiph. Hiere. 17. cap. Simile.

Euſebius Emiſſenus ſuper illa Prophetæ Hieremiæ uerba, Perdix fouit, quæ non peperit, inquit. Perdix Diabolus pro nequitia, uel multarum rerum comparatione perhibetur. Hæc auis quocunque caſu, vel feræ alicuius incurſu priuata fuerit ouis proprijs inſidiatur alienis, & nidi habitatore depulſo partus inuadit extraneus, quos cum uſque ad ſpem fœtuum genitali lepore confouerit parentem cum præda efficit non natura. Interea uerus pater uocanti, ac lamentanti ſimilis ſyluas quæſtibus replet, tunc adulta iam ſoboles voce proprij genitoris audita curam queruli clamoris intelligit atque ita ad originariam ſedem læta peruolant nutrimenta generis ſui conſcia, & adulteri nutritoris oblita. Quid ad hæc dicis, ò homo pretioſum uas ſapientiæ, imago diuinitatis, & poſſeſſor generoſæ rationis? quid de creatore tuo ſubtrahis? Ecce enim bruta cognoſcit quid proprio debeatur authori, & quæ non habent intellectum habere probantur affectum. Callidum perſuaſorem captiua generatio derelinquit, remanet præda deceptus, & raptor orbatus. Igitur, & diabolus humanum genus, quod non creauerat, occupauerat, quod non genuerat, mentito Patris nomine, poſſidebat: Sed ubi uocem per Prophetas, uel per ſemetipſum pius autor emiſit, ubi perdicis ſalutifera charitas inclinauit, dicens. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, vbi aduertendum, quod ſub nomine oneris pondus indicat ſet uitutis) ad paternos ſinus confeſtim auidum cucurrit examen, tunc princeps mundi huius ſub aduentu Domini Saluatoris in dimidio dierum ſuorū perdidit, quos ſe in finem uſque ſæculi poſſeſſurum eſſe credebat & in gremiū redemptionis captiuitatem perditio in uita tranſfudit. Eia peccatores, qui in læthali peccato eſtis, animaduertite, diabolum uos deceptos habere, & à ueſo pa tre ueſtro (qui Deus eſt) alienatos. Siquidem ergo vnuſquiſque veſtrū voces eius per ora prædicatorū, ac per diuinas inſpirationes audit, ne, obſecro, permittatis aues rationis expertes, uobis antecellere. Relinquite crudelem tyrannum, qui nihil præter infernum uobis dare poteſt, & toto corde ad Deum veſtrum verum parentem reuertimini, qui vos æterna gloria con decorabit; vos autem iuſti cautè uiuite nec à peſſimo aduerſario uos uinci ſinatis: magnæ enim ac fallaces ſunt eius aſtutiæ ad uos penitus euertēdum, ſicut Beatus Chryſoſtomus multis in locis docet his uerbis. Enim uero & diabolus tunc infeſtat uehementius: & ſicut piratæ nauigantes in mari non tunc inſidiantur, cum è portu uident egredientes. Nam quid prodeſſet inuadere nauim uacuam? Sed tunc omnes artes mouent, cum onuſtæ redeunt; ita & malignus ille dæmon cum nos uiderit multa conuexiſſe, nempe ieiunium, preces, eleemoſynas, continentiam aliaſque uirtutes omnes, eſſeque nauim noſtram gemmis pietatis plenam, tūc undequaque ſeſe obiicit, ut theſaurum rapiat, & in ipſo portus ingreſſu uincat, & ſpoliet. Verum eſt tamen, quod diabolus adeò ſuperbus eſt, & ignauus, ut ſi ſentiat in nobis uirile pectus, & fortiter ei iterum atque iterum reſiſtere, confuſus, & nimio affectus rubore diſcedit. Vnde idem Beatus Chryſoſtomus in quadam concione ait. Quemadmodum canis aſſidens menſæ, ſi uiderit hominem ueſcentem ſub inde aliquid eorum, quæ in mēſa ſunt ipſi proijcientem manet aſſidue quod ſi ſemel atque iterum ſic aſſiſtit, nihil adeptus, protinus diſcedit, ueluti qui iam fruſtra, & incaſſum aſſiſtat. Item & diabolus iugiter nobis hinniat, ſic ut blaſphemum uerbum ipſi ſeu cani proijciamus: hoc accepto rurſus aggreditur, quod ſi perſeueraueris gratias agere, iugulaueris illum fame, celeriterque eum abiges, & aufugare eum facies. Lactantius Firmianus inquit. Sicut

B. Chry. homi. 3. de ozia & homi. 31. in Geneſ. Simile.

B. Chry. cō cione 3. de Lazaro. Simile.

Lactā. Fir. lib. 7. c. 4. cut Deus hominem ad uitam non niſi per uirtutem ac laborem uocat: ita diabolus ad mortem per delitias, ac uoluptates: & ſicut ad uerum bonum per fallacia mala, hoc eſt, per labores, & difficultates: ſic ad uerum malum per fallacia bona, hoc eſt, per delitias peruenitur. *Iob 1. c.* In libro Iob dicitur. Cum uenisſent filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. *Simile.* Quod magnus Gregorius ſic exponit. Venit Satan, ut uideretur, non ut uideret: ipſe in conſpectu Domini, non autem Dominus in conſpectu eius adfuit. Quemadmodum cæcus, qui ſolis radiis perfunditur, cum tamen ſolem ipſe non uideat, quo illuſtratur. Cui dixit Dominus. Vnde uenis? Qui reſpondens ait. Circuiui terram, & perambulaui eam. Nullis uerbis potuit rectius exprimi uel Satanæ calliditas, & aſtutia, uel nocendi ſtudium. Non enim arroganter à dæmone hæc dicta ſunt (ut Origenes exiſtimauit) ſed ut propria *1. Pet. 5. c.* ſtudia atque conſilia proferret in lucē. Sic enim & Beatus Petrus Apoſtolus de eiuſdem dæmonis ingenio, atque calliditate loquens ait. Aduerſarius ueſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Rectè calliditas ipſa, & aſtutia per circuitus explicatur: nam & Latinè dicimus circumuenire quempiam pro decipere. Trahitur elegans hæc ſimilitudo à uenatoribus, qui feras laqueis, retibus, & canibus circumuenire ſolent, ut eas inuoluant. Interpres Chaldaicus tranſtulit. Scrutatus ſum in terra, & ambulaui per eam. Benè proinde B. Petrus de Satana, & de illius ſtudio inquit. Circuit quærens, quem deuoret. Ad eandem rem pertinet (ut quidam indicāt) quod inquit egregius Pſaltes. In circuitu impii ambulant. Circuiui terram, inquit, *Pſal. 11.* & perambulaui eam. Si appellatione terræ improbos homines intelligere uelis, rectè dicitur: circuiui terram, &c. Nam tametſi Satan calliditatis, & aſtutiæ ſtudio teneatur, tum circa bonos, tum etiam circa malos: effectus tamen pernicioſæ illius calliditatis in hominibus tantum improbis licet perſpicere: eſt enim diuinum hoc animal, quod hominem appellamus gemina compactum natura, cæleſti uidelicet, atque terreſtri. Quo fit ut hæc maxima hominis perditio ſit, quod rebus ſpiritualibus contemptis, & illarum repudiato ſtudio quarum cauſa à Deo fuit conditus terrenis ſemper rebus ſit occupatus, & implicatus. Illi ergo iure terra appellantur, quos Satan & circuit, & perambulat, in eis enim propriæ aſtutiæ, & calliditatis effectus complet: ut enim circuitiones illæ aſtutiam dæmonis produnt, ita perambulatio complementum proceſſus ſignificat: quemadmodum contra de uiris iuſtis dicitur, quod Deus in eis perambulet. Inhabitabo in illis, & inambulabo. Eas animas, quæ æternis iam cruciantur ignibus perambulabat Satanas, non tamen circuit. Sunt enim per omnia illius uoluntati obnoxiæ. Quo fit, ut ad circunueniendas infœlices illas mentes, nunquam ſe aliqua armet calliditate. Homines autem, qui in terris uerſantur, & circuit, & circumuenit nam eos decipere ſemper nititur & perambulat etiā, quia in omne genus flagitii frequenter eos præcipitat.

In illis uerbis, quæ diabolus ad Dominum de Sancto Iob loquutus eſt, ſcilicet. Tange os eius, & carnem eius & tunc uidebis, quod in faciem benedicat tibi, ſatis ſuam declarat ſæuitiam, atrocitatem, improbitatem, & malitiā. Ad ſæuitiam pertinet, quod cum ſanctum uirum puniri depoſcit, non eo fuit ſupplicio contentus, nec eo genere caſtigationis pectus implere potuit, quæ cutem feriret, aut carnem, ſed quę uſque ad ima oſſa deſcenderet, & in abditiſſimas partes corporis penetraret. Tange, inquit, os eius & carnem, ut uim dictæ tuæ ſeueritatem ſentiant, non tā tum corporis partes molliores, ſed & quæ ſunt inertiſſimæ, & quas doloris

ſenſus attingere non poteſt. Hæc fortaſſe dicebantur à Satana, non tantum eo conſilio, ut corpus uiri iuſtis, carnem, & oſſa horrendo ulcere uulneraret, ſed ut ſibi copiam faceret magnus ille Demons deſæuiẽdi in eam partem, quæ princeps eſt totius hominis, animam uidelicet. Nam in hunc finem tota eius decurrit oratio. Suam uero nequitiam, improbitatem, & impudentiam oſtendit, cum inquit. Et tunc uidebis, quod in faciem benedicat tibi. Quę uerba, quanuis pauciſſima, ſatis tamen declarant illius improbitatem & nequitiam. Nemo mirari debeat, ſi dæmon, cum ſit & ingenio acri, & contracta longo rerum uſu ſapientia, multis in rebus decipiatur, ſicut deceptus eſt circa ſanctum Iob. Nam credere non potuit unius hominis uires tantum ærumnarum pondus, & quaſi uno impetu omnium malorum genus in ſanctum uirum refuſum æquo animo ſubſtinere poſſe ſua namque machinamenta cum humanis uiribus conferebat, atque cum ea parte iuſtitiæ, quam ſanctus Iob propriis declarauerat operibus. Quæ omnia tametſi ad ferendam tantam perſequutionem procellam nõ ſuffeciſſent, repente tamen diuino beneficio uberior gratia, & ampliores uires ſancto uiro miniſtratæ plena impietatis conſilia feſellere.

DILIGENTIA

in operatione virtutum.

Simile. VT feruidi, & cum magna diligentia in bonis actibus occupemur, nos clementiſſimus Deus multoties flagellis cædit. Sed proh dolor quàm deſides adhuc ſumus? Quis non miretur, quod ſi mulio ſex, aut ſeptem mulos agens, & dirigens, unum tantum percuſſerit aut incitarit, cæteri etiam corrigantur, & erudiantur, currereque incipiant: Nos uerò adeò negligentes, & remiſſi ſumus, ut neceſſario urgere nos mala debeant, & non ſatis ſit ex aliorum malis exemplum ſumere? Immo nec caſtigati mouemur, ſicut mouebantur illi, de quibus regius propheta inquit. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.

Pſal. 15. *Ezec.* 1.*c.* Animalia illa ſancta, quæ Propheta Ezechiel uidit, habebant pedes rectos & pennatos, ut oſtenderetur eorũ præparatio, & agilitas ad obſequendum diuinis imperiis. Sic nimirum uerus Dei ſeruus non deſes, aut negligens, ſed ſemper expeditus ad bona opera inueniri debet. Vnde ad Epheſios ſcribens. Beatus Paulus ait. Fructus autem lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, non enim ſufficit bonitate conſcientiæ ſancta opera facere, ſed oportet quòd fiant in ueritate (ideſt, [*muy de veras, y no de burlas que es floxamente*] tunc autem magno feruore fiunt, cum dominus in ipſis guſtum præbet, ſicut ſanctus Dauid illum habebat: nam pro eo, quòd nos legimus: bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, ſecundum verbum tuum, Beatus Auguſtinus legit. Suauitatem feciſti cum ſeruo tuo, hoc eſt, feciſti, vt me delectaret bonum, quod magnum donũ Dei eſt. Quanta uero diligentia, & feruore ipſe regius Propheta tali ſuauitate repletus mandata Dei oper- *Ad Epheſ.* 1.*c.* *Pſal.* 118.

re adimplebat, ipſemet fatetur eodem pſalmo, dicens. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Hic nobis aduertendũ eſt, aliquuos reptare in uia Dei, alios ambulare, alios currere. Primi ſunt incipientes: ſecundi proficientes tertij ſunt iam perfecti, & quoniam initium ſapientiæ eſt timor Domini, incipiẽtes ſunt, qui timore trahuntur potius quam uadant. Nam & ſi qui ex timore aperantur, uoluntariè operantur, tamen non ita placidè, ſicut qui ex amore, ſed quaſi repentes timore percuſſi vadunt. Nam in noſtro vulgari quoties uolumus explicare, quod tepidè, & quaſi inuitus aliquis operatur, quod iuſſimus, dicimus [*allalo haze medio arraſtrando.*] Sed proficientes ambulant, quia iam incipiunt ex amore operari, nec inuiti trahuntur, ſed uoluntariè ſacriſicant. Currunt uero iam perfecti, qui ex nimio amore hilares facti promptiſſimè, & delectabiliter operantur, ideo nos admonet Beatus Paulus dicens. Sic currite, ut comprehendatis, id eſt, perſeueranter uſque ad brauij comprehenſionem currite. Sic currebat Dauid, ſed addidit. Cum dilataſti cor meum. Ex hac enim dilatatione cordis ortum habuit uelocitas curſus: amor ſi quidem generat lætitiam, ex qua oritur cordis dilatatio. Vnde Auicẽna inquit, quod per lætitiam nutritur cor, quia dilatatur, & per illam dilatationem attrahit adſe ſanguinem, quo nutritur. Sicut è contrario per triſtitiam malè habet cor quia comprimitur in ſe, & per illam compreſſionem exprimitur ſanguis, ſicut exprimuntur lachrymæ, ut cum comprimis ſpõgiam, exprimitur liquor, qui ibi continebatur: ſic ergo per lætitiam, quæ oritur ex amore, nutritur anima trahens ad ſe dona diuina, quæ ſunt eius nutrimenta. Igitur charitas hanc cordis dilatationem facit, ſecundum illud Pauli ad Romanos. Charitas Dei diffuſa eſt incordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis Quod autem diffunditur, dilatatur.

1. ad Cor. 9. c.

Auic. li. 3. Canonũ ſiue aphoriſmorum.

Ad Ro. c. 5

Diligentia in operatione virtutum.

BEatus Petrus in epiſtola ait. Seniores ergo obſecro, & ego uos conſenior, tanquam teſtis Chriſti paſſionum, & eiuſdem, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ conſors. Hæc uerba non vulgarem emphaſim habent: perinde enim eſt, ac ſi diceret. Rogo uos fratres, ut magno ſtudio ſalutis ueſtræ curam geratis, rogo inquam uelut, teſtis laborum, & afflictionum Chriſti, hoc eſt, ſummi, & incomparabilis pretij, quo à Diaboli poteſtate redempti eſtis, & tanquam is, qui probe tenet, quanta ſit illa fælicitas, quæ tali pretio empta fuit. Hæc enim duo maximè homines ad uirtutis ſtudium incitare debent, nempe mors Chriſti, & promiſſio æternæ fælicitatis, utriuſque autem rei oculatus teſtis Petrus Apoſtolus fuerat, quando & Chriſtum patientem, & tranſiguratum vidit. Vt autem quod Beatus Petrus obſecrat, faciliter adimpleamus, ſi quidem cum ſenioribus loquitur, oportet nos in operatione virtutum ſeniores facere, quo habitus earum generantur, vbi uero generati fuerint, ſi ex habitu operamur, per modum naturæ operabimur, quæ nunquã à ſuis operationibus conquieſcit: ſemper enim ignis comburit, & illuminat: & aqua ſemper infrigidat, & Sol lucet, cælum mouetur; quia habitus eſt ſicut parens operationes, ut ſoboles: cũ ergo generans ſit præſens, quid mirum ſi ſoboles frequenter appareat? Virtutis ergo atque adeo cuiuſque habitus diuturna conſuetudine acquiſiti eſt promptè, & delectabiliter, & ex conſequenti diligenter operari. Vnde de uiro iuſto dicitur. Gaudium eſt iuſto facere iuſtitiam. Sic Dauid inquit. In uia mandatorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Qui uero relu-

1. Pet. 5.

Prou. 21

ſtante adhuc carne uirtutis opera exequitur, is quidem non uirtutē, ſed continentiam aſſecutus eſſe dicitur, quę infra ueræ virtutis gradum poſita eſt, cuius eſt promptè, & delectabiliter (ut diximus) operari. Hac ergo menſura ſe quiſque metiatur, & intelliget tantum ei à uera uirtute quantum ab hac promptitudine, & uoluptate operandi deeſſe. Ex qua conſideratione colligi poteſt, quàm rara ſit in terris uirtus, quāque pauci ſunt, qui ad hanc ueræ uirtutis laudem peruenerint.

Diligentia in operatione virtutum.

Eccl. 57. DE verò ſapiente dicitur in Eccleſiaſtico. Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad dominum, qui fecit illum & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur. Huic, qui diligenter antelucratur, & de mane ſurgit, ut cor ſuum Deo tradat, ac maximo cum feruore coram diuino eius conſpectu oret, promittitur tantū beneficium, quale eſt illud, quod paulo inferius refertur, uidelicet. Et ipſe diriget conſilium eius, & diſciplinam.

3. Reg. 10 De Regina Saba commemorat ſacra ſcriptura ueniſſe è regno ſuo in Hieruſalem, ut ſapientiam Salomonis audiret: quoniam autem maxima cum diligentia, & animi affectione hoc iter aggreſſa eſt, idcirco meruit, ut a ſapientiſſimo Rege de omnibus neceſſarijs eru diretur. Sic illi, qui cum ſpiritus feruore, & non ignauiter ad Deum acceſſerit, illuminabuntur, & diuino ſpiritu imbuentur. Simile. Dicunt naturales Philoſophi leones eſſe ad prædam captandā diligentiſſimos, & uiſu perſpicaciſſimos, ita vt etiam dormientes oculos apertos habeant, & ideo antiqui eos ad ianuas templorum depingebant, ſignificantes illos, qui ad ſacra templa conueniunt, debere maxima cum diligentia conuenire, & in eis magna cura & vigilantia eſſe, & ita ingentia à Deo beneficia conſequētur. B. Petrus in ſua Canonica inquit. Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq́;. (1. Pet. c. 5) In quibus verbis ſanctus Apoſtolus nos docet, quod parum illud, quod homo ex parte ſua in Dei ſeruitio operatur & parum, quod pro eius amore patitur, ſi id faciat, ſicut facere debet, Deus optimus maximus illud perficiet, & pro ſua diuina clementia, vt decet, fortificabit. Quid ſibi vult, quod in ſacrificio pro gratiarum actione (de quo in Leuitico agitur) carnes hoſtiæ quę immolabantur, eodem die mandu cabantur, nec quidquam ex eis relinquebatur in alterum diem? (Leuit. 7. c.) Mira ſanè cautio, & prohibitio. Quid igitur hoc? Hac ſanè lege monemur, nihil eſſe in officio pietatis procraſtinandum, nihilque in alterum diem relinquendū, ſed primus vota, ac debita noſtra Deo cum maximo feruore, & diligentia red denda. Clemens Alexandrinus agens de exercitatione, & diligentia in operatione inquit. (Cle. Alex. li. 1. Stromatum. Simile.) Putei, qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perſpicuam, corrumpuntur autem hi quorū nullus eſt particeps. Ferrum quoque vſus ſeruat purius, vſus autem defectus ei generat rubiginem. Sic exercitatio ſalubrem habitum ingenerat, & ſpiritibus, & corporibus. Ideoque Cato ingenium hominis dicebat ferro eſſe ſimile, quod ex vſu ſplendeſcit, at in otio rubigine obducitur, & exceditur. (Cato Magnus.)

Plutarchus inquit. (Plu. de libe. educ.) Quam expeditiſſima, quamq; efficax ſedulitas pariter, ac labor exiſtat compluribus in rebus facile, ſi aduerteris, diſces. Aquarū guttæ lapides cauant, ferrum & ęs manuum tactibus obteruntur. Carpentorum rotę ſummis infixæ uiribus, haud vllo pacto priſtinam reparare rectitudinem poſſunt. Eſt ne quiſpiam infœcundus, & ſupra modum aſperior ager?

ger? At cultûs ſtatim generoſos edidit fructus. Quæ nam arbores ſunt, quæ datæ neglectui non ſimul & tortę pullulent & ſteriles perſtent? Cum eędem rectum aſſecutæ patrocinium fructuoſæ ſint, & magnopere fertiles. Quæ corporis fortitudo non obtunditur, & propter incuriam, mollitiem, ac malam habitudinem non perit? Quę autem imbecilla adeò natura, quę per exercitationes, atque certamina ad maximas non augeatur vires? Qui vero equi a primis bene domiti annis, ſuis non obſequuntur ſeſſoribus: qui autem in domiti perſtiterunt nonne ceruice duri, & animo feroces euaſerunt?

Diligentia in operatione virtutum cum diuino fauore fit.

Cant. 1.

TRahe me poſt te: curremus in odorem vnguentorum tuorum, inquit ſponſa loquens in Canticis cum ſponſo. His ſponſę uerbis facile impietas quorundam hęreticorum refutatur, qui non verentur aſſerere, hominem, quemadmodum cęteras res, finē ſibi deſtinatum aſſequi poſſe, nullo externo adminiculo. Videmus (inquiunt) ignem ſtatim vt productus eſt, nulla re de foris patrocinante in ſublime ferri: terrę glebam deorſum ruere, plantas, & vilia oluſcula per ſe ſuſcipere incrementa: formicas videmus meſſis tempore alimenta congregare: apes ſuis temporibus fabricare domicilia: araneas telas hirundines nidos conficere, ſola natura duce: atque idem eſt de ſingulis rebus iudicium. Si igitur viliſſima quæque proprios fines nullo externo adminiculo aſſequi poſſunt, quomodo fieri poteſt, vt diuinum animal rationis, & mentis compos proprium finem attingere non poſſit, niſi ſponſi numine tractum & impulſum? Sed horum technas diſſoluit ſponſa, cum propriam imbecillitatem profeſſa, clara, & aperta voce orat ſponſum. Trahe me poſt te. Itaque ſi rerum ſenſibili bipartitam conſtituamus perfectionē facile horum argumenta diluemus. Eſt enim altera perfectio, quam unaquęque res ſuapte natura aſſequi poteſt: altera vero, quam externo adminiculo adipiſcitur. Exemplis fiet tota res apertior. Appetunt brutę animantes bos, aſinus, equus pabula & ſtramina, propriumque corpus ſaginare ſeruareque incolume: atque is finis illis eſt a natura pręſtitutus ſed non in eum finem dūtaxat prouida natura hæc animantia produxit. Nam quemadmodum humani corporis membra, ita etiam vniuerſi partes produxit, vt aliæ aliarum cauſę exiſtant: quo fit, ut ſupremus, atq; pręcipuus finis eorum animātium, de quibus diximus, ſit humanis vſibus inſeruire. Aſinum habemus ad ferendas ſarcinas, ad equitandum equum, ad aratrum, terramq; proſcindendam bouē. Duplicēm ergo, & equi, & bouis, & aſini finē liceat intueri: quorum alter ad illorum cōmoda expectat, vt ſana ſeruentur, & integra. Alter vt diuiniori animanti homini ſcilicet, ſeruire poſſint, quò condita ſunt a Deo. Priorem ergo illam perfectionem ſiue finem poſſunt aſſequi citra alterius pręſidiū: nam inſtincta quodam naturæ, & conuenientia petunt, & aduerſa refugiunt, id quod in agreſtibus animantibus minimeq; cicuratis licet aduertere. Poſteriorem vero illum finem, & ſupremam horum animantium perfectionem, vt diuinioris animantis obſequiis pareāt, per ſe conſequi nō poſſunt, niſi extrinſecus adminicula quædam, & ad iumēta adhibeamus. Nam ob eam rem aſino adhibetur ſtimulus, & quo trahatur capiſtrum: citra calcaria vero, & frænū ad equitandū non erit idoneus equus, neque aptus ad arandum ſine iugo, & aratro bos. Pari ergo ratione nobiliſſimū animal priorem illam perfectionē, vt ſe ipſum ſeruet incolumē, vt contraria aliqua fugiat, conuenientia aliqua proſequatur, poterit ſuapte natu- Simile.

ra adipiſci, quemadmodum reliquæ animantes. Poſteriorem vero, finem, ut ad nobiliſſimum uitæ genus impellatur, iungaturque Deo citra fauorem numinis, & ſponſi non poteſt: id quod Salomon ſponſæ nomine apertè profitetur, dicens: Trahe me poſt te. Sequitur ſtatim, curremus. Quo vno verbo magnum nobis ad diſputandum & latè patentem campum aperuit. Non.n. dixit. Trahe me poſt te, & ueniemus: ſed trahe me poſt te, curremus: hoc eſt. Si traxeris, ſi rapueris, non veniemus tantum, ſed & curremus. Triplex igitur erit uirtus, aut facultas, qua ad Deũ properamus, & contendimus, altera naturalis eſt, quæ tamen non ſufficit, ut in ſponſi ruamus amplexus. Eſt altera diuina uirtus, & facultas, qua impellente, & inſtigante, ad ſponſum imus, ſed lento gradu, & remiſſo, id quod propriũ eſt earum animarum, quas Salomon adoleſcentulas uocat. Quibus ſatis eſſe uidetur, ſi Dei mandata expleant, quãuis tepidè, & oſcitãter quodammodo. Qui eiuſmodi ſunt ueniunt quidem ad ſponſum, nondum tamen currunt, nondum enim acceſſerunt ad uigorem ſpiritus, neque internum animi feruorem ſunt aſſequuti. Tale eſt, ut in plurimũ, Chriſtianorum uulgus, & utinam uel iſta mediocritate conſiſteret, ut uel lento gradu ad ſponſum irent. Sponſa autem, quoniam ſanctas animas refert (qualis erat anima Beati Pauli, & Beati Franciſci) non tantum cupit uenire ad ſponſum, ſed omnem potius uidetur nauare operam, ut currat: hoc eſt, ut concito gradu, properanter, & celeri curſu ad ſponſum perueniat. Ob eãque cauſam nec naturali uirtute contenta, neque ſecunda illa, quæ in mediocritate conſiſtit præſtantiorem quãdam petit uirtutem, qua poſſit feſtinare, & currere. Illud enim proprium eſſe uidetur eius animæ, quæ ſponſa appellatur, ut quamuis celerrimo gradu ad ſponſum properet, ſemper tamen ſibi uideatur, neque pedem promouere, iuxta illud euangelicũ. Cum hæc omnia feceritis, dicite. Serui ſumus inutiles. Itaque & ſemper currunt, & prope rant, & perpetuò operibus pietatis incũbunt, & crebras fundunt apud ſponſum orationes, & inſtant prædicationi uerbi Dei, & aliorum commodis ſemper proſpiciunt: et tamen cũ hæc omnia pietatis officia, ſedulò, ac properãter expleant, parũ de ſe ſentiunt, et humiliter demiſſiori ſunt animo, perpetuoq; orant eã uirtutem, et facultatẽ ſibi diuinus ſponſus impendat, quæ ad currendũ neceſſaria eſſe uidetur. Eã autẽ uirtutẽ ab ſponſo dũtaxat proficiſci apertè ſatis teſtatus eſt Regius uates dicens. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Dilatio illa animi, ſiue amplitudo uirtus eſt, & facultas, quæ numinis beneuolentia, & ſponſi liberalitate nobis cõtingit: quæ uirtus neceſſaria ad currendum eſt. Cũ dilataſti, inquit, cor meum, id eſt, cum iſtam animi amplitudinem mihi contuliſti, tunc cœpi non tantum uenire, quod multorum eſt: non lento gradu iter arripui, ſed cucurri etiam uiã mandatorum tuorũ, id eſt, incredibili quadam celeritate feruore, ſtudio, & diligentia, tua ſum iuſſa exequutus. Propria eſt enim amantium hominum uelocitas iſta, de qua ſponſa inquit, curremus. Nam ob eam cauſam antiquiores Philoſophi amorem alarum finxere, non ſolum quod nullibi conſiſtat, ſed quod in actionibus amatoris mira ſit præditus agilitate. Itaque uolat, nõ ſolum currit quiſquis uere amat iuxta uaticinium Iſaiæ Prophetæ. Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem aſſument pennas, ut aquilæ, uolabunt, & non deficient. Potuiſſet ſponſa de ſe, ſuiſque ſimilibus dicere, volabimus. Et tamen ne uideatur iacta nter loqui, tantum dixit: trahe me poſt te: curremus. Curſus hic ſanctorum, interim quod in mortali uita agunt, nullũ accipit finem, quouſque ad ſponſum perueniat, & in illius amplexus, & oſcula

Luc.17. *Pſal.118.* *Iſa.40.*

cula ruant quando ſcilicet, aſtricti iam charitatis uinculis nullus erit molitatis locus. Verbum autem, curremus, poteſt coniungi cum præcedentibus, ut ſit ſenſus curremus poſt te. Poteſt & particula illa, poſt te, referri ad tractum illum, de quomodo diximus: eritque ſenſus. Trahe me poſt te. Priorem conſtructionem Latini codices uidentur habere: poſteriorem vero Græci. Hebræa autem litera, utramque ex æquo admittit. Senſus utrobique conſtat, ſiue ita diſtinguas, trahe me: poſt te curremus: ſiue ita potiùs, trahe me poſt te: curremus. Si ita legimus poſt te curremus, poteſt ad humilitatem ſponſæ referri, quæ non audet ad ſponſi chariſſimi æqualitatē aſpirare. Quamuis

Pſal. 118. enim properante ſponſa poſt ſponſum feſtinet, immo ſi pennas, ut aquilæ ſumat, immo ſi trahatur, & rapiatur uirtute ſponſi inenarrabili, nunquam tamen, aut ſponſum ante uertet, aut penitus aſſequetur: ita ut propinquior fieri non poſſit. Hoc eſt, enim quod Regius uates dixit. Latum mandatum tuum nimis. Quamuis enim multum itineris confecerit ſponſa in ſponſi mandatis, & iuſſis, ſemper tamen aliquid erit quod poſſit præſtare. Eſt & illud obſeruandum curioſius, quod ſponſa poſtquam dixit, ſingulari numero, trahe me poſt te; ſubito commutato numero, dixit, curremus. Neque enim patitur Chriſtiani hominis charitas, & dilectio, ut quamuis ſe totum erga ſponſum verſet, reliquas animas, quas nomine adoleſcentularum complexus eſt ſalomon, uel ab ſponſo deficere, uel da illum non peruenire. Chriſtus Redemptor noſter totam legem, atque Prophetas duobus eſt complexus præceptis, quorum alterum pertinet ad dilectionem Dei: alterum uero ad dilectionem proximi: quaſi dicas. Alterum pertinet ad amorem ſponſi, alterum uero ad amorem adoleſcentularum. Sponſus autem ita diligendus eſt, ut tamen amorem proximorum non prætermittamus. Voluit proinde ſponſa utrique præcepto facere ſatis: nam ab amore ſponſi naſcitur uehementior illa cupiditas, cum inquit: trahe me poſt te: ex amorem uero proximi naſcitur ſolicitudo illa ingens erga iuuenculas, cum inquit: curremus. Hoc enim habet diuinus amor, quod nihil uidetur habere proprium, nihil peculiare, ſed omnia potius in communes utilitates profert in publicum. Humanus autem amor, & vulgaris, ſiue circa dignitates, & honores, ſiue circa corpoream uenuſtatem uerſetur, ſuis ſemper lucris ſtudet, de communi utilitate nulla cura, nulla ſolicitudo. Ob eamque rem quoniam ſponſa amore diuino agebatur & non humano poſtquam de ſe ipſa dixerat, trahe me poſt te, quod ad propriā pertinebat utilitatem: ad communia charitatis officia tranſit, dicens, curremus. Nam in Eccleſia Chriſti Ieſu, nullus qui ſponſa Chriſti debeat haberi ſingulariter currit, ſed omnes potius ad Chriſtum feſtinant, mutuo ſe adiuuantes, excitantes, & uerbis, & exemplis iuxta ſententiam Apoſtoli; alter alterius portant onera: & qui fortiores, & uegetiores ſunt ſpiritu aliorum imbecillitates æquo animo ac prompto ferunt, ut omnes ſimul portent, & currant, ne quiſpiam ab incœpto deficiat curſu, ceruos imitantes. *Ad Gal.* 6 *Ad Ro.* 15.

Diligentia ſatis doctoribus commendatur.

Beatus Chriſoſtomus in quadam homilia ait. Ne ſpectet quis ad laborem uirtutum, ſed cæleſtia lucra cogitantes promptè labores obeamus. Nā ſi hi, qui in terrenis uerſātur negotijs, & in colligendas opes inſaniūt, omnia promptè ſuſcipiunt facienda: & uidentes ante oculos pericula maris, piratarum inſidias, & naufragia non franguntur, neque ſegnes fiunt, quamuis (quod plus eſt) de fine nihil certi habeant: *B. Chry homil.* 14. *in Gen. Simile.*

beam;qualem nos habituri ſumus deſenſionem,ſi non omni ſtudio,& alacritate accingamur ad uirtutum ſtudia,& agones propter æterna illa bona?Idem etiam ſanctus Doctor in Prologo in *Simile.* Ioânem ait.Mercator diteſcere cupit, non tamen eius animus ſoli acquieſcit cupiditati,ſed nauem parat,nautas cogit,hortatur gubernatorẽ,& alia, quæ nauigationi opus ſunt diligenter diſponit,aurum præterea mutuatur, maria tranſit,& innumeris periculis,quibus ſe mari credentes iactare conſueuerunt,ſe exponens peregrinas appellit terras.Itidem & nos oportet uoluntatem rei applicare.Nauigamus namque,& nos nauigationem, non ab alia in aliam terram, ſed à terra in cælum. Quare tota mente intendamus ad eam gubernationem, quæ nos ſupernè erigat,& nautas rationi obſequentes, & nauem nobis firmam comparemus,ne tentationum procellis,aut ullis ſæcularibus demergatur affectibus,neque ſuperbiæ ſpiritu efferatur,ſed leuis,& expedita ad ſuperna euadat.

B.Chry.homil 49.ad pop. Anti. Idem ſanctiſſimus præſul in quadã homilia ait.Caueamus ne ut ſolum delitiarum habeamus momentum (hoc enim eſt præſens uita) infinitorum attrahamus ſæculorum tormẽta : ſed momento laboremus ut perenniter coronemur.Nonne uidetis,quod & in ſæcularibus hominum plures ita faciunt,& pro longa quiete breuem capiunt laborem:quanquam illis contrarium euenit?Hic enim laborũ quidem & lucri par eſt portio:frequenter autem in cõtrarium labor eſt infinitus, fructus autem exiguus uel plerumque nec exiguus quidem ; in Regno è contra modicus quidem labor multa uero uoluptas,& immenſa . Conſidera namque qualiter agricola per totum laborat annum,& in ipſo fine frequenter à ſpe decidit,& multorum fructu laborum. Nauis gubernator rurſum,& miles, ad ætatem uſque nouiſſimam in præliis, & laboribus: & frequenter uterque remanet , ille quidem diuitiarum oneribus amiſſis, hic autem amiſſa uictoria cum ipſa uita.

Diligentia in operatione uirtutum.

QVod autem nimis grata Deo ſit diligentia, & ſolicitudo in operatione uirtutum , & bonorum operum, uel ex hoc patet,quod illam multoties Deus hominibus in ſacris literis commendauit.Et ita ubi nos legimus apud *Mich. 6.* Michæam:indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum , & quid Dominus requirat à te:utique facere iudicium,& diligere miſericordiam,& ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Hebræa uerba alium ſenſum indicant,ſcilicet , Prophetam adhuc nomine Dei populum illum arguere,atque reprehendere,& in iudicio cũ illo ſiſtere.Verbum enim,higid , præteriti temporis eſt,& ſic uertendum : annũtiatum eſt,tibi homo , quid bonum, & quid à te requirat Dominus &c. & *Tertu. li. 4. aduerſus Marci.* hunc ſenſum ſeptuaginta interpretes reddiderunt. Quem Tertullianus aduerſus Marcionem , & Pagninus atque Vatablus amplectuntur . Quod perinde eſt,ac ſi dicat.Nullam,ô homo,quiſquis es,habes excuſationem, nihil eſt, quod cauſeris ignorantiam , aut quaſi hactenus non ſit indicatum , inquiras modo quid Deo placeat , ut illud faciat:iam ſæpius in lege indicauit , pluries per prophetas , & concionatores eſt annunciatum . Quoties enim mandatum eſt, ut Deum diligamus , & timeamus hoc ex toto corde intelligitur.Huius autem amoris, & timoris fideliſſimus comes eſt diligentia & ſolicitudo.Quam uelox ad elargienda beneficia ſit Deus , ſub illa parabola de homine,qui fecit cœnam magnam,ſignificatur in eo, quod paterfamilias uidens conuiuarum inurbanitatem dixit ſeruo ſuo.Exi cito in plateas , & uicos ciuitatis,& pauperes,ac debiles,cæcos, & claudos introduc huc.Cito , inquit, ob maximum deſiderium, quod ei ineſt,

eſt, ut diuitiarum ſuarum theſauris per fruamur. Quod etiam in filii Prodigi receptione oſtendit, qui ſeruis iuſſit. Cito proferte ſtolam primam &c. Nec non cum propria uita, & ſanguine mũdum redempturus erat, perfido diſcipulo mortem ſibi machinanti dixit. Quod facturus es fac citius. Et ſic fecit, & ordinauit, ut in breuiori ſpatio quam uiginti quatuor horarum, ſuo ſanguine mundus ditatus eſſet, nulla eiuſdem cruoris gutta remanente. Igitur huic liberaliſſimo domino ſumma diligentia ſeruire debemus.

Diligentia in operatione virtutum ad cumulum perfectionis adducit.

INtermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectionẽ feramur: inquit B. Paulus ad Hebræos ſcribens. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Ne contenti ſimus ò fratres ſeruare tantum modo, id, quod initio conuerſionis noſtrę maiores noſtri in catechiſmo nos docuerunt, ſed ſtudeamus quotidie de bono in melius procedere creſcẽtes in diuino amore, & in patientia laborum, atque manſuetudine, & erga proximos charitate. Ad perfectionem feramur: ne ſiſtamus, quouſque perfectiſſimus, ſicut fuerunt ſancti. Intermittere ſermonem inchoationis Chriſti [*es dexarde tratar la doctrina del catecismo de Ieſu Chriſto, que ſe ſuele poner a los principiantes.*] His uerbis Sanctus Apoſtolus negligẽtiam, & tepiditatem maioris partis populi Chriſtiani tam eccleſiaſticorum, quam ſecularium increpat: [*los quales ſe contentan con que no ſeam malos, aunque no ſeam mejores vn dia que otro*] Iuſtitia duas habet partes, uidelicet diuertere à malo, & facere bonum, & quod hoc fiat propter altiſſimi Dei amorem, ſicut B. Thomas docet. At inuenietis plurimos Chriſtianos, & etiam religioſos, qui bona opera faciunt, & diuina præcepta obſeruant tantummodo, ut non peccent: nã ſi in die feſto rem ſacram audiunt non ideo illam audiunt, vt ſeruitium Deo exhibeant, ac propter amorem eius, ſed ne peccatum nouum committant: ac ſibi ipſis malum inferant, & quãuis hic finis non ſit malus, non eſt tamen meritorius, quia in amore proprio, & non in amore Dei fundatur, nec etiam qui ſic operatur eſt uirtutis perfectæ ſtudioſus, quoniam ſecundum Philoſophum virtus eſt diſpoſitio ad optimũ, ſcilicet, finem aſſequendum: melior autem finis ex omnibus eſt ſolus Deus. Ergo ſequitur, quòd quando opus non eſt meritorium huius ultimi finis, non eſt etiam virtutis perfectæ ſtudioſum. Quid igitur remedij, ut maiores quotidie progreſſus ĩ virtute faciamus? Quid vt omnia propter Dei amorem operemur, & vt in ſtudio virtutis agamus id, quod in ſtudio literarum faciebat quidam Philoſophus, qui illo die in quo aliquid de nouo non addiſcebat ſocio ſuo dicebat. Amice diem perdidimus, quia nihil noui didicimus: & hoc modo literatiſſimus euaſit. Quæro ò fratres quomodo ſancti ad tantam perfectionem, quantã de illis legimus, peruenerunt? Quoniam nullum diem nec horam ſine progreſſu ſpirituali prætermittebant, & acquirentes quotidie nouas uirtutes, & acquiſitas conſeruãtes ad tãtam perfectionem deuenere. Beatus uir, cuius eſt auxilium abs te, inquit regius uates. Et quare ò rex ſancte? an quia ditior, aut ſapientior, aut honoratior erit? nequaquam, ſed quia aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Qui fuerit amicus Dei, & cui Deus ſua diuina gratia, & auxilio fauet, hic altas cogitationes habet, & in corde ſuo quotidie in uirtutibus proficere firmiter proponit. O utinam tãtam famem uirtutum, quantam ambitioſi honorum haberemus, facile profectò eſſemus ſancti. Ambitioſus fit magnus dominus, eo quod oculos non ponit in eo, quod

B. Tho. 2. 2. q. 22. art. 7.

Pſal. 83.

quod habere poterat: atque ita plures honores,& imperia quotidie acquirere procurat. Poſtquam Alexander magnus totum terrarum orbem ſuo imperio ſubegerat audiuit,quendam philoſophum diſputantem,& afferentẽ plures eſſe mundos, quo audito plorare cœpit,& rogatus quare tantum mœrorem conciperet, reſpondit. Quia cum decem mundi eſſent,ipſe unius duntaxat dominus erat. Hæc fames honorũ effecit,ut tantus princeps euaderet,nõ enim recordabatur eius, quod poſſidebat,ſed quod poſſidere poterat. Hoc etiam fuit in cauſa,ut ſancti tot in uirtutibus progreſſus facerent:nam tantã famem amoris Dei habebant, ut non recordarentur eorum operum,quæ faciebant, ſed eorum quæ facere poterant.Hæc eſt una ex differentiis inter filios Dei adoptiuos, & inter filios huius ſæculi, quod iſti in bonis operibus retrocedunt,& terga uertunt, illi autẽ de bono in melius progrediuntur. Facta eſt(inquit ſacra hiſtoria)concertatio inter domum Dauid, & domũ Saulis; Dauid quotidie proficiens,& ſe ipſo robuſtior,domus autem Saul quotidie decreſcens. Sic uiri iuſti quotidie nouas uires,nouaſque uirtutes ſpirituales acquirunt: nam habitus uirtutum ex plurimis actibus, earum generantur.Vis in charitate creſcere?Exercete ipſum in Dei amore, & in omnibus operibus,quæ facturus es, prius in corde tuo propone,te ea propter amorem Dei præcipuè facere. Si uis eſſe humilis: plurima humilitatis opera facito, te ipſum contemnens, & alias magnifaciens,& ſic in aliis uirtutibus: hoc enim modo ſicut ex ſemine naſcitur planta,ſic ex operibus,& bonis propoſitis naſcuntur habitus uirtuoſi,quibus iuſti fortiores, ac robuſtiores redduntur.Quod quidem ſecus eſt iſi peccatoribus,qui, quoniam ſanctis exercitiis non dant operam, ſemper deteriores fiunt. Etenim ſicut inſanus eſſet ille, qui intenderet,ut in horto ſuo lactucæ naſcerentur, cum ipſe eas non ſeminauerit:ſic amens & rationis expers eſſet ille,qui uirtutis ſtudioſus eſſe intenderet abſque eo,quod ſe in uirtutum actibus exerceret. Conſilium ergo huius ſancti apoſtoli ſumamus qui ait. Inter mittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectionem feramur.

2. Reg. 3.

Simile.

Diligentię in operatione virtutum mirabiles effectus.

POſt quam D.Paulus egit de magno fructu, quem iuſti in gloria percepturi ſunt ex uirtutibus, in quibus ſe in hac uita exercuerunt, nos admonet, & inuitat ad aſſiduum, & diligentiſſimum earum exercitum dicẽs. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite,greſſus rectos facite pedibus ueſtris,ut non claudicãs quis erret,magis autem ſanetur, hoc eſt, nullus ſit otioſus,nec(ut aiunt) manu ſupra manum, ſed ſemper in aliquo opere ſtudioſo ſe occupet,etſi ad honorem Dei opus fuerit per diuerſa loca diſcurrere, nemo deficiſcat. Tanti ponderis,& momenti hæc contra otioſitatẽ exhortatio eſt, vt multo ante incarnationem verbi diuini miniſtros ſacroſancti euangelij Spiritus ſanctus ad eam credentibus prædicandam præparauerit: atque ita per Iſaiam Prophetam cum Apoſtolis & alijs apoſtolicis uiris loquens ait. Dicite, hoc eſt, prædicate, & exhortamini populũ. Quid prædicaturi ſumus, Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.O Chriſtiani, qui cũ Ieſum Chriſto regnare intenditis obſecro uos, ut tempus, quod uobis Deus in hac uita dedit, ut aliam mereretis, bene impendatis: confortate manus diſſolutas [*no andeys los braços caydos, que es propriedad de hombres floxos: leuãt ad las manos, y ocupaos en todo genero de buenas obras*]:& genua debilia roborate *No ſe canſen vueſtros pies diſcurriendo de vna parte a otra en el miniſterio del ſancto*

Euan-

Euangelio, proque os quepa parte de la bẽdiciõ prometida a los medianeros de la paz, que dize.] Beati pedes euangelizantiũ pacem, euangelizantium bona. Ex hac D. Pauli exhortatione infertur, quam digni reprehenſione ſint illi, qui maiorem partem diei prætermittunt abſque eo, quod aliquod opus uitæ æternæ meritorum operentur. Cum quibus Salomon loquitur dicens. Quod cunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, erunt apud inferos quo tu properas. Quaſi dicat, ſi in hac uita uos plurimis meritis ditare omni ſtudio, ac diligentia non curatis, ſcitote quod poſt ſepultura, ad quam omnes uelociter feſtinamus, non eſt opus, ideſt, nõ eſt meritum, nec demeritum, ſed præmium meritorum, aut pœna peccatorum. Nec ratio hoc eſt, apud inferos, & in alia uita nihil ualebũt Ariſtotelis argumenta, nec Tullij eloquentia, aut Quintiliani rethorica: nec ſcientia, nec ſapientia, hoc eſt, nec ſufficiet ſcientia Philoſophorum, nec ſapientia Magorum ad hoc, ut uos de peccatis, quæ uobis obiecta fuerint, excuſetis. Inſanus profecto eſſet agricola, qui cum triticum non ſeminauerit, illud colligere intenderet. Sic amentes eſſent illi, & omni ratione carentes, qui in alia uita fructus percipere exiſtimarent, abſque eo quod in hac non laborauerint. Per agrum pigri tranſiui, & per uineã ſtulti uiri, inquit Sapiẽs in Prouerbijs: & ecce totum impleuerunt orticæ, & operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ: & maceria lapidum deſtructa erat. Quod cũ uidiſſem, poſui in corde meo (hoc eſt obſtupui, & conſiderare cœpi) & exemplo didici diſciplinam, ideſt, hinc eduxi magnam utilitatem, atque excellentem doctrinam animæ meæ: propoſui enim in corde meo, & dixi. Magna incuria, & negligentia domini huius agri, & uinearum duo ingenia mala in illis effecit, alterum eſt [*que eſtan llenas de maleza, y el otro que no lleuan fructo alguno, qual ſeria ſi por eſtar yo aſſi ocioſo, y no me exercitar en las uirtudes ſe hin chieſſe mi alma de uicios y al tiempo de coger el fructo, no lo hallaſſe.*] Exemplo didici diſciplinam.] *Eſcamentare de aqui adelante en cabeça agena huydendo la ocioſidad, y dando me trabajos, y exercicios de virtudes.*] O Deus infinitæ bonitatis, & clementiæ aperi oculos noſtros, & illumina intellectus noſtros, ut hanc cœleſtem doctrinam ſequamur: Per ſtrangem, & ſterilitatem terrarum corpo alium intelligamus noſtrarũ animarum ſterilitatem: & ſiquidem nunc per tempus licet opportunum remediũ quam citiſſimè quæramus. Maximam admirationem affert diligentia, quã in ſti in uirtutibus ſe exercebant. Quando Patriarcha Abraham tres illos angelos in humana figura hoſpitio excepit, inquit ſacer textus. Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Sarram, dixitque ei. Accelera tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericeos panes, ipſe uero ad armentum cucurrit, & tulit inde uitulum tenerrimum, deditq; puero qui feſtinauit, & coxit illum. O admirabilem ſancti uiri, & familiæ ſuæ diligentiam? Vnde Origenes ait. En ſenex cucurrit, Sarra accelerat, puer feſtinat, nulluſque piger inuenitur in domo ſapientis. Poſtquam D. Paulus credentes ad bonorum operam, & diligentiam hortatus eſt, eos docet unam ex præcipuis circunſtantiis, quas debent exteriores operationes ad hoc quod ſint meritoriæ habere, videlicet, vt procedant ex bona intentione, & ex bonis animæ deſiderijs. Greſſus, inquit, rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autẽ ſanetur. Proſequitur ſanctus Apoſtolus metaphoram ſuam potentiarum motiuarum exteriorum, & aliquorum earum miniſteriorum, quales ſunt pedes corporales, intelligens per illos deſideria, & inferiores animæ affectus: ipſi. n. ſunt, qui animam in diuerſas operationes, & exercitia mouent, ſicut pedes in diuerſa

Iſa. 52. Ecc. 9. Prou. 24. Gen. 18.

diuerſa loca corpus ducunt. Contendite ergo, inquit ſanctus Apoſtolus, vt greſſus ueſtri, hoc eſt operationes ueſtræ, à bonis deſiderijs, & ab intentionibus rectis, ut ſic Deo ſint acceptæ, procedant. Nam ieiunium, eleemoſyna, oratio, atque alia ſancta exercitia, tunc erunt meritoria, quando uos ipſos moueritis ad ea propter Deum tantummodo facienda: erũt autem reprobata ſi intẽtio ueſtra inanis gloriæ fuerit. Quoniam autem ex eo, quia bona opera in bonum finem non dirigimus, multa inconuenientia oriri ſolent, inter quæ unum eſt cæcitas intellectus, ut in fide prolabamur, idcirco adiecit ſanctus Apoſtolus: ut non claudicans quis erret. Termini ſunt tranſpoſiti, ideo ſic literam connecte: ut claudicans non quis erret. Quod perinde eſt, ac ſi dicat. Scitote fratres primum peccatum, quod homo committit, non eſſe à fide deficere, qui eſt error intellectus, ſed prius alia minora peccata perpetrat de quibus cum pœnitentia non agat, ſolet paulatim, & ſenſim in deterius procedere, quouſque tandem perueniat ad maximum peccatum, quale eſt fidem amittere. Atque ita poſtquã Sapiens diſſolutionem improborum, & deprauatas ipſorum intentiones retulit, inquit. Et hoc cogitauerunt, & errauerunt, hoc eſt deliquerunt prauos fines, intendentes, & ita in maximos errores inciderunt, & reddit rationem. *Sap. 2.* Quia excæcauit eos malitia eorũ, quaſi dicat. Non eſt mirandum, quod improbi homines in notabiles errores inciderint, ſi quidem in eorum uoluntate (quæ eſt principium, unde cæcitas intellectus dimanat) tanta malitia præceſſerat. Hoc idem ſignificare uoluit ſanctus Apoſtolus, dum ait: ut claudicans non quis erret, hoc eſt, pertimeſcite ualde, quod ſi opera ueſtra retorta fuerint, & non in Deum, ſed in prauos fines directa, pertimeſcite, inquã, ne uos Deus derelinquat, & tandem ſidem amittatis, ſicut ſolet ſæpiſſimè euenire: magis autem ut ſanetur, hoc eſt magis oportet, ut opera ueſtra maxima cum puritate cordis faciatis, vt ſic ex illis animæ ſanitas reſultet. Hoc dicit, quoniam vel etiam in ipſis iuſtis ſolent eſſe plurimæ imperfectiones, atque ægritudines ſpirituales, quæ paulatim ſanctis exercitiis, ſancta intentione peractis conſumuntur.

DIVITIAE.

EXpuluere Ægypti Moyſi virga percuſſo innumerabiles ciniphes geniti ſunt, qui Ægyptios die ac nocte vexando pungebant. Hoc terrenatum poſſeſſionum puluis habet, quod innumerabiles curas, & ſolicitudines ex ſe parit. Vnde Dominus ſpinas appellauit diuitias, quoniam (ut B. Gregorius inquit) cogitationum ſuarũ aculeis mentem lacerant, & dum, uſq; ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto uulnere cruentant. Ideo Beatus Chryſoſtomus ait. *B. Chry. homil. 14. de auaritia.* Qui fieri poſſet, ut beſtia non ſit beſtia? Equidem poſſum illam immutare ſi uos uelitis. Quo pacto igitur à ſua feritate mutabitur? *Simile.* ſi didicerimus quomodo fiat ſæua more leonũ, more pardorum, more urſorum, qui dum includuntur, coercenturque in tenebris, erigunt animos, acuuntq; iras. Itidem & diuitiæ, dum includuntur acrius rugiunt, quàm leones, perturbãtque omnia, quod ſi eas è tenebris eduxeris & in egenorum uentres diſſemines, ex feris beſtiis fiunt oues, pro ſcopulis fiunt portus, pro naufragio tran-

quil-

quilitas, quandoquidem hoc & in nauigiis uidere licet, ſi quando onus eſt iuſto grauius demergit cymbam: rurſum cum eſt moderatum proſpero fertur curſu. Idem uſu uenit in noſtris ædibus, cum ultra quam uſus poſtulat congeris pecunias exigui uenti procella, & quiuis rerum inexpectatarum incurſus cymbam demergit, at ſi tantum reponas, quantum poſtulat neceſſitas, et ſi vehemens turbo ingruat, facile percurris undas. Noli igitur plus concupiſcere, quam exigit neceſſitas, ne totum amittas, noli præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus uniuerſis exuaris, ſed, quod ſupereſt, reſeca. An non uides, quod agricolæ uitem putant, ne uim omnem in pampinis, & palmitibus, ſed in radice proferat? Idem & tu facito; amputa folia, omneque ſtudiũ huc intende, ut quamplurimum fructus ferat.

B. Chry. cõcione 4. de Lazaro. Simile.

Idem ſanctiſſimus Doctor in quadã concione ait. Quemadmodum conſpicientes in pariete pictum diuitem, ac pauperem, nec illi inuidemus, nec pauperem deſpicimus, eo quod quæ uidemus umbra rerum eſt, non ueritas. Sic & diuitiarum, & paupertatis, gloriæ, & ignominiæ, aliarumque rerum omnium ſiue triſtium, ſiue lætarum naturam ſi pernouerimus, liberabimur à perturbatione, quæ ex harum unaquaque in nobis gigni ſolet. Hæc enim omnia quanuis umbra fallaciora, nec quicquam habent ſublime, nec præclarum, nec ſplendida, glorioſaque attollere, nec humilia cõtemptaque deijcere poterunt.

B. Chry. homil. 63. in Geneſim. Simile.

Idem beatiſſimus Præſul in quadam homilia inquit. Sicut pueri ſæpè quando cultellos, & gladios arripiunt, eo quod neſciunt bene illis uti, periclitantur (unde matres non permittunt illis eos impunè attingere) ita profecto & iuuenes, qui pecuniarum abundantiam ſuſceperint, cum nolunt eis bene uti, in periculum certum ſeſe præcipitant, ſarcinam peccatorum ſibi inde colligentes, naſcuntur enim inde luxus, delitiæ, & ab ſurdæ uoluptates.

Idem ho. 7 de pæn.

Idemque homilia alia ait. Si calciamenta quis ſupra menſuram pedibus adegerit itinere certe prolixiori impedimenta ſentiet, & ueſtimentum induens corporis ſtaturam excedens pari modo implicabitur, atque ſuperfluum ubique in eo, quod ſatis eſt ad opportunitatem, inutilis eſt. In pecunia multo fortius id euenit, & qui ſupra quod ſatis eſt, habent non modò in ipſa ſufficientia ſed in neceſſarijs, quibuſdam impediuntur. Nam quid de foris in agone currunt, & ipſa exuunt ueſtimenta, viam uero in cælum ferentem, & eandem arctam, & arduam tot cum impedimentis quomodo poteris ambulare?

B. Chry. homil. 14. in Matt.

Et alia homilia idem sãctus Doctor inquit. Nullo modo præſens vita uidetur differre à carcere. Sicut enim cum triſte illud introimus habitaculum circũdatos uidemus, ac uinctos cathenis; itam nunc ſi vniuſcuiuſque animam ingrediamur, videbimus eam duriori bus ferro vinculis alligatam, & maximè ſi in diuitũ intremus animas. Sicut enim cum aliquem uideris uinctum ceruice, manibus, pedibuſque ferratum propterea illũ maximè miſereris. Sic etiã cum uideris diuitem cunctis rebus omnino circundatum, noli eum propterea putare locupletem, propter quæ debes infœlicem uocare. Præter illa quidem uincula, habet cuſtodem carceris ſæuiorem, amorem pecuniarum, qui ſemel à ſe uinctum nequaquam de hoc carcere exire permittit, ſed mille illi imponit cathenas, & oſtia, & ſeras, atque cuſtodias in interiorẽ illum conijciens carcerem, etiam delectari his uinculis facit.

B. Chry. homil. 10. in 1. ad Cor.

Idem B. Chryſoſtomus ait. Cibus corporis mẽbris communiter diſtributus, ſi in unum membrum uenerit ab illo quoque alienus fit, cum digeri nequeat, nec præbeat nutrimentum. Si autem eum alijs communicauerit, & illius, & omnium proprius erit. Sic in diuitijs ſi tu ſolus illis frueris, etiam tu ſolus eas amittes: non enim earum fru

ctum

ctnim accipies, ſi cum alis poſſederis, tunc longe magis tuæ erunt, tunc accipies utilitatem, non ne uides, quod manus miniſtrat, os mandit, & uenter accipit? Nunquid uenter dicit, qoſt quã ego accepi omnia mihi ſeruare debeo? Noli igitur & tu hoc de pecunijs dicere. Et rurſus ait. Si te amicum quendam habentem omnes illius gratia honore afficerent, ſimul tamen ingenuè faterêtur, nullo te prorſus honore dignum eſſe, ſed propter illum amicum tuum cogi, honorare te, nunquid non magis ignominia te afficerent? Ita diuitiæ nobis ignominiæ cauſa ſunt. Et ſi quis tibi diceret. Te quidem nullo arbitror honore dignum, ſed propter ſeruos tuos honore te afficio. Hac ignominia quicquam peius eſſe poteſt? Si uero turpe eſt honori eſſe propter ſeruos, multo magis propter iſta, quæ uiliora ſunt, parietes dico ædium, & aulas, uaſa aurea, & ueſtimenta: ridicula uerè ſunt iſta, & turpia animum turpem faciunt. Etenim ſi formoſo quodam exiſtente corpore accendentes diuitiæ denuntiarent, ac iuberent pro illo formoſo reddere turpe, & pro ſano ęgrotum, & pro ſedato inflatum, tunc facerent quoque faciem, atque undique inflarent, item & pedes trabibus etiam grauioribus eos redderent, & poſt iſta nec curare uolentibus ueniam, & indulgentiam promitterent, ſed tantam licentiam libidini darent, ut ſi quis accederet, nocumenta illa ablaturus, illum etiam punirent. Dic, quæſo quando diuitiæ iſta faciant, & infligant animæ, quomodo bonum eſt eſſe diuitem? Sed poteſtas illa licẽtioſa peior eſt morbo. Ægrotum enim ne medicorum quidẽ acquieſcere legibus peius eſt, quã ſimpliciter ægrotum eſſe. Id quod in ſe habent diuitiæ undique animum intumeſcere facientes, medicorumque acceſſum, & operam prohibentes. Ita non exiſtimemus illos beatos eſſe licẽtiæ, ac poteſtatis gratia, ſed miſereamur potius. Nec enim ſi uidero iacentem hydropicum, & neminem prohibentem, quominus quantum uoluerit, edet, carnibuſque nociferis uecentẽ, p[...] tatum illum reputauero.

B. Chry. homil. 7. ad Coloſſ.

Simile.

Simile.

Seneca inquit. Multis paraſſe diuitias, non finis miſeriarum fuit ſed mutatio: nec hoc miror, non eſt enim in rebus uitium, ſed in animo. Quemadmodum nihil differt, utrum ęgrum in ligneo lecto, an in aureo colloces quocunque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum tranſferet. Sic nihil refert, utrum animus æger in diuitijs, an in paupertate ponatur: malum ſuum illũ ſequitur

Senec. epi. 17.

Simile.

Iſidorus Clarius ait. Quæri poteſt, cur in diuitijs tantum Dominus apud D. Lucam dixerit. Facilius eſt camelũ per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum Dei, non in alijs uitijs. Sed uidentur mihi omnes, qui peccant, tanquam naufragium facere. In quo alij adhærent alicui obnixi non omnino ſine ſpe ſunt, alij ſine ſpe relicti uadis fuerunt, qui ſi ſeruentur ſolius Dei beneficio acceptam referunt ſalutem, quam uis etiam alij, qui tabula ferebãtur, gratias Deo Saluatoris agũt. Diuites ergo ſimiles illis ſunt, qui amiſſa alioquin omni ſpe, ſolius Dei quodam miraculo ſeruantur: ideoque rogantibus diſcipulis, & quis poteſt ſaluus fieri? ait Dominus. Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Cum autem tam periculoſæ res ſint diuitiæ, is tamen fœlicior à ſtulto hominum errore creditur, qui ditior eſt, hoc eſt, qui ſæuioribus circumuoluitur fluctibus. Beatus Chryſoſtomus inquit. Spinæ ſunt diuitiæ, quæ non ſolum fructum non afferunt æternum, ſed fructificare volentes impediunt. Irrationalium camelorum cibus ſunt ſpinæ, quæ alimoniæ ſunt, ac ſumptus ignis, ad nihil vtiles: tales ſunt diuitiæ: nulli ſunt uſui, niſi ad incendiũ camini, ad incendium illius diei, qui ardebit uelut clibanus, ad alimoniam affectionum irrationalium, utpotè ini iuria-

Iſid. Clar. orat. 1. in Matt. Luc. 18.

Simile.

B. Chry. homi. 3. in 2. ad Theſ.

Simile.

uriarum memoriam & iram. Talis eſt etiam Camelus ſpinis veſcens: ferunt enim, nullum eſſe ex omnibus iumentis: quod ita iniuriam acceptam tenaciter contineat, ita malum illatum recordetur, ut Camelus: tales ſunt diuitiæ irrationales animi affectiones paſcunt, rationales uerò pungunt, ac vulnerant, quemadmodum ſpinæ faciunt. Hæc planta durum quid eſt, & ſcabrũ. Spina in locis ſaxoſis, & aridis, & vbi nulla eſt humiditas, naſcitur. Igitur ſi quis ſcaber eſt, & præruptus, hoc eſt, immiſericors, naſcuntur in eo ſpinæ. Quod ſi quando iſtas ſpinas agricolæ uolunt excidere, non ferro hoc faciũt, ſed ignem illis immittunt, atque vniuerſam telluris malitiam auferũt, quoniam enim non ſatis eſt illas ſuperne excidiſſe, manentibus adhuc radicib. immo ne radices quidem euulſiſſe: manent enim etiam ſic in terra per malitiam in ipſis contractam, & quaſi peſte quadam corpus occupante.

Diuitiæ poſſeſſæ ab iniquis.

Abundant tabernacula prædonũ, & audacter prouocant Deum, cũ ipſe dederit omnia in manus eorum,
Iob 12. inquit ſanctus Iob. Quos ſanctus vir appellauerat diuites præcedenti uerſu, iam nunc prædones appellat, hoc eſt, homines uiolentos, & oppreſſores. Oſtendit enim in hoc, diuitias bonis, & malis eſſe communes, ac proinde nihil habere admiratione dignum. Nam ſi tanti eſſent faciendæ diuitiæ, quanti aliqui exiſtimant, iuſtis potius eas concederet diuina prouidentia. Docet ſecundo diuitias, & hæc, quæ fortunæ bona appellamus, in domibus ſceleratorum potius conſedere, & ut in plurimum his rebus illos abundare, qui uirtutis, & æquitatis, ſunt nimis indigentes. Sapienter ueteres homines Deum diuitiarum finxere luminibus captum, quod ſine delectu impiorum, & nefariorum hominum, domos diuitijs impleret: vt eſt apud Ariſtophanem priori comœdia, quę Plutus inſcribitur. Tertiò docet hęc bona fortunę impijs hominibus à ſummo Deo non tam data, quàm cõceſſa, propter occultas ſuę prouidentię rationes: vel quod virtutis ſpecimen aliquod prę ſe ferant, & ad publicas utilitates amplificandas, ſe ſe accommodẽt. aut leges ſanciẽdo, aut pro æquitate pugnando, ut Beatus Auguſtinus de Romanis inquit. Tanta eſt enim iudicis Dei munificentia, ut nullam virtutis actionem in hac uita præmio deſtitutam relinquat. Aut fortaſſe hæc bona tyrannis & oppreſſoribus reipublicæ concedit in ſuam ipſorum perniciem. Nam ſolent diuitiæ hominum animos excitare ad perfruẽdas uoluptates, ita ut omni ſe ſcelere, & flagitio coinquinent. Atqui maxima ſtultitia eſt horum, qui diuitijs abundant, ut cum omnia eis à ſummo Deo, uel data ſint, uel conceſſa, non tamen uereantur incredibili procacitate Deũ prouocare, qui omnia dedit in manibus eorum. Hoc enim eſt bellum, à Gigantibus, & hominibus incredibili corporis uaſtitate contra Iouem inſtitutũ, apud oratores, & poetas celebratiſſimum. Nam diuites, & opulenti, quos tyrannorum, aut Gigantum nomine ſignificabat antiquitas, eò magis contra Deum ſuperbiunt, quo maioribus beneficijs ab eo cumulantur, & qui diuina munificentia, et liberalitate ad deferenda numini religionem, et cultum excitari debuiſſent, prouocantur multo magis ad conſectanda ſcelera. Denique donis fiunt peiores. Duo hominũ genera eſſe antiquitas prodidit: alios appellabat filios cæli, qui diſciplinarũ amore flagrantes cæleſtia pene trarent. et mentis ſagacitate ualerent, et intelligentia uiuerent. Eos uerò, qui intelligibilem mundum tranſcriberẽt, et in dulcem patriã fugerent. (Vt Plato inquit) diuino cultui mancipati, Dei filij dicebantur, quæ uera demum, et ſolida fœlicitas eſt. Alios appellabant

B Aug. li. 18. de ciu. Dei. c. 24.

filios terræ, quæ maxima turba eſt. Nā poetica fabuloſitas, Heſiodo principe, terra prognatos Gigantes eſſe dicebat, quod terrena tantum ſaperent, proni in paſtum, & uentrem, diuina omnia negligentes, atque negantes. Vnde natum eſt ut cum cæleſtibus pugnaſſe dicantur & eos prouocauiſſe: quod non aliud uidetur, quam diuinis legibus, & naturæ repugnare. Ideo addit Sanctus Iob nimirum: Interroga iumenta, & docebunt te: & uolatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Ac ſi dicat: nemo poteſt eſſe tam mentis impos, tam rationis expers, qui non intelligat, & Deum eſſe, & omnium rerum eſſe conditorem, ac totius uniuerſitatis rectionem penes eum eſſe, ideoque ſuper omnia diligendum. Et ne fortaſſe his increduli ſitis, pecudes ipſas & iumenta, & uolucres, quæ ſenſu tantum, & appetitu ducuntur interrogare, & quod amplius eſt, multa elementa, ut terram omni ſenſu, & motu uacantem: aut interrogare potius, ſi liber, piſces maris: qui (ut Plinius inquit) inter cæteras animantes ſunt hebetiores, minuſque poſſunt ſenſus acumine, atque docebunt hęc omnia aperta uoce. Hæc interrogatio, de qua inquit ſanctus Iob, Interroga iumenta, & docebunt te, &c. eſt diligens quædam animaduerſio humanę mentis circa ordinem creaturarum, & leges ipſas, quibus totus orbis gubernatur, & regitur. Nam ſi hæc intento animo perpendantur, nemo tam ſtultus eſt, qui non intelligat omnium rerum creatorem, & moderatorem eſſe Deum, eundemque optime mereri de hominum genere, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate, religionem colat, probe noſſe, piorum denique, atque impiorum habere rationem. Hæc (inquit Iob) dicere poſſunt iumenta. Poſſunt docere uolucres, &c. modo quiſpiam uelit, pecudes, & iumenta, cæteraſq; res interrogare, hoc eſt illarum ordines, & naturas inueſtigare.

Diuitiæ, contemptæ à iuſtis.

SI putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea inquit Sanctus Iob. *Iob 31.* Tractauerat proximè ſuperioribus uerſibus, infeſtum nunquam fuiſſe pauperibus, eo quod illis ſe ſuperiorem cognoſceret: ſuperior autem erat diuitiis, opibuſque, quibus munitus facile pauperum in ſe impetus cohiberet. Deſcriptiſſimè igitur hoc uerſu, qui proximè ſequitur generalius, quod attinet ad diuitias tractat, nunquam in eis fiduciam ſuam poſuiſſe affirmans. Quare doctiſſimè tangit principum difficultatem, & maximum eximiæ uirtutis & integritatis ſuæ impedimentum. Ea enim imprimis de cauſa diuites, & opulentos homines uirtutem colere difficillimum eſt, quod cū plurima uitæ ſubſidia in ſuis fortunis inueniant, uix poſſunt in illis non confidere, atque in illis firmiſſimum, & certiſſimnm præſidium ſibi paratum eſſe non putare. id quod Sapiens docet *Prou. 18.* in prouerbiis dicens. Subſtantia diuitis urbs fortitudinis eius, & quaſi murus ualidus circunſtans eum. In qua re ſummum illud periculum poſitum eſt, in quo diuites uerſantur ſuæ ſalutis cōſequendæ ut ſeruator ipſe Ieſus Chriſtus autor eſt apud Marcum. *Marc. 10.* Quam difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire: apertam enim Deo, & teſtatam iniuriam faciunt, cum ſit in ipſo tantum ſpes firma ſalutis, & ſubſidii collocanda: Dei enim eſt ſolius in omni diſcrimine opem ferre: quod etiam diuitiis homines huiuſmodi uidentur aſcribere. Quod certiſſimum à diuitiis periculum eximiæ, & admirabilis uirtutis eſt ſubterfugere. Vt prædicat Eccleſiaſticus dicens. *Eccl. 31.* Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, neque ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & lau-

& laudabimus eum? fecit enim mirabilia in uita ſua. Quare vehemēter ſanctus Iob ſuam virtutem commendat de ſe dicens. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea. Ad quod pertinet etiam, quod ſequitur. Si lætatus ſum ſuper multis diuitijs meis, & quod plurima reperit manus mea. Hoc eſt non lætatus ſum. Scut ille diues letabatur, qui dicebat. Anima mea habes multa bona poſita in annos *Luc. 12.* plurimos, requieſce, comede, bibe, & epulare. Qui ita cor ſuum in diuitijs non appoſuit, quamuis abundanter affluerent, potuit etiam dicere quod paulo inferius ſequitur. Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam. In quibus uerbis exiſtimo, ſanctum Iob de ea uirtute agere, qua quis uita & oratione uerax eſt: ea ſibi modo uendicans, quæ inſunt, nec maiora, nec minora, de *4. Ethi. c. 7* qua diſſerit Ariſtoteles in Ethicis. Cui arrogantia eſt, & hypochriſis cōtraria, qua quis longe maior & melior uideri vult, quam re uera eſt. Quamobrē peccata, & uitia ſua magna cura celare ſtudet. Quod hominum genus Chriſtus Ieſus ſummus mundi magiſter vehementer in Euangelio inſectatur, & ſuis coloribus deſcribit apud Matthæum dicens, Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, Sic & uos à foris quidem apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. Contra B. Iob faciebat, ut hoc loco de ſe dicit, ſed eam viam tenebat, quam ad gloriam Socrates compendiariam eſſe dicebat. Si quis id ageret, ut talis eſſet, qualis haberi uellet. Quod vero dicit: quaſi homo, in Hebræo eſt Adam. Quare poteſt eſſe nomen proprium, uel commune. Proprium primi parentis, qui peccatum ſuum grauiſſimum diſſimulare, & excuſare uolebat, illudque in vxorem conferre: Commune uero ſi ſit, tangit hominū peruerſum ingeniū, qui pro nihilo peccare ducunt, ut tamen peccatum in occulto lateat, magno ſtudio contendunt.

DOMINI

potentes.

OMNIA quæ habentur litera P. titulo Potentes tyranni deſeruiunt huic materiæ.

ECCLESIAE dedicatio.

POSTQVAM perfidi Iudæi Chriſtum Ieſum ſeruatorem noſtrum falſis criminibus ad cædem vocarunt, fuit templũ illud Hieroſolymitanum euerſum, & eius euerſione appropinquante auditæ ſunt uoces angelorum dicentium. Exeamus ab his ædibus, ut hoc magnæ autoritatis hiſtoriographi memoriæ prodiderunt, quales ſunt Ioſephus, & Ægeſippus atque Euſebius in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria.

Ioſ. li. 7. de bel. Iud. c. 17 Aegeſ. li. 5. c. 44. Euſeb. in hiſt. eccle. c. 5.

Veruntamen quando templum illud euerſum eſt, multæ iam erant Chriſtianorum eccleſiæ, quæ tempore Apoſtolorum fuerunt ædificatæ: vbi fideles, quæ ad religionem, & Chriſti fidem pertinerent, docerentur, Deum orarent, & ſanctiſſimum corpus Domini ſumerent. In Actis enim Apoſtolorum legimus, Paulum, & Bernabam per ſingulas eccleſias presbyteros cõſtituiſſe. Poſtea autem tanta fuit Conſtantini Imperatoris pietas, & religio, ſimulque aliorum fidelium illius ſæculi, ut Romæ pluſquam tria millia templa Deo, & diuis conſecrata fuerint: ut refert Andreas Fuluius in ſuo libro de antiquitate romana. Denique ſi attente legantur epiſtolæ Diui Pauli, & Acta Apoſtolorum, & antiquæ hiſtoriæ fidei dignæ, uidebitur abſque dubio fuiſſe ſemper in Eccleſia Chriſti ſacras ædes in Dei, diuorumque honorem conſtitutas.

Act. 14.

Et audent impij Lutherani hanc apertiſſimam veritatem procaciſſima fronte negare: aiuntque ſacras ædes, & Eccleſias Deo dicatas mera eſſe figmenta. Immo eas contaminant, & ſpiritu ſatanico concitati funditus euertunt. Quid quęſo, indignius, & magis ſacrilegum uiſum vnquã fuit ſub ſole? Cum quondam, Romanorum imperium obtinente Aurelio Alexandro homine infideli, publicum quendã locum occupaſſent Chriſtiani, ibique eccleſiam condidiſſent, vbi funderent precationes. contra autem caupones quidam gentiles ante ſuum eſſe locum illum contenderent. Imperator gentilis audita controuerſia reſpondit: quoquo modo eſſe ſatius in illo loco Deũ colere, quàm cauponariam ibi exerceri. Hiſtoriam hanc refert Baptiſta Fulgoſius. En qualiter homo à Chriſti fide alienus ſolum lumine naturali illuſtratus templa à Chriſtianis condita conſeruabat, & Lutherani, qui ſe Chriſtianos iactant, diruunt, & prophanãt. Pagani in ſuis terris templa ſuſtinent, & ſceleratiſſimi. Lutherani ea omnia vaſtant, atque deſtruunt. Quis ergo non uideat hæreticos huiuſmodi eſſe omnibus tyrannis immaniores, teтriores, & peſtilentiores? Gentilis ille imperator inquit, quo quo modo eſſe ſatius in illo loco Deum colere, atque laudare, quam cauponariam exerceri. Lutherani autem laudes Dei, & horas canonicas condemnant. Quid ô impij Lutherani uoluit ſacra ſcriptura in libro Ioſue ſignificare, quando memoriæ prodidit corruiſſe muros Hierico, cum ſacerdotes ſeptem buccinis clangentes urbem ſepties circuirent, niſi forte vt diaboli machinæ ſeptem horarum canonicarum buccinis corruerent? Septem fuere buccinæ clangentes. Et Dauid: Septies (inquit) in die laudem dixi tibi. Diuus Cyprianus aſſerit, horas canonicas fuiſſe etiam in ueteri teſtamento obſeruatas.

Ioſ. 6.

Vt

ut inde intelligatis, quanta ſit earum antiquitas. D. Hierony. in epiſtola ad Demetriadem de uirginitate ſeruanda, & in epitaphio D. Paulæ horarum canonicarum etiam mentionem facit, ſimiliter & B. Chryſoſtomus, & D. Baſilius, atque innumeri alij patres, quos longum eſſet recenſere. Hanc autem piam, & antiquam Eccleſiæ conſuetudinem ſacris canonibus roboratã, ſanctis Concilijs confirmatam, quam ſancti illi mirabiliter, & inuiolabiliter ſeruauerunt, impudentiſſimo ore, & fœtido blaſphemant Lutherani. Alio ſpiritu ducebatur B. Auguſtinus, qui multis in locis eos laudibus effert qui Eccleſias erigunt, & præcipuè libro uigeſimo contra Fauſtum, & libro uigeſimo primo de ciuitate Dei, hanc materiam proſequitur. Cæterum Maximus ille Conſtantinus Imperator eodem ſpiritu diuino edoctus, ubi Chriſti fidem recepit, gentilica ſuperſtitione repudiata, ueram religionem dilatare contendit. Qui non contentus fuit multas Romæ Eccleſias ædificare, quas omnes magnificis ornauit muneribus, magnifque prouentibus dotauit, ſed etiam (vt narrat Nicephorus) Conſtantinopoli tria maxima templa ſeruatori Chriſto conſtructa dedicauit, & multa alia diuerſis in locis, quorum idem meminit hiſtoriographus.

Sed mirabitur fortaſſe quiſpiã, quod iſtis parietibus, & lapidibus ſancta mater Eccleſia feſtum faciat: nam feſta ad honorem Dei, & ſanctorum eius ſunt inſtituta. Sed qui hæc diligenter conſiderare voluerit, reperiet hunc ritum antiquiſſimum eſſe, & à Domino obtinuiſſe dignitatem, & authoritatẽ. Ipſe enim cum alijs hoc feſtum celebrauit, *Ioan.10.* ſic enim euangeliſta ait. Facta ſunt encænia Hieroſolymis, & hyems, erat, & ambulabat Ieſus in portico Salomonis. Encænia enim dedicationis feſtum tẽpli erat, & Salomon magnifico illo tẽplo conſtructo, cum ipſum Domino dedicare voluit congregato omni populo præclaram egit feſtiuitatem quatuordecim diebus, & deinde per ſingulos annos huius dedicationis anniuerſaria feſtiuitas agebatur. Antiquior itaque eſt ritus ſolẽnitatis templorum, quàm ſanctorum: nam in toto illo ſynagogæ tempore nullius ſancti feſtum celebrabatur, neque Moyſi, neque Dauid, neque Samuelis, neque Abrahæ, neque alterius cuiuſpiam prophetarum, aut Patriarcharum: cum tamẽ per ſingulos annos à tempore Salomonis, huiuſmodi templi dedicatio coleretur. Quid ergo mirum, ſi nos impendamus veritati, quod illi figuræ tribuebant? Quãto ſanctiora ſunt noſtra templa, quam illud magnificum Salomonis? In illo arca lignea, in hoc Dei maieſtas reſidet. In illo animalia comburebantur, in hoc corpus Chriſti immaculatum, & pretioſus ſanguis eius offertur. Vide nunc templum templo quid intereſt, feſtiuitas feſtiuitati quid præſtat. Sed heu, heu, & milles heu: Pudet illorum temporum recordari, quoties illorum venerationem & cultum, & noſtram non reuerentiam, & cultum, ſed noſtrã irreuerentiam, & tepiditatem intueor. Quid putas, feciſſet Dauid, quid Elias, quid Samuel, Iſaias, Daniel, & cæteri ſancti, ſi Dei maieſtatem in ſuis delubris præſentem ſicut nos habuiſſent? Quo honore, quo timore, qua deuotione, qua etiam reuerẽtia illã coluiſſent? Qui venerabantur vmbram quomodo ipſam coluiſſent veritatem. In Moyſi *Exo.28.* tabernaculum ſoli ſacerdotes, & veſtibus ſacerdotalibus induti, & nudis pedibus, & ablutis, cum ſummo ſilentio & obſeruãtia intrabant, & hebdomada, qua intraturi erant, vinum & ſiceram nõ bibebant: in noſtris autem templis, cum venerandum illud, & angelicis ſpiritibus, ac poteſtatibus tremendum ſacrificium offertur, quantus puerorum ſtrepitus, quantus loquentium & deambulantium ſonitus, quantum inter diuinas laudes ridentium, & negotiantium murmur? Nulla deuotio, nullus ordo,

nulla reuerentia, nullus diuinæ maieſtatis reſpectus. ſed neglecta omnia, cōfuſa omnia, deiecta omnia.

Veruntamen obſeruandū nobis eſt, quod B. Auguſt. de hac materia agens inquit. Quotieſcūq; fratres chariſſimi altaris, uel templi ſolemnitatem colimus, ſi fideliter ac diligenter attendimus, & ſanctè, ac iuſtè uiuimus, quidquid in templis manu factis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione cōpletur: non enim mentitus eſt ille, qui dixit. Templū Dei ſanctū eſt, quod eſtis uos. Ergo animarum ſanctarum hoc feſtum eſt ſpiritualiter intellectū. Illa. n. ſunt templa uiua Dei uiuentis, tā grandiſque capacitatis, ut non ſolum inhabitandi, ſed etiam inambulandi locus Deo in eis ſit. Quia ipſe inquit. Inhabitabo in eis, & ambulabo cū eis. Quotieſcunque ergo bonorū deſideriorū, & affectionū motus, contritionis ſtimulos, deuotionis ardores in te ipſo perſenſeris, greſſus Dei, & ueſtigia Spiritus ſancti in templo ſuo deambulantis agnoſce. O inæſtimabilis dignatio pietatis cum ſint tibi Dñe in cælo tam ſplendida, tam ampla, tam decora palatia, tā illuſtria cæleſtium poteſtatum, & beatorum ſpirituum templa, quibus inhabitas, nec dedigneris paupercula animarum noſtrarum tuguria inhabitare. Vnde ex hoc penſandum nobis eſt fratres chariſſimi, cum quanto timore, ac ſolicitudine uiuere debet anima iuſti, ne forte in ea aliquid turpe, aut indecens inueniatur, quod oculos tantæ maieſtatis offendat.

Eccleſiæ dedicatio.

INter uiſiones, quas B. Ioannes in inſula Pathmos relegatus uidit, una mirabilis fuit illa, quam in quinto Apocalypſis capite refert, ubi ſic ait. Et uidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem, tanquam occiſum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptē ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram. Hic thronus Dei eſt ſacroſancta Eccleſia: animalia uero, & ſeniores ſignificant omnes ſapiētes, & non ſapientes, qui in ea ſunt. In medio autem omnium, & in medio ſanctę Eccleſię eſt uerus agnus Ieſus Chriſtus quaſi occiſus. Nam licet uiuus, & glorioſus ſit, eſt tamen tanquam mortuus: quoniam id, quod in cruce fecit uidelicet pro peccatoribus orare, nunc etiam facit: remedium ac ueniam mundo præbet, & ſic ſemper in ſacroſancta Eccleſia ſua tanquam mortuus eſt, eo quod ſemper mors eius prodeſt tanquam ſi nunc moreretur. Habet autē ſeptem cornua, hoc eſt uniuerſitatem omniū fortitudinū, & poteſtatum, quia fidelibus fortitudinē cōmunicat ad bonorum operum executionem nec non ad laborum tolerantiam. Itaque pueris adoleſcentibus ſenibus, ac iuuenibus fortitudinem præbet, ad reſiſtēdum dęmonum potentiæ. Si puella quædam Herculis fortitudinem haberet, eſſet ſine dubio fortis, ſicut Hercules ſi ergo habet fortitudinem Ieſu Chriſti ueri Dei & ueri hominis, quis eam poterit ſuperare? Deniq; ſeptem oculi ſunt ſeptē Spiritus ſancti dona, quæ integra, ac perfectiſſime ſunt in hoc cæleſti agno. Sicut S. Iſaias prophetauit dicens. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Et de oculis eius (hoc eſt ex eo, quia Eccleſiam aſpicit, & contemplatur) hæc dona exeunt, & in animas iuſtorum confluunt. O bene dictus ſit talis agnus, ac talis redēptor, qui tam promptus, & paratus eſt ad diuina ſua dona in totum terrarum orbem mittendum, quibus omnes ſuos credentes tam fortes reddit, & taliter corroborat, ut omnes mundi hæreſes, & autores earum, quamuis monarchā adiutricem habuerunt, aduerſus ſanctam Eccleſiam non præualuerint. Immo

Aug. *Apoc. 5. c.* *Apoc. 5. c.* *Iſa. 11.*

mo ſicut uitis cuius palmites abſcin-
duntur, uberius fructificat: Sic facta
ſancta mater Eccleſia eſt in perſecutio
nibus tyrannorum & hæreticorum. Au
thoritatem uero, & fidei ſinceritaté hu
1. ad Tim. ius ſanctæ Eccleſiæ declarat B. Paulus,
3. c. qui eam appellat ad Timotheum ſcri-
bens, columnam, & firmamentum ue-
ritatis dicẽs. Scias, quomodo oporteat,
Mat. vl. c. te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Ec
cleſia Dei uiui columna, & firmamen-
tum ueritatis. Quæ quidem ueritas, &
firmitas ex Chriſti ſponſi ſui iugi præ-
ſentia manat, qui apud Matthæum ex-
tremum uale à diſcipulis diſcedens
clauſit his uerbis. Ecce ego uobiſcum
ſum uſque ad conſummationem ſæcu-
Mat. 16. li. Hinc ergo diſcimus, eum Eccleſiæ
ſuæ perpetuum per ſpiritum ſuum eſſe
magiſtrum, qui eã ab omni errore im
munem conſeruet. Quid uero illud, ꝙ
idem Saluator, portas inferi aduerſus
eccleſiam minime ualituras, apud Mat
thæum ait? Per portas inferi omnes dæ
moniorum conatus, omnes hæretico-
rum fraudes, omnes tyrannorum mi-
nas ſignificari certum eſt. Quę cum ità
ſint, quo modo Chriſtus Dominus Ec
cleſiam ſuam tam longo tempore de-
ſeruit, eamq́ue tot erroribus implicari,
& cõmaculari permiſit, donec Luthe-
rus uirginum conſtuprator uenit qui
eã ab erroribus (ut ipſe falſo dicebat)
uindicaret. Quis hoc monſtrũ non hor
reat, ac deteſtetur? Adde his æternita-
tẽ regni Chriſti Ieſu, de quo apud Lu-
Luc. 1. cam. Angelus ad uirginem: regnabit,
inquit, in domo Iacob in æternum, &
regni eius non erit finis. Item in Iſaia:
Iſa. 9. c. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum
eius ſedebit, ut confirmet, & corrobo-
ret illud in iudicio & iuſtitia à modo,
& uſque in ſempiternũ. Cum ergo ex
his, aliiſq́ue ſimilibus locis æternitas
regni Chriſti colligatur, in quo ipſe Ec
cleſiam ſuam in iudicio, & iuſtitia, hoc
eſt, in omni pietate, & ſanctitate per
ſpiritum ſuum confirmare debeat, quo
modo tandiu hoc officium intermiſit,
eamq; in errorũ tenebris ſub tenebra-
rum principe uſq; ad Lutheri tẽpora
reliqdit? Quis huius tantę impudentię
indignitate non moueatur. Abeat igi-
tur impius Lutherus: nam ſtat ſentẽtia
cum omnibus ſupradictis. Ego rogaui
pro te Petre, ut non deficiat fides tua.
Et rurſum. Ego rogabo patrem. & aliũ
paraclitum dabit uobis, ſpiritum ueri- Luc. 22.
tatis, ut maneat nobiſcum in æternum.
Stemus ergo fratres ſtabiles, & firmi
in obedientia huius ſanctiſſimæ, & ca- Ioan. 14.
tholicæ Eccleſiæ, & in obſeruatione
ſuæ ſanctiſſimæ doctrinæ, quam à ſuo
principio ſemper infallibili ueritate,
ſeruauit. Singularis etenim, & uera eſt
illa ſententia B. Auguſt. & B. Cypria. ꝙ B. Aug. li.
dicit. Non habebit Deum Patrem, qui 4. de ſimb.
Eccleſiam noluerit habere matrem. ad Cathec.
c. 20.
B. Cyp. li. 1
epiſt. 11.

Eccleſiæ dedicatio.

Diligenter aduertendum eſt, quare
præſens Eccleſia, quæ in terris re-
gnum cælorum dicatur. Eccleſia qui-
dem regnum cælorum dicitur, quia
rex, qui in ea regnat, & eam regit, rex
eſt cęleſtis, & diuinus. Contrarium in
acquiſitione huius regni contingit,
quod in aliis experimur. Hiſpaniarum
quippe prouincia nomen dedit regno,
et regi, qui eam ui, et armis occupauit,
non accepit ab illo. Vnde dictus eſt Hi
ſpaniarum rex. In acquiſitione autem
regni ſanctę matris Eccleſię per re-
gem cęleſtem, qui ſanguine ſuo eam
acquiſiuit, nomen regnum hoc acce-
pit non dedit nomen Chriſto Princi-
pi, quod ſcilicet poſt acquiſitum regnũ
cęleſtis rex dicatur, ſed è contra nomẽ
ab eo accepit eccleſia. Propter quod
regnum cęlorum dicitur, et eſt, et iure
regnum cęlorum appellatur, licet in
terris agat exilium. Certum enim eſt,
quod cum populus Dei ſub captiuitate
Babylonica eſſet, non dicebatur regnũ
Babylonicum, ſed uerũ erat regnum Iu
da, et Iſrael. In hunc modum licet San
cta mater eccleſia in Babylonia huius

mundi nunc habitet, nō dicitur regnū huius mundi, ſed cœlorum regnum, in quod inceſſanter conuolat, ad ipſumque pertingit. Hoc autem regnum etiā contradicentibus totius orbis principibus, etiam occiſis nobilibus prædicatoribus, ſanctis, uidelicet Apoſtolis impediri non potuit, ſed per totum orbē creuit. Quod eleganter Abacuc Propheta ante longa ſæcula decantauit, dicens. Abyſſus dedit vocem ſuam, id eſt, princeps inferni cum omni ſenatu ſuo: altitudo terrenę poteſtatis illi obediens leuauit manum ſuam armatam perſequens eccleſiæ principes, & ſacros confeſſores. Sed Sol & Luna, id eſt Chriſtus & Eccleſia ſteterunt in habitaculo ſuo. Quod cū naturali ſoli non conueniat, nec lunæ, quæ ſuum continuum motū habet, manifeſtè propheta de Chriſto domino, & eccleſia ſermonē agit: Chriſtus enim Redēptor noſter dicitur Sol à propheta: & eccleſia ſancta ſub nomine lunæ deſignatur. Ecce ergo ſtat luna in habitaculo ſuo, & ſtabit uſque in finem ſæculi congregata ex gentilico, & Iudaico populo. Hoc enim eſt, quod olim prædixerat Iſaias Propheta his verbis. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur, uitulus, & urſus paſcentur: ſimul requieſcēt catuli eorum. Quibus verbis Sanctus vates ſignificare uoluit Chriſti doctrina Reges, & priuatos, diuites, & paupe res, Iudæos, & Gentiles, homines denique uarijs moribus ad Eccleſiæ pacē, & concordiam, manſuetudinem, modeſtiam, tolerantiam, atque amorem eſſe uenturos. Quod etiam figuratū fuiſſe ſcimus in illa animalium uarietate, quæ fuit Diuo Petro in linteo oſtenſa. Hoc etiam eſt, quòd Dominus Abrahę Patriarchæ dixerat. In te benedicētur omnes cognationes terræ. Omnes, inquit, ne putaremus hæc ad ſolos Iudæos pertinere. Hæc igitur eſt una, & uniuerſalis Eccleſia in una fide, & charitate coadunata, atq; ad hoc tam inſigne, tam arduum, tamque ſublime negotiū charitas à Deo in cordibus noſtris diffunditur. Eſt enim charitas (ut uerbis utar Apoſtoli) uinculum perfectionis, id eſt, uinculum perfectiſſimum. Aſtringit enim cœleſtis charitas diuerſis moribus, & ingeniis homines. Vnde Clemens Rom. Pontifex inquit. Similis eſt Eccleſiæ ſtatus naui magnæ, quæ per undoſum pelagus de diuerſis locis, & regionibus uiros portat ad unam potentis regis urbem properare cupientes.

Abac. 3. c. *Iſa. 11.* *Act. 10. c.* *Gen. 12.* *B. Clemen.* *epiſt. 1. ad Iacobum.*

Simile.

Sit ergo nauis huius portus Dominus Deus, gubernator uero Chriſtus, deinde pro rete officiū epiſcopus impleat; presbyteri nautarum diacones diſpenſatorum teneant locum, hi, qui cathechizant, nautologis conferantur, epibatis autem totius fraternitatis multitudo ſit ſimilis. Ipſum quoque mare hic mundus habeatur, turbinum uerò, ac uentorum uarietates diuerſis tentationibus cōferantur, perſecutiones, ac tribulationes, & pericula fluctibus exequentur. Reſtat igitur, quò hæc nauis curſu proſpero tuta poſſit deſideratæ urbis portum intrare, ita Deo precem fundere nauigantes, ut mereantur audiri. Audiri autem à Deo ita demum merebuntur, ſi operationes ipſę bonis moribus, & operibus adiuuentur. Saluator autem noſtræ Eccleſię ſuæ gubernator ab omnibus diligatur, & Ipſius ſolius præceptis ac iuſſis omnis Eccleſia credat, & obediat, Deo quoque ſupplicetur à cunctis pro uentorum proſperitate. Nauigantes omnem tribulationem, & omne periculum ſperent, tamquam immane profundum mundi iſtius, & uitæ humanæ pelagus, in quo eſuriendū ſit, & ſitiendum uomitus quoque, & ſugilationes ferendę, cum ex confeſſione peccatorum, & reiectione criminū, uelut mali congregati in uiſceribus fellis iactura facienda eſt, & abijcienda prorſus è corde omnis intrinſecus latens amaritudo peccati, ſi qua forte ex deſideriis iniquis, uelut ex cibis noxiis cō-

B. Cypr. de ſimp. prel. Simile.

gregata eſt. Beatus Cyprianus de ſimplicitate Prælatorum ait. Eccleſia una, eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo ſolis radij multi, ſed lumen unũ & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte uno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa uideatur exũdantis copiæ largitate, unitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuiſionem lucis unitas non capiet. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fronte præſcinde riuum, præſciſſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in uniuerſam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit: unum tamen caput eſt, & origo vna: & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu nato, naſcimur illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti: incorrupta eſt, & pudica; unam domum nouit unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit: hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno, quos generauit aſſignat.

Idem S. Cyprianus. Simile.

Idem ſanctiſſimus Doctor ex ſentẽtiis Epiſcoporum Concilij Carthaginenſis hæc annotauit. Si maritus peregrè proficiſcens amico ſuo commendet uxorem ſuam cuſtodiendam, commendatam ſibi ille quanta poſſet diligentia conſeruet, ne ab aliquo ſanctitas, & caſtitas adulteretur, Chriſtus Dominus ad æternum Patrem proficiſcẽs ſuam nobis ſponſam commendauit. Vtrum ne eam incorruptam, & inuiolatam cuſtodiemus, an integritatem eius mœchis, & corruptoribus prodemus?

B. Euſe. homil. 5. de Paſcha. Simile.

B. Euſebius Emiſſenus inquit. Sicut frumentum, quòd ſolita purgantis ſolicitudine purgatum in candidam ſpeciem molarũ labore perficitur, ac per aquam, & ignem in unius panis ſubſtãtiam congregatur: Sic uariæ gentes, diuerſæque nationes in vnam fidem conuenientes unum de ſe corpus Chriſti efficiunt. Et Chriſtianus populus quaſi tritici innumerabilia grana à ſacrilegis nationibus fide purgante, atque cribrante diſcernitur, & in vnum quaſi infidelium lolio pertranſeunte colligitur, & duorum teſtamentorum inſtructione, uelut frumentum gemino molarum opere curatum molleſcit, & in illam primæ originis dignitatem, natiuo candore, mutatur, ac per aquam baptiſmi, uel per ignem Spiritus ſancti, æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo ſeparari grana ab illius confecti panis adunatione, non poſſunt, & ſicut aqua ad propriam redire ſubſtantiam, uino permixta, iam non poteſt: ſic & fideles, qui ſe redemptos Chriſti ſanguine cognoſcunt, ita debent quaſi inſeparabilia membra capiti ſuo fidei conſeruatione, & ardentiſſima religione ſociare. Item Beatus Gregorius Nazianzenus ait. Ordo in Eccleſia ita ſtatuit, ut alij ſint oues, alij uero paſtores ita ut hi imperent, illi uero obediant, ſitque unus homo tanquam caput, alius tanquam pedes, alius manus, alius oculi, alius uero aliud corporis membrum, quo omnia rectè inter ſe conueniant, commodumque tam ad præfectos, quàm ad ſubditos redundet. Et quemadmodum in corporibus mẽbra nequaquam à ſe diſſident, ſed cuncta corpus unum ex diuerſis ſunt compoſita, nec idem omnium eſt officium, ac uſus ad mutuam neceſſitatis beneuolentiam, nec oculus graditur, ſed ducit quemadmodum nec pes cernit, ſed uadit, nec lingua excipit uoces, id enim ad auditum pertinet, ſicut nec auditus loquitur, nam linguæ eſt officium, naſus uerò odoris eſt inſtrumentum, at guttur cibum guſtat: manus autem dandi, & accipiendi eſt inſtrumentum, mẽs uero cunctis omnibus dux eſt, penes quam eſt ſentire. Ita & apud nos, qui com-

Greg. Nazia. de modeſti. in diſputationibus.

Simile.

commune corpus Chriſti ſumus (omnes enim corpus unum in Chriſto, ac per unum Chriſtum inter nos membra ſumus) hoc imperat, ac præſidet, iſtud uero obedit, & dirigitur, nec amborum idem eſt officium: quemadmodum nequaquam eorundem imperare eſt, & ſubeſſe, ſed ambo unum ſiunt in unum Chriſtum ab eodem compoſito, & conglutinato ſpiritu, licet imperantes à ſubditis rurſus tamquam medium, & doctrina, & exercitatione, & ætate diſtent.

B. Chry. homi. 27. ex varijs in Matt. Beatus Ghryſoſtomus in quadā homilia inquit. Prata, & nemoroſa loca diuerſos habent flores, & quædam quidem ſunt uiſu delectabilia, quędam bene olentia, quædam uero ad curam infirmitatum neceſſaria, & hæc omnia cōgrua ſunt homini. Sic in Eccleſia eſt: lectiones namque habet diuerſarū ſcripturarum, euangelij uidelicet, & Apoſtolorum, & Prophetarum inſtitutiones, quæ omnia apta ſunt, & conuenientia Chriſto. Sed ſuper prata oritur ſol, & marceſcunt flores, & decorem ſuum amittunt. In hunc vero agrum, uel pratum mittitur ſol iuſtitiæ, & alium quidem corripit, alium autem ſanctificat, alij uero miſeretur.

B. Chry. homi. 9. ope. imp. Simile. Idem ſanctiſſimus Doctor in alia homilia ait. Sicut in horto ſunt multæ arbores fructum vtilem facientes: in ſyluis autem non inueniturbonum faciēs ſi autem fructum faciunt, aut inſipidū faciunt, aut acerbum: Sic in Eccleſia, quæ hortus eſt Chriſti multi ſunt boni, in congregationibus autem infidelium, quæ ſunt ſyluæ deſertæ, nemo eſt bonus, quia & ſi aliquis eſt bonus propter homines eſt bonus, non propter Deum.

B. Chry. homi. 40. Simile. Idemque alibi inquit. Sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, & ponit à foris in facie ædificij, cæteros autem lapides qualeſcunque intus mittit. Sic eccleſia meliores Chriſtianos eligit, & ponit in facie eccleſię, ideſt alios facit ſacerdotes, alios diaconos, cæteroſque eccleſiæ miniſtros, mediocres autem proficiunt in medio eccleſiæ, ideſt ædificij, propter miſericordiam Dei.

Denique eccleſia eſt arca Noe, quæ nullis potuit diluuij fluctibus ſubmergi. Hæc eſt uera illa ſpecula, de qua ait diuinus Pſaltes. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Hæc eſt turris illa Dauid, quæ edificata eſt cum propugnaculis, ut dicitur in Canticis, ex qua mille clypei pēdent, & omnis fortium armatura, hæc eſt domus illa Dei (ut ait Apoſtolus) columna, & firmamentum ueritatis, quam D. Ioannes appellat in Apocalyſi, tabernaculum Dei cum hominibus. Hæc eſt uera Hieroſolyma inexpugnabilis, non terrena illa, quæ fuit in cineres conuerſa, ſed cœleſtis, quam ipſa perpetuitas ſemper intuetur.

Eccleſiæ dedicatio.

Res quidem certiſſima, & infallibilis eſt, Deum in omni loco eſſe, atque ita S. Dauid inquit. Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. Sed quamuis in omni loco ſit, peculiariter tamen, ac peculiari aſſiſtentia in eccleſia eſt, quoniam ibi particularia mirabilia operatur. Atque ita ubi nos legimus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. B. Hieron. tranſtulit. Mirabilis Deus in ſanctuario ſuo. In cælo Deus admirabilis eſt cum gloriam ſuam beatis communicat, ſuoſq; fideles, ac fortes ſeruos pretioſis coronis exornat. Admirabilis etiam eſt in inferno propter iuſtitiam, quam ibi erga impios, & damnatos exercet unumquemque eorum pro delictorum ratione puniēs. Admirabilis eſt in mundo propter miſericordiam, qua erga peccatores utitur, eos ad pœnitentiam uocans, & expectans. *Pſal. 138.* *Pſal. 67.*

ſtans. Admirabilis eſt in hac uniuerſa-
li mundi machina per omnipotentiã,
ſapientiam, ac diuinam prouidẽtiam,
omnia totius orbis admirabiliter ac
prudentiſſime gubernans. Verum pecu
liariter inquit regius Propheta mirabi
lis Deus in ſanctuario ſuo, hoc eſt, in
templo, & eccleſia ſua, ſuſcitans per
uoces prædicatorum dormientes ani-
mas, & mentes uere pœnitentium pre-
tioſis ueſtibus, uidelicet diuinis bonis,
& gratiis in confeſſionariis ad pedes
confeſſorum induens, atque in ſacra-
tiſſima altaris menſa uiliſſimum uer-
miculum qualis eſt homo, ſuo ſanctiſſi
mo corpore reficiens; ac denique pluri
ma admiranda cæremoniis, & canticis
ſpiritualibus ſuæ ſanctæ Eccleſiæ ope-
rans. Experientia patet, ex Chriſtianis
alios eſſe perfectos, illos uidelicet, qui
magis intellectu, quam ſenſibus ducun
tur, aliqs uerò debiles, atque imperfe-
ctos, qui res non ſecundum ualorem
ſuum, ſed ſecundum exteriorem appa-
rentiam æſtimant. Et his profecto ma
gis neceſſariç ſunt cæremoniæ ſanctæ
Eccleſiæ, cantus, ornamenta pretioſa,
atque tabulæ elegãtiſſimè depictæ, qui
bus rebus iſti homines in ſeruitutem
Dei, atque amorem eius uelut homo
capiũtur. Quod perpulchre regius Va-
tes quadam animalis proprietate do-
cuit inquiens. Ædificauit ſicut Vnicor-
nis ſanctificium ſuũ in terra, quam fun
dauit in ſæcula. Ædificauit Deus tẽplũ
ſuũ tãquam domiciliũ Vnicornis. Hoc
animal (ut dicunt naturales) ſingulari
ſtratagemate, & inuentione utitur ad
alias feras capiendas: nam habitationẽ
ſuam ſub nemoribus, atq; umbriferis
arboribus facit, eo tẽpore, quo ſol ma-
gis uigere ſolet, cumq; alia animantia
ipſius ſolis calore oppreſſa loca umbri
fera & amœna quærant eo ſe conferũt
ubi Vnicornis abſconditus domiciliũ
inter nemora habet qui ea aggreditur
& ferociſſime capit. In hũc modũ, (ait
Pſal. 77. S. Dauid) Deus templũ ſuũ fecit [*ponien
doſe detras de tanta Mageſtad, y eſcondien
doſe en la autoridad de los Eccleſiaſticos,
en los apparatos de los altares, en la rique-
za de los retablos, en la precioſidad de los
ornamentos, y en la ſuauidad de la muſica*]
ut ſic admiratus peccator, & tanta rerũ
magnitudine commotus ab hoc diui-
no Vnicorne capiatur, hoc eſt, [*ſalga e-
ſte diuino Vnicornio Dios deſta emboſcada
y caze al hombre dandole eſte penſamien-
to. Grande es el ſeñor, que de tal manera
quiere ſer ſeruido, pues tambien yo lo quie
ro ſeruir, y amar con lempieza de mi alma
pues fue criada para templo ſuyo.*] Litera
etiam Hæbrea ad noſtrum propoſitũ
facit, dum ait. Ædificauit ſicut excelſa
ærarium ſuum ſicut terra communica
uit in ſæcula, quod perinde eſt, ac ſi
diceret, (ut exponit Fœlix) ædificauit
templum ædificio cæli, & terræ. Crea
re Deum cęlum, ac terram tanta pul
chritudine, ut oculos rapiant quadã
gratiſſima ui, & delectabili uiolentia,
creare inquã illa tanto ordine, compo
ſitione, ac motus perpetuitate, tam pul
chris & micantibus ſtellis, ac planetis,
quales ſunt ſol, & luna dornata crea-
re terram iſtam tot tantiſque plantis,
ac tam uariis herbis indutam tamque
diuerſis creaturis plenam (ut ait Diuus
Paulus) [*Fue hazer unos deſperdadores y* Ad Ro. 1.
unas lenguas, y bozes,] quæ nobis pul-
chritudinem creatoris ſui, ſapientiam-
que eius, atque omnipotentiam oſten-
derent, ergo ſicut cælum, & terram
(ait Sanctus Dauid) ædificauit Deus
templum ſuum, ut uidelicet his exte-
rioribus apparatibus in cognitionem
eius, qui in tali domo habitat, deuenia
mus. Hoc idem confirmat paraphraſis
Chaldaica, quæ ſic habet. Struxit ſimi
le altiſſimi Regum palatii id maieſta-
ti ſuæ dicatum, hoc eſt, fecit Deus tem
plum, ac domum ſuam ſicut Regium
palatium. Nam ſicut Reges, ut magni-
tudinem ſuam oſtendant, magnificas
ædes maxima cum pulchritudine ædi-
ficant eaſque pretioſis ornamentis pi-
ramidum & ſtemmatum picturis exor
nant: ſic Deus templum ſuum ma-
xima

xima pulchritudine & compoſitione, ac pretioſis ornamentis ædificat, vt omnibus, & maxime ſimplicibus, ac debilibus ſignum, & oſtenſionem ſui præberet. Sic Regina Saba ex regio apparatu Salomonis in cognitionem magnitudinis eius deuenit. Vnde prudenter B. Chryſoſtomus (ſicut hiſtoria refert Eccleſiaſtica) uidens Arrianos nocturno tempore per uicos, & plateas vrbis Conſtantinopolis pompa graui incedentes (quod in cauſa erat vt ad ſe plebem ignorantem attraherent) curauit, & iuſſit vt fierent cruces argenteæ, & candelabra pretioſa & ſic nocte ſumptuoſa pompa hominum, ac mulierũ exibant cantantes hymnos, quibus hæretici confundebantur, & ipſi Chriſtiani in fide firmiores reddebantur. Cũ igitur hoc ita ſit, quid obſecro, præmij haberent illi, qui ad hæc opera ſancta & recta ſuis diuitijs abundantiſſime adiuuarunt? Hoc poterimus intelligere ex eo, quod Prophetæ Zachariæ euenit, cui Dominus dixit. Sume à tranſmigratione ad Holdai, & à Tobia, & ab Idaia, & venies tu in die illa, & intrabis domum Ioſiæ, & ſumes aurũ & argentum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu filij Ioſdec ſacerdotis magni. Hi tres uiri venerant ex Babylonia, vbi filij Iſrael captiui erant, & afferebant magnam auri, & argenti copiam in templi dedicationem miſſam ab eis, qui in Babylonia captiui detinebantur. Dominus autem huic prophetæ iubet ut eos quæſitum pergat, quos domi Ioſiæ filij Sophoniæ inueniet præcipitque ei, ut ex illa auri, & argenti eleemoſyna, quam aſportauerat, coronas conflaret, & in ipſis nomina illorum trium virorum, qui pecuniam tulerant inculperet, ac poſtquam factę eſſent coronæ, eas in capite ſacerdotis poneret, poſtea uero ipſas in templo appenderet in perpetuã illius tam ſancti operis memoriam. Quis ergo hoc audiens, fructus, qui ex eleemoſyna templis, & miniſtris eius facta percipiuntur, nõ cognoſceret? Hoc eſt coronas facere perpetuas, quibus pij homines in regno cælorum coronabuntur. Iubet Deus, ut coronæ ſuper ſacerdotis caput, quod pretioſior locus ex tota republica eſt, reponantur, & poſtea templi parietibus affigantur, vt ſic eas populus aſpiciat, & iterum, atque iterum contempletur. In quo inſinuat quanti faciat eleemoſynã, quæ in fabricam domus ſuæ erogatur. Vult etiam, ut hæ coronæ in templo appendantur ſimul cum omnibus eorum, qui eleemoſynam dederunt, ut ſic alij Hebræi tam bono exemplo incitati ad eos in bonis operibus imitandum moueantur.

Hiſt. eccl.

Zac. 6.

Euangelium ſacrum, quod in hac feſtiuitate recitatur ſic incipit. Ingreſſus Ieſus perambulabat Ierico, Ciuitas Iericho ſita eſt inter Iordanem, & Hieruſalem, quam Ioſue olim funditus euertit dicens. Maledictus, qui redificauerit Iericho. Itaque ad verbum hanc, quam Ieſus filius Naue perdiderat, atque deſtruxerat, Ieſus filius Dei manſuetus venire dignatus eſt. Tunc enim Deus vltionis appellabatur, nunc vero agnus Dei iure optimo dicitur, qui peccata mũdi tollere venit. Apparuit (inquit B. Paulus) benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei. Sed non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, quem admodum ipſe diuinus Redemptor conteſtatus eſt. Venit ergo Ieſus in Iericho. vt non peccatores, vt quondam occidat, ſed vt cæcos illuminet, nam ipſe eſt lux vera, quæ illuminat, omnem hominem venientem in hunc mundum. Venit, in quam, vt peccata deleat, & uitã impendat hominibus, quantum libet ſceleratiſſimi ſint. Scriptum eſt enim in libro Iſaiæ. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur uiror calami, & iunci. Hi ſunt dracones, & ſerpentes, qui oſtenſi ſunt B. Petro in viſione illa, quos ſanctificauit Chriſtus Ieſus. O ſummi numinis ad mirãda

Luc. 19.
Ioſ. 6.

Iſa. 35.

Act. 10.

da pietas: eos in viros alios mutauit: gratia diuina, ita vt uitam angelicam agerent, qui more iumentorum uitam ſuam ducebãt. Ad quos beatus Paulus

1. ad Co. 6

ait, Fuiſtis aliquando fornicarij, idolatrę, adulteri, fures, auari, ebrioſi, ſed abluti eſtis in ſacro, ſcilicet batiſmate, vbi veluti in mari Rubro omnes Ægyptij, id eſt omnes iniquitates veſtræ perierunt. De numero horum draconum, & ſerpentum erat Zachæus, de quo nunc beatus Lucas inquit. Ecce

Simile.

vir nomine Zachæus, & hic erat princeps Publicanorum, & ipſe diues. Is ſanè conuerſus fuit in calamum ſuauis odoris, & in iuncum pulcherrimum, in uenietis nodum vnum, ſed miram ſimplicitatem, & rectitudinẽ. Appellatur Publicanorum princeps, quia caput erat publicis exactionibus vacantium. Hi publicani emebant vectigalia à magiſtratibus, & ideo pro ſuo arbitrio vrgebant, ac præmebant pauperes. Quæ res hodie inter fideles miſeranda eſt, neque tolerari poteſt. Cũ enim officia ſuperiores vendũt, nihil aliud faciũt, quã oppreſſores inopũ. Hic princeps Publicanorum quærebat, inquit ſacer textus, videre Ieſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Ecce quam flagranti deſiderio tenebatur videndi Ieſum, & cognoſcendi de facie eum de quo rumor tam admiranda ſparſerat. Credebat planè, & amabat quod audierat. Quã obrem dignior factus eſt, cui bonus Ieſus potiora munera impenderet. Mira res Spi-

Luc. 2.

ritus Sanctus, qui iuſtum Simeonem pręuenerat, & corda Patriarcarum & regum excitarat, vt Meſſiam videre affectarent, is uiſcera Zachęi poſſidẽs deſiderium videndi Chriſtũ Dominũ largitus eſt. Sciebat namque, quod beati eſſent oculi, qui viderent Ieſum, ac videndo toto cum pectore amarent. Hoc autem inflammatus deſiderio pręcurrens aſcẽdit in arborem Sycomorũ, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus. Conſiliũ ſanctũ inuenit Zachęus vt deſiderium ſuũ expleret. Quod pręcucurrit, & non deambulauit: ſolicitudinem magnam, & ardentem affectũ vidẽdi Ieſum indicat. Enimuero (ut B. Ambroſius inquit) neſcit tarda molimina Spiritus ſãcti gratia. Huc alludit

Ad Ro. 8.

illud beati Pauli: Qui ſpiritu Dei agũtur, ij filij Dei ſunt. Verbũ quidẽ hoc agũtur, magnã habet emphaſim. Bruta ſiquidẽ agũtur, homines, verò agunt, & ob volũtatis ſuæ libertatem, ſuorũ actuũ domini ſunt alioquin nec boni pręmio, nec mali pœna forent digni: atqui Spiritus ſancti virtus tam eſt mirabilis, & efficax, ut cor noſtrum rapiat, ita vt filij Dei agẽtes, & in bono opere laborãtes agi à ſpiritu dicantur. Et cũ veniſſet Ieſus vidit eũ, & dixit ad eum. Zachæe feſtinans deſcende, qnia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinãs deſcẽdit, & excœpit illũ gaudẽs. O modis omnibus laudanda Chriſti Ieſu benignitas, ſolã uiſionẽ Zachæus deſiderauit, ſed qui nouit plus dare, quã quęrimus, ipſe loquitur ei, & hilari uultu illũ inſpexit, & mẽſæ eius intereſſe inſtituit. Simeon ille ſenex tãtum deſiderabat uidere conſolationẽ Iſrael, ideſt, Ieſũ uerũ Meſſiam, & ipſe in ulnas ſuas illum ſuſcepit. O quantũ veritatis habet oraculũ Pauli? qui potẽs eſt facere abũdanter quã petimus, aut intelligimus. Et excepit illũ, inquit gaudẽs. Vos igitur chariſſimi

2. ad Co. 9.

gaudẽtes, nõ ex triſtitia, aut ex neceſſitate Ieſũ excipite, peregrinos, uagoſq; inducite in domos ueſtras: hilarẽ enim datorẽ diligit Deus: Mœſtũ, & triſtẽ maximè horret. Vt hãc autẽ hilari-

Pſal. 85.

tatẽ habeatis cũ regali propheta precemur, diu noctuq; dicamus. Reſpice in me Domine, & miſerere mei, quia unicus, & pauper ſũ ego. Quod perinde eſt, acſi dicamus. Si dignatus fueris oculos tuos ad me cõuertere, ſicut illos cõuertiſti ad Zachæũ, miſericordiã pręſtabis miſero, tot peccatis repleto. Obſeruãdum etiã eſt, quod Dñs in domo noſtra nos eſſe uult, ut cõuiua noſter ſit

intra

Gen. 27. intra cordis noſtri intima cõmoremur & non ut Eſau ad venationem egrediamur, ne forſitan benedictionẽ patris amittamus: enimuero Iacob, qui domi manebat benedictionem paternã accepit. Magna ſunt certę hęc fratres, ni fallor, et obſeruatione digna: fęlix anima, cui Dominus ait. Hodie in domo tua me oportet manere. Domus namq; Zachęi uacua nõ remanſit, domino in ea recumbente, ſiquidem ipſe ore ſuo ſacro dixit: Hodie huic domui ſalus facta eſt. Murmurent Phariſęi inuidi, nobis tantum ſit curę officia pietatis in ſuis pauperibus impendere, certò ſcientes, quod quidquid uni ex minimis eius dederimus Saluatori damus. Quiq; fuſius abundantiusque mercedem commeritam nobis reddet, quando vniuerſum iudicauerit orbem. Tunc equidem vocem illam dulciſſimam audiemus. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt uobis à patre meo; eſuriui enim, et dediſtis mihi mãducare. Hoſpes eram et collegiſtis me.

EDVCATIO
& inſtitutio puerorum.

SI quis ſuorum, et maximè domeſticorum curã non habet, fidem negauit, et eſt infideli deterior, inquit B. Paulus ad Timotheum ſcribens. Hęc cura duobus modis poteſt intelligi: primo de cura in rebus corporalibus neceſſarijs. Satage igitur o parens vt terrena neceſſaria filijs tuis, atque omni familię tuę iuſtis, et ſanctis medijs puideas, ne ſis infideli deterior, et beſtijs crudelior, et auibus improuidior. Audi B. Baſilium in quãdam oratione dicentem. Nęmo eſt enim omnino ſic prudentię inops, qui non ſumma infamià dignum iudicet, ſe ab auibus, et beſtijs, quę longiſſimè à ratione abſunt, uirtute ſuperari. Nam ſi leenę cordi eſt fœtus: ſi lupus pro catulis decertat, et ſanguinis ouium diſpendio cibum illis omni periculo poſtpoſito miniſtrat, cum ipſe vorax ſit, quid, quęſo, iudici tuo Chriſto dices ò homo familiam habens, et filios, ab ipſomet Domino, et iudice tibi ut pœdagogo ad alendos traditos, tanquam ſangine ſuo redemptos, qui præceptum de educandis filijs negligis, naturamque peruertendo etiam diuinum mandatũ cõculcare non times, dum non ſolum labore iuſto illis non prouides, ſed quæ Deus tibi ad alendos redemptos ſuos præbuit, otio, & ludo, & uitio, ò naturæ deſtructor, legisque Dei conteptor, & humanæ conſuetudinis conculcator dilapidas, quomodo irã Dei effugies? In cœlum ferenda eſt cornicis in pullos prouidentia, quæ etiam uolantes iã comitatur, eiſque paſtum (ut ibi B. Baſ. ait) diu parat. Itã boni parentes non ſolum debito victu, & ueſtitu filios paruulos nutriunt, ſed etiam nuptos adiuuare non deſiſtunt, ut melius in Dei ſeruitio uiuant. Contra autem parentes, qui horum obliuiſcuntur inuehitur idẽ B. Baſilius tanquam contra naturam adulterantes, cũ beſtiæ tantam ſuſceperint curam pro filiis alendis: ubi ſic ait. Vnde fit, ut in ouium tam copioſo, numeroſoque grege è ſtabulis exiliẽs agnus matris ſuæ, continuo percipiat uocem, & ad eamq; properet, atque lactis fontes proprios recta uia petat, papilliſq; maternis contentus ſit, etiam ſi per paruum habeant ſiticci, quin mater ipſa inter tã multos agnos eum internoſcit, ut proprium: una uox omnium eſt, unus idẽq;

1. ad Tim. c.5.

B. Baſi. oratio.18.

B. Baſil. in exa. ho. 9.

ſemper numero color, unus ét penitus
odor, quatenus odoratus noſter nouit
diſcernere, atque iſtis oĩbus ineſt quæ-
dam ſentiendi facultas; noſtra nimirũ
lõgè exactior, qua ſuum cuiq; propriũ
facile dignoſcere licet. Et unde hoc, ni
ſi ut parentes à brutis admoneãtur, qui
multi eorum filios non agnoſcunt, & ſi
agnoſcunt, illos alere recuſant contra
brutorum naturam operantes. Vnde
multóties filij neceſſitate compulſi fur
tis, & ludis ſe tradunt, & alia innumera
mala perpetrant. Secundo intelligũtur
verba B. Pauli de cura ſpirituali, qua
patres tenẽtur educare, & corrigere
filios ſuos, & qui hoc non faciunt in fi-
delibus deteriores ſunt. Vnde in Eccle
Eccl. 37. c. ſiaſtico dicitur. Vir ſapiens plebẽ ſuam
erudit, & fructus ſenſus illius fideles
ſunt. Vir ſapiẽs implebitur benedictio
nibus, & uidentes illum laudabunt. Hic
ſapiens bonum ſignificat, alias. n. mul-
ti ſapientes, ſunt in inferno maledicti,
ſi pro ſapiente bonus non intelligere-
tur, ſicut pro ſtulto peccator intellig-
tur, ut apertè conſtat ex illo Eccleſiaſti
Eccl. 1. c. ci. Peruerſi difficile corriguntur, & ſtul
torum infinitus eſt numerus: ideſt pec-
catorum. Meritò ergo ſapiens dicitur
bonus, quamuis ruſticus ſit, cum ſciat
Deo placere, & per bona exempla po-
pulum ſuum erudire. Si ergo uir ſapiẽs
populum ſuum erudit, multo melius fi
lios ſuos erudiet. Sui enim unumquem
que parentem admonet Spiritus ſan-
Prou. 29. ctus in Prouerbiis dicens, Erudi filium
tuum, & refrigerabit te, & dabit deli-
tias animæ tuæ; in hac uita ſcilicet, &
in alia, alioquin ſi legem illum docere
negligis, quid miraris, ſi carnifex tuus
ſit in hac uita, & in alia teſtis efficax
contra animam tuam? Qui docet filiũ
ſuum, laudabitur in illo: ait Eccleſiaſti
Eccl. 30. cus: ubi mira circa hoc in toto integro
capitulo inuenies: Venerabilis ille ſe-
nex Tobias filium ſuum ab infantia ti-
mere Deum, & ab omni peccato abſti-
nere docuit: uos autem parentes nihil
minus cogitatis, quam filios ueſtros ti
morem Domini docere. Non eſt timor
Dei in cordibus ueſtris, immo nec an-
te oculos ueſtros, quomodo filios ue-
ſtros docebitis, uos ſenes, & Dei iudi-
cio propinqui à nullo abſtiueris pecca
to, quomodo filios ueſtros abſtinere
docebitis? De hoc ſancto Tobia ſic no-
bis ſacrum narrat eloquium. Viam ue-
ritatis nõ deſeruit, & nihil puerile geſ-
ſit in opere, ſoluſq; fugiebat conſortia
omnium tam ludentium, quam detra-
hentium, & pergebat ad Hieruſalem
ad templum Domini, ut adoraret Deũ.
Certè ſi hæc operaremini, qui parẽtes
eſtis, etiam filios ueſtros ea doceretis:
quia uero ea nõ facitis, ideo nec ea do
cetis, raro ad eccleſiam pergitis, oratio
nem nec labiis tetigiſtis, sacramẽta di-
uina, niſi præcepti ui coacti, non reci-
pitis. O ſapientiſſimè Iob qua cura fi- Tob. 1. c.
lios tuos educabas & in lege Dei in-
ſtruebas? Offerebat (ait ſacer textus)
Iob holocauſta per ſingulos dies dilu-
culo dicens. Ne forte peccauerint filii
mei & benedixerint (id eſt maledixe-
rint) Deo in cordibus ſuis & ſic facie-
bat cũctis diebus & ſanctificabat illos.
Origenes ait ſuper Iob. Audite quid
patens optimus Iob dicat. Ne forte fi- Iob 1.
lii mei aliquid mali in corde ſuo cogi- Ori. in Iob.
tauerint aduerſus Deum. O ſinceritas
Patris, ò dilectio parentis? non tantum
pro corpore ſolicitus erat ſed plus de
anima cogitabat. Ne forte, inquit filii
mei qui in diſciplina nutriti ſunt & in
Dei timore exercitati aliquid in men-
te cõtra Dominum cogitauerint. Quo
modo permanſiſſet S. Iob aliqnid mali
aut in uerbis aut in factis filiorum ſuo-
rum contra dominum qui ſic ſolicitus
erat de cogitationibus illorum? Diſce
pater officii tui oblite ab hoc Sancto
Patriarca quid circa filios tuos agere
debeas, quibus ſi mendacia, & periuria
non carpis, ideo eſt, quia eiſdem uitiis,
& turpitudinibus inuolueris. Attende
ò miſer, quid facias, omnia enim quæ
tua deſidia & incuria filii tui in Deum
delinquerint, Deus à te exquiret. Bea-
tus

rus Chryſoſtomus ait. Quis eſt qui ad gloriam Dei nubit, qui accipit uxorem propter deſiderium bonorum filiorum? Et quis eſt iſte? Ille qui poſtquam habuerit filios, circa Dei diſciplinam eos continet, alioquin qui filios negligit, oſtendit quod non deſiderauit illos, Deo generare, ſed diabolo, cui nutrit illos. Vides, quare filios negligas? Quia nimirum nupſiſti, ut libidini tantum vacares, & non ut Deo ſeruires. Ideo filios non Deo, ſed dæmoni generas.

Educatio filiorum.

SI radix ſancta eſt, & rami (inquit Deuus Paulus.) In quo ſanctus Apoſtolus ſignificat, communiter, & maiori ex parte ex bonis parentibus filios bonos procedere, etiamſi (ut ait S. Antonius) habere filios, & filias bonas nō ſit in poteſtate parentum, ſed Dei miſerentis, quamuis filios ſe ad hoc diſponere multum iuuat, ſicut etiam mala parentum cura ad hoc maximè nocet. Licet autē in ſancta ſcriptura legimus, ex peſſimis parentibus filios bonos ortos fuiſſe, & è contra ex bonis malos, vt Ezechias rex Iuda optimus, qui tamen filium ſceleratiſſimum habuit Manaſſem, & peſſimus Amon bonum filiū Ioſiam habuit. Hoc confirmat B. Hieronymus in epiſtola contra Ruffinum, & habetur in decretis diſtinctione quinquageſima ſexta: capitulo Naſci de adulterio, ubi ait. Iepte inter uiros ſanctos apoſtoli uoce numeratus, meretricis eſt filius: Eſau de Iſaac, & Rebeca, hiſpidus tam mēte, quam corpore, quaſi bonum triticum inter lolium, auenaſque degenerat, quia non in ſeminibus, ſed in uoluntate naſcentis cauſa uitiorum eſt, atque uirtutum. Communiter tamen ex regula Saluatoris. Bona arbor bonos fructus facit. Vnde B. Chryſoſtomus dat regulam parenti filium nubere uolenti, ut attendat ad ſponſæ parentes, & præcipuè ad matrem, cum qua frequenter filia uerſatur: atque ita de moribus matris, faciliter agnoſcimus filiam, etiam ſi, ut dictum eſt, iſta non ſit ſemper regula infallibilis, quia ex bona Lia Dina multa ſibi, & alijs damna intulit. Veneratione digna ſunt omnia, quæ ſanctus Eccleſiæ doctor eximius Hieronymus nobis legenda reliquit, tamen in epiſtola de inſtitutione filiæ, quam ad Letham dirigit, multa equidem notatu digniſſima conſcripſit, quæ parentes in corde retinere deberent, vt filias ſuas, vt decet, Deo, & non dæmoni nutriant. Inter alia hoc audi. Mater ſi ſolicita prouides, ne filia tua percutiatur à vipera, ne mordeatur à cane, aut ne in ignē cadat, cur non eadem cura prouidebis, ne feriatur à malleo vniuerſæ terræ iā confracto à Chriſto Domino, & in cruce contrito, nempe diabolo? Vt quid mater non tanta ſolicitudine curas, ne filia tua percutiatur ab internuntia, vt à vipera cuſtodis illam, à canis morſu, & non à iuuenis laſciui verbo rabido? ne cadat in ignem omni cura cuſtodis filiam, & de igne luxuriæ nihil curas? Omnia proculdubio ſuper te eueniēt, ſiquidem tua deſidia veniunt. Sed inquies. Quid mihi minaris de peccatis filiorum meorum, cum ſcriptum ſit apud Ezechielem. Pater non portabit iniquitatem filij, nec è contra, ſed anima, quæ peccauerit ipſa morietur? Reſpondeo. Pater non portabit iniquitatem, quam filius operatus eſt abſque culpa ipſius patris, ſed portabit omnia mala, quæ operatus eſt filius deſidia, & negligentia patris, cum ſcriptum ſit in Prouerbijs. Virga, atque correctio tribuit ſapientiam: puer autem, qui dimititur voluntati ſuæ confundet matrem ſuam. Et inferius. Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illū inſtanter erudit. Vbi poſſumus addere, non ſolum odit filium ſuum, ſed & ſe ipſum.

Edu-

Educatio filiorum.

Eccleſ. 3. IN Eccleſiaſtico dicitur. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. Vide ô mater crudelis, quid facias, quando maledictionem filijs tuis immittis, ne parcas virgę, aut flagello, quãdo opus eſt, ſed parce maledictioni, cũ tam graue ſit malum, ut hic Spiritus ſanctus docet. Dæmon enim docuit te ô miſera mulier, ut filio tuo dicas. Malus te comburat ignis, nullus eſt malus ignis in terra bona ô inſipiens fœmina: infernalis tantum ignis etiam ſi creatione bonus ſit, quia a Deo creatus, dicitur malus, quia talis a damnatis reputatur, & quia cruciat malos. Vide ergo, ſi cupis filium tuum, aut filiam, quam in utero portaſti, ab igne infernali perpetuò cruciari? Aliud deteſtandum maledictionis genus, quod te diabolus docuit, ô diſcipula illius eſt. Maledictus ſis a Deo puer. O crudelis mulier, quid dicis? nam aliam maledictionem Dei ego non inueni, niſi illam terribilem; diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Si tu gaudebis videre filios, quos peperiſti a Deo irato maledictos, & excommunicatos ad locum damnatorũ miſſos tali maledictione vtere, ſin minus, vt quid maius malum, quod Iudæ, & dæmoni euenire potuit, filijs Dei ſanguine ſuo ablutis optas? O miſera ac ſenſibus deſtituta. Nota infœlix, Deũ ita maledictionem abhorrere, ut quãdo in ſancta ſcriptura maledictio habetur, pro ipſa dicatur benedictio, ut patet in libro regum, quando falſi teſtes dixerunt contra Naboth, qa benedixit Deũ,
3.Reg.21. & regem, hoc eſt, maledixit: nam ſi regem benedixiſſet, quid mali feciſſet? Et
Iob.1. S. Iob inquit. Ne forte filij mei peccauerint, & benedixerint Deum in cordibus
Iob.2. ſuis. Et eius uxor dixit ei. Benedic Deo, & morere, ideſt, maledic Deum, & occidere te. Cum autem ſic Deus maledictionem deteſtetur, audes tu miſera mulier, illa uti frequenter maledicens filios tuos & ex conſequẽti ipſum Deũ, qui homines ita diligit, ut contra ſe dictum, & factum reputet, quod contra illos dicitur, & fit? Ideò conquerebatur Actu. 11. de Saulo dicens. Cur me perſequeris? Time, nec ob hoc a Deo ſis maledicta, & caue per uiſcera miſericordię Dei noſtri, te obſecro, ne deinceps ſic loquaris. Nunquid (ut B. Iacobus inquit) uidiſti Iacobi. 3. fontem de eodem foramine dulcem, & amaram aquam ſimul manantem? lingua tua eſt proculdubio hoc mõſtrum in natura, cũ ab ipſa benedictio, & maledictio ꝓcedat: lingua enim, qua Deũ benedicis aliquando dicendo, ſanctificetur nomen tuum, eius etiam creaturas maledicis; quę ad eius imaginem creatæ ſunt, & per conſequens ipſum Deũ. O rem nimis deteſtandam & deplorandam, nimiſque fugiendam?

Educatio filiorum.

MAgnam in erudiendis filijs curã adhiberi dominus voluit, qui toties hæc verba in legibus ſuis antiquitus repetijt. Cumque interrogauerit te filius tuus cras dicens. Quid eſt hoc? Reſpondebis ei. In manu forti eduxit nos Exod. 10. Dñs de terra Aegypti de domo ſeruitutis, nam cum induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit dñs omne primogenitum in terra Aegypti: idcirco immolo Dño omne, quod aperit uuluam maſculini ſexus, etiam in Propheta Ioele hoc inſinuatur, cũ dicitur. Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiu- Exod. 13. nium, uocate cœtum, congregate popu- Ioelis. 2. lum, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera. Nullus ſit, qui ad eccleſiam non ueniat, etiam paruuli matrum lactantes. Sed quorſum iſti iubentur in eccleſiam ingredi ſiquidem rationis uſum non habent, quominus ex ijs, quæ ibi docentur utilitatem percipiant? Mihi credite, ſi Deus illos uocari præcipit, aliquid eis ſine dubio vult impertiri. Sed quidquid illud

eſt, ſecretum eſt. Queãdmodum ſi princeps magnus ſeruo ſuo imperaret; vt cõram ſe omnes paruulos ſuos afferret, ſeruus autem reſpondeat. Quorſum Domine illos ad te ducam, ſiquidem nihil aliud ſciunt, & ad nihilũ deſeruire poſſunt, quã ad plorãdum? Dominus vero rurſus illi dicat. Affer illos propere; mihi.n. hoc valde placet. Tunc pater eorũ dicet: Abſque dubio eis aliquod beneficium conferre vult, quandoquidem, ipſos ad ſe afferri iubet. Sic pueris Deus aliquid elargiri vult, ſiquidem imperat ipſos in eccleſiã ſuã, & corã ſe adduci. Quã magnus ſanctus fuerit Samuel ex ſacra Scriptura colligitur, & hũc templa Dei ab infantia ſua frequentaſſe certum eſt. Ex his duobus ſacræ Scripturæ locis à nobis relatis infertur; quanta obligatione aſtringantur parentes, vt filios ſuos doceant ingentia in mundum collata beneficia ab immenſo Deo & præcipuè beneficium redemptionis generis humani: vt ſic huius liberaliſſimi Domini Ieſu Chriſti amore capiantur, & beneficijs, quæ à potenti eius manu acceperunt, grati ſint: vt ſic ipſius Dei tẽpla frequentare conſueſcant, & in eis magno cum ſilentio, deuotione, ac reuerentia eſſe addiſcant. Arbores cum teneræ ſunt potius indigent cultellis, quibus ſuperflua earum reſcindantur, quàm plurimis cordibus ad fructus earum colligendos.

Simile.

Sic magis opus eſt fuſtibus, & flagellis, quibus puerorum vitia coerceantur, quam ab eis magnas virtutes expectare.

Simile.

Qui mulas teneræ ætatis ambulare domando docent, & qui equos pretioſos domare cõtendũt, maxime laborant, vt in primis veloces, & nimis ambulatores ſint; ſed multo magis laborant, vt ſint manſueti, domeſtici, fideles, & ſuper omnia ne ſint malitioſi, [*y tengan algunos malos reſabios y ſinieſtros.*] Sic parentes in primis curare debent, vt filij ſui in ſanctis ſe exercitijs exerceant, [*y que no tengan algun mal ſinieſtro.*] Non.n. eis tantũ proſunt virtutes oẽs, quas addiſcũt, quãtum nocet vnum duntaxat vitium quo notantur.

B. Chry. homil. de Samuelis educatione.
Simile.

Vnde beatus Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Quemadmodũ induſtrij agricolæ primum ſemen in terram deponunt cupreſſi aut aliarum arborum ſimilium, deinde vbi conſpexerint ex ſemine factam arborem, non relinquunt ipſam in eadem terra, ſed inde reuulſam plantulam in aliud transferunt ſolum, ut terra recens gremio ſuo exceptam illius radicem puram, & integram vi ſua proferat ad nouam educationem. Ita & Anna filium præter ſpem proſeminatum, in templum tranſtulit e domo, vbi ſunt perpetuò fontium ſcatebræ, & irrigationes ſpirituales.

B. Chryſo. homi. 5. in Matth.
Simile.
Ad Epheſ. 5. c.

Et alibi inquit. Quemadmodum ager diu non proſciſſus ſylueſcit, at paſſim innumeras vepres producit: ita iuuentus neglecta. Et ſuper epiſtolam ad Coloſſenſes inquit idem ſanctiſſimus Doctor ſuper illa verba Pauli. Docete & admonete vos inuicem pſalmis, & hymnis.

B. Chry. homilia 9. ad Coloſſ.

Nunc uero Satanicas cantiones proferunt pueri veſtri, pſalmum autem nemo nouit vllum; quin & res iſta turpis eis eſſe videtur, ludicra, & ridicula. Hinc mala cuncta vigent: Qualem nam plantula terram ſortita fuerit, talem quoque fructum afferet, ſi arenoſam & ſalſam, talem: ſi dulcem, & pinguem, rurſus conſimilem. Doce ergo puerum tuum pſalmos illos canere Philoſophiæ plenos.

B. Anſel. lib. de ſimilitudin. c. 1. 7. 8.
Simile.

B. Anſelmus libro de ſimilitudinibus inquit. Vidiſtis, quæſo, vnquam artificem ex lamina auri, uel argenti in gentibus percuſſionibus imaginem ſpecioſam formaſſe? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina formet, nunc eam ſuo inſtrumento leuiter premit, & percutit, & poſt modum planat, nunc etiã leuamine leuius leuat, & informat. Sic & uos, ſi pueros veſtros cupitis moribus ornatos eſſe, neceſſe eſt, vt cum de preſſionibus verberum impendatis paternę pietatis, & manſuetudinis, leuamenque ad ſubſidium. Tenera quidem teneris, ſicut & ipſi teneri ſunt: lac ſcilicet, non ſolidum cibum præbentes eis, ne dum ad perfectam ętatem prouectis.

Plinius lib. 9. inquit. Simia catulos ſuos *Pli. lib. 9. c. 54.* ferè complexu necat, ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu, *Simile.* & indulgentia corrumpunt illos. Idem *Plin. li. 37 c. 4.* Plinius ait. Adamas vna re molleſcit, ad ictus ferri aliàs indomitus. Ita nullum eſt ingenium tam ferum, quod nō *Plutar. in moral.* aliqua ratione queat expurgari. Plutarchus ait. *Simile.* Vt terra quò melioris eſt naturæ, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: Ita ingenia, niſi rectè excolantur, quò ſunt fœliciora, eò pluribus vitijs obducuntur. Et ibidem ait. Nulla ferè eſt arbor, quæ non ſterileſcat, ac tortuoſa fiat, ſi cultura deſit. Ita nullum *Politianus lib. 6. epiſt. epiſto. ad Frāciſcū Puccium.* tam fœlix ingenium, quod nō degeneret citra rectam educationem. Ibidemque etiam inquit: Nullus equus rectè ſeſſori paret, niſi arte domitus: ita nullum ingenium non ferox, niſi præceptis curatur, & educatione. *Simile.* Ibidemque inquit. Vt molli materiæ facilè ſigillum imprimitur, ſi dureſcat, non itē. Ita puerorum, ingenia facile quamuis recipient diſciplinam, ſin ætate dureſcant, non item. Idem quoque ait ibidem. Vt ager, ſi non colatur, non ſolum infrugiferus manet, verum etiam multa ſyluestria producit. Ita adoleſcens rationis capax niſi præceptis honeſtis exerceatur, non ſolum non euadet bonus, ſed ad multa vitia deflectetur. Politianus inquit. Quemadmodum agricola vehementer exultat, vbi generoſos fœtus ex arbore ipſa legit, quam ſuis manibus quondam conſeuerat, ac diù multa cura produxerat: Ita præceptores, atque parentes, potiſſimū cum illorum fructus induſtriam, morumque honeſtatem intuentur, quorū ingenia, atque mores ipſi à prima iuuētute, fœliciter formauerunt.

Educatio filiorum.

IN libro Iob narratur de ipſo viro ſanctiſſimo, qui cum haberet filios plurimos, conſurgens diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim. Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. *Iob. 1.* Super hoc animaduertendum eſt, quanta diligentia, & ſtudio ſanctus vir curam pietatis plenā erga filios diſpenſabat: nam qui diluculo, ſummoque mane ad hæc pietatis opera efficienda excitabatur, non torpebat, nec ſe gerebat negligenter circa proſpectionem filiorum: ſciebat nāque filios arbores eſſe in exhauſto ſtudio excolendas, quas patres ſemper debēt exercere, dum viuunt, modo velint virtutis, & pietatis fructus ab illis aliquando decerpere. Nouerat enim ab ſpiritu cœleſti edoctus matutinum tēpus aptiſſimum eſſe, & oratione, & ſacrificijs, & rebus denique diuinis perficiendis: nam eſt eo tempore humana mens minus turbata, & viuida, longeque expeditior ad quæ vis opera efficienda. Vnde S. Dauid. Mane aſtabo tibi. *Pſal. 5.* Et alibi. Ad te de luce vigilo. *Pſal. 62.* Atque hinc factum arbitror, vt propter hunc ſolemnem loquendi morem ſcriptura ſacra atque Hebræorum gens hanc vocem, mane, aut diluculo, vſurparēt pro valdè tempeſtiuè, & opportunè, vt apud Hieremiam inquit Dominus. Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas *Hiere. 7. & 25.* per diem conſurgens diluculo, & mittens, hoc eſt, tempeſtiue, & opportunè admonens. Offerebat (inquit ſacer textus) holocauſta per ſingulos dies. Nihil poteſt eſſe rectè, aut domi, aut in ciuitate conſtitutum, vbi non diuinorum cura interceſſerit. Hoc abundè teſtatur pſalmus ille. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. *Pſa. 126.* Optima ergo liberorum educatio à ſummo Deo precibus, & ſacrificijs petenda eſt. His verbis licet etiam colligere, quàm fuerit animo liberali, & expoſito ſanctus vir: non enim vnum tantum offerebat ſacrificium, ſed iuxta numerum filiorum mactabat victimas. Sapienter quoque B. Gregorius notauit, quantam in iu-

dicando de alieno animo cautionem adhibuerit S. Iob: non enim temere de filiorum conſcientia iudicat, nec quidpiam aſſeueranter cogitat, tantum illis vehementer timet, ne fortaſſe aliquo ſcelere inter epulas, & ſolutoria conuiuia inficerentur. Sed & illud eſt maiori ratione dignum, ſatiſque declarat, quantam adhibuerit ſolicitudinem, vir ſanctus circa filiorum curam, qui non de externis actionibus ſolicitus erat, nec liberis timebat, ne fortaſſe externo opere aliquid ſceleris, & flagitij admiſiſſent. Tanta enim diligentia eos ab ipſis incunabulis circa Dei timorem, & animi pietatem inſtruxerat; vt de opere, aut ſermone ipſorum nihil apud ſe cogitare, illud tantum timebat, ne fortaſſe (vt eſt lubrica humana mens) vel cogitatione ipſa ſceleris aliquid admiſiſſent, ut aliqua in peccatum conſenſione, aut ſe fortaſsè negligenter gerendo, aut ſine guſtu aliquo, & grata recordatione diuina excipiendo beneficia: dicebat enim. Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Hæc dicuntur per antiphraſim: nam eſt ſenſus, ne forte maledixerint; talis enim mos loquendi apud veteres fuit, tam inuiſæ illis erant blaſphemiæ, vt eas vel proprio vocabulo nominare vehementer pertimeſcerent. Eſt ergo benedicere idem, quod maledicere, & ad iracundiam Deum prouocare, ſiue ingratum erga Deum declarare animum. Quod Chaldæus interpres ſignificare videtur, qui inquit. Ne forte peccauerint filij mei, & non orauerint in nomine Domini in cordibus ſuis. Iam vero quàm perſeueranter hæc pietatis opera Sanctus Iob exequeretur, ſatis declaratur in hoc, quod non vno, aut altero die, hæc faciebat, ſed cunctis diebus, inquit ſacer textus. Quo argumento ſatis colligi poteſt, vitam beatam, & cum pietate coniunctam, & quæ optimis operibus vacat, non fuiſſe illius iudicio duram, aut intractabilē, vt ſtulti arbitrantur, qui quocunque pietatis opere adeò defatigantur, vt vix poſſint trahere halitum, & ad mandatum Dei exequendum animum applicare.

Educatio filiorum.

NOn ſine admiratione animaduertere oportet, quòd cum Spiritus Sanctus magno verborum pondere ſanctiſſimi viri Iob integritatem eximiā in principio libri ipſius narraſſet ad eā probandam, declarandamque nullum officij munus delegit, niſi filiorū eius educationem. Præſertim quòd vigeſimonono, & trigeſimo primo illius libri capitulo narrat ipſemet Iob multa ſuæ virtutis munera, ad oſtendendum nullo merito ſuo tot ærumnis, atque miſerijs eſſe oppreſſum, nullam tamen horum officiorum mentionem hic in principio Spiritus Sanctus fecit. Ego vero ſine dubitatione vlla, credo, hoc præſtantiſſimum eſſe, & eorum, quæ ipſe Iob narrat, maximum officij munus, & in hoc officio apparet, & extat ſingulari, admirabilique charitate Iob erga Deum fuiſſe, ideoque Spiritus Sanctus de hoc ſolum mentionem fecit, nam eius religio, curaque colendi Deum oſtenditur ſumma fuiſſe in eo, quòd tam aſſiduè tot ſacrificia faciebat. Amor autem, & reuerentia eius erga Deum maximè eminet in eo, quod non ſolicitus erat de ditandis filijs, augendaque eorum hæreditate, ſed de illorum immaculata, & integra vita. Non timebat vir ſanctus, vt fortunas ſuas epulis diſſiparent, ſed ne Deum in conuiuijs offenderent. Ideoque conſurgens diluculo offerebat holocauſta per ſingulos (inquit ſacer textus) dicebat enim. Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. *Iob. 1.*
Et addit; ſic faciebat Iob cūctis diebus, qui hac diligentia & frequentia tot ſacrificia offerebat, non ſibi filios

pro-

procreabat, atque nutriebat, ſed Deo potius, quàm ſibi gratos eſſe cupiebat. Cuius tam ſtudioſè ſolicitudinis tam excellentis, & prorſus diuinæ, nullam ſimilem in ſacris oraculis reperiri arbitror, niſi illam ſolicitudinem B. Pauli *21. ad Cor. 10.* Eccleſiarum, filiorumq; ſuorum, quos etiam Chriſto procreauerat: qua cum urgeretur, dicebat. Inſtãtia mea, & quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarũ: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Quòd ſi Deo vehementer placuit Abraham, maximamq; eius gratiam conſequutus eſt; quòd Deo iubente filium ſuum mactare non dubitauerit; non minus libenter omnes filios ſuos ſanctum Iob mactaturum, ſi Dei voluntas accederet, facilè apparet ex animo, quo in illis educandis erat; tum ex eo quòd acceptum triſtiſſimum nuntium de illorum repentina, & calamitoſa morte tam patienter tulerit, ſentiens Dei volũtatem fuiſſe. Quare ſi Abraham ea voluntate, quam habuit immolandi filiũ ſuum, vt Deo gratificaretur, officium contulit in Deum præſtãtiſſimum: cur non etiam præſtantiſſimum Iob contuliſſe iudicabimus illa ſua eximia educãdorum filiorum narratione? Quare rectiſſimè ſpiritus diuinus hoc officij munere eximiam illius, quam prædixerat, honeſtatem demonſtrauit. Admirabile igitur hic exemplum parentibus officij propoſitum eſt, ex quo diſcant optimam filiorum educandorum rationem. Et illorum etiam hoc loco ſtultitia deprehenditur eſſe maxima, qui parum de honeſtate, multum de filiorũ hæreditate ſunt ſoliciti. Probatur etiã *Eccleſ. 16.* illud Eccleſiaſtici conſilium. Ne iucunderis in filijs impijs ſi multiplicentur, nec oblecteris ſuper ipſos ſi non eſt timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & ne reſpexeris in labores eorum. Melior eſt enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij; & magis vtile eſt mori ſine filijs, quàm relinquere filios impios. Ab vno ſenſato inhabitabiť patria, & à tribus impijs deſeretur. Vnde prudenter monebat Pythagoras dicẽs, liberos diſce procreare, non qui corpus ſenio confectum alant, ſed qui animã nutriant perenni alimento. O viri ethnici admirabilem ſententiam.

Eccleſ. 30 In Eccleſiaſtico dicitur. Curua ceruicem filij tui in iuuentute, ſtultus *Similia.* quidem ille eſſet, qui diceret. Nolo equum meum itineri & deambulationi aſſue- *Ouidius.* facere, donec inſeneſcat. Sero inſuper (vt ait poeta) morbo medicina paratur, cum mala per lõgas inualuere moras. Sero profectò reſiſtitur hoſtibus, poſtquàm totam vrbem occupauerũt: & ſero ſal adhibetur carnibus, quæ iam vermibus ſcaturiunt. Qui optime equitaturus eſt, vt inde a prima ætate equũ aſcendere incipiat, neceſſe eſt: & qui paſtor futurus eſt, etiam debet ſcire iam inde à pueritia, & peram portare, & funda lapidem iacere, & in montibus altiſſimis ſeu in vallibus cęli iniurias, & tẽpeſtates ferre.

Educatio filiorum.

LAcedæmonij quidem filios ſuos magnis, & aſſiduis laboribus aſſuefaciebant: & quamuis culpæ eſſent expertes, eos tamen verberibus cædebant, vt ita aſſuefacti venientes calamitates patientiſſimè tolerarent, & opprobria ſuſtinerent. *Seneca lib. de diuina proui. c. 4.* Facies eorum, quæ non eſt *Similia.* aſſuefacta ventis, & alijs cæli iniurijs, ſtatim læditur, & afficitur, ſi vel leuiſſimam quandam eiuſmodi rem ſuſtinuerit: & delicatæ manus leuiuſculo quodam æſtu aduruntur, non autem manus ruſtici alicuius aſſuefactæ labori. Item qui nauigationi aſſuefacti non ſunt, illico mare ingredientes nauſeare ſolent: non autem ipſi nautæ, qui crebris nauigationibus æquora ſulcarunt; tum etiam qui itineribus obeundis inexercitati ſunt, ſtatim pedum tumorẽ, & dolorem contrahunt; nõ autem qui aſſidui viatores ſunt.

Multi ſunt parentes, in quibus adeò nũmorum amor, pariter & filiorum odium ſæpenumero increuit, vt ne maio-

ra impendant ſalaria, nullius exiſtimationis homines natis ſuis in magiſtros deligant: ob quam rem Ariſtippus non inſulſe quendam mentis inopem patrem carpſit. Copiam enim ex eo percunctante, quantam inſtruendi gratia filij mercedem poſtularet. Mille drachmas, dixit. Ille vero ait magnum poſtulatum. Seruum enim comparare mille drachmis poſſum. Duos inquit alter, habebis ſeruos, & filium, & quem mercaberis. Idem etiã Plutarchus, qui hoc refert libro de educatione liberorum & de docenda virtute hanc parentum iniuriam vehementer ſe demirari teſtatur his verbis. Canere diſcunt homines, ſaltare, literas, agriculturam, equo inſidere, calceari, veſtiri, pocula miniſtrare: at quę dementia eſt ò mortales, cum hæc omnia præter diſciplinam non liceat commodè agere, vt vos probe hominis vitam inſtituere, nulla diſciplina, nulla adhibita ratione, aut arte, ſed fortuito putetis contingere? Quantò ſapientius, & prouidētius Philippus Alexandri pater, qui cũ accepiſſet genitum ſibi filium Alexandrum, ad Ariſtotelem ſcripſit, ſe dijs gratias agere, non tam quòd filius ſibi natus eſſet, quàm quòd eum naſci contigiſſet Ariſtotelis tempore, à quo quidē ſperabat eum ita doctum iri, vt ſe dignus euaderet, & ſucceſſione rerum ſuarum. Atque cum primum fari cępit, nutu Ariſtotelis eum nutriri iuſſit, cui deinde adultum in diſciplinam tradidit. Nõ hic Rex legerat illa Eccleſiaſtici verba. Equus indomitus euadet durus, & filius remiſſus euadet præceps, tamē prudēter ab hoc damno cauebat, quod multi parentes Chriſtiani non faciunt. Ex peſſimis parētibus peſſimi etiam filij procedunt ob eorum malum exemplum. Vnde beatus Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Pulli ſerpentium ſtatura breuiores, veneno autem æquales ſunt. Et catuli luporum adhuc conſtituti in tenera ætate, & ſi venationem exercere non poſſunt, iam tamen ſanguine gaudent, & morſibus ludunt.

Exemplũ. *Plutar.* *Exemplũ.* *Eccleſ. 30.* *B. Chry. ho. 42. in non abſoluto.*

ELECTIO PRAELAtorum, vel Magiſtratuum.

QVid ad rectam, atq; legitimam electionem requiratur, & quas conditiones, qui eligendus eſt, habere debeat, in libro Exodi ſcriptum eſt: vbi Ietro ad ſanctum Moyſem ſic dixiſſe legitur. Prouide de omni plebe viros potentes, & timētes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitues eos tribunos, qui iudicent populum omni tempore. Obſerua primo, ac perpende verbum illud, Elige ex omni plebe. Non dixit, Elige ex parentela tua, aut ex patria tua, ſicut plurimi faciunt, qui eos duntaxat in aliquam dignitatē eligunt, immo & ob hanc rationē, quia videlicet ex Vandalia, aut ex regno Toleti, aut ex regno Leonis ſunt oriundi, denique quoquot eligunt, procurant, & contendunt, vt ex patria ſua, aut ex genere ſuo electi ipſi originem trahāt. De hoc conquæritur Deus per Michęā Prophetam dicens. Audite hoc, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus. Ait etiam, Ex omni plebe, vt intelligatur, quòd non ſoli nobiles nobilitate carnis eligendi ſunt, ſicut plurimi exiſtimant, qui titulo nobilitatis maiorum ſuorum epiſcopatum, vel magiſtratum, vel alicuius reipublicæ guberna-

Exod. 18. c. *Mich. 3. c.*

natio-

rationem de iuſtitia ſibi deberi conten-
dunt. Verum eſt tamen & rationi con-
ſentaneum, quòd ſi nobiles virtute præ-
diti ſunt, & cum ipſa nobilitate virtutē
coniugant, in electionibus ignobilibus,
& abiecto loco natis præferantur. Si au-
tem non ſunt tales, quales eſſe decet,
nullo modo eligi debent: id quod nos
Dominus in ſacro eloquio docuit, in-
1.Reg.2.c. quiens: Quicunq; honorificauerit me,
glorificabo eum: qui autem contem-
nunt me, erunt ignobiles. Addit inſup.
Elige viros, non pueros, aut adoleſcen-
tes, ſed viros maturæ ætatis, qui rerum
habeant experientiam, ex qua pruden-
tia oritur. In Leuitico iuſſit Dominus,
vt illi, qui vaſa templi tractaturi erant,
eſſent ætatis viginti quinque annorū;
qui ante in ſacerdotis munere functuri,
quinquaginta annos haberent. Si igi-
tur ad figuram tam longa ætas, & tanta
grauitas requirebatur: quid, obſecro, ne-
ceſſarium erit ad figuratum, & ad ſacra
tiſſima legis gratiæ ſacramenta pertra-
ctanda? Et quod ſenes in Republica ſint
maximè neceſſarij aperte conſtat, nam
experientia, ac prudentia, qua pollere
ſolent, ciuitates moderantur, regna gu-
bernant, & rempublicam tuentur. Hæc
autem tempori comparantur, quod Ta-
les ille Mileſius (vt refert Laertius) ſa-
pientiſſimum eſſe dicebat. Sicut enim
aqua vino admixta illud reddit mode-
ratius: ita in republica ſenes adoleſcen-
tulis admixti, ipſos grauitate ſua mode-
Simile. rantur. Quàm ob cauſam in libro Nu-
merorum legimus, Dominum ad Moy-
ſem dixiſſe: Congrega mihi ſeptuagin-
ta viros de ſenibus Iſrael. Hoc autem
de vere ſenibus, prudentibus ſcilicet, ac
virtute præditis intelligendum eſt.
Sap.4.ca. Ætas namque venerabilis, (vt ait Sa-
piens) non diuturna tempore, nec an-
norum numero computata: cani enim
ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis
vita immaculata. Denique ait: Viros
potentes, non diuitijs, ſed virtutibus,
qui largitionibus, aut muneribus cor-
rumpi non poſſint, & timentes Deum,
in quibus ſit veritas. Nam qui timet
Deum faciet bona. Poteſt etiam per *Eccleſ.15*
hoc, in quibus ſit veritas, ſignificari: id
eſt, in quibus ſit ſcientia: qui enim illā
non callet, nullo modo eligendus eſt.
Prius Chriſtus Redemptor noſter San- *Matth.16*
cto Petro dixit: Beatus es Simon Bar io
na, quia caro, & ſanguis non reuelauit
tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt: &
poſtea addidit: Et ego dico tibi, quia tu
es Petrus, &c. & tibi dabo claues regni
cœlorum, &c. Quod perinde eſt, ac ſi di-
ceret: Siquidem Pater meus tibi dedit
ſcientiam, & cognitionem, ego tibi da-
bo claues, & poteſtatem Eccleſiæ meæ.
Quapropter. Cui Deus plus dat, vos e-
tiam plus date, & cui Deus ſapientiam
non dedit, quare vos ei prælaturam da
bitis? Si Deus illum non fecit idoneum
ad imperandum alijs, quare & vos illū
facietis? Pauper erat D. Petrus, & piſca-
toris filius, nec fauorem aliquem in
mundo habebat, ſed quia Deus illi de-
dit id, quod dedit, idcirco totius mun-
di ſupremus prælatus factus eſt, *no por
las prendas que tenia de la carne, ſino por
las prendas que tenia del cielo.* Nunquid
æquum eſſet, eum, qui diues eſt, & filius
alicuius nobilis, nauclerum alicuius na-
uis fieri, ex eo, quia diues eſt, & filius
nobilis? Minimè profectò. Nā ſi neceſ-
ſariam ad illud munus ſcientiam non
habet, certe nauis breuiſſimo tempore
ſubmergetur. Quo circa munus, non
niſi ei, qui ſufficientiam neceſſariam
habet, committedū eſſe nemo dubitet.

Electio prælatorum.

ELigens dominus Deus Ioſue in
principem, & ducem filiorū Iſrael,
dixit ei. Sicut fui cum Moyſe, ita ero te-
cum: non dimittam neq; derelinquā te.
Confortare, & eſto robuſtus. Et paulò
poſt iterum inquit. Confortare igitur,
& eſto robuſtus valde, vt cuſtodias, & fa
cias omnem legem, quam præcepit tibi
Moyſes ſeruus meus. Perſpectam habe-
bat ſanctus Ioſue illius populi peruica-
ciſſimam contumaciam, non ſolum ad-
uerſus ſuos duces, verum etiam aduer-

ſus ipſum Deum. Neq; ignorabat, quantas hoc illius populi vitium ſæpe turbationes dediſſet, quas nec Moyſes quidem ipſe, quamuis & apud Deum, & apud homines vir eſſet longe gratioſiſſimus, abſque maximis incommodis componere, aut ſe dare potuiſſet. Quibus rebus merito ſanctus vir deterreri potuit ab ea tanta adminiſtratione. Quare non mirum eſt, quod tam prolixè ab omnipotenti Deo cõfirmatur, quamuis magna alioquin fortitudine animi, prudentiaque polleret, atq; etiam ad capeſſenda Dei iuſſa alacritate. Quamuis igitur exiſtimandus eſt eorum hominum ſtupor, qui non ſolum nullo, vel Dei, vel hominum hortamine opus habent, vt maximos, atque ampliſſimos magiſtratus ſi ſibi mandentur, accipiant: ſed ipſi eos vltro miſerrima etiam, atque turpiſſima ambitione captant? Sed planè ſic eſt ſtatuẽdum, tales homines, qui tam ſtultè magiſtratus affectant, nunquam, quibus artibus, quaque ſua virtute illos gerant, quidquam penſi habuiſſe, ſed tantummodo vnum, vt ſcilicet, ſibi cupiditates expleant, & proinde nullos honoribus illius modi munus dignos eſſe, quã multos eorum, qui ſunt maximè caudidati talibus magiſtratibus. Nõ commemoratur hic vlla Ioſue recuſatio: quibus Moyſes ſe pluribus etiam quã oportuit, aduerſus inſtantem, atque vrgentem Deum eſſe viſum: verumtamen benigniſſimus Deus, qui vltro illum his tam multis hortamentis, atque pollicitationibus ſubleuat, ſatis oſtẽdit, quàm ipſe de ſe ſentiret humiliter. Nam quanto ſibi minus arrogant homines, tanto magis cæleſte ſibi auxilium demerentur. Et cum ſe, vt miſerrimos mortales à rebus omnibus imparatos agnoſcũt, tum demum diuina ope, quam ex animo implorant, & in qua fiduciam ſuam omnem collocant, digni habentur. Sine qua ope prorſus nihil boni in rebus humanis patrari rectè poteſt. Sed maximè obſeruandum eſt, quod ſequitur: confortare igitur, &c. Vt cuſtodias, & facias omnem legem, quã præcipit tibi Moyſes ſeruus meus. Non enim lex ſingulariter Ioſue, ſed vniuerſo populo Iſraelitico imperata eſt, & ipſe legis liber primum eſt ſacerdotibus, portantibus arcam ſacram traditus, atque commendatus: quia ipſorum erat legem docere, atque interpretari, & difficiles in ea quæſtiones explicare. Deinde verò magiſtratibus præcipuè leges impoſitæ fuerunt. Vnde leges tam ſacras, quàm ciuiles præcipuè principes obſeruare debent. Nam ipſorum vitæ probitas iis omnibus, quos ſibi ſubiectos habent, omnis probitatis certiſſima lex eſt. Quæcunque enim mutatio in ipſis extiterit, eadem mox ſequetur in populo. Leges igitur potiſſimum ipſis principibus, magiſtratibusve obligationem afferre certũ eſt. Quapropter magna ratione dicitur Moyſem Ioſue præcipuè, & quaſi propriè legem imperaſſe. Præclarè enim apud Xenophontem Cyrus exiſtimabat, nullis legibus incitare ſe poſſe melius ſuos ad virtutis ſtudia, quàm ſi ſe ipſum præ omnibus virtute egregiè ornatum exhiberet parentibus. Animaduertere enim ſe dicebat, meliores quidẽ fieri homines per ſcriptas etiam leges: at bonum principem oculatam legem hominibus eſſe. Quippe qui ipſos facilitè & temperantes efficere, & intemperate viuentes notare, caſtigareque poſſet. Ac proinde dabat operam, vt quæ ad diuorum cultum ſpectarent, ea inprimis ipſe curæ ſibi eſſe oſtenderet. Debẽt profectò ſæpe iſta apud animum ſuum cogitare, quibus imperium & poteſtas à ſupremo domino eſt aſſignata.

Xenoph. institut. 8.

Electio prælatorum.

IN Exodo dicitur. Erat autem Moyſes octuaginta annorum & Aaron octuaginta trium, quãdo locuti ſunt ad Pharaonem. Quando electores in electionibus per Spiritum ſanctum gubernãtur, non eligunt, ſi poſſunt prælatum iuuenem, ſed ſenem, & conſiliarium eligunt etiam virum eiuſdem ætatis, vel etiam maioris, ſicut erat Aaron conſiliarius Moyſi.

Exodi. 7.

Moyſi. Per Iſaiam prophetam Dominus Iſraelitico populo plurima mala, & ſupplicia minatur, inter quæ vnum erat, ſe daturum eis principes pueros, & effœminatos. Dabo, inquit, pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Vtinam hoc electores in ſuis congregationibus attenderent, & conſiderarent, ſi eligunt iuuenes, & effœminatos cum ſint alij ſenes, & timentes Deum, robuſti in virtute, & virili pectore ornati, quos poſſint eligere, omnia peccata, quæ illi iuuenes in ſuis officijs, & muneribus commiſerunt, ſuper conſcientias electorum caſura eſſe.

Electio pręlatorum.

DE filijs huius ſęculi omnis æquitatis, & iuſtitiæ inimicis regius Propheta dixiſ: Dextera eorum dextera iniquitatis. Quæ verba quidam doctiſſimus vir ſic exponit. Manus dextera, quæ bona communia diuidunt, inſtrumentum eſt iniuſtitiæ: nam amicos ſuos quantumcunque malos quouis munere, & dignitate inueniunt dignos inimicos vero licet boni ſint officijs indignos reperiunt. O Domine quæ nam pœna & ſupplicium huiuſmodi hominibus pro tam defaria iniuſtitia paratum eſt? Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructum. Vna ex præcipuis cauſis ruinæ, & caſus ſynagogę fuit, quia ſummum ſacerdotium non pro meritis alicui dabatur, ſed auctioni ponebatur; [*andaua en venta y al moneda, quien dieſſe mas por el.*] Iuſtitia conſeruat imperium, iniuſtitia vero illud diſturbat, & ſolo ęquat. Priſcos illos Romanos quamuis idolatræ erant, quia tamen iuſtitiam diligebant, Deus (vt ait B. Auguſtinus) totius orbis dominos effecit: Hebræos autem licet vnicum, & verum Deum adorabant, quia tamen iniuſti erant, & acceptatores perſonarum imperio, ac dominio orbauit.

Pſ. 143.

Electio pręlatorum.

IN libro Numerorum recenſiti fuerũt omnes viri viginti annos, & plus habentes, qui poſſent aduerſus hoſtes dimicare. Bene credere poſſumus, fuiſſe plurimos inter eos, qui ad hanc viginti annorum ętatem non peruenerant, qui iam gladio accingi poterant, & forſan melius dimicare, quàm plurimi ex illis qui viginti annos iam adimpleuerant, ſicut inter Romanos aliqui per paucã ætatem habentes fortiſſimi extiterunt: nam, vt refert Titus Liuius, fortiſſimus ille Annibal, cum decem & ſeptem annos duntaxat nactus eſſet, in Ducẽ Carthaginenſium aduerſus imperium Romanorum conſtitutus fuit, & in arte militari prudentiſſimus, ac celeberrimus dux extitit. Et aliquos ex Romanis minus ætatis, quàm viginti annos habentes inclytos, atq; ſtrenuiſſimos in bello duces extitiſſe legimus. Quę ergo ratio eſſe potuit, quare ij, qui minus quàm viginti annos ætatis habebant, arma capere, & aduerſus hoſtes bellum committere non permittebantur, nec etiã eis ſicut alijs ſtipendium dabatur? [*No lo auia Dios tanto por la ſombra, como por la verdad, ni tenia tanto reſpecto a la figura como a lo que en aquella conquiſta ſe repreſentaua: tenia Dios atencion a los conquiſtadores de la Hieruſalem celeſtial,*] qui futuri erant Apoſtoli, & alij viri apoſtolici, videlicet prælati ſacroſanctæ Eccleſiæ, quibus commiſſa eſt promiſſæ gloriæ debellatio: id eſt, [*a quien eſta encomen dada la conquiſta de la gloria promeſida.*] Itaque vult Deus, vt hi debellatores ſint viri ætate perfecti. Væ autem Eccleſiæ, vbi prælatus fuerit adoleſcens: ait enim Eccleſiaſticus. Vę terræ, vbi Rex puer eſt. Sed forſan dicet aliquis, plurimos eſſe adoleſcentes, qui pluſquã ſenes habent ſcientiæ, quę lux eſt, qua alios illuminare debent. Quid prodeſt eos ſcientiam habere, ſi nullam habent experientiam? Nulla lux clarior eſt luce ſolis, & propter paruam experientiã

Num. 26.

Eccle. 10.

Phaeton-

Phaetontis, qui gubernabat, equos trahentes currum, vbi ſedebat ſol dicūt fabulæ poeticæ, cælum, & terram incēdio conflagraſſe. Hæ fictiones, quas finxerunt Poetæ abſque fidei lumine, ſed ſolo ſplendore, & luce legis naturalis, nō otioſę, nec inutiles fuerunt: habēt enim in ſe magnam ſignificationem. Phaetō hic ſignificabat hominem præclaram ſcientiam habentem. Quid enim prodeſt ſi prælatus ſciat totam Bibliam, & omne ius canonicum, niſi ſciat etiam quo pacto eo ſit vtendum, quando ſuſpendere debet legum executionem, & quando accelerare debet ſupplicium delinquentium, vel quando illud differre ad melius tempus? Hæc omnia per theoricam nequaquam ſciri poſſunt, ſed per practicam & exercitium ſcientię. [*Acontecera que tenga vno luz, y que por no ſaber guiar los cauallos ſe abraſe la igleſia.*] Vnde Eccleſiaſticus non reputat ſcientiam illam, quæ ſine experientia eſt, atque ita dicit. Qui non eſt tentatus, quid

Eccle. 24. ſcit? (Quaſi dicat nihil) & qui non eſt expertus, pauca recognoſcet. [*No ſabe vno mas de quanto ſe ſabe aprouechar de la ſciencia, y no ſe ſabe aprouechar ſi no tiene experiencia: y no tendra experiencia, ſi no tiene edad.*] Merito ergo præcipiebat Dominus, vt terræ promiſſionis debellatores non eſſent pueri, vt aperte intelligamus, quod ſacerdotes, & prelati, qui nos illuminaturi ſunt, & cælum debellaturi, non debent eſſe pueri ætate, ſed ſenes experientia.

Electio prælatorum.

IN libro Numerorum ſic legitur. Locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens. Hæc eſt lex Leuitarum. A vigintiquinque annis, & ſupra ingredientur, vt miniſtrent in tabernaculo fœderis; cumq; quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabūt, eruntq; miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis, vt cuſtodiant, quæ ſibi fuerint commendata, opera autē ipſa nō facient. Ponitur hic differentia inter Leuitas iuuenes & Leuitas ſenes, ſcilicet quod Leuitæ iuuenes laborarent, ſenes autem nec altario inſeruirent, nec thura miniſtrarent, nec templum verterēt, ſed duntaxat res tabernaculi aſpicerēt, & omni cura, ac fidelitate cuſtodirent. Vbi ſignificatum eſt id, quod modo in ſacroſancta Eccleſia circa electiones prælatorum ſeruari debet. Non enim eligendi ſunt adeo iuuenes, vt nullam habeāt experientiam, nec adeo ſenes, vt munera ſua exercere non valeant. Tria ſunt officia quæ prælatus debet præſtare, &

in quibus ſe occupare debet. Primum *Luc. 10.*

eſt officium operarij: quo nomine ſumma veritas Ieſus Chriſtus prælatos vocauit, cū ait. Dignus eſt operarius mer- *2. Ad Ti. 2*

cede ſua, vbi aperte de Eccleſiæ miniſtris loquitur. Et D. Paulus ad Timotheum ſcribens inquit. Solicite cura te exhibere Deo probabilem operarium inconfuſibilem: hoc eſt, Omni ſtudio labora, te bonum eſſe operarium: ſic autem operari debes in Eccleſia Dei: vt nullus te negligentiæ notare poſſit, ſed in publicum diſcooperta facie prodire valeas, hoc enim ſignificat, inconfuſibilem.

Secundum munus prælati eſt ſubdi-

tos docere, vt idem Apoſtolus inquit. *1. Ad Ti. 3*

Oportet epiſcopum doctorē eſſe, hoc eſt, epiſcopus tenetur predicare, & docere. Tertium munus eſt paſtoris, ſicut

Dominus apud Ioannem docuit, cum *Ioan. vlti.*

dixit. Petre amas me? Paſce oues meas. Paſtus autem, ſeu pabulum debet eſſe non ſolum verbis, ſed exemplo vitę. Debet prælatus eſſe abſtinens, & diebus ab Eccleſia conſtitutis ieiunare, atque in alijs ſanctis operibus ſe exercere, quæ omnia efficere poterit ille, qui ſana vtitur valetudine & qui in media (vt aiūt) ætate poſitus eſt: ſi autem ſenex, æger, plenus annorum, & podragricus vel arthriticus eſt, quomodo munus operarij præſtabit; cum nec pedibus, nec manibus laborare poſſit? Quomodo officiū doctoris exequetur, cum non poſſit literis operam dare, nec conciones ad populum habere? Quomodo officium pa-

ſtoris

ſtoris faciet, ſi quidem ſuo exemplo alios ad opera pęnitentiæ prouocare nõ poteſt? Quomodo exemplum abſtinentiæ præbebit, cum ipſe carnibus quadrageſimali tempore veſcatur? Merito ergo præcipiebat Deus, vt Leuitæ ſenes tã quam inepti a miniſterio templi propter longæuam ſenectutem remouerẽtur. Sed forſan dicet aliquis, non eſſe rationi conſentaneum, vt epiſcopus ſenex ab officio ſuo remoueatur. Hoc ego libenter concedo: non enim hic agimus de illis, qui in ſuis officijs inueterauerunt, & ſenes facti ſunt, iis namque iure prouiſum eſt, vt coadiutores adhibeantur, quod autem aſſerimus eſt, vt ſi præ nimia ſenectute impotens, eſt ad munus epiſcopale, ſeu alterius prælaturæ non promoueatur; ſi quidem rigorẽ religionis, ſi religioſus eſt, ferre non poteſt, nec exemplũ pœnitentiæ, ſi epiſcopus eſt, prębere valet. Tales igitur ſint tã quã Leuitæ zelatores, & nõ gubernatores; attendãt, & zelent religionem, [*y miren no ſe cayan las buenas coſtumbres, y en lo de mas comidanſe en la pretenſion de los officios,*] & finẽ imponãt ambitioni, de qua Tullius ſic ait. Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq; contentio. Miſerrima idem eſt, quod inſatiabilis: eſt ſicut ignis, qui nunquam dicit: ſufficit, quin potius quãto plura ligna ei admoueas, tanto magis augetur: ſic quanto pluries quis munere prouincialis, aut diſfinitoris, vel alijs prælaturis fuuctus eſt; tanto magis prælaturam appetit. Quo circa oportet, vt vnuſquiſque in alijs, quibus Deus offenditur, ſe ipſum vincat.

Cicer. li. 1. officiorum.

Simile.

Electio prælatorum.

OMnis namq; Põtifex ex hominibus aſſumptus, ꝑ hominibus cõſtituitur: inquit B. Paulus ad Hebræos ſcribens. Quaſi dicat. Decretum, & inſtitutũ eſt in diuino conſiſtorio, vt in Eccleſia militanti angeli, tanquam vicarij, & vicem tenentes Dei non præſideant, ſed homines. Natura, & ſpecie humana debet eſſe ille, qui prelatus hominum conſtituendus eſt. In lege veteri præcipiebat Dominus, ne veſtibus lino & lana contextis homines induerẽtur, & ne in boue, & aſino ararent. Sẽper in vſu poſitum fuit, vt angelis minoribus alij homines præficerentur. Sed quare nolit Deus, vt angeli hominibus præficiantur? Profecto, quia non poſſent cũ illis prælati munus exercere. Quod nã eſt officium prælatorum? Vtique publice docere verbo, & exemplo ſubditos. Sic ait ſancta Eccleſia in quadam oratione pro ſummo Pontifice. Deus omnium fidelium paſtor & rector, famulũ tuum N. quem Eccleſiæ tuę pręeſſe voluiſti, da ei, quęſumus, verbo, & exemplo quibus præeſt proficere. In his duobus includitur officium prælati. Vnde B. Bernardus in quadã epiſtola inquit. In duobus mandatis, verbi ſcilicet, & exempli ſummam officij ad conſcientiæ ſecuritatem pendere intellige. Angelus prædicare non poteſt, quia linguã, & corpus nõ habet, nec etiam poteſt vitæ exemplo virtutes docere, quia inuiſibilis eſt: ergo ex conſequenti nõ poteſt præfici hominibus in prælatum, ſiquidem prælati munus exercere non valet. Ex quo facile poſſumus intelligere, quòd licet homo aliquis ſit in vita angelus, ſi tamen idiota eſt, & illiteratus ineptus proculdubio ad prælaturã cenſeri debet, quippe cum ſubditos docere non poſſit: ſi autem tantam habuerit ſcientiam, quanta Salomon præditus fuerit, & tamen male vixerit, nullo modo eſt etiam eligendus in prælatum; nõ enim poteſt ſuo exemplo Eccleſiã ædificare, quin potius eam deſtruet. Neceſſaria itaque eſt ſcientia prælato, quia ſolus ipſe ſubditos docere tenetur. Atque ita Dominus per Malachiam Prophetã inquit. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſciẽtiam, & legem requirent de ore eius, qa angelus Domini exercituum eſt. Volo, ait Dominus, vt ſcientia ad illuminandum alios ſit in capite prælati, & ex ore eius proferatur, vt ille, qui tã in rebus, quas credere, quàm in illis, quas operari de-

AdHeb. 5.

B. Ber. in epiſt. ad abbatem Reatini monaſterij. epiſto. 201.

Malac. 2.

ri debet dubitationem habuerit, non de eis interroget ſæculares, qui illas ignorant, ſed ipſas ab ore ſui prælati addiſcat, angelus enim Domini exercituum eſt. Angelus nomen eſt officij, & nõ perſonæ, idem namque eſt, quod miſſus. Prælatus eſt miſſus à Deo legatus in ſubditos ſuos: ipſe eis voluntatem eius exponere debet: quòd ſi Prælatus idiota eſt, & illiteratus, nunquid Deus illum in officio poſuit? Nunquid eum legatum ſuum fecit? Minime profectò: ipſe ſe officio ingeſſit, Deus enim illum in eo nequaquam conſtituit. Neceſſarium eſt etiam in prælato bonum exemplum. Vnde optime ſtabilitum eſt in plurimis religionibus, vt nullus in prælatũ conſtituatur, qui vitam communem ſequi, & in ſanctis exercitijs religionis ſe exercere non potuerit: nam licet ſanctus ſit, tamen ſi ſicut alij ieiunare nõ valet, non poterit increpare eos, qui ex vitio non ieiunant. & ſi in choro aſſiſtere nõ poteſt, nõ poterit punire eos, qui abſq; neceſſitate illuc introire nolunt. Pro hominibus cõſtituit, hoc eſt debet eſſe exẽplar in exteriori ille, qui in prelatum inſtituendus eſt, [*a de ſer dechado de toda virtud,*] forma factus gregis, vt ait D.

2. Pet. 5. Petrus, ita vt ab eo ſubditi humilitatẽ, honeſtatem, temperantiam in cibo & potu, liberalitatem in pauperes, contemptum diuitiarum, & inimicitiam omnium vitiorum addiſcant, & hoc ex animo [*con intencion que ſus ſubditos deprendam del à bien viuir.*] Res vtiliſſima ſacroſanctæ Eccleſiæ ſemper fuit, & eſt bonum exemplum vitæ prælatorum: è cõtra verò maximum nocumentum reipublicæ Chriſtianæ affert mala ipſorũ

B. Greg ſuper Matt. 5. c. prælatorum uita. Vnde B. Grego. ſuper illa verba. Vos eſtis ſal terræ inquit. Nullum, fratres ab alijs maius præiudicium, quàm à ſacerdotibus tolerat Deus, quãdo eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare exempla prauitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata aliorum debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mẽte captamus, & quia ex ipſo, quod cæteris prælati ſumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus. Occaſionem ſumimus ex eo, quia nemo nos reprehendere, & increpare poteſt, ideo hac occaſione accepta in omnibus rebus noſtrum ſenſualem appetitum volumus adimplere, & ſic miniſterium ſuſceptæ benedictionis vertimus ad ambitionis argumentum. Cum in vna dignitate poſiti ſumus, aliam maiorem deſideramus. Id quod futurum erat frænum ambitionis, eſt omnis prætenſionis humanæ incitamentum, & materia. Denique locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur, hoc eſt, occupamus locum, quem ſancti prælati habebant, & eis in officio ſanctitatis minime ſuccedimus. In libro Iob dicitur, quòd filijs eius, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens à regione deſerti irruit, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos eius, & mortui ſunt. Singulis diebus filij Iob in vna- Iob. 1.
quaque domo fratrum manducabant, & nunquam cecidit domus, quando cõuiuia fiebant in domo filij ſecundi, tertij aut quarti, ſed in die, quo edebant & bibebant in domo maioris filij. Vbi ſignificatum fuit, quòd non deſtruitur eccleſia tantum propter diſſolutiones ſæcularis ſtatus, quantum propter diſſolutiones prælatorũ, qui ſunt filij maiores Dei, & in terra vices eius gerũt, quippe cum eos Deus ipſe vicarios ſuos eſſe cerit. Quocirca merito B. Gregorius inquit. Nullum præiudicium maius, quã à peſſimis ſacerdotibus tolerat Deus.

Electio prælatorum.

MAgna ſolet eſſe cæcitas, quam in electoribus paſſio efficere ſolet. Hinc ortum eſt, quod cum Philiſtæi cognoſcerent præcellentiam, qua noſter verus Deus idolum ipſorum [*Dagon*] antecedebat, hoc eſt, [*conoſciendo la ventaia*

que

que hazia nueſtro uerdadero Dios a ſu ido
lo y el trato que le hizo en ſu templo quan-
do lo dexo ſin cabeça y ſin manos hecho un
tronco,] vt patet in libro Regum,[*y con*
feſſando elios y diziendo.]Dura eſt manus
1. *Reg.* 5. Domini ſuper Deum noſtrum [*Dagõ:*
con todo eſto le llamaron al Dagon ſu Dios, y
en ſu competencia deſecharon y no recono-
cieron por Dios al que por experiencia, y a
ojos uiſtos ueyan que era Dios. O ciega paſ-
ſion que dire deti, ſino que ſi entras en nue-
ſtras electiones (de las quales no ſe ſi ſales)
eres tam porfiada y deſatinada, que aunque
el tronco conocido por tal que tu ſauoreces
compita con Dios conocido, eliges al tron-
co, y deſechas a Dios, o a quien tiene ſu la
cauſa en la election. O quantas uezes uemos
en las Igleſias Cathedrales en los conuentos,
y congregaciones, y en los otros cargos de la
republica ſecular, que ſe trueca Dios por Da
gon, eſto es el mas digno por el que no es di-
gno.] Dux ille Abner(vt ſacra Regum
narrat hiſtoria) noluit in regem Iſrael
S.Dauidem eligere (quando Saul mor-
tuus eſt) cum à Deo ipſo electus eſſet &
de ſufficie- ia eius ſibi conſtaret, noluit,
inquam, Dauid eligere vt eligeret Isbo
ſeth, qui indignus erat regia maieſtate
& dignitate, ſi cum Dauide compararetur.
tur. [*Y eſto hizo porque pretendia ſuſten-*
tarſe en la priuança del miſmo Isboſeth, y *Simile.*
hazerle Rey para ſi. Como el que uiſte una
ropa no mira mas de que ſea a ſu talle, y que
le uenga el juſta y medida, aſſi quieren los
electores que les uengan los prelados y ſeño
res medidos y traçados al talle de ſu uolunt
ad y no mas.]

Omnia, quæ habentur litera S. titu-
lo ſacerdos, & quæ habentur litera P. ti-
tulo Prælatus, poſſunt huic materiæ
deſeruire.

ELEEMOSYNA.

TRia ſunt reuera bo
norũ genera, quæ
noſtra eſſe dicere
poſſumus. Primũ
eſt vera virtus, quę
a nobis inuitis au-
ferri non poteſt.
Seneca. Vnde Seneca in-
quit. Sapiens intra ſe omne bonum ter
minabit: & addit, quod quidam pa-
tria capta, vxore, & liberis amiſſis, cum
ex incendio publico ſolus, & tamen li-
ber exiret interroganti victori: ſi quid
perdidiſſet? Nihil, inquit, perdidi, bona
mea mecum ſunt. Secundum genus bo-
nus bonorum eſt quidquid pauperibus
ꝓpter Chriſtum largimur. Illud enim
Eccleſ. 17. a nullo nobis auferri poteſt. Vnde in
& 29. Eccleſiaſtico dicitur. Eleemoſyna viri
quaſi ſacculus cum ipſo. Prudenter igi-
tur reſpondit diues quidam, qui centũ
aureos pauperibus contulerat interro-
gatus, quot bona atque poſſeſſiones ha
beret? Centum, inquit, aureos. Quod
cum a circunſtantibus illi obijcerentur
cætera bona quæ habebat: ait. Illa non
mea sũt, ſed vel Regis, vel domini mei,
qui cum voluerint illa ſibi vſurpare, &
accipere poſſunt, at centum aureos pau
peribus oblatos non poſſunt, ſed ſem-
per mihi per manus pauperum in loco
tuto ſeruantur. Tertium genus eſt bo-
num æternum, de quo apud D. Lucam *Luc.* 16.
Dominus noſter Ieſus Chriſtus inquit.
Si in alieno fideles non fuiſtis, quod ve
ſtrum eſt, quis dabit vobis? Alienum vo
cat bonum tranſitorium, noſtrum vero
æternum. Quæ res maxima ponderatio
ne digna eſt. O fœlices nos, ſi hoc bonũ
noſtrum conſequuti fuerimus, & conſe
quemur, proculdubio, ſi in alieno fide-
les fuerimus, hoc eſt, ſi bonorum tẽpo-
ralium fideles diſpenſatores inuẽti fue-
rimus. Quo enim corde audes à Deo pe
tere regnum, cui non uis bucellam pa-
nis porrigere? Quomodo tibi dabit ve-
ſtem gloriæ immortalem, qui eius pau
peri nudo frigore tabeſcenti vnam ex
ueſtibus

veſtibus ſupernacaneis corruptibilem dare recuſas? Quid ad hoc respondebũt vani homines, qui diuitias ſuas in res inanes profundunt, & magnificis apparatibus inaniter delectantur? Canes, & accipitres alunt, pauperes, & inopes nec in extrema inopia curant, induunt parietes pretioſis tapetibus, & Chriſti pauperes nuditate deficiunt. Cooperiunt lapides, qui nihil ſentiunt, & carnes proximorum nuditatem ſuam ſentientiũ cooperire nolunt. In phaleris conſumunt aurum, in collo ferunt torques, & in auribus inaures pendentes, & pretioſa monilia, quibus poſſent captiuos redimere, viduas indigentes alere, virgines pupillas dotare, & miſeris inopibus ſubuenire. Væ illis, quia Deum ſibi ſeuerum ſentient, & iudicium ſine miſericordia fiet eis, quia miſericordiam non fecerunt. Vt autem intelligas, quid pauperi debeas dare, obſerua verba illa, quę in Iſaia habentur. Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Sed forte dices, Nunquid alicui eſurienti panis integer concedendus non eſt? Sic equidem. Quomodo ergo ſanctus Propheta inquit. Frange eſurienti panem tuum, Audi, & intellige. Cum dicit. Frange eſurienti panem tuum, de illo pane agit, qui ad cibum tibi conceditur. Etiam hunc panem, quamuis alium non habeas, frange, & porrige eſurienti, & vtrique ſufficiet ex charitate. Tunc (inquit diuinus Vates) erumpet quaſi mane lumen tuum, &c. & gloria Domini colliget te: quòd ſi non potes vel fragmentum egeno concedere, effunde animam tuam ſuper illum per affectum, & compaſſionem. Hæc nimirũ principem locum oſtendit in miſerationibus, quam & Dominus coronat ad plenum non tantum in futura uita, ſed etiam in hac: nam B. Paulus inquit. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionẽ habens vitæ, quæ nunc eſt, & futurę. Pietas verò in hoc loco miſerationem miſerorum ſignificat, ſiue ſpiritualem, ſiue corporalem, & hæc coronatur in ſæculo futuro, & in præſenti. Oportet tamen eleemoſynas cum iudicio diſtribuere, iuxta id, quod regius Propheta ait. Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio. Per ſermones intelliguntur res verbum enim Hæbraicum rem ſignificat. Eſt igitur ſenſus. Vir ille bonus eſt, qui miſericordiam colit, qui beneficus eſt, & liberalis, & de ſubſtantia, & de rebus ſuis familiaribus impartitur egentibus, ſed iudicium in diſtribuendo adhibet, hoc eſt, omnia ſapienter, & ordine recto miniſtrat. Villicum iniquitatis laudauit Dominus apud D. Lucam, qa fecerat amicos ex bonis Domini ſui, & concluſit dicens. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant uos in ęterna tabernacula. Sed dices, Si villicus iniquus erat, ſi inique fecit, cur fuit a Domino laudatus? Audi obſecro. Vt in crudeli homicidio eleganter depicto artem pictoris miris laudibus effers, rem uero ipſam deteſtaris. Sic Dominus induſtriam villici laudat, rem uero ipſam uituperat: iniquũ enim erat Domini ſubſtantiam ſibi traditam perdere, ſed induſtria fuit, amicos, qui eum reciperent, eique poſtea cõſulerent, acquirere: eodẽ modo qui pauperibus diuitias largiuntur, prudentes ſunt; quoniam comparant amicos, quorum precibus in æterna gloriã recipiantur: & licet pauperes pro illis preces nõ effundant, ipſæ tamen eleemoſynæ pro illis Dominum deprecantur.

Iſa. 58.

1. Ad Ti. 4 cap.

Pſal. 115.

Luc. 16.

Similia.

Eleemoſyna.

SAcra ſcriptura nõ ſolum præſtãtia doctrinæ, ſed modo, & ratione docẽdi ſcripturas omnes longe antecellit. In quo illud in primis ſpectandum eſſe uidetur, quod ea quæ maxime fieri conuenit, frequentiſſimè repetit, vt altius piorum animis infigat, quod maximè gerendum ſit. Sicut enim uenatorum canes, cum ad alicuius foueæ oſtium uehementius latrãt, nec ab eo diuelli poſſunt,

Simile.

ſunt, prædam ibi latitare indicant. Ita tum ſacra ſcriptura frequentiſſimè uno in loco commoratur, & idem iterũ, atq; iterum alijs repetit, & inculcat uerbis, aliquid ſine dubio ſingulare, maximeque neceſſarium ibi eſſe declarat. Quia autem elargitio eleemoſynarũ, & exhibitio operum miſericordiæ præſtantiſſima res eſt, admirationem certè adducit, quoties in diuinis literis commendatur, & ita Petrus Raueonenſis in quodam ſermone ſuper illa uerba Domini, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare &c. ait. In regno cæli coram omnibus angelis in conuentu reſurgẽtium, quòd mundum conſeruauit Noe, quòd Abraham fidem ſeruauit, quòd Moyſes legem tulit, quòd Petrus crucem Ieſu primus aſcendit: Deus tacet; & clamat ſolum, quòd pauper comedit dicens. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Qui .n. miſericors eſt, miſericordia dignus eſt. Hæc ille. Si grati, & humani hominis officium eſt rependere beneficia, & par pari referre, & illum laborantem iuuare, a quo fueris ipſe, dum laborares, adiutus: quid ille bonitatis, & miſericordiæ fons faciet: Qui ait, Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? Cæterum quãuis de huius uirtutis cõmẽdatione multa ſacra ſcriptura dicat, de laudibus tamen eius ſingularia inuenies in Eccleſiaſtico. Inter quæ illud maxime notandum eſt, quod ait. Propter mandatum aſſume pauperem, & ꝑpter inopiam eius ne dimittas eũ uacuum. In his uerbis illud animaduertere oportet, non tam miſericordiæ naturalis affectum, aut alienæ calamitatis leuamẽtum, quàm diuinorum mandatorum obedientiam in eleemoſyna expectandam eſſe: quamuis hic quoque effectus laudandus ſit, vtpote qui nos ad liberalitatis virtutem ſtimulet, in hoc enim ab authore naturæ natus eſt: amor nãq; Dei erga homines, quos ipſe condidit, hunc nobis miſericordiæ affectum impreſſit, quo laborantibus proximis opẽ ferremus, ut quod ab eo conditum eſt, mutuis auxilijs ſeruaretur.

Petrus Rauena.

Eccleſ. 29.

Eleemoſinæ ſingularis effectus.

QVando aliquis afflictus, ac tædio, mœroreque affectus, propter aliquod infortunium, quod ei euenit, magnum remedium ad illam triſtitiam expellẽdam eſſe ſolet, egenis, proximis, & neceſſitate oppreſſis ſubuenire, eiſq; pietatis opera præſtare. Hoc ad literam Iſaias Propheta teſtatur his uerbis. Cũ effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleuetis, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt, ſicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam. O benedictus, & glorificatus ſit talis Deus, qui ita exhibita ſeruitia propter amorem ſinim gratificare, & remunerare ſcit: nõ ſolum enim ea in alio mundo gloria æterna uult retribuere, uerum etiam in hac uita ipſa magna cum lætitia, otio, & tranquillitate recompenſat. Perpendite quæſo, uerba illa: Cum effuderis animam tuam. In quibus nobilis ſignificatur tanto amore, & charitate eleemoſynas pauperibus erogandas eſſe, vt poſt illas, & animas noſtras, & uiſcera, & quidquid habemus, elargiri cupiamus. Atqui hæc ſingularis pietas potius illis conuenit, qui in lege gratiæ uiuunt, quam illis qui antiquis fuere temporibus. Quod, & in pſalmo nos regius Pſaltes docet: nam pro eo, quod nos legimus: tecum principium in die uirtutis tuæ, alia lectio habet, populus tuus principes in die poteſtatis tuæ. Vbi quod nos legimus principes verbum originale, quod eſt, Nedaboth, ſignificat ad literam liberales, magnificos, & corde generoſos. Dies poteſtatis Ieſu Chriſti eſt lex gratiæ. Nam, ut B. Apoſtolus inquit: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, & in hoc die huic cæleſti Domino obedientia præſtatur, eiuſque infinita potentia oſtenditur, atque ita in hoc die populus eius uidelicet Chriſtiani oportet, ut liberales, magnifici, ac generoſi exiſtant: ſiquidem

Iſai. 58.

Pſal. 109.

ſiquidem ita ſanctus Dauid his uerbis prophetauit.

Eleemoſynam tribuentis prærogatiua.

DE liberali, ac miſericorde uiro grã de myſterium ſacra ſcriptura com memorat, quòd ſcilicet diuitiæ, ac facultates uſurariorum ab ipſis per vias ſecretas auferuntur, & in manibus piorum hac liberalium hominum collocantur, ut ſic plus habeãt, quo magnas eleemoſynas elargiantur. Hoc in Prouerbijs teſtatur Salomon, dicens. Qui coaceruat diuitias uſuris, & fœnore liberali in pauperes congregat eas. Fœnus oritur quodammodo ab hoc uerbo, partus: nã vſurarij efficiunt, ut pecunia, quæ de ſe ſterilis eſt, aliam pecuniam pariat. Hoc Ariſtoteles inquit eſſe ingens malum, & Plato interrogatus, quid hoc eſſet, reſpondit eſſe occidere hominem: auſertur enim ab eo ſubſtantia, qua uicturus erat. Et hos ait Spiritusſanctus, nõ ſibi, nec filijs ſuis, vt ipſi cogitant, ſed ijs qui largiter eleemoſynas erogant, & in pauperes ſunt liberales, diuitias congregare. Quamuis autem in noſtra editione, ut ex aliquibus conſtat exemplaribus, habeatur; liberalis, tamen in contextu Græco, & in Hebræo eſt in datiuo, vide licet liberali, atque ita magis aperta, & dilucida eſt ſentẽtia, ut uidelicet uſurarius uiro liberali lucrum faciat. Vnde, obſecro, putatis tot magnificas ac ſumptuoſas ædes, tot mercatorum, ac potentum uirorum breuiſſimo temporis ſpatio perditas, ac labefactatas eſſe, ſicut proprijs oculis quotidie uidemus, & in libris hiſtoriarum legimus? Hæc omnis deſtructio, & euerſio ex eo oritur, quia forſan ipſi Domini uſurarij, ac tyranni fuerunt, & in eis id, quod Spiritus ſanctus hic aſſerit, adimpletur. Liberales igitur eſtote, fratres mei & magnifici erga Ieſu Chriſti pauperes, ſiquidem hic diuinus Dominus hoc tantopere remunerat & in præſenti, & in futuro ſæculo.

Proue. 28

Ariſ. 1. de Repub.

Oportet autem vt eleemoſynæ maxima cordis puritate fiant: nam (ut ait B. Gregorius) qui indigenti proximo exteriorem ſubſtantiam præbet, & uitã ſuam ad nequitiam non cuſtodit, rem ſuam Deo tribuit, & ſe peccato: hoc, quod minus eſt, obtulit authore, & hoc quod maius eſt ſeruauit iniquitate.

B. Greg li. 19. moral.

Eleemoſynæ excellentia.

IN Eccleſiaſtico dicitur. Eleemoſyna uiri quaſi ſacculi cum ipſo, & gratia hominis quaſi pupillam conſeruabit, & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput ipſorum, & conuertet in inferiores partes terrę. O diuina uerba. & maxima pon deratione digna. Spiritus ſanctus ea in cordibus noſtris imprimat, vt per illa ad pietatem erga proximos noſtros commoueamur. Primum ſe ſe hic nobis notandum offert, quod ubi nos legimus: & retribuit illis retributionẽ unicuique in caput ipſorum: alius uertit. Tandem uero exurgit, & ſuum ſingulis dat pretium, ſuamq; unicuiq; in caput ſuum uicem gerit. Deinde perpendendum eſt maximè, eleemoſynam hic ab Spiritusſancto ſacculum appellari & per Euangeliſtam Lucam Dominum dixiſſe. Facite uobis ſacculos, qui non ueteraſcunt, theſaurum non deficientẽ in cęlis. Et qui ſacci, uel quæ marſupia ſunt hæc, in quibus eleemoſynæ in cœlo ſeruantur? Sine dubio uiſcera ſunt Dei, ac diuinum eius pectus, ubi eleemoſynæ abſconditæ, & obſeruatæ ac nimis ſecuræ ſunt. Itaque eleemoſyna ſacculus uocatur, eo quòd hominem conſeruat, ne in peccatum prolabatur; & dicitur reponi in ſacculo, hoc eſt, in Dei pectore ut uidelicet ipſamet ibi ſeruetur, & conſeruetur. Vocatur etiam hic gratia, ſicut & alibi eam D. Paulus uocauit, dicens. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficien-

Eccl. 17. c.

Luc. 12.

2. Ad Cor. 9.

ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt. Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Vbi ait ſanctus Apoſtolus Dominum iis, qui eleemoſynas erogant bona temporalia ſufficienter, & abundantiſſime daturũ eſſe, ut ſic plures elargiãtur: nam ſi uos cum diuitiis non abundetis, eleemoſynas aliquas erogatis, multo plures abſque dubio tribuetis ſi plurimis diuitiis abũdaueritis. Vocat autem Diuus Paulus eleemoſynam gratiam, quoniam Deus eam ita accipit, ac ſi non eſſet de re ſua, ſed gratis condonata. Quemadmodum ſi Dominus aliquis hortum magni ualoris homini pauperrimo donaret, & ipſe poſtea è fructibus horti ei aliquot corbes offerret fructibus plenos: Dominus autem ſic ſe gratum illo munuſculo oſtenderet, ac ſi hortum illi non tribuiſſet, ſed gratis homo ille pauperculus fructum offerret. Inſuper obſeruandum eſt, quod ubi nos legimus: eleemoſyna uiri quaſi ſacculus cum illo, in contextu Græco habetur. Eleemoſyna uiri ad inſtar ſigilli cum ipſo, & ſic etiam legit Beatus Auguſtinus. O admirabile myſterium? Cum pius homo, & liberalis pallium, ueſtem, aut aliquid aliud pauperi elargitur, Deus illud in corde ſuo imprimit, ſicut ſigillum in molli cera imprimitur, ne amplius unquam eius obliuiſcatur. Quid obſecro, in fauorem ac laudem eleemoſynæ plus dici poterat? Hic etiam, ubi nos legimus: & gratiam hominis, alia litera habet: amorem hominis, quaſi pupillam conſeruabit. Vbi eleemoſynam uocat amorem, non enim tantum attendit Deus id, quod præbes, quantum attendit amorem, quo illud præbes, Hunc autem Dominus amorem quaſi pupillam oculi ſui ſeruat. Quod profecto eſt alia ineffabilis eleemoſynæ amplificatio. Animaduertite, obſecro, quomodo hic ſupernus Dominus ſanctum Loth in medio tam peſſimorum hominum cuſtodiuit, ne contaminaretur, & quoniam ipſe hoſpites compellebat, ut domi ſuæ hoſpitarentur, altiſſimus Deus effecit, ut angelus illum compelleret, ut uel inuitus, & etiam ſi nollet, ſanctum uirum ex urbe Sodomorum educeret, ne uidelicet, ſulphurico incendio conflagraret, atque ita ſacer textus inquit. Diſſimulante illo apprehenderunt, ſcilicet, Angeli manum eius, & manum uxoris, ac filiarum eius, & eduxerunt extra ciuitatem, Denique ait. Et poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput ipſorum, & conuertet in inferiores partes terræ. Hoc eſt, nemo cogitet obolum, ducatum, aut quancunque aliam eleemoſynam quam pauperi tribuit in profundum cecidiſſe, aut amiſſam eſſe: nam quidquid pius homo, & miſericors pauperi largitus eſt, reſuſcitabit, & erit ueluti quædam ipſius corona. Etenim monaſterium, uel hoſpitale, quod ſuis ſumptibus erexit, & ueſtis, quam pauperi dedit, erit ipſius dantis corona, & in extremo die ueluti corona, quæ ipſum pulchrum reddet, coram omnibus. Peccatores autem in inferno ſuis crudelitatibus, & abominationibus in maius tormentum, & confuſionem coronabuntur?

Pſal. 11.

In eleemoſynæ laudem dicitur etiã in Prouerbiis. Qui dat pauperi, non indigebit. Qui deſpicit deprecantem ſuſtinebit penuriam: ſi autem propter eleemoſynas, quas erogat alieno ære opprimatur, Deus eius debita perſoluet, ſicut ſoluit debita illius uiduæ, quæ à Propheta Eliſeo remedium petiuit, ut à creditore, qui duos eius filios ad ſeruiendum ſibi uendicare uolebat, eam liberaret: at uero Sanctus Propheta ei iuſſit ut à uicinis ſuis mutuaret uaſa, in quibus oleum taliter multiplicauit, ut ipſa uidua omnia debita uſq; ad ultimum perſolueret. Vt autem hæc mulier ad commiſerationem remedii ſui uirum ſanctum inclinaret, eum ſic eſt alloquuta. Seruus tuus uir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens Deũ. Nunc quæri poteſt

Prou. 28. *4. Reg. 4.*

quare Deus huius viduæ debita perſol-uit? Sacri Doctores reſpondent, quia maritus eius erat Abdias ille, qui quando impia Iezabel Prophetas Dei perſequebatur, plurimos eorum abſcondit, & ſuis facultatibus ſuſtentauit, & quia magnos cum eis ſumptus fecit, alieno ære oppreſſus debitor factus eſt. Quoniam igitur propter Deum alieno ære ſe aſtrinxit, Deus ipſe eius debita perſoluit. Debita vero, quæ peccator contrahit propter meretricem, quam ardenter amat, vel propter ludos, vel propter mundi vanitates, Deus illa minime perſoluet, ſi quidem ea propter diabolum contraxit, & Deus ipſe permittet, vt in carcere maxima cum afflictione & calamitate moriatur.

Eleemoſyna à tribus oritur.

TRia ſunt, quæ nos ad eleemoſynā erogandam commouere, & incitare debent. Primum eſt conſiderare, quis eſt qui eam poſtulat. Si nunc ad te nuntius perueniſſet homo quidem non paruæ authoritatis, & tibi diceret. Domine te præpara, & eſto vigilans; quia Rex ſimulato habitu & veſtitu accedet ad ianuam tuam tanquam pauper; vt eleemoſynam petat. Scias ergo, te illum hoc, & hoc ſigno cognoſcere poſſe. Quam obſecro, diligentiam adhiberes ad ſciendum, quando ipſe uenturus eſſet vt liberaliter ei eleemoſynam præberes, maximè ſi nuntius ille te certiorem faceret, ipſum Regem tibi illam abundantiſſime eſſe ſatisfacturum? Si quidem ergo Rex Regum Ieſus Chriſtus ſuo ore vos certificauit, & dixit ſe habitu ſimulato videlicet, pauperis in domos veſtras ad eleemoſynam poſtulandam eſſe venturum, qua, quæſo, animi promptitudine, voluntate, & amore oportet, vos eſſe paratos ad illam erogandam? Verbum eius eſt illud, quod ipſe apud D. Matthæum loquitur dicens. Quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Vbi maximè perpendendum eſt

Simile.

Matt. 25.

ſuper illud verbum, quandiu, quod in operibus miſericordiæ non tantum attenditur opus, ſed etiam tempus, ideſt, non ſolum Deus opus, ſed operis durationem metitur, ideo inquit. Quandiu, quia præcipuum operis eſt affectus, quo fit, qui in diuturnitate temporibus comprobatur.

Secundum quod nos ad eleemoſynā præbendam mouere debet eſt conſiderare id, quod pauperā nobis poſtulat. Et quid obſecro hoc eſt? Dicat illud B. Paulus qui ad Philippenſes ſcribens ait. Omnia arbitror, vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam. Itaque (vt D. Paulus exiſtimat) domus ditiſſimi cuiuſq; hominis ſtabulum eſt ſtercore, & immunditijs plenum. In quo apparet quam ſtultè, & inſanè diuites ſe iactant dicentes, ſe tales, ac tales diuitias poſſidere. Nonne inſanum, & amentem illum putaretis, qui per iactantiam diceret, ſe eſſe nimis contentum, eo quod haberet ſtabulum immunditijs, & ſtercore repletum? O inſane quid te iactas habere? Huic ergo ſimilis eſt ille, qui ſe iactat, eo quod granaria vel domos plenas habeat frumento, & cados vino repletos, & arcas maxima nummorum copia affluentes. Si igitur cum ſtercus in domibus veſtris habetis, & illud quęrunt agricolæ, vt terræ calorem præſtent, non expectatis, vt ipſi illud petant, ſed vos illos vocatis, & inuitatis, quin etiam nūmos tribuitis, vt illud ex domo veſtra extrahant, quare cum pauperes ſint veluti mundatores ſtercoris, illos non vocatis, & diligenter quæritis, atque obſecratis, vt à domo veſtra diuitias, quæ velut ſtercus ſunt, extrahant.

Ad Phi. 3

Simile.

Simile.

Tertium, quod vos ad eleemoſynam tribuendam incitare debet, eſt animaduertere in cuius vtilitatem pauper illam poſtulet, ipſe enim eſt veluti thelonium, in quo nummos veſtros reponitis, ne à latronibus rapiantur. Vult aliquis Romam proficiſci, & ne in itinere nummis ſpolietur, illos in thelonio reponit, vbi ei ſcriptura datur ſigillo

gillo ipſius nummularij conſcripta, qua ſecure Romæ ſibi nummi reddantur. Omnes in cœlum iter facimus; in itinere autem huius vitæ plurimi ſunt latrones, qui diuites ſpoliant, alius latro eſt gula, alius luxuria, alius ſuperbia, alius ludus, alius vanitas huius mūdi, &c. & hi latrones plures homines ſuis diuitijs ſpoliant, idcircò optimum conſilium eſt, ac ſapientia, eas in pauperibus tanquam in nummularijs reponere, vt ſecurè nobis in gloria reddātur. Hic negociationis modus longè diſſimilis eſt à negociatione mercatorum: nam ſi in menſa, ſeu thelonio mercatorum centum quis reponat, nonaginta ei duntaxat redduntur, at verò in thelonio Dei multo plura tibi redduntur, quam poſuiſti. Quapropter D. Paulus eleemoſynam vocat ſegetem. Sicut enim in ſegete parum ſeminatur, & plurimum colligitur, ſic multo plus in alia vita colligitur, quam hic eleemoſynæ erogatur. Idcircò ſanctus Apoſtolus ait. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vbi ſanctus vir eleemoſynam appellat benedictionem, & hoc triplici ratione, quarum prima eſt, quia ſolā eleemoſyna ſpecificabitur in illa vltima benedictione, quando Dominus dicturus eſt. Venite benedicti patris mei, &c. eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare &c. Secunda ratio eſt, quoniam eleemoſyna pauperes prouocat, ad benedicendum Deum, vt in Deuteronomio dicitur. Benedicas Dominum cum ſaturatus fueris. Tertia ratio eſt, quoniam eleemoſyna prouocat eoſdem pauperes vt benefactoribus ſuis & benedicāt, & multa bona deprecentur.

2. Ad Co. 9.

Deuter. 8.

Matth. 7.

Bona arbor, inquit Saluator noſter, bonos fructus facit, vnus autem ex bonis fructibus, quos bona arbor, videlicet, bonus Chriſtianus producere debet, eſt eleemoſyna, quæ qualitates, & conditiones boni fructus habere debet. Pomum enim, vt pulchrum ſit, in primis magnum eſſe debet. Sic eleemoſyna pro quantitate diuitiarum, eroganda eſt, & ideo magni habita fuit à Domino oblatio illius paupercula viduæ, eo quod ſecundum ſuam obtulit poſſibilitatem. Oportet etiam, vt pomum ſit ſanum, & integrum, & non vermibus exeſum. Sic eleemoſyna integritatem circunſtantiarum habere debet, vt videlicet, inopi detur, & de tua ſubſtantia, & propter Deum, nec ſit vermiculo inanis gloriæ corroſa. Denique pomum dulce eſſe debet. Sic eleemoſyna dulcedine cordis reddenda eſt. Quocirca Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens ait. Non ex triſtitia (ſcilicet danda eſt eleemoſynā) aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Diuites ſunt veluti cucurbita, aut ampulla vitrea, ſeu ſtānea, in quæ vaſa quidquid intromittatur, ſine ſtrepitu mittitur, at verò cum educitur difficulter, & magno cum ſtrepitu exit. Sic parcus, & auarus id, quod præbet maxima cordis amaritudine, & gruniendo præbet. Aquæ non fluentes, vocantur aquę mortuæ, quæ vero fluunt, viuæ appellantur, inter quas aquas hoc diſcrimen eſt, quod illæ videlicet mortuæ ualde ſunt venenoſæ, quia in ſe plurima venenoſa, immunda, atque horrida generant animantia: hæ autem ſcilicet viuę ſaluberrimæ ſunt, & in ſe piſces ſapidos, atque vtiles gignunt. Sic diuitiæ, quas in vobis retinetis, nec eas in proximos labi ſinitis, ſunt diuitiæ mortuæ, & hydropeſim, ac multa venenoſa generant, ipſæ enim ſunt occaſio plurima ſcelera committendi; diuitiæ vero, quæ in pauperes fluunt, ſunt aquæ viuæ, ſiquidem vitam animæ afferunt, & acquirunt, atque occaſio ſunt plurimi meriti.

Simile.

2. ad Co. 9

Simile.

Simile.

In ſacra Regum hiſtoria dicitur, Salomonem ad ingreſſum oraculi ianuas olineas feciſſe. Nunquid non eſſent pulchriores ianuæ cedrinæ? Voluit in hoc Spiritus Sanctus ſignificare ingreſſum orationis debere eſſe miſericordiam, ille namque, qui in pauperes miſericors eſt, Deum in oratione miſericordem

2. Reg. 6. c

ac liberalem inueniet. Olim in lege veteri, claudi, & cæci templum non ingrediebantur, & hoc non propter eorum infirmitatẽ, ſed quia Deus volebat, ut ad ianuas templorum eſſent, vt videlicet qui ingrederẽtur ad beneficia poſtulanda commiſeratione eorum tenerentur eis eleemoſynas erogando, dicerentque ipſi Deo. Domine ergo ad poſtulãdum uenio, da ergo mihi, ſiquidem & ego propter amorem tuum dedi. Contra uero ſacra ſcriptura dicit. Qui obturat aurem ſuam ad clamorẽ pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. O crudelis diues, qui templum Dei ingredis, & cum à te pauper eleemoſynam propter Dei amorem expoſcit, tu terga ad eum vertis dicens. Dominus te adiuuet, quod quidem tibi pauper ipſe dicturus erat, ſiquidem poſtquam audiſti diuinum amorem proferre, viſcera tua non fuerunt commota. O cor adamantimum non nè vides hunc amorẽ feciſſe, vt diuinum verbum humanam carnem ſumeret, & cum tam præpotens ſit, erga te efficaciam non habet? Non ſolum autem diuina prouidentia factum eſt, ut pauperes ad iannuas templorum eleemoſynam petẽtes aſſiſtant, verum etiam per vicos, & plateas tanquam præcones Dei illam expoſtulent. O rem admirandam Ecce qualiter Deus regnum cælorum per ianuas veſtras vendere vult, ſicut & oleum ac aliæ mercimoniæ vendi ſolent. Eia videte pauperes, qui per ianuas veſtras ex parte Dei curſitates dicunt. Venale habeo regnum cælorum, eſt ne aliquis, qui illud emat, & qui æternum gaudium, quod nullum pretium habet, pro fruſto panis, vel pro potu aquæ frigidæ, aut pro trito pallio uelit? O rem omni admiratione dignam O cæli, ò terra, & creaturæ inſenſibiles quare non admiramini, ſiquidem homines rationales, & ad æternam vitam procreati rem tanti valoris pro re tam minima nolũt.

Prou. 21.

Si ex pinis reſina non extraheretur, abſque dubio ipſæ arbores illa pinguedine carere fient; ipſa enim pinguedo eas quodammodo oppilaret, & efficeret, vt humor radicum ad arboris ramos non tranſiret. Sic oportet, ut ex diuitijs abundantibus aliquid proſcindatur, & pauperibus erogetur, ne mentem oppilent. & aditus donis Spiritus ſancti intercludant. Quoniam autem, plurimi diuites hoc facere obliuiſcuntur, Deus pro ſua miſericordia ſolet ſæpenumero reſinam bonorum temporalium ab eis auferre, ne animæ eorum illis oppilentur.

Simile.

Eleemoſyna à ſanctis Doctoribus laudatur.

CLemens Alexandrinus inquit. Quemadmodum putei, qui exauriuntur melius fluunt, quibus ſi ſuas aquas intacta relinquas fœtorem contrahunt. Ita etiam diuitiarum quies inutilis motus & tranſgreſſus publicè vtilis eſt & fructuoſus. B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Sicut radix in pingui plantata ſolo nobis ſingulis annis tempeſtiuos affert fructus. Sic pecunia in manibus pauperum plantata non ſolum in ſingulos annos, ſed & ſingulos dies ſpũes nobis fructus affert, fidentiam, ſcilicet, in Deum peccatorum abſceſſum, conſcientiam bonam, lætitiam ſpiritualem, ſpem iucundam, aliaque bona, quæ preparauit Deus diligentibus ſe. Idem ſanctiſſimus Doctor ait. Tanqnam canis, ita diabolus diuitibus inſilit, tanquam buccellam, vel placentam tenenti puerulo volens auellere. Demus igitur ea patri, & ſi diabolus factum hoc viderit omnino recedet, cum uero receſſerit, tunc ea pater omnia dabit in tuto, cum ille non poterit infeſtare in futuro ſæculo. Nũc enim à paruis infantibus, qui à canibus uexantur nihil differunt diuites, omnibus circa eos latrantibus, lanian tibus, trahentibus nõ hominibur tantũ verũ & illiberalib. paſſionib. in gluuie ueu-

Clem. li. 1. ſtromat.

B. Chry. ho. 35. in 1. ad Cor.

Simile.

B. Chry. ho. 53. ad pop. Antio.

Simile.

ventris, ebrietate, aſſentatione, & omni intemperantia. Et ſi fœnerare quidem ſuppetat multum dantes conquirimus, & gratos conſideramus. Hic autem contrarium facimus. Gratis ſuſcipientem Deum, & non centeſimam partem, ſed centulam prębentem dimittimus, ac ne forte quidem nobis reddituros quærimus. Quid enim nobis venter reddet, qui plurima conſumit? Stercus, & corruptionem. Quid autem inanis gloria? Liuorem, & inuidiam. Quid vero auaritia? Curam & ſolicitudinem. Quid intemperantia? Gehennam & veneniferum vermem. Hi namque ſunt diuitum debitores, hæ ſortis eorum in gentes vſurę præſentia mala, pœnæque futuræ. His igitur, quæſo, ad tantam mutuabimus vltionem, & noſtra Chriſto non credemus cœlum prætendenti, æternam vitam, & arcana bona? Et quam inueniemus excuſationẽ? Cur enim non das illi qui nõ poſt multum temporis plura abſque comparatione daturus eſt? Atqui & hic præbet: non mentitur enim qui dicit. Quærite regnum Dei, & omnia adijcientur vobis. Prætereà poſt longum tempus recipere tibi talentum multiplicat, fœnus enim efficitur maius, nam & in mutuantibus hoc facientes videmus fœneratores poſt multum temporis, libẽtius redimentibus libentius fœnerantur. Qui namque ſtatim totum reddit vſuræ curſum interrumpit: qui vero diù retinet maiorem facit operationem. Itaque in hominibus quidem dilationem non ægrè ferimus, verum ſtudemus, vt maior fiat apud Deum vero tam puſillanimiter nos gerimus, vt propter hoc torpeamus, & retrocedamus.

Matth. 6.

Baſi. in oratio. de pauperibus amandis.

B. Baſilius ait. Erga fratres calamitoſos benignus eſto. Quod ventri ſubtrahis, tribue eſurienti exæquet omnia iuſtus Dei timor, duas inter ſe contrarias affectiones, tuam videlicet, ſocietatem, & fratris famem modeſta continẽtia, temperataque moderare. Sic enim faciunt medici alios exinaniunt, alios replent, vt acceſſione, deceſſioneque vniuſcuiusque ſanitas conſeruetur. Itẽ B. Chryſoſtomus inquit. Si agricolæ penu ſuum euacuant, & ſemina terræ concredunt, idque cum voluptate faciunt ſpe maiora recipiendi ſe ſolãtes, & quamuis ſciant, quod aeris intemperies, nonnunquam & terræ ſterilitas, & alia multa accidentia, vt locuſtarum exercitus ſpe excidere faciant, tamẽ bona ſpe ſe ſe alentes ea, quę in promptuarijs collecta habent, terræ concredunt: multo magis nos quæ abſque vſu recõdita ſunt, diſpergere in pauperum vſus conuenit: nam eleemoſyna (vt ipſe ſanctus Doctor ait) multa cum facultate cœlorum portæ aperiuntur, ac velut Regina ingrediente nullus cuſtodum audet interrogare: quæ ſit, aut quò iter agat, quin potius eam omnes ſuſcipiunt. Sic & eleemoſyna regina eſt: pennata enim, & leuis eſt; aureas habens alas ipſos ſupra modum delectans angelos. Et inferius inquit. Audi prophetam dicentem. Ego quaſi oliua fructifera in domo Domini. Eiuſmodi ſimus. Nec enim ſatis eſt oliuam fieri ſolùm, ſed fructiferam. Sunt qui miſerantes parua dant, ipſo anno labente, aut omni hebdomada parum quid exhibentes. Hi oliua quidem ſunt non fructifera, & vera, ſed arida: quod quidem miſerantur oliuæ ſunt, quod autem non promptè, aut ex animo, vel parum cõferant, non fructiferæ exiſtunt. Studeamus ergo magna cũ alacritate pauperum curam habere, etenim agricola terræ concredens ſemina, non hoc triſti facit guſtu, ſed gaudens, & quaſi manipulos iam ſpe videns. Sic tu non ſolum reſpexeris ad eum, qui recipit, ſed cogita, quod ipſe quidem, qui à te accipit viſibilis eſt. Rurſus alibi idem ſanctus Doctor inquit. Vbi ſemen eſt, ibi etiam multiplicatio fructuum conſequitur. Tu vero ſi terram quidem pinguem, ac fertilem coleres non tantum illam propria horrea vacuando ſeminares,

B. Chryſoſ. hõ. 55. in Geneſim.

B. Chryſoſ. homi. 7. de pœnit.

Simile.

Pſ. 51.

Hom. 42. in Geneſ.

Idẽ ho. 5. in Matth.

verum etiam mutuaueris aliunde, quod ſereres, maximum namque detrimentum putares in re tali diligere parcitatem, in cœlo vero operans, atque ibi fructum requirens, vbi nulla aeris inæqualitas, corruptio nulla ventorum eſt, ſed plurimo vbique cum fœnore ſemina iacta proueniunt cunctaris, atq; diſſimulas, nec intelligis, quia poſſumus, & parcendo perdere, & ſpargendo colligere? Sparge ergo, ne perdas, noli retinere, vt magis congreges. Vt autem debita intentione eleemoſyna fiat, docet nos idem ſanctiſſimus Doctor alibi dicens. Omnis homo, qui aliquod opus facit, cuius cauſa facit id, quod facit in corde ſuo, aſpicit illius perſonã. Ecce facis epiſtolam, vt aliquem ſalutes amicum, quandiu ſcribis, ſemper in corde tuo vides illius perſonam amici, propter quem ſcribis epiſtolam. Item artifex tenens opus in manu, ſemper eum præ oculis habet, qui ei opus commiſit faciendum, dum cogitat, quomodo illud facere mandauit. Sic & qui propter Deum eleemoſynam facit, neminem videt in corde ſuo, niſi ipſum Deum tantummodo, propter quem facit. Inuitans etiam nos ad eleemoſynam elargiendam inquit Beatus Chryſoſtomus. Quamobrem non das Deo, qui tibi plurima daturus eſt? fortaſſe ob id, quod poſt multa tempora dat. At qui longo poſt tempore redditum debitum, opes tibi tuas auget, non fœnus magnum fit. Etenim in fœneraticis pecunijs id vſu euenire videmus, vt fœneratores libentius his, expenſum ferant, qui quod acceperint mutuo multo poſt tempore ſoluturi ſint: nam qui protinus reſoluit, is fœnoris curſum interrumpit, qui autem in ſoluendo ſerus eſt, in quæſtum maiorem efficit. Ita ne inhumanis conuentionibus moram non ægrè ferimus, ſed & modis omnibus maior illa, vt ſit excogitamus, mutuando autem Deo ſic nos puſillanimes gerimus, vt hoc nomine cunctemur atque tergiuerſemur. Et ſuper illa verba Prouerbiorum eleemoſyna, & fides te non deſerant, ſed appende illas in collo tuo, ait alio in loco. Quemadmodum diuitum filij ornatus gratia aureum monile geſtant in collo, nec id vnquam depouunt veluti nobilitatis ſignum circunferentes, & oſtentantes, itidem & nos oportet ſemper beneficentia indutos eſſe declarantes, quòd filij ſimus eius, qui miſericors eſt, eius, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.

B.Chry. homi.13.ope. imper.
Simile.
Proue.3.
Hom.1.ad Philip.
Simile.

Idem Beatus Chryſoſtomus alia homilia inquit. Dic mihi ſi quis te ſenio confectum, & viuentem in paupertate ſubito iuuenem, ſe facturum promiſiſſet, & in ipſum ætatis florem reducturum, & ſuper omnes præualidum & ſpecioſum redditurum eſſe, & regnum in mille daturum annos, & regnum, in quam, pacem firmiſſimam poſſidens; quid pro hac promiſſione non eligeres tam facere, quàm pati? Ecce autem Chriſtus non hæc; ſed his multo maiora promittit, non enim quantum eſt iuuentutis, & ſenectutis medium tantum eſt corruptionis, & incorruptionis interuallum: nec quantum eſt regni, & paupertatis, tantum eſt gloriæ præſentis, & futuræ, ſed quantum ſomniorum & veritatis. Pacis autem illius tantum eſt medium ad præſentem, quantum pacis, & belli diſcrimen, & corruptionis, quantum gleba lutea melior eſt margarita? Propter hæc itaque nonne & corpora & pecuniæ ſunt impendendæ? Immò vero quot animas exponere dignum non fuerit? Nunc vero ſi quis te in regiam deduxit, & vt omnibus præſentibus Regem alloquereris, & efficit, & illi te reddidit conuerſalem conuiuam, omnium te dicis eſſe beatiſſimum. In cœlum autem aſcenſurus, & omniũ Regi aſſiſtere & perrennem cum angelis habere ſplendorem, & illa frui ineffabili gloria dubitas, an erogare pecunias oporteat, cum opus eſſet etiam ſi vita eſſet exeunda geſtire, exultare, & per voluptatem aſſerri. Tu verò, vt

B. Chryſo. ho. 55. ad pop. Anti.

magi-

magiſtratum quidem acquiras, qui furtorum tibi præbeat occaſiones, etiã quæ poſſides, erogas, & aliena mutuatus etiam ſi ſit opus vxorem, & liberos obnoxios conſtituere non torpes: At regno cœlorum propoſito principatu nullum habente ſucceſſorem, cum Deus præcipiat non terræ partem, aut augulum, ſed totum accipere cœlum, torpes, & hęſitas, & ſolis inhias pecunijs. Beatus Baſilius homilia de diuite inquit. Tu quidem aurum das, vt equum compares, animo non augeris; cum vero corruptibilia exponis vt cœlorum regnum accipias, lachrymandum tibi putas.

B. Baſil. de diuit.

Lactantius Firmianus de vero cultu ait. Si deorum cultores ſimulachra inſenſibilia excolunt, & quidquid pretioſi habent in ea conferunt, quibus nec vti poſſunt, nec gratias agere, qui acceperint, quanto iuſtius eſt, & verius viuentia Dei ſimulachra excolere, vt promerearis inuenire viuentem, quę ſicut vſui habent, quidquid acceperint, & gratias agunt: ita Deus in cuius conſpectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exoluet.

Lactantius Firmi. li. 6. c. 13. de vero cultu.

Eleemoſyna.

BEatus Baſilius inquit. Quare tu abundas, & ille mendicat? Vt tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille vero patientiæ brauijs decoretur. Nunquid quando Deus in te abundantiam bonorum poſuit, in alio vero plurimam miſeriam, non habuit aliquod fundamentum? Nunquid Deus irrationalis eſt, vt finem aliquem in ſuis operibus non intẽdat? Te equidem multitudine diuitiarum impleuit, vt tu eas in pauperes diuidẽs, gloriam conſequereris; pauper vero patientiam in ſuis laboribus habens cęleſte præmium mereretur. Si igitur, ait Diuus Baſilius, hæc fuit intentio Dei, quare panis eſt famelici, quem tu tęnes. Panis, quo tu abundas, non tuus eſt, ſed eius, qui famem patitur, nudi tunica, quam in conclaui ſeruas [*eſſe monton de camiſas, y ropas que tienes guardadas ſin aprouecharte dellas, no ſon tuyas ſino del deſnudo*] deſcalceati calceus, qui penes te marceſcit, hoc eſt calcei quos puluere conſperſos habes, non tui ſunt, ſed eius, qui nudis pedibus incedit: indigentis argentum, quod tu poſſides inhumatum [*eſſe monton de reales, que tienes depoſitados, ſin aprouecharte dellos, no ſon tuyos, ſino del neceſſitado.*] Quocirca tot hominibus iniuriam facit, quot ſubuenire negligis.

Quemadmodum ſol non expectat preces, & præſtigias vt exoriatur, ſed illico fulget, ac illuminat omnes: ita neque tu expectaueris plauſus, ſtrepitus, & laudes, vt bene facias; ſed ſponte confer beneficia, & quaſi ſol amaberis.

Simile.

Hac porrò egregia ſimilitudine poterit commendari maximè eleemoſyna. Duo erant regna vicina quidem, & propinqua adeo, vt ſolo flumine diuiderentur. Verum tanta latitudine erat, atque altitudine flumen illud, vt vix poſſet ſuperponi pons aliquis, nec tamen quis poterat aliter pertranſire. Alterum porrò ex his regnum erat ditiſſimum, & feraciſſimum, alterum vero pauperrimum, & ſterile valde. Propter indigentiam ergo qua præmebatur maximè exoptabat commercium aliquod habere cum regno illo ditiſſimo. Hic iam acceſſit potentiſſimus quidam Rex, atque theſauros ſuos omnes expendit in ponte exædificando, quem admirabilem erexit. Et architectatus eſt infinito quodam ſumptu. Tuncque facultatem fecit omnibus vt tranſirent: ea tamen lege vt quiſque ex tranſeuntibus ſeruis ſuis nummum porrigeret. Ad hoc autem pretium exigendum, conſtituit vicarios quoſdam. Sunt quidem fratres hæc duo regna cœlum, ſiue cœleſtis patria, & terrena hęc habitatio; fluuius enim ingens peccatũ eſt, & ante ipſum

Simile.

potentiſſimũ regem Chriſtum Ieſum nullus poterat tranſire ex vno regno ad aliud, propter obſtaculum tanti flumi-
Iſaiæ 59. nis. Vt enim propheta Iſaias ait. Peccata veſtra diuiſerunt inter vos, & Deũ veſtrum. Erexit ergo Chriſtus Redemptor noſter pontem infinito ſumptu, nempe totius ſanguinis profuſione. Poſtmodumque non quod egeret ſibi ſolutione aliqua propter pontem ex ædificatum, ſed duntaxat propter ſeruos ſuos aperire voluit vltimam hanc ſuam voluntatem, nempe vt qui tranſire commodè vellent, ſeruos ſuos commendatos haberent, & alta mente repoſitos, nempe pauperes nihil definiendo, ac perſcribendo equidem pretij certi, ſed cuiuſque opibus, & facultatibus id relinquendo.

Super illa verba domini noſtri Ieſu Chriſti: date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt theſaurum non deficientem in cœlis, in-
Lucæ 12. quit Beatus Chryſogolus. Hoc eſt, di-
Chryſog. cere, vbi ego ſum, ibi ponite, date mihi,
ſerm. 22. ego ſeruo: homo da patri, crede Deo, quia & hæredi pater & Deus homini creditum non negabit. Tenere tua non poteſt, qui ſua dedit: non humanis indiget, qui diuina largitur, an eſt noſtrorum cupidus, qui nos ſuorum fecit hæredes? Certè quibus regnum contulit, quid negabit? O homo ſi hic remanſurus es, quæ tua ſunt hic repone, ſi illuc iturus es, hic quæ tua ſunt cur derelinquis? Qui de relinquenda ſeruat, alienorum cuſtos eſt non ſuorum: ſi in hac vita qua peregrini ſumus, & viuimus, ad modicum temporalem eſſe pauperem dolet, triſtem in honorum eſſe, quale eſt in perpetua patria, inter illos ciues decontemptu dolorem, de ignobilitate pęnam, de nuditate opprobrium ſuſtinere, & nunc addici pœnis, quando alij promouentur ad regnum? Quando pauper ducitur ad conſeſſum Dei, & diues trahitur ad conſortium punitorum? O quam lamentandę vices, quando deſperati apud homines poſſidebunt ſpem diuinam, & humanis bonis præditi bonis cæleſtibus fraudabuntur, & hoc facit theſaurus, qui cor hominis, aut per eleemoſynam leuat ad cœlum, aut per auaritiam demergit in terram: & ideo dixit, vbi eſt theſaurus veſter, ibi eſt & cor veſtrum. Homo mitte, & præmitte theſaurum tuum in cœlos, ne cœleſtem animam demergas in terram. Aurum de profundis terræ, anima ab excelſis cęli, melius proinde eſt ad ſedem animæ deferri aurum, quam in ſepulchro auri anima demergatur. Ex hauſtos ergo totis diuitiarum curis, etiam per omnia expeditos militare ſibi in ſæculo iubet, quos regnare donauit in cœlo.

ELOQVENTIA.

B.Hiero.in epiſt. ad Damaſum Papam.

BEATVS Hieronymus in quadã epiſtola de ſcripturis diſputans inquit. Non decet ex flumine Tullianę eloquentiæ riuulos ducere, ſed pedeſtris, & quotidianæ ſimilitudinis, & nulla lucubratione redolens oratio neceſſaria eſt, quæ ſenſum expli-cet, & ediſſerat, & obſcura manifeſtet. *B.Ber. lib. de conſideratione.*
B.Bernardus ait. Verboſum adoleſcentem, & ſtudentem eloquentię, cum ſapientiæ ſit inanis, non aliud, quam iuſtitiæ hoſtem reputes. Et pro huiuſmodi falſis fratribus, dicit ille magiſter diſciplinæ. Manus nemini cito impoſueris. Contra hos mite etiam facit diuina illa Salomonis ſententia. Qui tan-
Prouer. 19. tum verba ſectatur, nihil habebit: qui autem poſſeſſor eſt mentis ſaluabit

animam

animam ſuam, & cuſtos prudentiæ inueniet bona. Dicit autem. Qui tantum verba ſectatur, ut intelligas non damnari hoc ſtudium, niſi cum uera ſapientia negligitur.

B. Aug. li. 4. de doct. Chriſt. ca. 28. *Simile.* B. Auguſti. libro de doctrina Chriſtiana inquit. Sicut cuius pulchrum corpus eſt, & deformis animus magis dolendus eſt, quam ſi deforme haberet, & corpus: ita qui eloquenter ea, quæ falſa ſunt dicunt, magis miſerandi ſunt quã ſi talia deformiter dicerent. Quid eſt ergo non ſolum eloquenter, uerum etiam ſapienter dicere, niſi uerba in ſummiſſo genere ſufficientia in temperato ſplendentia in grandi uehementia, ueris tamen rebus, quas audire oporteat adhibere? Teophilus Alexandrinus ait. *Theophil. Alexãdri. epiſtola. 2 paſchali.* *Simile.* Sicut qui uoluptatibus eneruati ſunt, & quorum in pectore libido dominatur contemplantes corporum uenuſtatem non quærũt morum pulchritudinem, ſed membrorum, ſenſuſque eorum prægrauatus ferè terrena nihil altius intuetur. Sic qui ſtructa uerborum compoſitione ducuntur, & capti eloquentiæ ſono, non intuentur dogmatum ueritatem erubeſcunt, errorem priſtinum confiteri, & arrogantiæ tumore cæcati nolunt eſſe diſcipuli, ne poſtquam correcti fuerint, prius erraſſe uideantur.

Plutar. in Morali. Plutarchus in Moralibus inquit. Vt non ſatis eſt clauus nec frenum, niſi adſit, qui arte moderetur. Ita non ſufficit eloquentia ad moderãdum populum, niſi acceſſerit ſermonis moderatrix rõ.

Seneca. *Simile.* Seneca ait. Philoſophus etiã eloquẽs perinde eſt, quaſi ſi bonus gubernator formoſus ſit.

Plin. li. 16 c. 17. Plinius inquit. Vt buxus ſemper quidem uiret, ſed alioqui & odore noxia, & ſemen habet omnibus inuiſum animantibus. Ita quidam præter orationis gratiam nihil afferunt non fugiẽdum. Idemq́; ibidem inquit. Thilia cũ habeat corticem ac folia dulcia, tamen fructum eius nullum animal attingit. Ita quorundam collatio blanda, grataque, & compoſita ſententiarum nullus fructus. Ideo B. Auguſtinus inquit. *B. Aug. li. 5. Confeſſ.* Iã abs te didiſceram, ô bone Deus non eo debere uideri aliquid uerum dici eloquenter dicitur, nec eò falſum quia incompoſitè ſonant ſigna labiorum. Rurſus nec ideo uerum, quia impolitè enũtiatur, nec ideo falſum, quia ſplendidus ſermo eſt, ſed perinde eſſe ſapientiam, & ſtultitiam, ſicut cibi utiles, & inutiles: uerbis autem ornatis, & inornatis, ſicut uaſis urbanis, & ruſticanis utroſq; cibos poſſe miniſtrare.

Eloquentia.

SAcra ſcriptura refert Eliã, & Enoch adhuc uiuere, & à Deo obſeruari. *Sap. 34.* Quòd ſi quæratis quorſum illos obſeruatos habet? Reſpondet Eccleſiaſticus dicens. Enoch placuit Deo, & trãſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus ſapiẽtiam. Nũquid in paradiſo ſunt gentes, quibus prædicare oporteat? Minime profectò. Quibus ergo gẽtibus, & quo tempore Enoch ſuã ſapiẽtiam communicaturus eſt? Omnes ingenuè fatẽtur, hoc futurum eſſe tempore Antichriſti; tunc enim dabit gentibus ſapientiã. Sapiẽtia eſt uerbum diuinum incarnatũ: Enoch itaque aduerſus Antichriſtũ, incarnationẽ filij Dei prædicabit. Quod & D. Ioannes in Apoc. de eodem ſancto Enoch, atque Helia ſcripſit dicens. Dabo duobus teſtibus meis, ſcilicet, ſcientiam & uirtutem, & ſpiritum prophetię, & prophetabunt diebus mille ducentis, & ſexaginta amicti ſaccis, qui numerus dierum tres annos, & dimidium continet, & hoc erit totum tempus perſecutionis Antichriſti. *Apoc. 11.* Si autẽ quæritis quare Deus ad defenſionem eccleſiæ cõtra perſecutionem Antichriſti in his duobus uiris (quos in terreſtri paradiſo detinet) magis quam in alijs oculos poſuit? Ad hoc reſpondetur. Quia in eis Deus pręcipuam partem, quam prædicatores habere debent, inueni. Quæro ô fratres, quæ eſt pręcipua

cipua pars prædicatoris? Nunquid eloquentia,& lepos in dicēdo? Nūquid bona uox,& bonus loquēdi modus? Bonū eſt concionatorē hęc omnia habere, ſed profecto nō eſt hoc melius, quod habere poteſt,[*porque eſſas ſon partes para deleytar, y dar muſica a las orejas de los oyentes, y no para aprouecharles.*] Diuus Paulus(vt omnes aperte fatentur)omnibus prædicatoribus antecelluit, & quidē parum politicus in ſtilo, & forma loquendi erat, ſicut ipſe ad Corinthios ſcribit his uerbis. Imperitus ſermone, ſed non ſcientia. Qua propter B. Hieronymus inquit. Nequaquam hoc Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe teſtamur. Et idem Apoſtolus eos increpat concionatores, qui magis uana eloquentia auditoribus placere, quàm eis ſana doctrina prodeſſe ſtudent: nā ad Timotheū ſcribēs inqt. Erit.n. tempus cū ſanā doctrinā non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacerua bunt ſibi magiſtros prurientes auribus. [*Mirad que nombre pone a los uanos predicadores, raſcadores de las orejas. No echo Dios mano deſtos dos ſanctos por muy eloquētes, y dezidores, ſi no porque conocio en ellos la mejor parte del predicador, que es el zelo de la hōra de Dios.*] De zelo ſancti Heliæ admiranda quidem referunt ſacræ literæ. Atq; ita cum Deo loquēs hic ſanctus Propheta ſic ait. Zelo zelatus ſū pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Iſrael altaria tua deſtruxerūt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus,& quęrunt animam meam, ut auferant eam. Quaſi diceret. Non me pœnitet propter id, quod me tangit, unam etenim Deo mortem debeo,[*y cō pagarla cum plo:*] quod autem plurimū ſentio, eſt quia cum omnes Prophetę, qui gloriam Dei zelabāt interfecti ſint, me mortuo non eſt, qui eam zelet, nec qui altiſſimi Dei legem prædicet, hoc me torquet, & pœna afficit, cęterum vitam meam nihil facio. Cum ergo Deus uideret hunc excellentem uirum ſuam diuinam legem, & honorem tam acriter zelantem tanquam ducem exercitatum in bellis (quę aduerſus Reges, & principes geſſerat; ac de illis triumphauerat) voluit illum ad tempus maioris neceſſitatis obſeruare, ut uidelicet ipſius Dei honorem aduerſus Antichriſtum propugnaret. Quid autem de ſancto Enoch dicam niſi id, quod ſacra ſcriptura refert, uidelicet: Et ambulauit Enoch cum Deo? Hic ſanctus vir fuit ſeptimus ſucceſſor Adami,& de nullo alio illius temporis memoratur fuiſſe ex coniunctis Deo(id eſt, [*de los allegados de Dios*]niſi de eo, qui uias Domini ambulaſſe dicitur. In quo ſignificatur ipſum magis ad negotia Dei, quàm ad ſua reſpexiſſe quod quidem de honore altiſſimi Dei habebat & ideo ipſe Deus magis in illo, quàm aliquo illius temporis ad miniſterium prædicationis oculos poſuit: uoluit enim ut alter horum eſſet prædicator legis naturæ, alter uerò ſcilicet Helias, eſſet prædicator legis ſcriptæ, ut uterque teſtimonium incarnationis filij Dei præberet, ſicut in ambabus illis legibus reuelatū fuit. Si uero aliquis quærat, in quo cognoſci poterit quando honor Dei, aut proprium lucrum prædicatorem mouet? Ad hoc reſpondetur, quòd quando concionator prædicauerit, ſicut prædicauit Helias, tunc erit euidens demōſtratio, ipſum ad ſolum Deum,& non ad propriam utilitatem reſpicere. Sanctus Helias nec timore mortis perterritus, nec amore uitæ propriæ veritatem unquam coram Regibus loqui prætermiſit: nam regi Achab dixit, ipſum, & patrem eius deſtruxiſſe populum Iſrael: Regi uero Ochoziæ mortem uaticinatus eſt: denique uitam ſuam parui faciebat, ut Reges, ac principes propter ſcelera ipſorum increparet. Longe aliter faciunt prædicatores illi, qui ſuis concionibus amicos acquirere intendunt, quique non iram Dei, ſed miſericordiam ſemper prædicant. De quibus Propheta Hieremias conquæritur dicens.

Marginalia: *2. Ad Cor. 11.* — *B. Hier. in quæſtionibus ad Algaſiā. q. 10* — *ad Ti. 4* — *3. Reg. 19.* — *Gene. 5.* — *3. Reg. 18* — *4. Reg. 1.*

dicens. Hæc dicit Dominus exercituū. *Hiere.23.* Nolite credere uerba Prophetarum, & qui prophetāt uobis, & decipiunt uos. Et in quo illos decipiunt? Viſionem cordis ſui loquuntur, non de orē Domini. Et poſt pauca. Si ſteriſſent in conſilio meo, & nota feciſſent uerba mea populo meo, auertiſſent utique eos a uia ſua mala, & a cogitationibus ſuis peſſimis. Vnum ex præcipuis damnis Eccleſiæ Dei eſt, quòd prædicatores non prædicent eo zelo, quo Helias prædicauit, propter quod populus non corrigitur, nec in meliorem frugem ſe recipit, ſiquidem hic ait Dominus, Auertiſſent utiq; eos a uita ſua mala, & a cogitationibus ſuis peſſimis.

EPIPHANIA

Domini.

Math. 1. RES quidem maxima admiratione digna eſt uidere, quam breuiter ſacer euāgeliſta Matthæus myſterium ſacratiſſimæ natiuitatis Ieſu Chriſti.R.N. enarret, & quàm magnis exaggerationibus, atque ambagibus de hoc Regum Orientalium aduentu tractet. Nam de natiuitate Domini ſolum ait: Peperit. (ſcilicet beatiſſima uirgo) filium ſuum primogenitum, & uocauit *Math. 2.* nomen eius Ieſum. At uero in principio ſecundi capitis incipit ſtatim agere de ſacro Epiphaniæ myſterio dicens. Cum ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehē Iudæ in diebus regis Herodis, ecce Magi ab Oriente uenerunt Hieroſolymā, &c. Ratio huius eſt, quoniam non tantum gaudium concipitur, & oſtēditur, quando medicina, ſeu medicamentum præparatur, & conficionatur, quàm cū ipſa medicina iam ſuos effectus operatur ac ſalutem conſequendi cauſa eſt. Hodie igitur hoc cœleſte medicamentū admirabiles effectus in cordibus gentiū cœpit operari.

Quæritur quid fuerit in cauſa, quòd non Dauide regnante nec Ezechia, aut Ioſia, qui optimi Reges fuere ſaluator dignatus eſt naſci, ſed impio Herode imperante? Sanè ut palàm eſſet non ob merita cuius uis iuſti Dei filium aduentaſſe, ſed contra ex immenſa, & ineffabili ſua clementia in hoc exilium ueniſſe, unde plenus Spiritu ſancto Zaccharias *Luc. 1.* tonauit: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto. Cui correſpondet Apoſtolus *Ad Ti. 3.* dicens: Non ex operibus noſtris, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiā ſuam ſaluos nos fecit. Perpendite fratres, quo tempore Meſſias deſideratus non fortuito ſed iuxta Prophetarum oracula natus ſit Herode alienigena Antipatri filio regnante. Nam Daniel ꝓphetauerat dicens. *Danie.9.* Dum uenerit ſanctus ſanctorum, ceſſabit unctio ueſtra, ideſt, regalis & ſacerdotalis dignitas. Et Patriarcha Iacob id ipſum conteſtans *Gene. 49.* ait: Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius donec ueniat qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium.

Nato domino Magi ab oriente uenerunt ſequentes ſtellam, quam uiderant vſque dum ueniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Mira planè res. Siſtio de ſuper proximum tecto ſtella, rotatur, uoluitur, tripudiat, ſcintillat, radioque uelut digito quæſitum Regem oſtentat. Stupent nouitate uiri: neque enim aptum erat principi tectum, deſiliunt equis conciti, domuſque penetralia luſtrant:

intus

intus uirginem decoram uident, uultu uenuſto, facieque pulcherrimam, uerecundam, ſolam, tremulam ſedentem in angulo, geſtuque pauentem: uirginem ſpecioſam ualde qualis non fuit ab initio altera, neque futura eſt in æternum: Hæc ad equorum dromedariorumque ſtrepitum pauida, infantem præſepi locauerat, fœnoque condiderat: neque.n. ſoli ueniebant gentium proceres, ſed multo ſuorum familia comitati ſicut decebat reges extranea regna potentes.
Iſa. 60. Vnde Propheta. Innundatio camelorum operiet te, &c. Inſpiciunt ſe mutuo Reges tanto decore perciti beneuoleque ſalutant. Quid inquiunt hic agis decora puella? Quę nam hic cauſa manendi? Quę nam es, aut unde ueniſti? Eſt ne tecum aliquis? Quis te huc deduxit? Eſt ne tibi filius? Durum uerbũ, acutus gladius uirginis uiſcera ſcindens. Silet uultu pallida, ſanguinemq; pauore totum cor rapuerat. Quid enim tunc anxia uirgo faceret? Mentiri non poterat? filium prodere non audebat, ſilet ergo neque tamen locum ſilentio pręſtat repetita quæſtio: inſtant Reges acrius, pacis & amoris ſigna pręſtat repetita quęſtio: inſtãt Reges acrius pacis, & amoris ſigna præſtantes. Proditur itaque aſpectibus decorus infans, præſepique a matre leuatur. O magnũ ſtupendumque miraculum, tremunt cuncti uiſo puero, timore magno turbantur, uultus crineſque eriguntur, pauimentum procidunt maieſtate percuſſi, & ad virginis pedes timore proſtrantur.
Pſal. 47. Prędixerat hoc Pſalmographus olim, cum iſtorum Regum prophetaret aduentum. Reges, (inquit) terræ congregati ſunt: conuenerunt in unum, ipſi uidentes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehẽdit eos. Sicut enim paſtores uidentes cognouerunt de uerbo Dei, non hominis magiſterio docti: ita & Magi iacent purpurati principes ad uirginis pedes, & dannoſum infantem, regia celſitudo paueſcit. Quid ſentis o benedicta uirgo? Tuam quid nunc concitat mentem? Quid eſt quod uides? Qualis potens aquila tremulos iuper uolitat turdos talis uirgo regia barbaros circunſpicit reges. Dicite nunc principes, quæ nam uos patientia terret? Quid uidiſtis in matre? quid uidiſtis in filio? Magnum pfecto aliquid latebat in puero, quod principes illi oculis lynceis inſpexerũt. Leo in agno, gigas in paruulo, Deus in puero, maieſtas immenſa ſub teneri corpuſculi cortina latebat, & radiantiſſimus ſol ſub leui carnis nubecula latitabat, qui eos ſuæ claritatis radio percuſſit, & proſtrauit. Poſtquam igitur aliquandiu proſtrati cõceptum timorem digeſſerunt, recepta fandi fiducia diuinum infantem adorant, acceptumque manibus ſuis puerum deſ[illegible]um ſummo cum gaudio & reuerẽtia ſoluunt, lachrymantur omnes pręe lætitia, & ueluti carbone igne ſpiritus accenduntur. Quis horum principum deuotionem, & mentis feruorem explicare queat? Quis eorum lætitiam, exultationemque recenſeat? Mira quidem fides latronis, quæ Deum orauit in patibulo ſed non minor Magorum quæ Deũ coluit in ſtabulo. Agnouit ille pendentem iſti, lactentem: ille gementem, iſti plorantem: ille clauis affixum, iſti pannis inuolutum: ille uita exeuntem, iſti intrantem. Sed ille fortaſſe eius opera audierat, iſti uerò nil in eo audierant aut uiderant, quod notarent. Quibus autem uerbis, quibuſve gaudiorum lachrymis, puerum & matrem honorauerunt, dicere quis ſufficiat? Inſtant, orant ſupplices, totaque uirginem deuotione precantur, vt eorum ſuſcipiat fidem & gratum habeat famulatum diuitias quoque ſeruos, & regna offerunt, in obſequium, grandem ſibi fœlicitatem accidiſſe putantes, ſi tantã dominam habere contingat, cui obediant, cui ſeruiant, cui ſe totos, & ſua impendant.

Neque tamen monitis paret uirgo ſobria ſed dimiſſos placide ad hoſpicia mittit, ubi noctè eadem in ſomnis angelico

gelico edocti oraculo, ne redirent ad Herodem, per aliam uiam læti reuerſi ſunt in regionem ſuam.

Epiphania Domini.

LOquens Propheta Iſaias de tempo rali Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri natiuitate, inquit. Cum venerit quaſi fluuius uiolentus, quem ſpiritus Domini cogit, & venerit de Sion Redemptor: hoc eſt, quãdo uenerit de Sion Redemptor, ueniet tanquam rapidiſſimũ flumen, [*y que ſale forçado del eſpiritu del ſeñor.*] Quemadmodum fluuius, cum lente præterlabitur, & in aluo incluſus, neque extra ripas exiens, (hoc eſt, [*encerrado en las orillas de la madre,*] curſum ſuum leniter progreditur non ſolet exceſſiuos, atque extraordinarios effectus facere: at uerò cum extra ripas illuuione aliqua exit, magno impetu, ac vi ex ipſis ripis exire, atque terribiles effectus operari conſueuit: nam arbores euellit, ædificia diſturbat, ac tandem omnia poſt ſe rapit, hoc eſt, [*todo lo llena tras ſi.*] Sic dum altiſſimus Deus in tranquillitate, & quietudine ſuæ deitatis fuit, [*y en quanto no ſalio de madre*] non tam ingentes operationes in humanis cordibus faciebat, neque tanta ui animas ad ſe trahebat, nec mundi potentes ſic per perfectam humilitatẽ ſubmittebat: at poſtquam homo factus eſt, [*deſpues que ſalio de madre, naſciendo de las puriſſimas entrañas de la ſacratiſſima Virgen,*] ſtatim cœpit corda hominum euellere, & poſt ſe trahere, ac magna & populoſa ædificia diſturbauit, ut in his potentiſſimis regibus apparet, quos ipſe ex regionibus, ac regnis eorum euulſit, & uſque in Bethlehẽ perduxit, ubi illi in terram proſtrati ipſum Dominũ maxima cum reuerentia adorauerunt, vt facer Euangeliſta Matthæus teſtatur his verbis. Et procidentes adorauerunt eum. Eia igitur corda fidelium quare vos à uitiis veſtris tãti amoris ui, ac tantorum beneficiorum impulſu non euellitis? Sed quæro à te ò Domine, quare vbi primum natus es, potentes reges, ac ſapientes Magos ex gentibus ad te ipſum traxiſti, ex Iudæis verò illos ſimplices paſtores, qui ruditate ſua hæc tã alta myſteria æſtimare, ac penetrare neſcirent? Ad hoc reſpondetur, ad motionem, & impulſum diuini ſpiritus nullum ſubiectum, licet hebes, & incultum ſit, indiſpoſitum eſſe, ſed ad ipſum diuinum ſpiritum omnia paratiſſima exiſtere. Quod ſignificare uoluit Dominus, quando Nicodemo dixit. Spiritus, ubi uult, ſpirat. Non ergo hoc negotium à naturalibus alicuius creaturæ uiribus dependet, ſed ab illo impulſu, quem ei Spiritus ſanctus elargitur. [*y eſto en effecto es lo que vio el ſancto Propheta Ezechiel en aquella contrapoſicion de animales que el refiere en ſu libro,* vbi ait. Se uidiſſe quatuor animalia, uidelicet, hominem, leonem, aquilam, & bouem: quæ quidem omnia unita & coniuncta rapiebantur ſimul ab impetu Spiritus ſancti, & adeo æqualia ſuis paſſibus procedebant, ut nullum eorum aliũ antecederet, ſeu ante iret, ſed ubi erat impetus ſpiritus, illuc ſimul gradiebantur. Itaque ibi non minus ambulabat bos, quam aquila uolabat: ibi etiam fragilitas hominis cum fortitudine leonis ſociata, & coniuncta erat: atque ita omnia illa animalia impetus ſpiritus rapiebat. Quid igitur hoc ſignificare cogitatis, niſi oſtendere, quam ſupra naturam ſit cognitio diuinorum myſteriorum, [*y quan poca parte ſea todo lo que eſſa naturaleza nos da para penetrarlos, ſino es el ſoplo, y impulſo de Dios. Aqui, ni el aguila es aguila, ni el buey es buey: y finalmente, aqui es donde el buey milagroſamente ſe vee yr volando tanto como el aguila, porque todo lo obra el ſpiritu de Dios.*]

Maxime etiam hic perpendendum eſt, hos potentes Reges ab Orientali plaga magna pompa, & regio apparatu ueniſſe ad ſupernum Regem in præſepio natum, tanta cum pauperta-

te ado-

Pſal. 59.

Mat. 2.

Ioan. 3.

Ezec. 1.

te adorandum: at nec ideo diuinæ maieſtati non placuerunt, quin potius ipſe magno amore, & pietate eos ſuis diuinis donis affecit, & adornauit. [*Donde ſe parece, que los imperios, y los apparatos no dañan a los prudentes y temeroſos de Dios ſi no a los uanos y ſin temor y prudencia, que no ſaben uſar bien dellos*] Quãdo

Exod. 7. aquæ Aegypti (ut ſacra refert hiſtoria) in ſanguinem uerſæ ſunt, omne, quod bibebant Aegyptij, ſanguis erat, atque ita omnes ſanguine quem potabãt maculati incedebant. Quid igitur tunc temporis bibebant filij Iſrael? Nunquid eis aliqua pars fluminis Nili itacta ſanguine remanſit, ut inde Hebręi biberẽt? Minimè profectò: ſed ex eiſdem fluuijs, ac fontibus, unde bibebant Aegyptij, bibebant & Hebręi: at hoc erat myſteriũ (ut grauiſſimi Doctores teſtantur) uã cum Iſraelita hydriam ſeu uas plenum ſanguine ex flumine hauriebat, & in manibus ſumebat, ſtatim ſanguis ille in aquam uertebatur, [*y ſe le deshazia la plaga. De manera que en la mano yua el ſer ſangre, o agua en ſer plaga o no. En la mano del Aegypcio era ſangre y plaga, y en la mano del Hebreo, no.*] Sic conſiderare debemus, quod quamuis diuitiæ & apparatus huius mundi ſint plaga, & ſanguis, quibus homines maculantur, nõ tamen hæ res culpam habent, ſed manus, in quam incidunt. Nam cum incidunt in manus hominum prudentum, & Deum timentium, ex ſanguine uertuntur in aquam mundam, limpidiſſimam, & ad bibendum nimis ſuauem: cum autem incidunt in manus imprudentium, ac non timentium Deum in ſanguinem uertuntur, imo ſanguis sũt & maculant. Hoc in his ſanctis regibus apparuit, quos diuitiæ ſuæ ac pompæ non macularunt, quibus ſimiles eſſe deberent omnes huius mundi Reges, ſi quidem nobiles ſunt. Etenim quan-

Prou. 21. do Salomon in prouerbijs dixit: Cor Regis in manu Domini, ſignificare uoluit, cor Regis, quia nobilius eſt, debere eſſe magis obediens Deo, quam cor ruſtici. Non ſic fecit execrandus ille rex Achaz: qui (ut ſacra Regum narrat hiſtoria) domum Dei perturbauit, [*y la deſcompuſo,*] ipſamque ſupellectilibus, ac uaſis Deo dicatis ſpoliauit, intromittens in eã altare Damaſci cum prophanitatibus ſuis, ut uidelicet regi Theglathphalaſar, cum quo ipſe inducias fecerat, placeret. Neque his omnibus contentus eſt, quin etiam ianuam, per quam ex domo regia occultè in templum ingrediebatur, ut cum Deo ſe cõmunicaret, lapidibus (ut aiunt) & luto occluſit, quæ omnia fecit ut amicus ille ſuus in toto illo regio & infœliciſſimo palatio nullum altiſſimi Dei ueſtigiũ inueniret. O rem inauditam, & omnino execrandam. [*Tanto ſe afficiona al amigo, que por ſuſtentarſe en ſu gracia, y por no dalle diſguſto tan pernicioſamente quiſo deſterrar del todo à Dios de ſu caſa.*] Heu quam multos imitatores hodie in populo Chriſtiano Rex hic peruerſiſſimus habet, in quorum palatiis tot ſunt induciæ, quæ cum mundo fiunt, & tam aſtricta amicitia cum eo innititur, [*que por no deſcontentar a eſte mal amigo y por no eſſer de ſu gracia han deſterrado a Dios y echado a empellones y quedadoſe a puerta cerrada para ya no tener trato ni conuerſation alguna con el*] Quid enim aliud ſunt aſſidui ludi, fauſtus, & inordinata conuiuia, pompæ, turpitudines, atque alia id genus facinora, quæ ibi perpetrãtur, niſi quidam expulſus quibus Deũ a ſuis palatijs depellunt, & quidam lapides & lutum, quibus ipſi Deo ianuam intercludunt? [*El fino diamante por engaſtarſe en oro, no por eſſo pierde ſu dureza, ni ſe buelue de uidrio.*] Quare ergo principes, ac domini temporales [*por andar engaſtados en ſus grandes eſtados.*] in fragile uitrum uertendi ſunt? [*y por que han de dexar de ſer diamantes fuertes y conſtantes?*] Curent ergo omnes, & omni ſtudio intendant humiles eſſe, & ſtatim a ſe expellent atque relegabunt peccata, fauſtus, & prophanitates. Nam cor hominis eſt uelut Dominus, qui famulos ſuos

4. Reg. 16. cap.

ſuos ex eodem panno, quo ipſe induitur, ueſtire ſolet: ita ſi cor humile eſt totus homo humilis etiam in uultu, ueſtitu, inceſſu, atque alijs apparebit. Dicitur enim in Eccleſiaſtico; cor hominis immutat faciem eius. *Ecclеſ.13.*

Ex his omnibus infertur nimis periculoſum eſſe uiros perfectos, ac religioſos in Regum, Principumque palatijs uerſari, ubi paulatim eorum diſſolutiones diſſimulant ac tandem (quod peius eſt) aliquando approbant! & ſic eis contingit id, quod illis ducentis uiris euenit, quos ex factione Dauidis [*hoc eſt, del uando de Dauid*] ſecum duxit Abſalon in Ebron ſub colore ſacrificandi ibi Domino (ut Regũ narrat hiſtoria) qui quamuis ſincere, & animo non offendendi regem Dauid eo ſe contuleruſit tandem in coniuratione Abſalonis aduerſus eundem Dauidem factam inuenti ſunt. Sic uiri perfecti, & religioſi licet bona intentione palatijs Regũ aſſiſtant, [*al fin una uez que otra ſe uendran a hallar en algunas de ſantas conjuraciones como alli ſe hazen contra Dios.* *2. Reg.15*

Quieren los ſeñores del mundo ſer tan ſeñores de ſus uaſſallos que las uidas, y las almas les quieren hazer tributarias.] Vnde non parum notandũ eſt id, quod ſacra refert ſcriptura de impio rege Saul, qui Phitoniſſæ præcepit, ut animã Samuelis a limbo educeret [*para ſeruirſe del en ſu neceſſidad: aun haſta alli pretendia el tyranno Rey mãdar al ſancto uaſſallo eſtando en el otro ſiglo*] Hi autem, qui ſic nolunt ut ſibi obediatur, nolunt altiſſimo Deo obtemperare, Sed uideamus *1. Reg.28*

quid mali Deus nobilibus, & magnatibus huius mundi fecit, aut in quo illos offendit, ut ſic ab eo fugiant, & ab eius euangelio. Quare tam pauci ſunt nobiles, qui uirtutem ſequantur? Nam quia Deus tam multa temporalia bona, & longe plura, quam alijs largitus eſt? O ingrati, & ſuperbi quare iram, & ſupplicium Dei propter ingratitudinem ueſtram non perhorreſcitis? An ignoratis quod ſolet Deus ſuperbos, ac tumidos ab eorum ſuperbia, & arrogãtia deturbare, ſicut ſuperbum Goliath per manum ſancti iuuenis Dauidis deiecit & humiliauit? Sic Eccleſiaſticus perpendit dicens. Deiecit exultationẽ Goliæ. Non ait: deiecit Gigantem Goliam, ſed, deiecit arrogantiam, & ſuperbiam Goliæ: ubi aperte ſignificauit, qđ quamuis ille, qui erat gigas, & ſtaturæ proceræ aduerſus ſanctum Dauid procedebat, multo magis gigas, & magis ſuperbus in animo; & cogitatione ſua prodibat. Sic ergo Deus ſuperbiam ueſtram o mundi magnates deijciet: Animaduertite finem, ad quem Deus nobis hęc temporalia bona, & hãc uaſſallorum multitudinem donauit, eſſe, ut ei melius & commodius ſeruiatis, ſicut teſtatur regius propheta dicens. Dedit eis regiones gentium, & labores earum poſſiderunt, ut cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Ecce quomodo Deus uobis bona elargitur, non ut deteriores, ſed ut meliores ſitis, & ad meliorem uitæ frugem perducamini. *Eccleſ.47.* *Pſal.104.*

EVAN-

EVANGELIVM.

Tota hæc materia de euangelio, quæ infr a ſequitur, ad materiam de obedientia maximè conducit.

INTER maxima myſteria, quæ B. Ioan. in Apoc. refert, unum, ideq; ſingulare fuit illud. Audiui uocẽ unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei. Hoc altare aureũ (ut D. Thomas exiſtimat) eſt crux, quæ plus auri amoris habet, quã materiæ ligni, [*mas tiene de amor que de madera*,] & per excellentiam, & anthonomaſiã eſt uerè altare, quoniam in eo oblatum eſt altiſſimum ſacrificium ex omnibus ſacrificijs. Et inquit B. Ioãnes, hoc altare eſſe ante oculos Dei, eo quod æternus patet in eo fixos habet oculos tanquã in re ſibi gratiſſima. Quamuis aũt ibi Ieſus Chriſtus filius eius ſanguine conſperſus fuit, & diris uulneribus cõfixus, ac ſputis, clauis, & ſpinis deformis, tamen ſic pulcherrimus æterni patris oculis apparuit. O Chriſtiane pro ſemper o habeas, te oculis Dei tum pulchrum apparere, cum debilis, ac macillentus ieiunijs, uigilijs, ac diſciplinis factus fueris. Ex quatuor autem altaris cornibus, ſiue ſingulis ſonuit illa uox, quam ſanctus Apoſtolus audiuit. Hæc uox eſt euangeliũ, & gratiæ lex quatuor uero cornua altaris ſunt duæ manus, ac duo pedes Ieſu Chriſti Reparatoris noſtri in ſacratiſſima cruce confixi. O admirabile myſteriũ? Ecce qualiter ſacroſanctũ Euãgeliũ, & prędicatio legis gratiæ ex uulneribus Ieſu Chriſti Redẽptoris noſtri exeunt, & profluunt, ex illis enim uim, robur, ac uirtutem accipiũt. Infęlices illi, qui ex tãto bono cõmmodũ elicere nolunt: & millies felices illi, qui hanc uocẽ audiunt, eiq; obediũt, ac per illã continuo gubernantur.

Apo. 9.c.

Lex eſt uitæ regula, quæ nos adigit ad uiuendũ, ſicut illa præcipit: quo fit, ut ex bonis legibus, boni quoque ciues oriantur. Propter quod carnis propenſio, & ad malum inclinatio ab Apoſtolo lex carnis, aut mẽbrorũ dicitur, quia ipſa ſua procliuitate potentius nos ad malũ, quã quæcunq; lex ad bonũ inclinat. Hic ergo affectus, hæc procliuitas, & inclinatio ad malũ (quæ ſiue appetitus corruptus, ſiue lex carnis dicitur) omniũ malorum cauſa eſt, quæ quidẽ lex & prudentiam carnis & prauam ad malum propenſionem includit. Cum ergo Deus homini conſulere uellet, & huic tãto malo mederi, contra hãc legẽ carnis aliam legem ſpiritus opponere uoluit, ut lex lege, & inclinatio inclinatione uinceretur. Id. n. nõ effecit lex ſcripturæ, q̃ intellectũ ſolũ erudiebat. Ideo B. Macharius inqt. Quomodo corporis umbra ortũ habet ab ipſo corpore, carnis tñ officium implere nequit: nã alligare uulnera, eſcam præbere, uel loquĩ non poteſt umbra, & ſi manat a corpore pręcedenſque declarat corporis præſentiam. Eo modo lex uetus eſt umbra noui teſtamenti, prænuntiat umbra ueritatem, non tamen ſuppeditat ſpiritum, lex autem gratiæ (id eſt uirtus Spiritus ſancti ſcripta in cordibus fidelium) mentem unctione ſua illuminat, & iuuat contra prauam carnis propenſionem. Quo effectum eſt id, quod Apoſtolus ad Romanos

manos ſcribens ait. Lex ſpiritus vitæ in Christo Ieſu liberauit me á lege peccati, & mortis, hoc eſt, á lege carnis & membrorum, de qua ſupra dictũ eſt. Legem autem gratiæ appellari ipſam gratiam, ſiue Spiritus ſancti præſentiã declarat B. Thomas de mente B. Augu-
B.Tho. 1. 2. ſtini. Vnumquodque enim id eſſe dicitur, quod in eo præcipuum eſt: at præcipuum in lege gratiæ eſt ipſa gratia, ideo lex gratiæ appellatur gratia ipſa, quæ in lege noua datur. Ex hac philoſophia patet inter ſingulares gratiæ effectus hunc non eſſe poſtremum, videlicet mentem hominis uehementer ad pietatem propellere, & inclinare. Ideoque Spiritus ſanctus ſub typo flatus bis Apoſtolis datur. & poſt reſurrectionem, & iterum poſt aſcenſionem, ut hac ratione uis, & impetus eius, quo nos ad iuſtitiam vocat, intelligatur. Ex hac etiam philoſophia conuincitur error illorum, qui legem Domini uelut importabilem & inacceſſam detractãt, quoniam illam ſolis uiribus ſuis nõ ẽt Spiritus ſancti metiuntur, quæ verè pœnitentibus datur. Hæc autem diuina gratia, quæ in hac lege confertur, ſic magnam Dei conditionem præſtat, & ſic in eius amorem accendit, vt frequẽter homo internis eius motibus magis Dei bonitatem hoc argumento agnoſcat, & diligat, quàm omnium rerum
Pſal. 47. viſibilium contemplatione. Quod quidem uerba illa Dauidis ſignificare videntur, ſcilicet. Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Pro quo B. Hiero. uertit. Deus in domibus
Iſa. 66. cognitus eſt in auxiliando. Et S. Iſaias inquit. Et cognoſcetur manus Domini ſeruis eius.

Euangelium, ſiue lex Domini pluribus nominibus nuncupatur.

Lex Domini plurimis, ac diuerſis nominibus á S. Propheta Dauide nominatur, in quo oſtenditur eius excellentia. Nam (ut B. Thomas docet) B.Th. 1. p. q. 13.
ea, quæ celſitudinem quandam præ ſe ferunt, ac ſupra noſtrum captum eleuãtur plurimis uocabulis nominamus, quia non unicè, ſicut in ſe eſt res, ſed diuiſim, ſicut eſt nobis, cognoſcimus eã. Vnde plurimis nominibus Deum nominamus ſecundum quòd diuerſos effectus eius in nobis experimur. Quoniam autem tot ſunt legis diuinę excellentiæ, & dignitatis, quę uno nequeunt comprehendi uocabulo, hinc fit, ut diuerſis eam nominibus appellemus. Inter omnia autem appellatur Dei teſtimonium. Ex quo intelligent homines, (ut ait Beatus Hieronymus) ſe, cũ peccauerint, coram teſtibus deliquiſſe: lex enim Dei teſtimonium perhibebit aduerſus præuaricatores, & condemnabit eos teſte Diuo Paulo, qui ait. Et qui Ad Ro. 2.
in lege peccauerunt, per legem condẽnabuntur. Erit lex liber apertus, & inſtrumentum legale, per quod cauſa hominum iudicanda, & diffinienda eſt. Et Moyſes deſcribens Deum uenientẽ Deute. 33.
ad iudicium, cum ſanctis millibus ſuis air. In dextera eius lex ignea, quaſi per illam tanquam per ſceptrum regale iudicaturus eſſet mundũ. Vnde in Pſal- Pſal. 2.
mo dicitur. Reges eos in uirga ferrea: Lex enim Dei eſt ſceptrum, & uirga regalis, qua punit impios eiuſdem legis præuaricatores. Lex ignea uocatur, qa corda in diuino amore inflammat. Vnde pro eo, quòd nos legimus: Et de le- Pſal. 118.
ge tua miſerere mei. Beatus Hieronymus tranſtulit. Legem tuam dona mihi gratioſe, ideſt, eam legem, quæ gratiam confert & cor inflammat, & animam adiuuat cõtra carnis rebelles motus, quod uetus lex non faciebat. Qua- Ad Gal. 4.
re B. Paulus Sacramenta legis uocat infirma, & egena elementa (*vaſos vazios*) nec enim uires gratiæ, nec diuitias donorum cœleſtium habebant: lex autem noua, eſt lex gratiæ. Nam ſacramenta nouæ legis, & gratiam continent, & eam uerè ſuſcipientibus conferunt, ſicut

cui ait concilium Florentinum. Non ſunt vaſa vacua, quia gratiam continent, non ſunt infirma, quia ea uerè & dignè ſuſcipientibus conferunt. Dicat ergo Chriſtianus. Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei. Ideſt, de eo, quòd lex tua copioſe habebit, ſcilicet gratiam, & miſericordiam. Hic aduertendum etiam eſt, quod vbicunque in pſalmis, legem pone, inuenies: in Hebræo ponitur imperatiuũ, horah, quod ſignificat docere, inſtituere quomodo magiſter diſcipulo. Vnde vbi nos legimus: Legem pone mihi Domine, Beatus Hieronymus ſemper

Pſal. 24. uertit ex Hebræo. Doce, uel, oſtende mihi legem tuam Domine, ut in pſalmo uigeſimoquarto. Legem dabit delinquentibus in uia. Beatus Hieronymus legit. Docebit peccatores in via.

Pſal. 26. Et eo pſalmo, legem ſtatuit ei in uia quam elegit, uertit, docebit eum. Et in pſalmo, Legem pone mihi Domine in uia tua, transfert ille. Oſtende mihi

Pſal. 118. Domine viam tuam. Et pſalmo, Legẽ pone mihi Domine uiam mandatorũ tuorum, & exquiram eam ſemper. Vbi relatiuus, eam, potius refert uiam, quã legem. Quod in Hebræo, & in Græco manifeſtum eſt, licet in Latino indifferens habeatur. His omnibus inſinuatur, Deum non ſolum dare, ſed etiam docere, & imprimere ſolere legem in cordibus fidelium ſuorum. Hoc autem quam ſingulare beneficium fit, declarat regius Propheta dicens. Beatus,

Pſal. 93. quem tu erudieris Domine, & de lege

B. Aug. ſuper Pſal. 118. tua docueris eum. Exquirere uerò hãc uiam ſemper eſt (ut ait Beatus Auguſtinus ſuper hunc locum) in hac uita ſemper proficere: nam in hac uita non poſſumus in tota ſua plenitudine præcepta adimplere diuina, præcipuè illud de diligendo Deum, in quo cætera includuntur, ſed ſemper magis, ac magis in bonis operibus abũdantes in eo creſcere debemus. Vnde Beatus Ambr. dicit, hanc particulam, ſemper, in Græco ſignificare, & in omni tempore, & per omnia, hoc eſt multis meritoriis actionibus augendo charitatem, ita ut nullum prætermittamus opus, quod in Dei honorem facere poſſimus, & ut gl. hic refert ex Beato Auguſtino, ſemper legem Dei exquirit, qui nunquam relinquit aliquid de lege.

Euangelium, ſiue lex Dei ſuaue.

VNum ex præcipuis, quod Euangelij obſeruationem ſuauem facit eſt auxilium Dei. Hic enim fuit unus ex præcipuis fructibus crucis, & arboris uitæ ſanguine Ieſu Chriſti ſanctificatæ, quod plane Diuus Paulus confitetur his uerbis. Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus *Ad Ro* 6.
peccati, ut ultra non ſeruiamus peccato. Hominem ueterem, ac corpus peccati uocat S. Apoſtolus in hoc loco appetitum noſtrum ſenſitiuum, cum omnibus ſuis concupiſcentiis ab eo dimanantibus. Homo ergo iſte ſimul crucifixus eſt cum Chriſto, eo quòd nobiliſſimo, ac præſtãtiſſimo illo ſacrificio gratiam nobis, ac uirtutem comparauit, quibus poſſimus tantum hunc tyrannũ ſuperare. Hæc eſt inſignis illa uictoria, & fauor ille maximus, quem Dominus per Iſaiam pollicebatur, dicens. Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines *Iſa.* 41.
quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepi te dextera iuſti mei, ecce confundentur omnes qui pugnant aduerſum te: erunt quaſi non ſint & peribunt uiri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos, & erunt quaſi non ſint, & ueluti conſumptio hominis bellantis aduerſum te, quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuã, dicenſque tibi. Ne timeas ego adiuui te, noli timere vermis Iacob. Quis ergo his promiſſis deficiet? Quis animo *Pſal.* 119.
cadet, aut timebit carnis ſuæ imbecillitati tanta Dei gratia adiutus? Quis nõ dicet

dicet cum regio Vate? Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum? Erige ergo ò homo ſpem, erige animum, quãdo iam habes Ieſum hoc eſt ſaluatorem tuum, qui te à ſcelerib. liberabit, & ſua gratia cor tuũ iuuabit.

Chry. hom. 8 de pœn. Mat. 5. B. Chryſ. in quadam homilia inquit ſuper illa verba Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui uiderit mulierem ad concupiſcendũ eam, iàm mœchatus eſt in corde ſuo. Cognoui, difficile eſſe mandatum non ſuapte natura, ſed, audientium deſidia, multa enim, quæ facilia ſunt natura ſua, difficilia fiunt cum pigritamus. Quod uerißimum eſſe ex eo conſtat, nam mel natura dulcedinem habet, atque eandem iucundiſſimam, ſed ægrotis amarum, quid, & inſipidum eſt non propria, ſed illorum ægrotantium natura, ſic lex tametſi uideatur oneroſa non ſua natura, ſed noſtra fit pigritia. Idemque ibidem ait. Laborioſa lex, & multum oneris habet, ſic igitur & magnam habet coronam. Tu uero nequaquam laborẽ attende, ſed retributionem conſidera. Sic & in uitæ rebus fit: Si enim laborem perſpexeris, graue, & oneroſum, ſi uerò retributionem cogitaris, leue ac facile quod ſubeſt. Sic & gubernator ſi fluctus uiderit ſolum, nuſquam portu ſcapha digredietur, ſi autem ad lucrum aſpicit iſinabili ſe credit pelago. *Simile.* Sic & milles ſi uulnera, cædeſque uiderit, non iam induet thoracem, ſi uero triũphos præ uulneribus, uictoriaſque in pratũ quaſi concurrit ad prælium. Et in alia homilia ait idem ſanctiſſimus Doctor. *B. Chry. homi. 2. in 1. ad Thim. Simile.* Quemadmodum fræno legitime utitur non is æquus, qui laſciuit, nec qui mordet, ſed qui pulchrè agitur. Ita & is lege utitur legitime, non qui literæ neceſſitate ſobrie, ac iuſte uiuere cogitur, qui nouit, quod ipſa non indiget non metu legis rectè factis inſiſtit, ſed uirtutis tantum gratia hic ſecure, ac legitime utitur lege. *Orig. hom. 10. in Leui.* Origenes diſcrimẽ inter Euangelium, & legem Moyſi deſcribens inquit. Sicut hi, quibus artificium eſt, ſigna ex ære facere, & ſtatuas fundere, antequam uerũ opus æris producant, aut argenti, aut auri, figmentũ prius luti ad ſimilitudinẽ futuræ imaginis formant, non quòd figmentũ neceſſarium ſit, ſed uſquequo opus, quod principale eſt, expleatur. *Simile.* Cũ autẽ fuerit effectum opus illud, propter quod figmentũ luti fuerat formatũ, uſus eius ultra non quæritur. Tale aliquid etiam in his, quæ in typo, & figura futurorum in lege & Prophetis uel ſcripta, uel geſta ſunt. Venit enim ipſe artifex, & author omnium, & legem, quæ umbrã habebat futurorum bonorum, tranſtulit ad ipſam imaginem rerum.

B. Chry. homil. 5. ad pop. Anti. B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Aureum ueſtimentum pulchrum quidem eſt, etiam cum uidetur, multo pulchrius autem nobis uidebitur noſtro circumpoſitum corpori. Sic & Dei mandata pulchra quidem ſunt, etiam cum laudantur, multo autem pulchriora, cum & explentur, apparẽt.

B. Aug. li. 22. contra Fauſt. c. 14. B. Auguſt. contra Fauſtum inquit. Sicut æger non debet reprehendere medici doctrinam, ſi aliud ille hodie præceperit, aliud cras, prohibẽs etiã, quod ante præceperat (ſic enim habebat ſanandi eius corporis ratio) ita genus humanum ab Adam uſque in finem ſæculi quandiu corpus, quod corrumpitur aggrauat animum, ægrum, ac ſaucium, non debet diuinã reprehendere medicinã, ſi in quibuſdam hoc idem, in quibuſdam uero aliud prius, aliud poſterius obſeruandum eſſe pręcepit, pręſertim cũ ſic aliud præceptorũ eſſe promiſit. ¶ Idẽ S. Doctor inquit. Recogitemus quali honore nobis Dei legatio ſit accipienda. Si legatio à Rege, aut à iudicibus ad nos ueniret, nunquid non mox aliis curis poſthabitis prõpta uoluntate, & cũ omni deuotione literas accipe remus, & legẽtes implere ſatageremus? Excede cęlo Rex regũ immo Redẽptor noſter per Prophetas, & Apoſtolos dignatus eſt nobis ſuas epiſtolas dirige-

re, non ut ſeruitium ſibi neceſſarium demandet, ſed quæ ad ſalutem proſint innoteſcat. Siluianus ait. Non aliter nos de Dominica lege querimur, quā queri de optimo medico impatiens ægrotus ſolet, qui ingraueſcere morbo ſibi fecerit uitio ſuo, imperitiā medentis accuſat, quaſi uero curare ullam infirmitatē præcepta poſſunt, ſi eis nō obedierit infirmus. Quid iuuat ſtomachū abſtinentia, ſi ſtatim dulcia ſubſequantur? Quid conferunt phrenetico ſilentia, quem ſtatim ſuus clamor occidit? Aut quid prodeſſe poteſt anthidotum, cui ſuper infunditur uenenum? Et nobis itaque lex eſt anthidotum, ſed uitioſitas uenenum: ſanare nos non poteſt legis anthidotum, quos occidunt uenena uitiorum. Gaudentius ſuper illa uerba B. Pauli: Calceati in præparationē euāgelii ait. Sicut calciamenta terreſtria carnalium pedum munimina ſunt, & uel aſperitate frigoris, uel ſerpentium morſui, uel ſpinarum reſiſtunt aculeis: ita legis diuinæ præcepta, quibus greſſus noſtrarum mentium munire præcipimur, repugnant & ſerpenti diabolo, & aſperrimo Aquiloni uitiorum, & hæreticorum undique compungentium ſpinis, ac tribulis.

Silu. lib. 5. de prouid. — *Gaud. tractatu 5. Exodi.* — *Simile.*

B. Ber. epiſ. 72. *Simile.* B. Bernardus in quadā epiſtola ait. Lex Chriſti onus eſt alleuiās, aut iugū liberans: ſimilis pennis auium, quę corpulentiorem reddunt ſubſtantiam, & agiliorē: groſſeſcit inde natura, unde ſarcina alleuiatur, & quantum creſcit in maſſa, tantum decreſcit de pondere. Item & quadrigæ comparatur, quæ admota iumento ſarcina, quę ab ipſo moueri non poterat, auget quidē, ſed portabiliorem facit, onus oneri additur, & minus onerat.

Iſido. Clar Orat. 9. 10. 3. Iſido. Clar. in quadam oratione inquit. Videtur mihi euangelicæ legis iugum, ac onus perſimile eſſe, ut ſiquis torquem maximi ponderis, ac immenſi pretij collo circumponat, uel ingentem auri maſſam, quam dono acceperit, humeris ferat, utrumque onus eſt, ſed minimè ſentitur ob metalli ſpeciē atque pretium, quin ij, qui ea ferunt lætantur, & geſtiunt, ſibique in eis placent. Idem cerninius uiris euangelicis vſu eueniſſe, qui gloriabantur (ut aiebat B. Paulus) in afflictionibus, & omne gaudium exiſtimabant cum in uaries tentationes incidiſſent.

Simile. Quemadmodum laniſta ſciomachię ludo præfectus, hoc eſt, [*el maeſtro de eſgrima*] docet percutere inimicos, eorumq; ictus declinare; ſed nec præbet animum, nec uires diſcipulis; ſic lex uetus docebat, quemadmodum homines eſſent cum animi hoſtibus, nempe mundo, dæmone, & carne pugnaturi, at nec gratiam conferebat, neque uitam æternam.

Euangelij ſiue legis Dei, pro gratitudine plures effectus.

Ad Heb. 8 *Hiere 31.* BEatus Apoſt. ad Heb. ſcribens docet, & teſtatur Dominum per Prophetam Hieremiā ſacroſanctum Euangelium & legem gratiæ promiſiſſe, cū dixit. Ecce dies uenient, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domū Iuda teſtamentum nouum, non ſicut teſtamentum, quod feci patribus eorū, &c. Et paulò inferius. Dabo leges meas in mentes eorum, & in corda eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deum; & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens. Cōgnoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minore uſque ad maiorem. Loquens Dominus hic per ſanctum Prophetam de legis gratiæ effectibus inquit, ſe futurum eſſe Deum eorum, qui ipſam receperint, & ipſos uocando eſſe populum ſuum, quaſi dicat, [*yo les hare obras de Dios no ſolo mirando por ellos,*] & prouidendo eis, ſicut prouiderē ſoleo omnib. creaturis in naturalib. ſed etiam faciam eis opera ſupernaturalia: communicabo. n. illis Spūs ſancti dona, quæ Iſa. ſic enumerat. Spiritus ſapien-

ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, ſpiritus timoris Domini. Solet Deus ſpiritum, & donum ſapientiæ cómunicare ſuis, vt poſſint myſteria fidei concipere, & credere, ac tandé poſt quã crediderint intelligant, quod quãuis illa naturalem rationem excedant, ſunt tamen poſſibilia abſque eo, quod in ipſis ſit aliqua cótradictio: quod quidem non conſequuntur infideles exiſtimantes fidem noſtram impoſſibilia docere. Præbet etiam Deus ſuis ſpiritum, & donum intellectus, ne videlicet errét circa ultimum finem, & ne fœlicitatem in aliqua creaturarum conſtituant, ſicut faciunt huius ſæculi filij; quorũ alii qui fœlicitatem in diuitijs, alij in uoluptatibus, alij in honoribus collocãt, quod quidem à cæcitate animæ procedit. Hoc autem donum lucem communicat intellectui, ut ſuum ultimum finé in Deo continuò ponat. Suis etiã Deus præbet ſpiritum, & donum conſilij, videlicet prudentiam, qua occaſiones, vnde peccata oriri poſſunt, ſcilicet, loquendi, aſpiciendi, & inordinatè diligendi creaturas, præueniant, & effugiant. [*De donde por no preuenir eſtas occaſiones ſuelen proceder muchos males*] Elai gitur etiam ſuis Deus fortitudinis donum ad reſiſtendum tentationibus, tam maligni hoſtis, quàm mundi, & carnis: præbet etiam illis donum ſcientiæ quæ conſiſtit in cognitione mali ad nó peccandum per ignorantiam culpabilem, & in cognitione boni, ut in illo ſe exerceant. Communicat etiam eis ſpiritum pietatis, vt proximum diligant, deſiderando ei bona temporalia, & æterna, ſicut ſibi ipſis. Denique infundit illis ſpiritum timoris Dei, qui oritur ab amore, quo illum proſequuntur. Tantus eſt enim amor, quem filij adoptiui Dei erga ſuum æternum patré habent, vt continuo ſint pleni maximo timore, & ſumma cura ipſum nequaquã offendendi. Hoc Deus per Hieremiam Prophetam illis, qui legem euangelicam reciperent, promiſit dicens. Et ero illis in Deum: conferam enim eis bona Dei, videlicet communicabo eis dona ſpiritus diuini. Et ipſi erunt mihi in populum: ideſt, qui receperint euangelium (de his namque eſt ſermo noſter) iactabunt, ſe eſſe ex domo, & familia mea, atque vaſallos meos, quouſque uitam pro honore meo, ſicut fecere martyres, libentiſſimè offerant. Alij legem meam exemplo uitæ, & doctrinæ docebunt, uidelicet confeſſores. Alij vt magis in amore meo ſe occupét omnibus voluptatibus ſenſualibus renuntiabũt, & in aſſidua continentia, atque in paupertate, & uitæ rigore degent: alii quidem in ſolitudinibus, alii verò in ſanctis religionibus. Quod ſi martyres quiſpiam interrogauerit, Quare ſic corpus ſuum torqueri permittunt, & à confeſſoribus quæratur, quare tam aſperè uiuant? Reſpondebunt, quia populus ſunt honori ac ſeruitio altiſſimi Dei dicatus. Aliam excellentiam, & effectũ dixit Dominus per Prophetam ſacroſanctum euangelium, & teſtamentum nouum habiturum eſſe, ſcilicet, quod in lege ſcripta neceſſarium erat alios ab aliis addiſcere: at uerò in lege gratiæ inquit. Non docebit unuſquiſque proximum ſuum dicés. Cognoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minore vſque ad maiorem. Quæ verba magnam uidentur habere difficultaté: nã licet verum ſit, plurimos ex Chriſtianis, videlicet ſacros Apoſtolos, & alios diſcipulos Domini habuiſſe ſcientiam infuſam, aliis tamen per aures fides introiuit: atque ita in ſacroſancta eccleſia fuerunt ſemper, & ſunt Doctores catholicam fidem docentes, qui ad hoc munus præſtandum ab ipſo Deo inſtituti ſunt iuxta id, quod ait D. Paulus. Alios dedit eccleſiæ paſtores, & doctores. Et alibi. Qui docet in doctrina. Et ad Timotheum ſcribens. Tu uerò, inquit, labora opus fac Euãgeliſtæ. Quomodo ergo ſanctus Propheta conſtituit differentiam inter cognitionem iu

ſtorum teſtamenti ueteris, & ſanctorũ noui teſtamenti? Quamuis huic dubitationi diuerſimodè reſpondeatur, mihi tamen ea reſponſio magis placet, quæ dicit, hanc differentiam inter iuſtos veteris teſtamenti, & noui conſtitui, quoniam plurimi iuſti veteris teſtamenti habebant fidem implicitam plurimorum articulorum, de quibus iuſti teſtamenti noui habent fidem explicitam. Pro cuius rei maiore declaratione obſeruandum eſt, fidem implicitam ſecundum doctrinam Doctorum ſcholaſticorum eſſe fidem de aliquo articulo particulari, non in ſeipſo, ſed in quantum includitur in fide alicuius articuli vniuerſalis. Itaque fides implicita eſt fides incluſa in alia fide. De hoc habemus apertiſſima exempla. Certiſſimũ eſt, Chriſtianum indoctum, & illiteratum credere quidquid in diuina ſcriptura continetur, non quod habeat peculiarem notitiam de omnibus in ea contentis, ſed quia credit hanc uniuerſalem propoſitionem: Credo quidquid credunt catholici Doctores. In qua vniuerſali includuntur plurimæ particulares, vt hæc: Credo Spiritum ſanctum procedere ab vtroque, & non à ſolo patre. Item: Credo, quòd verbum aſſumpſit naturam humanam, & non perſonam. Credo Salomonem Regi Dauidi ſucceſſiſſe in regno, & non alium ex filiis Dauidis &c. Fides harum propoſitionum particularium in homine illiterato uocatur fides implicita hoc eſt fides incluſa in illa fide vniuerſali, ſcilicet. Credo quidquid credunt catholici Doctores. Econtrà verò fides explicita eſt fides alicuius propoſitionis particularis in ſe ipſa qualis eſt fides, quam de quolibet quatuordecim articulorũ fidei habent omnes catholici: credunt enim omnes articulos explicitè, & unũ quemque per ſe. Item præſuppoſita quadam veritate uidelicet, quod in teſtamento veteri iuſti illiterati, hoc eſt commune uulgus habebant fidem explicitam de Meſſia uenturo, ſed an Deus, & homo futurus eſſet, de hoc articulo non habebant fidem explicitam, ſed implicitam referendo ſe ad fidem maiorum, qui erant ſynagogæ Doctores, qui fidem explicitam incarnationis uerbi diuini habebant: hi enim ex diuina ſcriptura, & ex Prophetis, vbi hæc veritas reuelata erat, hoc intelligebant. Ex quo ſequitur, quod ſi alicui homini idiotæ in tempore legis ſcriptæ interrogaretur: Credis Meſſiam venturum eſſe? Reſponderet, utique credo. Quod ſi rurſus ab eo quæreretur: Credis, quod Meſſias futurus eſt filius Dei humanatus? Reſponderet, quantũ ad hoc credo id, quod credunt, & habent Prophetæ ac legis Doctores. Vnde colligitur, quod ex hoc articulo; Verbum caro fiet, maior pars Hebræorum habebant tantummodo fidem implicitam: nunc autem omnes Chriſtiani à minimo uſque ad maximum, ſapiẽtes, & inſipientes, ſenes, ac pueri (ſi tamen ad uſum rationis peruenerint) habẽt fidem explicitam de hoc articulo: Verbum caro factum eſt: etenim hic articulus: Ieſus Chriſtus eſt filius Dei, vnus eſt ex quatuordecim articulis in ſymbolo contentis, quem omnes Chriſtiani & corde credunt, & ore fatentur. His præhabitis reſpũdetur uerbis Hieremiæ Prophetæ, in quibus dicitur, quod in tempore legis gratiæ nõ docebit vnuſquiſque proximum ſuum, dicens: Cognoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minore uſque ad maiorẽ, reſpondetur, inquam, eſſe intelligenda de fide explicita incarnationis uerbi diuini, quam omnes credentes habent. Nam ſi quemlibet Chriſtianorum interrogemus, an credat Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei? Reſpondebit utique ſe credere, abſque eo quod ſe ad fidẽ maiorum referat. Etenim quantum ad hanc fidem explicitam omnes in eccleſia catholica æquales ſunt. Atque ita adimpletũ eſt id, quod Propheta Hieremias dixit: Omnes ſcient me à minore uſque ad maiorem, quod ſecus erat in

Fides implicita quid.

Fides explicita quid ſit.

Vide S. Th. 2.2. q.7. art.7.

in ueteri teſtamento: oportebat enim, vt minores in fide incarnationis ad fidem maiorum ſe remitterent. Eo etiã tempore minores,& illiterati habebãt fidem implicitam de beatiſſima Trinitate, de qua omnes nunc à minore uſque ad maiorem fidem explicitam habemus.

Vltimus effectus legis Euãgelicę eſt iuſtificatio peccatoris:idcircò ſequitur in uerbis Hieremiæ Prophetæ relatis à D. Paulo. Quia propitius ero iniquitatibus eorum,&peccatorum eorum iam non memorabor. Duo ſunt genera peccatorum, quædam ſunt contra iuſtitiã, alia uero contra charitatem, illa vocantur iniquitas, iſta uero dicuntur peccata, quæ omnia uirtute diuinorum ſacramentorum remittuntur ijs, qui ſacroſanctum Euangelium obſeruant, nulla autem remittebantur uirtute legis antiquæ, ſed uirtute meritorum Ieſu Chriſti Saluatoris mundi venturi. Ex his omnibus fratres mei infertur, quanta obligatione omnes Chriſtiani aſtringamur eſſe nimis grati altiſſimo Deo, ſiquidem tãtam nobis ſuorum myſteriorum cognitionem, ac ſanctam legem cum tam efficacibus remedijs ad noſtram iuſtificationem, & perfectionem largitus eſt. Quod ſi illum, ut debemus, non glorificamus, & ab his maximis beneficijs commodum non educimus, grauius proculdubio æternis ſupplicijs puniemur, quam legis antiquæ peccatores.

VideB.Th. 3.p. q.31. art.8.

Euangelium ſiue lex Dei quare iugum vocatur.

Mat.11.

IVgum meum ſuaue eſt, & onus meũ leue, inquit ſumma veritas apud Matthæum. Iugum uocat Dominus ſuam diuinam legem ſecundum aliquos, quoniam coniungit corda, quippe cum ſit lex amoris, quæ ait. Diliges proximũ tuum ſicut te ipſum, ad hoc enim totã lex euangelica dirigitur. Et B. Dionyſius inquit, ꝙ amor ligat corda. Quoniam autem ſicut iugum coniungit & ligat duo animalia in uno: ſic lex euangelica ligat, & coniungit corda in uno amore: ideo merito appellatur iugum. Dicitur etiam iugum, quia quemadmodum iugum animalia domat, & ea per uiam rectam incedere facit: ſic lex Dei obſeruatores ſuos domat, & per uiam rectam in cælum ire facit. Et hoc quadrat optimè cum his, quæ anteà Dominus dixerat videlicet. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus ueſtris. Et ſubdit rationem dicens. Quia iugũ meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Mitis vocatur ille, qui promptiſſimè,& abſque repugnantia, uel contradictione obedit, ſicut & animal illud dicitur mite, quod uoluntati Domini ſui ſe ſubijcit, & ceruicem ſuam iugo libenter inclinat: ſic homo uocatur mitis, quando uoluntati Dei ſe ſubijcit, & ei non reſiſtit. Ita Bea. Auguſtinus teſtatur dicens. Hoc eſt enim mitem eſſe, non reſiſtere Deo, ſicut è contra animal indomitum vocamus illud, quod iugo reſiſtit, nec ei ſuccumbere uult. Ita homo. Vnde in Exodo populus Hebræus uocatur populus duræ ceruicis.

B. Aug. in ſer. om. ſã. in fi. to 10.
Exo. 32.

Et inuenietis requiem animabus ueſtris. Hæc requies in hac uita,& in alia ſi ſacroſanctum euangelium obſeruatur, reperitur: peccator autem qui hoc iugum euitat,& effugit nec in hoc mundo, nec in alio requiem inuenit quin potius plurimos labores, & afflictiones. Hoc apertè conſpicitur in Iona, cui quando inobediens erat, omnia ad uerſa contingebant, ipſumque magno pere uexabant: nam uenti, nauis, mare, nautæ, & cuncta alia ei aduerſa erant: ubi uerò Deo obediuit, omnia ei in bonum conuerſa fuerunt, & uel ipſum cete, quod illum uidebatur uelle conſumere, eũ in portu ſecuro,& tranquillo poſuit. Et tunc obediuit, quando nautis dixit. Mitte me in mare. Quod ideo dixit, quia illam eſſe uoluntatem Dei

tunc intellexit: ſic enim ex ſua propria id efficeret, nequaquam ei liceret, nul lus enim ſuæ uitæ dominus eſt. At ubi primum obediuit, ſtatim ceſſauit tem peſtas, & ipſe in ſecuro portu repoſi- tus fuit. Diuina uerò lex ſuauis eſt quan dò tota ſeruatur, & multo ſuauior eſt, quando eius conſilia obſeruantur. Pri- ma facie uidetur, quod quando homo caſtitatem ſeruat, & ſimul ieiunta ma- ius onus ſuſcipit, quam ſi caſtitatem dūtaxat ſeruaret: nam caſtitas eſt onus ieiuniū etiam eſt onus, igitur eſt onus ſupra onus quod animal opprimit, & in terram deijcit, *[que es lo que ſe ſuele dezir, dar de ojos con la carga enel ſuelo.]* Sed reuera non ita eſt: onus enim caſti tatis ſuauius cum ieiunio, quam ſplen- didè manducando ſupportatur. Vnde meritò D. Thomas inquit, ieiunium li bertati legis Chriſtianæ non eſſe con- trarium, quin potius libertatem ſpiri- tus adiuuat: remanet enim magis præ- paratus ad ſuperandum tam rebellem hoſtem, quale eſt corpus. Etenim ex- perientia uidemus eſſe quædam onera, quæ alia onera leuiora efficiunt. B. Au guſtinus adducit in ſimilitudinem hu- ius rei plumam auis, quæ licet aliquan tulum grauis ſit, efficit, ut corpus ipſi us auis ī altū ſubleuetur. Sic lex diuina licet ſit onus, efficit, ut homo in cælum poſſit aſcendere. Ad pulcherrimam au tem catenam uirtutum, & cōnexionē, ac fraternitatem quam inter ſe ligan- tur, nec non ad facilitatem, quæ eſt in adimpletione diuinorum mādatorum & cōſiliorum ſacri euangelij poſſumus appoſitiſſimam ſimilitudinem educere ex iugo, de quo Ieſus Chriſtus Salua- tor noſter loquitur agens in hac com- paratione de ſuę ſanctiſſimæ legis ſua uitate: nam duæ mulæ, ſi fortes, ac ua- lidæ ſunt, poterunt ſupra ſe pondus triginta amphorarum, & hoc maximo cum labore, ac difficultate portare, & tandem cum ad finem itineris peruene rint, proculdubio defeſſæ & excoria- tis dorſis accedent: ſi uerò iugo in car- ro uniantur, facilius, & ſuauius idem pondus ſimul cum carro, & iugo porta bunt. Sic ieiunium onus quidem eſt, & caſtitas ſimiliter eſt onus, ſed profectò minus pōderat caſtitas ſociata ieiunio, quam per ſe ſolam. Idem poſſumus di cere de alijs euangelicis conſilijs, quæ adiuuant homines, ut præcepta diuina facilius, & ſuauius adimpleant.

Simile. *Simile.*

Quemadmodum ſolet peritus archi tectus, ſi uiderit lapidem ipſum, aut li- gnum, non cohærere cum ſua regula, uel perpendiculo (inquit beatus Irenæ us) non iam de regula, uel perpendi- culo curat aliquid detrahere, ſed poti us de ipſo lapide uel ligno: ſic etiam fa cere uiri probi, & ſancti ſolent, ut ſcili cet, ſe conforment, & mores ſuos com ponant ad perpendiculum legis Euan- gelicæ, non autem ipſam legem fran- gant. Hæretici autem contra faciunt, regulam ipſam, & perpendiculum cor rumpere uolunt, ut quadret prauis eo rum moribus cum potius debeant mo- res ſuos componere, & emendare ad re gulam ipſam, & perpendiculum legis Euangelicæ. Hinc fit, ut detorqueant ad ſuos prauos appetitus ipſam ſacram ſcripturam, & quaſi quandam plum- beam regulam, & ad ſuos appetitus flexibilem ſibi conficiāt: & hac ratio- ne decipiunt rudem plebem, cum ni- tūtur detorquere aliquas authoritates ſcripturæ ſacræ ad ſuos prauos ſenſus. Quod ſi ſanæ mentis eſſent, ſatis intelli gerent ſimilari in hac re patrem ſuum diabolum, qui autoritate diuinæ ſcri- pturæ nixus perſuadere uolebat Chri- ſto Domino, ut ſe deorſum præcipita- ret, dicens: Angelis ſuis mandauit de te ut cuſtodiant te ī omnibus uijs tuis. Quod enim de iuſtis ſcriptum eſt, de domino iuſtorum, & uero filio Dei in- telligi uolebat. Sic etiam iſti hæretici ad ſuos deprauatos ſenſus conātur ſcri pturam ſacram detorquere.

B. Iren. li. 1. contra Valentinū. *Simile.*

EVCHARISTIA.

Ioan.6. QVI manducat meam carnem & bibit meum ſanguinẽ in me manet, & ego in eo: ait Dominus apud Ioannem.

Oſe.11. Loquens Deus per Oſeam Prophetam de amore, quo Hebræos proſequebatur, illum tribus generibus amoris, qui in hominibus eſſe ſolet, elegantiſſime comparauit dicens. Ego quaſi nutrix Ephraim portabam eos in brachiis meis, & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eum ut veſceretur. Ecce tria amoris genera. *Simile.* Primus amor eſt ſimilis amori nutricis, quæ infantem pietate materna, & pio uiſcerũ & cordis affectu alit, & nutrit. Secũdus amor eſt inſtar amoris, quo pauper agricola diligit duos quos duntaxat habet boues, quorum labore ſuſtentatur. Solet enim poſtquam diei laborem finiuit, par illud boum maximo cum amore pertractare, & à ceruicibus eorũ iugum auferens, eos quieſcere & otiũ capere facit. Tertius amor comparatur amori patris, qui filium ægrotum habet, cumque præ ægritudine, inedia, & faſtidio affectus filius ipſe edere non poſſit pater ſua propria manu ei maximo cordis affectu cibum miniſtrat. Hæc tria amoris genera fatetur Dominus, ſe erga populum Hebræorum habuiſſe, uidelicet eos manibus geſtaſſe, & protexiſſe tãquam nutrix infantem ulnis portat, deinde ipſos ab impio tyrannorum iugo captiuitatis eripuiſſe, & ſuſtentationem eis tanquam indulgentiſſimum parentem tribuiſſe, & miniſtraſſe. His tribus amoris generibus Deus populum Chriſtianum multo apertius, & in maiori gradu, quam populum Iudaicum dilexiſſe oſtendit, & in primis ſi amorem nutricis erga puerum, quem nutrit, & in ulnis ſuis portat cum amore Dei comparemus, apertiſſimè inueniemus Dei amorem amori nutricis longe antecellere. Siquidem Deus non contentus fuit nos in manibus ſuis portare, & quod de Chriſtianis uerè diceretur. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis *Sap.3.* & uerum ipſemet Dominus in ſuis nos uiſceribus incluſit, & in noſtris ſe in hoc ineffabili ſacramẽto includi permittit: Siquidem ait. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. Non ſolum autem in hoc diuino ſacramento, primũ hoc amoris genus nobis oſtendit, uerum etiam alia duo demonſtrat. Nam hoc cęleſti cibo nobis graue illud iugum minuit, de quo Diuus Paulus ait. Video *Ad Rom.7* aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Sed ut hoc melius intelligatur obſeruãdum eſt, quod filius Dei non contentus fuit, ſe noſtra carne induere, uerum hanc eãdem carnem & corpus ſuum, quod de nobis ſumpſit, cum corpore eccleſiæ ſuæ, & cum omnibus eius cõiungit membris, quæ illum in ſacro altaris ſacramento, ut debent reuerenter recipiunt: atque ita coniungit carnem ſuam carni illorum, & eam, quantum eſt poſſibile, cũ ſuã unam efficit. Erunt (inquit D. Paulus) duo in carne una. *Ad Eph.5.* Sacramentũ hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & eccleſia. Non inficiatur Sanctus Apoſtolus uerè dici de Eua, & Adamo, erunt duo in carne una, ſed ait ueritatem illam fuiſſe ſimilitudinem huius altiſſimi myſterii. Atque ita ad Corinthios ſcribens inquit. Vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Ex quo aperte concluditur, quod ſicut Adam,

ad ſacrum altare accedit) manducari. O infœlix ſacerdos, ſi propter temporalem mercedem tantummodo ad celebrandum accedis, ſine dubio ipſummet ineffabile bonum in grauiſſimum malum tibi conuertetur.

Euchariſtiæ admirabile myſterium.

ARs, ſcientiæ, & artificium alicuius mirifici pictoris magnopere oſtēditur in depingendis plurimis atque excellentibus rebus in paruo quantitatis ſpatio. Veluti ſi in tabula unius palmi totam Romam perfectiſſime depingeret. Profetæ Ezechieli dixit Dominus. Sume tibi laterem, & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis eam caſtra, & pones arietes in gyro. Mirificus, atque excellens pictor futurus erat ille, qui in paruo latere per grandem ciuitatem (qualis erat Hieruſalem) exercitibus & bellicis munitionibus obſeſſam depingeret. Ingentem certe Deus atque ineffabilem oſtendit ſapientiam in depingēdis pulcherrimis cęleſtibus planetis, & ſtellis, ueruntamen ſatis amplus locus ibi erat, in quo illa omnia depingi poterāt. Cęlum namque ampliſſimum eſt, idcircò multò magis Dei ſapientia enitet in hoc, quod in creatura tam parua qualis eſt homo ſummam omnium rerum creatarum depinxerit. Atque ita philoſophi appellant ipſum Microcoſmos, ideſt, mundum paruum: etenim in homine eſt eſſe rerum inſenſibilium atque intellectp angelorum. Ideo Sanctus Dauid inquit. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Hoc eſt, admirabilis ſcientia tua. Domine apertiſſimè oſtenditur, & manifeſtatur in eo, quod in me collocaſti, ſiquidem cum ego res tam parua ſim; in me tot, tantaque poſuiſti. Verum ſi hoc in admirationem rapit S. Prophetam, quanto magis oportet nos altiſſimum huius ineffabilis ſacramenti myſterium admirari, in quo multò amplius, & apertius huius excellentiſſimi pictoris ſapientia demonſtratur, qui ſub paruis accidentibus tot, tamque alta myſteria abſcondit: ibi namque uerè, & realiter eſt Deus, & homo, cum omni ſua poteſtate, & maieſtate. Atque ita ſancti patres loquentes de hoc diuino ſacramento illud myſterium myſteriorum uocant, & regius Propheta inquit. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timētibus ſe. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Fecit Deus in hoc admirabili ſacramento quandam feſtiuitatem, & quoddam memoriale, id eſt, [*remembrança*] omnium mirabilium ſuorum, in quo quidem ſacramento dedit ſubſtantialem cibum iis, quidem pertimeſcunt. In hoc altiſſimo myſterio recolitur memoria incarnationis uerbi diuini, atque eius ſanctiſſimæ paſſionis; Hic denique in memoriam reuocatus qualiter Chriſtus Dominus in cælos aſcendens ſeipſum in pignus amoris hominibus reliquit, atque ita merito hoc myſterium myſteriorum appellatur.

Ezec. 4. c. — *Pſal. 134.* — *Pſal. 110.*

Huic autem ineffabili ſacramento religionem quam in nomine latriæ intellexerunt omnes ſapiētes, debemus, latria quippe ſeruitutem ſignificat, nō communem Deo, & hominibus præcellentibus, ſed quæ ſoli Deo debetur (vt B. Auguſtinus docet) ſicut nomen Hebræum, Adonai, non quēcunque dominum ſignificat ſed eum, qui propriè eſt dominus, & ſolus uniuerſorum Rex: ſic uerbum Græcum, latria, ſeruitutem importat, non utcumque, ſed eam, quæ ſoli Deo exhibetur, & hæc diuino huic ſacramento offerenda eſt. Docuit hanc ueritatem imprimis cæleſtis pater in quodam Pſalmo cum de vnigenito filio ſuo loquens inquit. Et adorēt eum omnes angeli. Quod actum fuit ſub ipſa

hora

hora natiuitatis Chriſti Saluatoris noſtri, & deinde Magi procidentes ſuper terram ipſum in præſepio adorauerũt, Cultus ergo & ſeruitus, quæ Deo offertur Euchariſtiæ deferenda eſt, & erga illam religio ſupra modum ſeruanda: quam etiam ex nominis interpretatione intelliges. Religio nanque cultus eſt ſoli Deo debitus. Cicero religionẽ à relegando dictam eſſe putat, quòd ſit velut cognitio Dei. Et ſic Mercurius Græcus dixit. Religio notitia eſt Dei. In hoc quippe ſacramento ſanctiſſimo in religione, erga illud, in cultu & latria Deus agnoſcitur, & quaſi religimus diuinam Theologiæ doctrinam. Lactantius uero Firmianus à religando mauult eſſe nominatam, quaſi Deo obſtricti, & obligati ſint religioſi pietatis uinculo, & certe ex interpretatione diſces qualiter colere debeas Dominũ Ieſum in hoc altiſſimo ſacramento in quo uincula charitatis fideles uiri, & timorati inueniunt, quibus in obſequiũ eius obſtringuntur, & in dilectionem firmiori uinculo tranſeunt. Hanc autẽ reuerentiam ſumma animi puritate à nobis exhibenda eſt, maximè cum ſacratiſſimam hoſtiam recipimus, quibus à Beato Paulo dicitur. Probet autẽ ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim mãducat, & bibit indignè iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini, ſcilicet ab aliis cibis. Quid uero ſit iudicium manducare, ſtatim exponit. Reus erit corporis & ſanguinis Domini, id eſt, pœnas dabit mortis, & ſanguinis Domini: id eſt, in ſimilitudinem crucifigẽtium Dominum punietur, nõ tamen ita grauiter; & ſic pœna ſimilitudinem habet, non æqualitatem. Vnde licet non ſit omnium peccatorum grauiſſimum hoc crimen, certè multis grauius eſt & iniquius.

Cic. li. 2. de nat. Deo.

Lactã. Fir. lib. 4.

1. ad Cor. 12.

Obſerua etiam quomodo in conſecratione dixit Dominus. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamẽti. Vnde firmiſſima eſt ſpes noſtra, firmum, & ſtabile uſque ad tempus factus eſt uetus illud teſtamentum, quod ſanguine animaliũ dedicatum fuit, & confirmatum: quanto magis ergo firmum eſt noſtrum teſtamentum, quod in ſanguine Chriſti Ieſu effuſione confirmatur? O ſpem noſtram? O beatitudinem noſtram? Scio, cui credidi, dicebat totus gaudens diuinus ille uir Paulus: & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Quid magni dicis, ò Beate Paule? Quòd potens ſit Deus depoſitũ tuum ſeruare? Quid eſt Deo impoſſibile? Immò neq; difficile. Audi amice de Ieſu Domino meo eſt hic ſermo. Certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare per potentiam, & obedientiam iuſtitiæ ſuæ in ſanguine fuſo, & ſublimem coronam reddere in regnum cælorum mihi, quondam blaſphemo, & ſuæ Eccleſiæ perſecutori ſæuiſſimo. Propter quæ crimina diabolus, & infernus aduerſus me iure inſurgerent, ſed ius redemptionis Domini mei, cui credidi potens eſt ad prædeſtinatam coronam me perducere. Nec me tantũ ſed omnes, qui ei inſeruire uoluerint, & credere. Quotieſcunque manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat (ait etiam Beatus Paulus.) O ſublimitas cordis Apoſtolici? Quid commemoras aduentum Domini ad iudicium, cum agis de ſacra communione? Cautos, & diligentes, timoratoſque inſtituit omnes, qui ad hanc menſam accedunt, ualdeque in omnibus circunſpectos, ut ſciãt diiudicare corpus Domini ab aliis cibis: alias dabunt pœnas in iudicio magni huius Dei: quem ore polluto manducant. Vide obſecro, quã propriè dicet. Ego uidi, ego ſum teſtis, & iudex. Ne ergo abutaris largitate diuina, ne fias audax ad ſacra, ecce uocẽ, ecce manum, ſcribẽtem, donec ueniat. Heus ſcito, quòd ad iudicium hic ipſe Deus, quem tu ſumis ſub ineffabili ſacramento, qui ori tuo adeſt, certiſſimè uenturus eſt: adeſt nũc tibi tractabilis,

1. ad Cor. 11.

Hiere. 29.

&

& dulcis, cito apparebit horribilis, & micantibus oculis diſſipans, & abſorbens. Attende ergo tibi qualiter ſacris inter ſis diligenter conſidera. Quando fuerit hora veſcendi, ueni hùc, & comede panem & intinge buccellam tuam in aceto dixit Boox ad Ruth, quod ego etiam tibi dico. Conſidera quia Chriſtus Ieſus Dei filius ſub modici panis ſpecie tibi datur, buccellam hãc intinge in aceto, in illo ſcilicet quod milites offerebant ori Domini in cruce pendentis. In amaritudine, ergo pia, & cõpaſſione cordis crucifixi Regis gloriæ manduca, uerſa, & propone ante oculos tuos illum, qui erat ſpecioſus forma, & honorabilis uultu, præ cunctis filiis hominum iam in Cruce opprobriũ hominum factum, ac uelut leproſum, & certè percuſſum à Deo: cuius uultus abſconditus erat præ liuoribus, & tumentibus maxillis, denigratis oculis, & aſpectu horribilibus, hunc conſidera in cruce à patre derelictum cum ad menſam eius accedit, quia & hæc aſpiciebat, & ipſe ſacerdos, & Pontifex æternus, cum panem hunc beatiſſimum conſecrabat, & dicebat. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effundetur. Quod ſi ad fontem dolorum acceſſeris in ſanguinis effuſione, ecce ardentem ignem charitatis inuenies, unde igneus totus fias. Et in illis uerbis. Quod pro uobis tradetur, Qui pro uobis effundetur, ſumma charitas Chriſti ad nos comprobatur, quod ſemetipſum tradidit pro nobis; Pro nobis, inquã, cum adhuc inimici eius eſſemus, cum adhuc impii. Audi, & lege, & abſconde in ſinu cordis tui uerbum hoc, pro uobis. Tunc quidem dices cũ Propheta. Cor meum concaluit intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Tunc etiam ad mortẽ, accinctus, promptuſq́ue dices. Quid retribuã Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Conſidera etiã

Ruth. 2.c.

Iſa. 53.

Ad Rom. 5

Pſal. 115.

præter ingentem utilitatem huius cõuiuii, quo honore nos efficit uniuerſorum Rex & Dominus. Ad menſam ſuã pauperculos homines uocat, & ſeipſum exhibet conuiuam, & conuiuium. De qua menſa in Prouerbiis dicitur. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit uictimas ſuas, miſcuit uinum, & poſuit menſam miſit ancillas ſuas, ut uocarent ad arcem. Menſam dicit, quam ſtatim arcem compellat, & certè arx noſtræ ſalutis, & refugii eſt ſacra menſa Domini, ibi omnis armatura fortium, ibi mille clypei inueniuntur, & pendent & de uore communicantes, tanquam leones ignem aſpirantes ab hac menſa recedunt, facti diabolo terribiles, Ad arcẽ ergo confugis, & ad arma, cum in tentationibus curris ad menſam eccleſiæ. Ancillas autẽ ſuas, hoc eſt, ſacros Apoſtolos miſit, ut uocarent ad arcem Qui ancillæ nomine fœminini generis nuncupantur propter teneritudinem amoris, & pietatis qua munus hoc exercuerunt. Quos, obſecro, uocauerunt? Paruulos certè & inſipientes, iſti ſecure accedunt ad menſam hanc, & uocantur ad arcem ſanctæ matris Eccleſiæ. Qui ſunt iſti paruuli? Qui ſunt iſti inſipientes? Paruuli humiles ſunt, inſipientes, qui omnem intellectum ſuum captiuant in obſequio fidei corporis, & ſanguinis Chriſti. Hic uerbis B. Pauli obtemperant, ſcilicet, Si quis uidetur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Notandum inſuper eſt, quomodo Dominus Ieſus laudauit Deum patrem omnipotẽtem, ſacri apoſtoli etiam poſt beatam communionem: ait enim ſacer textus. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. Hymnus (teſte B. Iſidoro) laus eſt Dei cum Cantico. quod ſi laus eſt ſine Cantico non eſt hymnus. Hæc laus videtur præſcripta in Pſalmo, vbi dicitur. Edent pauperes, & ſaturabuntur: et laudabunt dominum, qui requirunt eum. Vt autem demonſtret Spiritus ſanctus,

Prou. 9.

Ad Corinth. 3.c.

Ad Co. 3.c.

ctus; Prophetam non de uſuali cibo, qui ventrem implet, & ad modicum tẽpus reparat vires, agere ſermonem, ſed de ſuper ſubſtantiali qui præſtat vitam æternam, inquit viuent corda eorum in ſæculum ſæculi. Neſcimus in quibus uerbis, & uocibus hymnus iſte fuerit decantandus. Paulus Burgenſis teſtatur fuiſſe magnum Alleluia, quod incipit à Pſalmo: laudate pueri, uſque ad Pſalmum: Beati immaculati excluſiuè. Nobis ſatis eſt quod Dominus Ieſus cum Cantico gratias Deo Patri obtulit cum apoſtolis, pro magnis beneficijs Eccleſiæ exhibitis in ſacratiſſima illa cœna, & ſtatim exhibendis in beatiſſima morte ſua. Nec mirum, quia & conſecraturus panem, & calicem gratias egit. Habes ergo magnam doctrinam, & ſiue accedens ad hanc ſacram menſam, ſiue recedẽs. Eſto gratus Domino Deo tuo: lauda ſanctum nomen eius cum Cantico intra arcanum cordis tui, & nunc quidem cum Propheta intelliges quid ſit illud: Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti, ſed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam. Hæc tibi ſunt facienda in die ſacræ communionis, non eſt hic ſermo de iuſtitia, quæ reddit vnicuique quod ſuum, & ſecundum propria opera coronam decernit, aut ſupplicium: ſed de iuſtitia Chriſti Domini noſtri ad patrem, ex merito obedientiæ vſque ad mortem crucis. Hæc eſt iuſtitia, quam recogitans propheta exultat ſub lingua agnoſcens ſe, & mundum uniuerſum in iuſtitia obedientiæ Chriſti redemptum. Hęc eſt iuſtitia de qua aduerſus obſtinatos crucifixores filij Dei dicebat ipſe Dauid in Pſalmo paſſionis: Appone iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam: In iuſtitiam tuæ redemptionis, ut ex merito illius iuſtificetur, & ſaluentur. Nam in iuſtitiam uindicatiuam rebelles crucifixores Domini quis dubitat intraſſe? Iuſtitia denique illa, & de qua ipſe Propheta canit ibidem. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & in iuſtitia tua exultabuntur. Tota ergo die communionis tibi meditandam eſt iuſtitiã redemptionis tuæ ut ſpe tua uires aſſumat, & in Dei amore magis inflammeris. Amoris impatientia facit, vt cum dilectiſſimum ſiue filium ſiue ſponſum peregrè agentem, parens, aut ſponſa coram cernere non poteſt imaginem ſaltem eius ad viuum depictam ad ſe deferri curent, vt conſpectu (quando aliud non licet) animum paſcant: at cum Chriſtus Dominus intelligeret, electos ſuos in hoc mundo ita ſui deſiderio angi debere, ut mortem haberẽt in deſiderio, uitam in patientia, non imaginem ſuam, ſed ſeipſum ineffabili ſacramento altaris reliquit, quo interim reficiantur, & ſpem ſuam atque amorem in eum alant, quandiu aperta diuinitatis, & polchritudinis eius viſionem paſci non poſſint. Et ideo B. Auguſt. in quodam ſermone inquit: Si quotidie peccamus, atque peccatum peccato cumulamus, quotidie etiam panis myſticus neceſſarius uidetur, qui animæ laboranti, & peccatis obrutæ certiſſima eſt medicina. Et B. Ambroſius lib. de ſacramentis inquit. S. quotidianus eſt panis cur poſt annum illum ſumis? Accipe quotidie quod quotidie tibi proſit. Sic uiue, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere non meretur poſt annum accipere. Et ita B. Thomas ait, in Primitiua Eccleſia quãdo magna uigebat deuotio fidei Chriſtianæ ſtatutũ fuiſſe vt fideles quotidie communicarent. Vnde Anacletus Papa ait, Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus: Sic etiam ſtatuerunt Apoſtoli, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Hoc etiam affirmat. B. Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica hierarchia, ubi ait, quod poſt Euangelium, ſecrarumque literarum lectionem, qui ad ſumendam Euchariſtiam parati non erant, à baſilica pellebantur reliqui uero moniti ab epiſcopo Eucha-

Pſal. 21.

Pſal. 70.

Simile.

triſtiam recipiebant. Sumpta demum, atque omnibus tradita communione diuina, ſacerdos gratias referens finem myſterijs imponit. Qua autem diſpoſitione recipiendum ſit hoc diuinum ſacramentum, patet, ex uerbis B. Ambroſij in oratione ante miſſam dicenda. Vbi ait, quanta cordis contritione, & lachrymarum fonte, quãta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate atque animi puritate illud diuinum & cœleſte myſterium eſt celebrandum. Domine Deus ubi caro tua in ueritate ſumitur. ubi ſanguis tuus in ueritate bibitur ubi ſummis ima, humanis diuina iunguntur? Vbi adeſt ſanctorum præſentia angelorum, ubi tu eſt ſacerdos, & ſacrificium mirabiliter, & ineffabiliter, quis digne hoc celebrare myſterium poteſt, niſi tu Deus omnipotẽs offerentem feceris dignum?

Effectus proprius Euchariſtiæ eſt tranformatio hominis in Deum, ut eleganter B. Tho. docet, & B. Bernardus in ſermone de Cœna Domini ait. Sacramentum illud cooperatur in nobis, ut uidelicet & ſenſum minuat in minimis & in grauioribus peccatis tollat omnino cõſenſum. Si quis ueſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam uirtus ſacramenti operatur in eo, Ex his omnibus patet, quàm cæci ſunt, qui detrahũt his qui frequenter ad diuina ſacramenta accedunt: Quid enim ſtultius, quàm mirari, quòd æger pergat ad medicum, pauper ad diuitem, ſordidus ad fontem, vulneratus à ſerpente ad apothecham medicorum, & miles pugnaturus ad armentarium, unde pugnaturis arma ſuggeruntur? Quonam modo qui Chriſtianus es fidei tuæ dogmata prorſus ignoras? An te latet, ſacramenta ipſa ueluti canales eſſe, à Chriſti latere deriuatos, per quos ſacratiſſimæ paſſionis eius uirtus ad nos manat? Hoc eſt gratia, charitas, remiſſio peccatorum, robur ſpiritus, & omnia denique infirmitatis noſtræ medicamenta.

Euchariſtia.

SAnctus Propheta Iſaias omnes euãgelicos concionatores admonet, dicens. Notas facite in populis adinuẽtiones eius. *Iſa. 12.* Magnæ ſemper fuerunt inuentiones, quibus Deus uſus eſt ad ſuum erga homines amorem manifeſtandũ, inter quas una ex magis præcipuis, & ſingularibus fuit ſacroſancti myſterij Euchariſtiæ inſtituitio. Sanctus Propheta Daniel refert, ſe in quadam admirabili uiſione Deum uidiſſe. Et thronus, inquit, eius flammæ ignis, fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius. Hic thronus ignis eſt amor, quoniam in amore Deus ſuum ſedile habet, ipſumque amorem pro throno retinet. Fluuius rapidus, & igneus, qui à facie eius egrediebatur, eſt infinitus eius amor procedens ab ipſius uoluntate, quo hominum corda in flamẽ igneum, maximum & potentiſſimum, ac rapidiſſimum per terrã flueret, quidquid ea parte, qua labitur inuenire, abſque dubio combueret: ſic diuinus efficit amor. Hic autem fluuius, quo tẽdit, & ubi ſiſtit? Sapiens ait. Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur. *Eccl. 1. c.* Si igitur fluuius amoris à Deo exit, in ipſum Deum reuertitur ſecum afferens quidquid combuſſit, & inflammauit, uidelicet omnia corda, & omnes animas, quæ amore incendit ad ipſum Deum perducit. Magna profecto inuentio hæc eſt, uidelicet Deum fluuium igneum amoris in terram mittere, quo ipſam incendat, & inflammet. Verum alia etiam ſingularis inuentio fuit, Deum à ſe fluuium ſanguineum mittere, quo nos ipſos pulchros redderet, corroboraret, & fertiles faceret. Hic fluuius ſanguinis ſemper fluit per hunc torrentem uidelicet per accidentia huius ſanctiſſimi ſacramenti. Inuentio etiam fuit Dei dulce, ac ſapidum illud reddere quod

inſipidum erat. Omnes uirtutes olim aſperæ & inſipidæ hominibus uidebantur, & ideo ipſi ab eis fugebant. Nullus illorum philoſophorum, ac ſapientū antiquorum intellexit, quid eſſet humilitas, nam cum ipſa ſit ueluti mater omnium uirtutum, & quæ illas adiuuat generare, & exercitare, & ipſas quodammodo conſeruat, cum ipſi philoſophi ignorauerint, quid eſſet humilitas, facile in reliquis uirtutibus defecerūt: non ſolum autem philoſophi, qui fidei lumine caruerunt hunc defectum paſſi ſunt, uerum quàm pauci ex ijs, qui fidem habebāt, virtutem rectam ſequebantur, quippe eam aſperam, inſulſā, atque inſipidam exiſtimabant. At Deus per Iſaiam Prophetam, promiſit. Ponam omnes montes meos in uiam, & ſemitæ meæ exaltabuntur. Hoc eſt uirtutes, quæ montes aridi, aſperi, ac difficiles ad ambulādum videbantur, adeo planas reddam, ut omnes ueluti viæ planæ efficiantur, per quas etiam paruuli, ſenes, fortes ac debiles incedent, Denique iā ſuauis erit uirginitas, quòd propter illam plurimæ uirgines uitā amittere non recuſabunt, & ſic de paupertate, obedientia, atque alijs uirtutibus, quæ omnes ueluti faciles uiæ erūt, quibus omnes ambulare poterunt. Et ſemitæ meæ exaltabuntur, ideſt; cum uirtutes exercitæ fuerint lex, at præcepta Dei exaltabuntur, quæ quidem ob defectum executionis quodam modo iacebant & uilipendebantur. Septuaginta interpretes in hoc loco tranſtulerunt: & ſemitæ meæ paſcua erunt: in quā tranſlatione apertius oſtenditur id, quod modo diximus, Etenim ſemitæ meæ paſcua erunt, perinde eſt, ac ſi diceret, quòd homines in uirtutib. paſtum, conſolationem, ac ſuauitatem inuenient. Nam quæ lingua poterit explicare ſuauitatem conſolationem, ac refectionem ſpiritualem, quam innumeri homines, & fœminæ in lege gratię in ipſa paupertate Euangelica, in caſtitate, in oratione, atque in omnibus ſanctis exercitijs repererunt? Magna profecto hæc inuentio fuit, uerum Deus aliam quæſiuit, qua nobis in hoc ſanctiſſimo ſacramento paſtum omnis ſaporis dedit: & ita Eccleſia canit. Panem de cœlo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem: In hoc enim altiſſimo ſacramento ſapor caſtitatis, humilitatis, paupertatis, obedientiæ, atq; aliarum uirtutum reperitur. In funiculis Adam traham eos, ait Dominus apud Oſeam prophetam. Exiſtimauit homo ſe tanquam Deum immortalem reddendum eſſe, poſtquam uetitum pomum manducaſſet: & hac eſca & fune, ideſt [*con eſte cruo*] ad Satanæ obedientiam ductus fuit. Dominus autem homines in vitam æternam etiam cū eſca ducere uoluit, atque ita ait. Qui manducat meam carnem uiuet in æternū. Fructus ille arboris uetitæ, & ſpes, qua manducantes primi parentes putarūt, ſe tanquam Deum futuros eſſe, fuerunt funiculi, quibus ipſi inobedientiæ, & morti ligati ſunt: Hic igitur fructus uitæ, & hic cibus cœleſtis ſimul cum donis, quæ in eo communicantur, erūt funiculi, quibus ego ad perpetuam uos obedientiam, & ad perpetuam uitam, atque amorem traham. Quando Dominus hoc altiſſimū myſterium apud D. Ioannem hominibus prædicauit, dixerunt ipſi. Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? At cœleſtis magiſter eis reſpondit, dicens. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinē nō habebitis vitā in vobis. Quid hoc eſt? Nonne uides domine quid ipſi interrogant uideris non ad propoſitū reſpondere? Nequaquam profecto, ſed reſpondet Dominus rectiſſimè: interrogabāt enim Iudæi. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Ipſe autem Dominus eis hoc reſponſum præbet. Pro comperto habete uos, hoc commodè ſcire non poſſe, niſi prius manducetis: idcirco comedite, guſtate, & uidete, ſi enim, ut oportet,

Iſa. 49. *Oſe 11.* *Ioan. 6.*

caro mea edatur, intellectus illumina-
bitur. Quemadmodum ſol ſuamet luce
ſe oſtendit: ſic hoc diuinum ſacramen-
tum ſuamet uirtute mentibus, quæ de
uotè, mundè, ac ſincerè illud accipiũt,
ſe manifeſtat, ac non ſolum intellectũ
illuminat, uerum etiam uoluntatem at
trahit, & animam quietam reddit, & in
funiculis charitatis ligatam. O fœlices
ac beati illi, q illud, ut decet, recipiũt;
ſiquidem tot bonorum fiũt participes.
Ollam, & cibum, quem in ea filij pro
phetarum inſipidum, & amarum in-
uenerunt (quando prophetæ Eliſeo di-
xerunt. Mors in olla uir Dei, & non po
potuerunt comedere) uir ſanctus ſapi
dam, ac dulcem effecit, ipſam farinæ
puluere conſpergendo. Sic cum homi-
nibus amarum eſſet audire à Domino:
Caro meo uerè eſt cibus & ſanguis me-
4. Reg. 4. us uerè eſt potus, ipſi indignatione cõ-
moti dicebant. Durus eſt hic ſermo, &
quis poteſt eum audire? Hanc amaritu-
dinem reddidit Deus in ſuauitatem ac-
cidentibus, & ſpeciebus panis, ſub qui
bus ſuam carnem & ſanguinem dedit
hominibus cum Hebræi exiſtimaſſent,
ipſum Dominum eis carnem ſuam ma
terialiter promiſiſſe.

Euchariſtia ſignum diuini amoris.

QVandò aliquis ſponſus è uita di-
ſcedit, ſingularem ſuum amorẽ
erga ſponſam ſuam oſtendit, cum eam
in omnibus bonis, in quibus poteſt, hæ
redem teſtamento relinquit, atque ita
dicere ſoletis. Magno amore eam pro
Simile. ſequebatur ſiquidem ei omne quod po
tuit reliquit, [*dexole biende comer*]. O
Chriſte reparator uitæ, & gloria ſpiri
tuum beatorum, quàm manifeſte oſten
dis ineffabilem amorem, quo ſpõſam,
tuam uidelicet ſanctam Eccleſiam pro
ſequeris, ſiquidem ei omne, quod po-
teſt, relinquis: te ipſum ei reliquiſti:
dexa Tele bien de comer.] Accipite, &
comedite, ait Dominus fidelibus ſuis.
Ecce uobis do caput meum, quod pro
uobis ſpinis coronatum fuit; Do uo-
bis oculos, qui pro peccatis ueſtris fon
tes lachrymarum facti fuerunt, Do uo Simile.
bis pedes, qui excalceati ambulaue-
runt, ut uobis ocium compararent; Do
uobis uiſcera amore ardentia, & cor-
pus meũ quod pro uobis flagellatum,
crucifixum, & vulneribus percuſſum
fuit, vt in eo refrigerium veſtris ne-
ceſſitatibus inueniatis. Ferunt natura
les, quoniam ſi cum ab alijs rapinæ
auibus uexatur, à uentriculo ſuo quid-
quid in eo habet expellere, ut expedi-
tius, & uelocius uolare poſſit, ac ſe ab
illis liberare. Si autem uidet hæc om-
nia minimè proficere, quo minus ab ip
ſis opprimatur, ſeſe in profundum pe-
lagus proiicit, in quo ſubmergẽs ſe ab
aduerſariis eripitur. O anima, quam in
fernales, ac crudeles hoſtes, uidelicet
dæmones perſequuntur, ſi uis à tanto
periculo liberari, omnia peccata tua in
cõfeſſione euome, ſed quia hoc adhuc
non ſufficit, proiice te in profundi ſi-
mum pelagus, hoc eſt, in ſacroſanctũ,
atque ineffabile altaris ſacramentum:
O anima ab hoſtibus obſeſſa, & uexata
proiice, & ſubmerge te ipſam in hoc my
ſterioſum ſacramentum, illud maxima
cum deuotione, atque animi puritate
recipiens, hic enim facillime ab omni-
bus hoſtibus eripieris. Ipſe namq; Do-
minus, qui ſumma ueritas eſt, & menti
ri non poteſt, ait: Qui manducat meã
carnem, et bibit meum ſanguinem, in
me manet, et ego in eo. Mos erat apud
Romanos (ut Tertullianus refert) quòd
quando aliquis Dominus ſeruum ſuũ
manumittere uolebat, ſeruus ipſe liber
tate donandus die illo ad menſam cum
Domino manducaturus erat, qui hõ-
nor ſignum libertatis, et manumiſſio-
nis erat. Hoc uniuerſalis omnium re-
rum dominus in hoc ſanctiſſimo ſacra
mento nobiſcum agit, qui cum per pec
catum captiui eſſemus, nos ad menſam
ſuam, ubi ipſemet Deus et Dominus,

qui

qui nos inuitat cibus eſt reficiens in ſignum libertatis noſtræ facit, et donat recumbere. Ipſe autem nos longe aliter iuuitat, quàm homines ſeſe ad inuicẽ inuitare ſolẽt; Nã in cõuiuijs, in quibus hoĩes alios hoĩes inuitãt, mãducari ſolet cibus, patina verò ſeu diſcus integer relinquitur: At in hoc Dei conuiuio patinã edimus & cibũ integrũ relinquimus. In oĩbus conuiuijs, quæ Dñs facit, intendit ipſe, & conatur ſeipſum nobis præbere. Si nos ad labores, & tribulationes inuitat, tribulationes ipſæ ſunt diſcus, in quo Deus nobis ſe communicat, ſicut ipſe pollicetur dicẽs. Cũ ipſo ſum in tribulatione. Vt ergo frater mi bonus conuiua ſis, tribulationẽ edere debes, ipſam in te per patientiã quodãmodo incorporans, Deum aũt in anima tua integrũ relinquẽs. Sic in hoc admirabili ſacramẽto diſcũ videlicet accidentia edimus, & ore mãdimus, in nobis verò corpus ſacratiſſimũ Ieſu Chriſti reparatoris noſtri integrũ relinquimus. Atq; ita ſancta Eccleſia canit. A ſumente non conciſus, non confractus, nõ diuiſus, integer accipit. Oportet tñ, ſiquidẽ ad mẽſam tanti Regis accedere volumus, vt mũdi atq; omni labe immunes accedamus: continuo nãq; nos ipſos culpis, & ſceleribus fœdare, & polluere ſolemus. Narrat Plinius Leænam corã leone marito ſuo non audere apparere, qñ cũ tygride ſe comiſcuit niſi prius ſe diligẽtiſſimè abluerit pertimeſcens, ne per olfatũ leo ipſe ſcelus eius inueſtiget, & in cognitionẽ ipſius deueniat, atq; ita vnguibus ipſam dilaceret. Sic anima, quæ aduerſus illũ diuinũ leonẽ Ieſum Chriſtũ filiũ Dei proditionẽ patrata eſt, non audeat corã eo apparere, niſi prius ſe diligentiſſimè emũdet. Si aũt, ô anima peccatrix vis aquam vt abluaris, ex puteo cordis tui, illã debes exhaurire: vt ita non male oleas Deo, & ad hoc ſacramentũ ſanctiſſimũ accedere poſſis, vbi ẽt longe maiorẽ puritatẽ, & munditiam reperies. Nam de hac ſacra menſa inquit ſanctus Zacharias

Simile.

Simile.

propheta. Quid bonũ eius eſt, & quid pulchrũ eius niſi frumentũ electorũ, & vinũ germinãs virgines. O menſam ſacratã? O ſupernũ cibũ quẽ quãto magis quis edit, tãto amplius mũdatur. Matrimoniũ inſtitutũ fuit in remediũ fragilitatũ carnis: itaq; caro ſe carni tradidit, vt remediũ ſuis paſſionibus inueniret. Qui igitur vxorati nõ ſunt, ſed virgines aut continẽtes, aut ſacerdotes quid remedij habẽt, vt paſſionibus carnis obuiẽt, & ſuã fragilitatẽ comprimãt? Aliã profecto carnem habẽt, & alias illecebras, ac voluptates in ea, quibus ſuæ propriæ carnis, nec nõ fœminarum obliuiſcũtur, & hæc eſt ſacratiſsima ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti caro. Rachel (vt ſacra refert ſcriptura) voluptates carnales coniugis ſui pro mãdragoræ odore cõmutauit, atq; ita ſorori ſuæ Liæ dixit. Dormiat tecũ hac nocte pro mãdragoris filij tui. Sic nũc plurimi pij, ac deuoti hoĩes propter odorẽ, & ſuauitatẽ Ieſu Chriſti floris pulcherrimi carnales, ac ſenſuales voluptates relinquũt. Hõ, vt ait D. Bernardus, per peccatũ incidit in lutuoſum lacum lapidibus plenum, vbi ſe & fœdauit, & polluit, & ſauciauit; atq; ita duobus remedijs opus habuit altero. ſ. vt ſe ablueret, altero vero vt vires ſumeret, & vt ab illa fragilitate eriperetur, ad lauacrũ deſeruit baptiſmus, & pœnitentiã: ad debilitatẽ verò inſeruit hoc ſanctiſsimũ ſacramentũ, atq; ita ſi poſt peccatũ pœnitentiam egiſti, & ſtatim in aliud ſcelus incidiſti, nullã habes excuſationẽ, ſiquidẽ aduerſus fragilitatem & miſeriam tale extat remedium, & ita dominus tibi reſpondebit id quod per Hieremiam prophẽtam dixit. Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix populi mei? Nunquid in Eccleſia mea non ſunt ſacramenta? Nunquid non eſt panis vitæ ad cor tuum corroborandum? Quare ergo debilis es, & fragilis? Tua ſine dubio culpa eſt, quoniam vel hanc medicinam non accipis, vel ſi accipis,

Zach. 9.

Gene. 30.

Hierem. 8

non, vt debes eam ſumis. Apud ſanctũ Iſaiã refertur, quẽdam ſeraph, prunam incenſam ex altari forcipe quadã tuliſſe, vt illius ſancti Prophetæ labia mundaret. Maximè profectò ponderandum eſt ſeraph illũ non manibus ſed forcipe prunas ignitas ſumpſiſſe. Nunquid timuit ab ipſa pruna comburi? nequaquã profectò: Angelus.n.corpus nõ accipit quod cremari poſsit, ſed prunam illã forcipe tulit, quoniã ex altari erat, Et vt ſignificaret, quãta cũ reuerentia, & animi puritate res altaris ſunt pertractandæ. Si ergo ſeraphille prunam ex altari tanta cum reuerentia accepit, quomodò tu, ò immunde audes nõ prunam altaris, ſed Deum omnipotentem, qui in hoc diuino ſacramento eſt, pollutis ſumere manibus, quibus quidquid tibi placuit tetigiſti? Palladius Alexandrini Macharij diſcipulus refert quoddam admirabile exemplum, dicens, ſe ad ianuas ipſius ſancti Macharij ſacerdotem quendam habentem caput cancere penè exeſum, & conſumptum inueniſſe, qui ideo ad domũ ſancti Macharii venerat, vt ab eo ſanaretur: ipſe autem vir ſanctus illum eo vſque noluerat recipere, aut videre, diſcipulus vero pro eo interceſsit, magiſtrum ſuum deprecans, vt ſaltem eum paucis alloqueretur. Cui ſanctus vir reſpondit hominem illum non eſſe curatione, vel medicina dignum. Inſuper adiecit enim ægritudinem illam iuſſu Dei, & imperio habere. Si autem, inquit, vis, vt ei curationem adhibeam, prius ipſi perſuade, vt ſeſe omnino à ſancto miſſæ ſacrificio abſtineat: denique rogatus, quare illud perciperet, reſpondit. Quoniam iſti homini mos erat perditiſsimus diuina myſteria ſacrificij Miſſæ immundè, ac carnaliter celebrare, & ideo tam grauiter torquetur: Verum ſi, (vt iam dixi) nunquam amplius tanquam ſacerdos celebrauerit, poterit diuino fauore ſanitatem accipere. Cumque ſacerdos ſe ita facturũ promiſiſſet, ſanctus Macharius ei facultatem ingrediendi in ſuum ſacellum præbuit, ac poſitis ſuper eum manibus æger ille breuiſsimè ſanatus eſt. O terribile, & horrendum negotium? Quis videns ſe in ſimili delicto iacere totis diebus non conte remiſcit? Credo equidẽ hoc eſſe manifeſtiſsimũ ſignũ tuæ reprobationis. O improbe ſacerdos, & argumentũ ſatis efficax eſſe quod cũ hæc, quæ hic diximus te tangant, non ideò mouearis ad exeundũ ex laqueis dæmonis à quo (ut ait D. Paulus) captiuus teneris, & eſt maximè timendum, quòd permittente Deo non audias ea, quæ ex parte ipſius modò tibi dico, ſicut illi duo iuuenes ſacerdotes, qui (ut Regum narrat hiſtoria) reprehenſi à patre Hely non audierũt uocem eius, quia uoluit Dominus occidere eos. Cæterum ego exiſtimo, eos, qui hoc altiſsimũ ſacramentũ maxima cordis puritate frequẽter ſumunt hæc audiẽtes contremiſcere, cũ ipſa ad eos nõ pertineãt, illos aũt, ad quos meus conuertit ſermo, & quos ipſe tãgit, ſine aliquo timore eſſe. Quẽadmodũ Ionas, qui Dei obedientiã reſpuebat, & quẽ maris tẽpeſtas perſequebatur graui (ut ait ſacer textus) ſopore dormiebat: illi uerò qui culpa uacabãt illius tẽpeſtatis pertimeſcebant, & omni feruore uota Deo offerebãt, ab ipſo miſericordiã poſtulantes: ſic modo qui mũdi ſunt timebũt, qui aũt immũdi nullo timore cõcutientur quod quidẽ maximũ reprobationis eorũ ſignũ eſt.

Esai. 6. — *Pallad. in vita Macharij.* — *2. ad Thi. pap. 2.* — *1. Re 2. c.* — *Iona. 1.*

Euchariſtia quomodò recipienda.

QVãdo ſederis, ut comedas cũ principe, diligẽter attẽde, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in guttture tuo: ait Sapiens in Prouerbijs. Tunc, ò frater cum Principe Regum terræ Ieſu Chriſto ad panem manducandũ ſedes, quãdo ad hoc diuinũ ſacramentum accipiendũ accedis: Idcirco oportet, ut profundiſsime conſideres,

Prouer. 23

deres, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam:nam ſub illis breuibus accidentibus ſunt tibi appoſita corpus,anima,& diuinitas huius cæleſtis Redemptoris, ergo ſtatue cultrũ in gutture tuo, hoc eſt ad recipiendũ tantũ,tamq; immenſum beneficiũ ita te præpara, ac ſi cultrũ iã in gutture haberes iugulandus. O admirabilẽ dicendi modũ? in hoc uerbo efficaciter nobis oſtenditur,qua animi puritate oportet nos ad hãc ſacram menſam accedere. Ne ſis, obſecro,frater contentus ſine peccato mortali ad hunc diuinum cibum accedere, nã (vt ait B. Dionyſius) etiam peccata uenialia, & minima debemus maximo ſtudio à nobis auferre, ne taxationem in ſeruitiis noſtris ponamus,ſi quidem nolumus, vt in beneficiis collatis nobis ponatur, in qua enim, menſura menſi fueritis (ait Dominus) remetietur uobis. *Matth. 7.* Qui in curriculo,ſeu ſtadio currit, non ſolum contendit ad terminum præfinitum accedere, ut brauium comparet, *Simile.* ſed illo met impetu, quo currebat ultra ipſam metam progreditur, ut apertè conſpiciatur ab omnibus,illum, quod in ſe erat, ad præmium reportandum feciſſe: Quod ſi nõ egiſſet uix eius diligentia dignoſceretur. Quo circa non ſolum nos à peccatis mortalibus abſtergere, & purificare debemus, ſed omni deuotione, & ſpiritus feruore à uenialibus abſtineamus.

Simile. Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem &c. Cum aliquis homo fame perit,maximamque manducandi neceſſitatem, habet, ſi ei dicat Rex. Manduca,& ecce ego do tibi commendatum propter cibum, quem ſumis. O Domine (diceret ille fame oppreſſus) nonne uides cibum mihi tam neceſſarium eſſe quòd ſi illum non ceperó uita ſine dubio priuabor: Quare, ergo Domine mihi dicis, ſi manducauero,diues ero? O ſingularẽ Regis amorem erga uaſſallum ſuũ. Sed profectò nullus Rex in mundo extat, qui hoc faciat,ſolus Rex regum Ieſus Chriſtus tã ſingulari amore nos proſequitur,vt nobis vitam æternam promittat, ſi hunc diuinum, & ſubſtantialem cibum manducauerimus,qui manducat me ipſe viuet propter me, ait Dominus. *Ioan. 6.* Cum autem tantum hic præmium proponatur, & in re, quæ nobis tantopere conducit, & neceſſaria eſt, pauci tamen reperiuntur,qui tantum velint bonum accipere.

Qui manducat indigne iudicium ſibi manducat & bibit. Quid mirũ cum omne,quod in hac vita peccatores accipiunt,eis in peccatũ conuertatur, diuitiæ uidelicet in ſuperbiã: pulchritudo nobilitas,& ſapiẽtia in vanitatẽ, ac præſumptionẽ:potentia in tyrannidẽ, & confeſſio in venenum, ſi ẽt ipſemet Deus, qui bonũ infinitũ eſt,uertatur in damnationẽ. Si tantũ bonũ eis in tantũ malum uertitur:quod, obſecro,bonum ipſis in malum non vertetur? Non ſolũ autem,qui in peccato cõmunicat mortaliter peccat, uerum etiam ex illa cõmunione, magis paſſioni ſuæ deditus, & magis perditus exit,ſicut execrando diſcipulo Iudæ contigit,qui excommunicatione exiuit efficaciori animo uendendi creatorem ſuum. Atq; ita communiter videbitis, quòd ſi aliquis in hac ſacra communione ignauus, & incurioſus eſt, quando ipſum Deum recipit,magis ignauus, & incurioſus vertitur. Hæc enim eſt pœna, quæ infligi ſolet ei,qui in peccato Deum recipit.

Euchariſtia à ſanctis doctoribus commendata.

BEatus Dionyſius libr. de cæleſti Hierarchia inquit, Quemadmodũ ignis ſenſibilis ea, quibus inſederit in ſuum traducit officium, omnibusq; quomodolibet ſibi propinquantibus ſui conſortium tradit. *B. Dionyſ. lib. de cæl. Hierar.* Haud aliter Dominus noſter, & Deus, qui ignis conſumens eſt, nos per cibum hunc ſacratiſſimum in ſui traducit

effigiem Deiformesque reddit.

B. Cypria. 2. epiſt. 3. Simile. Beatus Cyprianus in quadam epiſtola ait. Quomodo ad potandum vinum veniri non poteſt, niſi botrus calcetur ante, & prematur: ſic nec nos ſanguinē Chriſti poſſemus bibere, niſi Chriſtus calcatus prius fuiſſet, & preſſus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.

Idē ſermo. de cæna domini. Simile. Idem ſanctus Doctor in quodam ſermone inquit. Sicut panis communis, quem quotidie edimus vita eſt corporis, ita panis ille ſuperſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis.

Idem libro 2. epiſt 3. Simile. Idem etiam ſuper illa verba, Calix tuus inebrians, quàm pręclarus eſt, ait. Sic autem Calix domini inebriat, vt Noe in Geneſi vinum bibens inebriatus eſt. Sed quia ebrietas dominici Calicis non eſt talis, qualis eſt ebrietas vini ſæcularis, cum diceret Spiritus Sanctus in pſalmo. Calix tuus inebrians, addidit, perquam optimus, quòd ſcilicet Calix domini ſic bibētes inebriat vt ſobrios faciat, vt mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat, ut à ſapore iſto ſæculari ad intellectum Dei unuſquiſque reſipiſcat: & quemadmodum uino iſto ſæculari mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis exponitur. ita & potato ſanguine Domini & poculo ſalutari exponatur memoria ueteris hominis, & fiat obliuio conuerſationis priſtinæ ſæcularis, & mœſtum pectus ac triſte, quod prius peccatis augētibus præmebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia reſoluatur.

Euſeb. Emiſſen. homil. 5 de Paſcha. Euſebius Emiſſenus in quadam homilia ait, Inuiſibilis ſacerdos uiſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui uerbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Ergo ſunt ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſiſterunt excelſa cęlorum, profunda fluctuum, uaſta terrarum, pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis uerbi præcipit uirtus, & ſeruit effectus.

Beatus Gregorius Niſſenus in quadam oratione inquit. Quomodo qui uenenum ſumpſerunt, alio medicamento illud depellunt. Ita peccatori adhibendum eſt corpus Chriſti medicamentum, cuius uirtus in uniuerſum corpus diſtribuatur. Et quomodo (ut dicit Apoſtolus) modicū fermentū totam maſſam aſſimilat: ita corpus Chriſti ſumptum totum ad ſe tranſmutat. *B. Gregor. Niſſe. ora. Magna. Cathetica capit 37.*

Beatus Chryſoſtomus in quadā homilia inquit. Quid agis Moyſes? ſanguis ouis rationabilem hominem liberare conſueuit? Valde, inquit: non eò quòd ſanguis eſt, ſed quia dominici ſanguinis per eum demonſtratur exemplum, nam ſicut regnātium ſtatuę, quæ ſine uita ſunt, atque ſermone, nonnunquam ad ſe confugientibus hominibus anima, atque rationibus decoratis ſubuenire conſueuerunt, non quia ſunt ęre confectæ, ſed quia retinent imaginem principalem: ita & ſanguis ille, qui irrationabilis fuit, animos habentes homines liberauit, non quia ſanguis fuit, ſed quia huius ſanguinis oſtendebat aduentum. *B. Chryſo. hom. 3. ad Neo hitos. Simile.*

Idem doctor ſanctus ibidem ait, Videre quemadmodū ſponſam ſibi Chriſtus coniungit. Videte quo nos cibo ſatietatis enutrit. Ipſe nobis cibi ſubſtantia eſt, & nutrimentum. Nam ſicut mulier affectione natura cogente genitum alere ſui lactis iucunditate feſtinat: ſic & Chriſtus quos ipſe regenerat, ſuo ſanguine ſemper enutrit. *Simile.*

B. Chryſo. hom. 14. oper. imper Idem Beatus Chryſoſtomus alia homilia ait: Sicut qui præclara ueſte ueſtitus, eſt fugit omnem rem ſordidām, ne forte coinquinet eam, & perdat gratiā candoris eius, ſic qui ſuſcipit Deum in corde ſuo & ſpiritu ſuo ſollicitus eſſe debet ne forte contaminet eum, ſciens quia ſi contaminatus fuerit in nobis, ipſe quidem in ſua natura incontaminabilis manet; tamen contaminationis ſuæ iniuriam grauiter noſtro uendicabit interitu.

Idem in quodā ſermone ait: Nemo

ſit

B. Chryſo. ſermon de proditione Iudæ. Simile.

fit Iudas in menſa: Hoc ſacrificiũ cibus ſpiritualis eſt. Nam ſicut corporalis cibus cum ventrem inuenerit aduerſis humoribus occupatum, & amplius lædit, magis nocet, & nullum præſtat auxilium: ita & iſte ſpiritualis cibus, ſi aliquem repererit malignitate pollutũ magis eum perdet non ſua natura, ſed accipientis vitio.

Idē homil. 17. ad Hebræ.

Idem alia homilia inquit: Plurimi ex hoc ſacrificio ſemel accipiunt in toto anno, alij bis: alij ſæpius, quos ergo magis acceptamus, eos ne, qui ſemel, in illos qui ſæpius, an illos, qui raro accipiunt? Neque illos qui ſemel, neque qui ſæpius, neque qui raro: ſed eos, qui cum munda conſcientia, qui cum mundo corde, qui cum vita irreprehenſibili iſti ſemper accedant. Qui verò tales non ſunt, neque ſemel. Quid ita? Quia iudicium ſibi accipiunt, & ne mireris. Sicut enim cibus naturaliter nutritorius exiſtens, ſi in eum, qui prauis cibis corruptus eſt, incidat, omnia perdit, & corrumpit, & efficitur occaſio morbi: ſic etiam iſta, quæ ad hæc terribilia pertinent ſacramenta ſi in peccato ſuſcepta fuerint. B. Ambroſius inquit: Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, neque per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis. Sed quomodo impoſſibile uideatur, vt caro uerbi Dei, quæ multo ſpiritualior, & potentior eſt uerbo noſtro, ſit tota, & integra in ore omnium ſumentium: Cum uerbum noſtrum, idemque totum integrũ fit in auribus omnium audientiũ? Quod enim euidentius Chriſtus in ſe ipſo manifeſtans, in cœna corpus, & ſanguinẽ ſuum diſcipulis ſuis diſtribuit, & cum in ſe à ſingulis ſumptus comederetur, & biberetur in ſacramento: ipſe tamen viuus, & integer manſit in ſe ipſo. Sed quid mirũ ſi Chriſtus comeditur, & integer manet, cũ Sareptanea uidua non minus oleũ comederit, quia reſtante ſacra hiſtoria lecythus olei non eſt imminutus, cũ eadem ſcriptura dicat. Abijt,

B. Amb. Dominica 5. poſt epiphan.

& fecit iuxta uerbum prophetæ, & comedit ipſa, & domus eius. B. Auguſtinus ait: Sicut Iudas, cui bucellã tradidit Dominus non malũ accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe diabolo præbuit, ſic indigne quiſque ſumens dominicum ſacramentum, non efficit, ut quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accepit, nihil acceperit: Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apoſtolus. Qui enim manducat indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Beda uenerabilis inquit: Quemadmodum peregre proficiſcens pignus amoris ſui, quem diligit derelinquit, ut quotieſcunque illud viderit, poſſit eius beneficia, & amicitias memorare, quem ille perfecte diligit, ſine ingenti deſiderio non poteſt uidere uel fletu: Ita Dominus paſſurus in cordibus noſtris ſuæ paſſionis memoriam commendauit perſeuerantem. Si in linteum immo nec in uas ſordidum quis illum mittere audet, quanto magis in cor & corpus pollutum? Nam & ille iuſtus ideo ſindone munda inuolutum in ſepulchro nouo corpus Domini ſepeliuit præfigurans corpus Domini accepturos tam mundam mentem habere debere, quàm nouam.

B. Auguſt. li. 5. de Baptiſmo.

Beda ſer. de cœna Domini. Simile.

Laurentius Iuſtinianus ait. Eſt ſacramentum hoc tanquam cellariũ quoddam omnium aromatum, in ſe continens pretioſitatem, & uirtutem. In ipſum, qui ingrediuntur refocillãtur ab omni fatigatione, neque deficiunt, donec præſentis vitæ terminus finiatur. Eſt enim myſterium hoc quaſi ingens arbor uirentibus referta folijs ſub quã quicumque fugiunt laborantes & peregrinantes proteguntur in ipſius vmbraculo ab æſtu diei, à turbine quoque, & pluuia.

Laure. In ſti. de diſcipli. & perfectione monaſtica.

Euchariſtiæ exhortatio.

QVamuis Chriſtus Redemptor noſter hoc ſacramentum in ultima

maret, & pro pomo illum commutaret, eo quòd precium, & ualorem illius ignoraret: Ita multi Chriſtiani ſacramentum iſtud diuinum, & alia ſacramẽta contemnunt, aut parum ipſis afficiũtur: quia cauſas, propter quas inſtituta ſunt, & ipſorum uirtutem ignorant, & intelligere negligunt. Ideoque maximè aduertere oportet fines, & rationes, propter quas Chriſtus Redemptor noſter hoc tam mirabile ſacramentum inſtituerit, & qui ſunt fructus eius.

Sunt autem huius diuini ſacramenti quatuor rationes, & eximiæ utilitates, propter quas inſtitutum fuit. Tres declarantur in Euangelio præſentis ſolemnitatis. Quartam uero ipſe Dominus declarauit, quando in cęna hoc mirabile ſacramentum inſtituit. Prima igitur ratio ſiue primus fructus eſt nutritio, quia hoc ſacramentum eſt uerus cibus, & nutrimentum filiorũ Dei. Hic fructus tangitur in principio Euãgelij in illis uerbis, Caro mea ſcilicet diuinitati unita, uerè eſt cibus, id eſt, proprius cibus; & nutrimentum, non quidem omnium hominum, ſed credẽtium in me, & qui per fidem charitate formatam facti ſunt filij Dei. Quod autem ita debeant intelligi hęc uerba ex præcedentibus liquet: dicebat enim Chriſtus Dominus Iudęis: Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Et poſtea, hoc eſt opus Dei, ut credatis, quia ille me miſit. Loquitur ergo ſumma ueritas non uniuerſaliter de omnibus hominibus, ſed de ueris credentibus, quorum ipſe eſt uerus cibus & potus. Ad intelligendum autem hoc myſterium, & quomodo Chriſtus ſit uerus fidelium cibus, ſpiritum oportet eleuare & alta mente perpendere, quanta ſit Chriſtiani hominis dignitas. Homo enim Chriſtianus eſt homo miraculoſus, & eſt unum ſacrũ monſtrum: quia quilibet Chriſtianus in ſe duos homines continet, & eſt duplex homo duas naturas habẽs, duaſq; natiuitates. Quatenus enim eſt filius Adam, homo eſt naturalis, & materialis, conueniens cum Iudæis, & infidelibus, qui ab Adam deſcendũt, ſicut & Chriſtiani. Sed homo Chriſtianus ultra illam natiuitatem, qua natus eſt ab Adam, habet unam aliam natiuitatem ſupernaturalem, per quam naſcitur ex Deo, quam natiuitatem conſequitur in baptiſmo, in quo per meritum paſſionis Chriſti regeneratur in filium Dei, & hæredem regni cęleſtis: Has uero natiuitates expreſſas in Euangelio Ioãnis habemus, ubi dicitur. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri: ſed ex Deo nati ſunt. Has etiam duas natiuitates cęleſtis Saluator apud eundem Ioannem declarauit, dicens, Amen amen dico uobis niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt uidere regnum Dei. Et deinde. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Iſta autem ſecunda natiuitas propter infinitum Chriſti meritum in baptiſmo participatum, eſt ita mirabilis, ut hominem conſortem diuinæ naturæ faciat, & Deum participatiuè nominari, ut Beatus Petrus teſtatur dicens. Per quẽ nobis maxima & precioſa promiſſa donauit, ut diuinæ per hęc efficiamini cõſortes naturę. Per bonam igitur conſequentiam infertur, quòd oporteat, hominem Chriſtianum duplicem habere cibum, & duo diuerſa alimenta conformiter ad ſuas duas natiuitates, & naturas: quatenus enim eſt filius Adam, & homo naturalis indiget pane, & alimento naturali: ſed quatenus regeneratus in filium Dei habens unam ſupernaturalem naturam, indiget pane ſupernaturali, & diuino, quo nutriatur, & cõſeruetur in ſuo eſſe ſupernaturali, quod

Prima ratio ob quã inſtitutũ fuit hoc ſacramentũ.

Ioan. 6.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

2. Petri. 1

quod eſt diuina filiatio. Eſt enim regula philoſophica. Omne animal, quandiu uiuit, indiget alimento ſuæ naturæ cóuenienti. Quã regulã author naturę Deus teſte Regio vate continuo obſeruat: ait enim. Oculi omnium in te ſperant Dñe., & tu das illis eſcam in tempore opportuno: aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione. Si uero quæratur quis erit iſte cibus ſupernaturalis filiorum Dei, Reſpondet Chriſtus Redemptor noſter in pręfatis uerbis. Caro mea uerè eſt cibus, &c. nõ enim poteſt alius cibus ſupernaturalis & diuinus inueniri ad nutriendos filios Dei præter Chriſtum naturalem Dei filium, qui mediante carne ſua, & ſanguine ſuo diuinitati unito dat ſemetipſum per modum guſtabilis, & fruibilis filijs adoptiuis: & ita intimè illos ſibi vnit, quod pro præſenti uita mirabiliter homo Chriſtianus Chriſto approximat, & ipſius gratiam & influentiam participat: quia fit ibi unio per modum cibi & cibati. Ex hac ratione bene pſpecta euidenter ſequitur, conuenientiſſimũ fuiſſe Chriſtum Saluatorem noſtrum hoc ſacramentũ altaris inſtituiſſe, quia ſi hoc ſacramentum non eſſet, Eccleſia Chriſti eſſet domus imperfecta, & non bene prouiſa. Si enim uideretis magnã domum filijs repletam pane filiorum carere, profectò pauperem illam domũ diceretis, & non bene prouiſam. Cum igitur domum ſuam, ſcilicet, Eccleſiam ſanctam Chriſtus Ieſus quotidie nouis filijs Dei per baptiſmum regeneratis repleat, & ipſe ſolus ſit panis filiorũ (ipſe enim ſemetipſum panem filiorum uocauit, dicens: non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus: & etiam Ego ſum panis uiuus, qui de cęlo deſcẽdit) profecto niſi ſeipſum in cibo in hoc ſacramento dediſſet, filij non habuiſſent uerum panem ſuum, & ſic domum ſuam reliquiſſet imperfectam. Nam beatus Paulus antiquum teſtamẽtum, & ſinagogam uocat imperfectam, quia Chriſtum non habebat præſentẽ, neq; uerum Paſcha habebat, ſed ſolas umbras, & figuras illius: Agnus namque Paſchalis, Manna, & ſacrificia, non erant niſi umbrę & figuræ huius panis cęleſtis, & ueri corporis Chriſti nobis præſentis in hoc ſacramento. Sicut idẽ S. Apoſtolus ait. Etenim Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Vnde obſeruandum eſt principalem theſaurum, & gloriam filiorum noui teſtamenti eſſe ſacroſanctum altaris ſacramentum. Nã gloria unius regni eſt ſuum nobiliſſimum, & dilectiſſimum regem præſentem habere: gloria unius magnę Eccleſiæ eſt habere præſentem ſuum ſanctũ Pontificem: gloria unius nobilis ſponſæ eſt, ſecum habere præſentiam ſui nobiliſſimi, & amantiſſimi ſponſi. Sic gloria præcipua populi Chriſtiani eſt altiſſimum altaris ſacramentum, quia in eo habemus præſentiam noſtri glorioſiſſimi, & amantiſſimi regis, Pontificis, & ſponſi, qui eſt Chriſtus filius Dei: qui antequam cœlum aſcenderet, ſuam præſentiam nobis promiſit uſque ad finem mundi, dicens: Ecce ego uobiſcũ ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Videtis ergo quàm infœlices ſunt miſeri hæretici qui fidẽ ineffabilis ueritatis, huius admirabilis ſacramenti perdiderunt, quia panem filiorum non habent, neque Regem, neque Pontificem, neque ſponſum, ſed ſunt ſicut ſinagoga, & domus deſerta, & domus uacans, quam immundus ſpiritus cum ſuis immundiſſimis ſatellitibus ingreditur, & de die in diem peiores reddit. Sequitur ulterius, Chriſtianum dignè communicare uolentem debere ad memoriam ſuam diuinam filiationem reuocare, & recognoſcere, hoc ineffabile ſacramentum non eſſe panem hominum naturalium, ſed hominum, qui ſunt regenerati in filios Dei. Hæc enim conſideratio ualde fidem, & deuotionem in corde accendẽs ad hęc diuina myſteria ad gratiarumq; actionem, de magno beneficio diuinæ filiationis, & cœleſtis hęreditatis

Ariſt.1.de Gener.
Pſal.144.
Matth.15
AdHeb.10
1.Ad Co.5

tatis nobis collatio excitat.

Secũda ratio inſtitutionis & fructus huius cœleſtis ſacramenti eſt incorporatio in Chriſto. Tangitur autem hęc ratio in uerbis ſequentibus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo, ideſt, mihi incorporatur. Si uero quęras, quid eſt incorporari Chriſto? Reſpondeo: eſt illi coniungi, & uniri perfectè non modo humanitati ſed etiam diuinitati eius, & hic eſt mirabilis effectus huius altiſſimi ſacramenti, quia ſic hominem debitè illum ſumentem Chriſto incorporat, quod homo deificatur, & membrum efficitur Chriſti ſic, ut iam non uiuat propria uita, nec ſe ipſum regat, ſed uiuat Chriſti uita, & regatur ab illo, cui incorporatur. Hunc autem effectum admirabilem declarat Chriſtus Dominus conſequenter, dicens. Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, ipſe uiuet propter me, ideſt, ſicut Pater ęternus, qui me miſit ad ſaluandum mundum, dedit mihi uitam ſuam per ęternam generationem, taliter quod pater, & ego, quatenus ſum uerbum eius non habemus niſi unam uitam, ſicque ſumma unione uniti ſumus: ita qui manducat me, ſcilicet, realiter, & perſonaliter, uiuet propter me, ideſt, iam non uiuet uita carnali, nec uita ſua propria, ſed uiuet propter me, id eſt, uita mea, & uita filij Dei, ſic quod non regetur ſpiritu proprio, ſed ſpiritu filij Dei. Sicut enim cibus homini incorporatus non uiuit uita propria, ſed uita illius, cui incorporatur. Et ſicut ſecundum medicos membra corporis naturalis magis mouentur, & reguntur uirtute, ac ſpiritu capitis, quàm propria uirtute; ſic illi, qui cum fide, ſpe, & charitate Saluatorem Ieſum in hoc ineffabili ſacramẽto ſumunt, ita ipſo Chriſto Ieſu (qui eſt caput corporis myſtici) incorporantur, ut magis Chriſti Ieſu ſpiritu regantur, quàm ſpiritu proprio. Ecce

Simile.

ergo quid incorporatio ſit. Propter hanc autem incorporationem dicebat Beatus Paulus. Viuo ego iam non ego, uiuit autem in me Chriſtus, ideſt, viuo ego, & regor magis ſpiritu Chriſti quàm meo proprio, quia ſum illi incorporatus, & ſum membrum eius. Et ſic debent intelligi illa ualde ſublimia Chriſti uerba. Et ego charitatem, quã dediſti mihi dedi eis. Sed quæ eſt hæc charitas? ut ſint, inquit, unum, ſicut & nos ſumus. Vbi dictio, ſicut, non dicit ſimilitudinem in natura, ſed ſimilitudinem in modo uiuendi & per imitationem, ideſt, uiuant non uita, & uoluntate ſua propria, ſed uita, & uoluntate diuina ſicut nos vna uita & uoluntate uiuimus.

Ad Gal. 2

Ioan. 17.

Tertia ratio & effectus huius ſanctiſſimi ſacramenti eſt, quia confert immortalitatem ſumẽtibus illud,ueramque ſpem de ęterna reſurrectione prębet. Hoc Chriſtus Saluator noſter Ieſus ſtatim aperte docuit, dicens. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, uiuet in ęternum, quod perinde eſt, ac ſi diceret. Omnes homines naturali deſiderio immortalitatem, & uiuere in æternum appetunt. Sed hanc immortalitatem nulla eſca, neque ullus naturalis cibus conferre poteſt: quia omnes eſcæ terreſtres, & corruptibiles ſunt, & per conſequens non poſſunt conſeruare uitam hominis in perpetuum, nec mãna quidem, quod uos ita laudatis, potuit patribus ueſtris immortalitatem corporis, nec animæ conferre, quia mortui ſunt. Nec ullus ueſtrum dicere auderet, quòd poſſet eos facere a morte reſurgere, quia manna erat eſca corruptibilis, ut potè terreſtris, quia miniſterio angelorum conficiebatur ex ſubtilibus terrę uaporibus in altum eleuatis, & ſic non de cęlo, ſed de terra ueniebat. Vnde ſequitur, quòd ad dandum hominibus immortalitatem, oportebat dari hominibus

bus panem diuinum , & qui de cęlo deſcenderet , eſſetque incorruptibilis , & daret ipſum ſumentibus immortalitatem. Et quis eſt iſte panis? Reſpondet Dñs Ieſus. Ego ſum panis, qui de cęlo deſcendi. Quia autē Chriſtus in hoc ſacramento contentus eſt uerus Deus, & uerus homo, ideo ſumentes eū facit immortales, & æternos. Si vero dicatis. Nonne ſumentes ſacramentum illud, quamuis ſint Chriſto incorpora-
Ad Ro. 10 ti, moriuntur, ſicut cęteri? Minimè quidem: quia Chriſtianus Chriſto incorporatus quando moritur, quantum ad animam, uiuit uita gratiæ de qua dicitur. Gratia Dei uita æterna, & quantum ad corpus non moritur, ſed dormit ad mod. cum tempus habens certitudinē, quòd reſurget cum ſuo capite & participabit ſui capitis immortalitatē. Quia
1. ad Cor. 15. ſi Chriſtus, inquit Diuus Paulus, reſurrexit, & nos reſurgemus: deformitas enim magna eſſet uidere caput uiuum, & membra eius mortua. Vnde idē Bea-
Ad Phi. 3 tus Apoſtolus ad Philippenſes ſcribēs ait. Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ. configuratum corpori claritatis ſuæ. Hæc uerò ſpes de carnis reſurrectione ſuper altaris ſacramento fundatur, eo quòd per hoc ſacramentum Chriſti membra efficimur, ut dictum eſt. Si autem replicetis. Nonne mali ſicut & boni reſurgēt?
1. Ad Cor. 15. Reſpondet idē ſanctus Apoſtolus. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur: quia reprobi non reſurgent ad uitam, ſed ad mortem ęternam. Quare in miſſis defunctorum decantari ſolet euangelium de manducatione Chriſti, ubi in fine concluditur. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam ęternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Hoc tum proponitur, ut conſolemur circa Chriſtianos defunctos, quia proſpecto quod omnes manducauerunt Chriſtum ſacramentaliter, uel in actu, uel in uoto, facti ſunt Chriſti membra. Et ideo Chriſtus eorum caput eos ineffabiliter in nouiſſimo die reſuſcitabit. Hæc etiam eſt cauſa, quare ſanctæ, & perfectæ perſonæ, quando migraturæ ſunt ab hac uita, quamuis ſe unitos Chriſto per gratiam, & charitatem exiſtiment, aut ſentiant, non tamē uolunt mori abſque ſumptione huius ſacramenti. Ecce beatam Luciam iam martyrizatam, Magdalenam, Marthā, Mariam Ægyptiacam, ſanctos patres, qui in deſertis tantam egerunt pœnitētiam, nolebant ab hac uita exire, niſi recepto prius ſacratiſſimo Chriſti corpore in hoc diuino ſacramento. Quare hoc? Quia mori uolebant Chriſto incorporati, non modo in uoto, ſed etiā in actu; ut hoc modo cum actuali ſpe de ſua reſurrectione decederent, & per conſequens mortem non timerent: nimis enim mortis timorem tollit incorporatum Chriſto mori. Item ut euitarent inſidias, & illuſiones malignorum ſpirituum, qui præcipuè in hora mortis uarijs phantaſijs, & tentationibus uexare homines conantur, ſicut dixerat ſer-
penti Deus. Tu inſidiaberis calcaneo *Gene. 3.*
eius, & Dauid inhabitabunt, & abſcō- *Pſal. 55.*
dent, ipſi calcaneum meum obſerua- *Simile.*
bunt. Sed ſicut latrones non ſolum timent Regi appropinquare, ſed etiā illis, qui Regi proximi, & coniuncti ſunt. Ita dęmones non ſolum ſupernum regem Ieſum Chriſtum timent, ſed etiam eos, qui moriuntur cum perceptione huius diuini ſacramenti, quia ſunt ipſo Chriſto Ieſu incorporati, &
ſunt membra eius. Hoc eſt autem, *Pſal. 22.*
quod Regius uates in perſona illorum, qui Chriſto incorporati moriuntur, per menſam ſacramentalem decantabat. Si ambulauero in medio umbrę mortis. (ideſt, malignorum ſpirituum, qui mortis ęternæ ſunt imagines) non timebo mala, quoniam tu mecum es, ſcilicet, ſicut caput eſt cum ſuis membris. Virga tua, & baculus tuus, ipſamet conſolata ſunt; Paſſio Chriſti, uirga dicitur quia percuſ-

ſit dæmones, dicitur & baculus quia ſuſtentat credentes, poſt quã autem paſſionis Chriſti, quâ iuſti, conſolantur, mentionem fecit, addidit dicens. Paraſti in conſpectu meo menſam, ſcilicet, ſacramentalem, per quam Chriſto incorporamur, & eius mẽbra efficimur. Aduer us omnes, qui tribulãt me: quia ſicut dæmones timent caput, ſcilicet, Chriſtum, ita & membra illi vnita.

Quarta autẽ ratio, & effectus huius ſanctiſſimi ſacramenti eſt, vt ſcilicet, haberemus perenne memoriale ſuæ paſſionis, & nimiæ charitatis, quâ nos dilexit. Euangeliſtæ enim ſacri referũt Chriſtum Dominum dixiſſe. Hoc facite in meã commemorationem, & Beatus Paulus ait. Quotieſcunque panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat, ſcilicet, in ſecundo aduentu: ergo uſque ad ſecundum aduentum Chriſti, & uſque ad finem mundi hoc ſacroſanctum miſſæ myſteriũ perſeuerabit, inuito Antichriſto, & omnibus hæreticis, maximè illis, qui ſacramentarij uocantur, qui ſuis ſacrilegis linguis affirma[illegible]audent, Deum in hoc altiſſimo ſacramento ſuum uerum corpus non dediſſe; ſed tantum umbram & figuram eius, neque carnem dediſſe, ſed figuram ſuæ carnis cum Chriſtus reparator noſter ſuum uerum, & reale corpus in hoc ſacramento hominibus dederit, quos quidem hæreticos miſeros, ac deteſtandos, Sanctus Epiphanius eleganter comparat cani illi Philoſophi Eſopi, qui (vt ipſe refert in ſuis fabulis) trajiciens flumen quoddam, & in ore ſuo fruſtum carnis portans, uidit ſub aqua umbram ipſius carnis, & exiſtimans illam meliorem, ac maiorem eſſe, quàm illam, quam ferebat, ipſam ab ore ueram carnem dimiſit, ut umbram carnis caperet, & ſic totum perdidit. Huic incauto cani meritò S. Epiphanius hos hęreticos ſimiles eſſe dicit, qui legem Dei relinquentes, & menda cia pro ueritate, ac uerum pro umbra ſectantes omnia amittunt, & profectò his ſacramentarijs hęreticis hæc appoſitiſſima ſimilitudo quadrat: quoniam ipſi ueram carnem Ieſu Chriſti (qui ait. Hoc eſt corpus meum, & caro mea uerè eſt cibus) relinquunt, & umbram ac figuram ſectantur. Meritò ergo fabulis comparantur, qui infallibilem diuini ſacramenti ueritatem fabulis, & mendaciis inuoluunt. Sed ut ad propoſitum reuertamur, maximè obſeruare oportet pro ueſtra omniũ conſolatione, quòd per actum charitatis per præſentiam Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri excitatum in hoc admirabili ſacramento (ut ſacri doctores adnotarũt) omnia peccata uenialia, & etiam omnia peccata mortalia oblita remittuntur: hoc enim publicè decantans Eccleſia in quadam oratione pro defunctis poſtulat, dicens, Sit hoc ſacramentum ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit uiuorum, ac defunctorum remiſſio omnium peccatorum. Vnum autem oportet adnotare quorundam ſanctorum contemplatiuorum dictum notabile, quòd ſcilicet, orationes factę in præſentia huius altiſſimi ſacramenti ſunt priuilegiatæ, & citiùs exaudiuntur, quàm aliæ, dummodo iuſtæ ſint, & cum uera fide, ac pietate fiant, & hoc propter Chriſti Domini præſentiam: nam hæc eſt conſuetudo terrenorum etiam principum, quòd nullam petitionem iuſtam in ipſorum pręſentia factam recuſant, etenim (ut dicebat Titus Imperator) non decet quemquam à facie principis triſtem recedere. Huiuſmodi autem orationes Dominus Ieſus magis acceptat, & citius exaudit, quia actus fidei de præſentia Chriſti in ſacramento eſt excellentiſſimus, nec lebilis eſt gradus fidei maior iſto, eo quòd intellectus hic ſeipſum totaliter captiuat ſub uerbo ipſius Domini, & renunciat ſic credendo propriè imaginationi, inuitisque omnibus ſenſibus ſuis, & rationi naturali:

1. ad Cori. 11.

Epipha. li. 1 cõtra hæreticos.

D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 3. & 4.

turali dat uerò authoritatem, & credit ſoli uerbo Chriſti Ieſu dicétis, Hoc eſt corpus meum. Cum ergo clementiſſimus Saluator ſolitus eſſet dicere petentibus ſanitatem morborum incurabilium. Secundum fidem tuam fiat tibi, conſequens eſt huiuſmodi orationes factas cum tàm excellenti fidé a Chriſto Domino peculiariter exaudiendas. in confirmationem huius piæ ſentētiæ legitur, quòd cum Robertus trigeſimus tertius Rex Francorum obſideret fortè oppidum Meldunum, nec poſſet illud capere, & audiendo Miſſam, Chriſtum cum magna fide oraret pro obtinenda victoria, quando ſacerdos ſacratiſſimam hoſtiam tenebat dicens, Agnus Dei qui tollis, &c. & Rex in oratione perſeueraret, muri illius oppidi, ſicut & muri Hierico ſponte corruerūt: & hoc modo Rex ſine ſanguine & uiolentia oppido eſt potitus.

Elegãs dubium. Supereſt nunc pro complemento huius ſanctiſſimæ materiæ reſpondere vni replicę, quàm quis facere poſſet, dicens. Quomodo corpus & caro Chriſti, cum ſit materialis, poteſt eſſe cibus, & nutrimentum animæ, quę eſt incorporea, & ſpiritualis? Ad quod reſpondetur, quòd caro Chriſti per ſe ſumpta aut ſi eſſet a diuinitate ſeparata, non poſſet eſſe cibus animę, neque eam nutrire, ſicut ipſe Dominus Ieſus declarauit dicens. Caro non prodeſt quidquã, *Ioan.6.* ſed caro Chriſti, vt eſt vnita hipoſtaticè diuinitati verbi, non facit propriam perſonalitatem; ſed ſubſiſtit per perſonam verbi, & ſic caro illa ſacratiſſima eſt tota Deificata, & eſt inſtrumentum diuinitati coniunctum, ita quòd per eã diuinitas operatur effectus mirabiles, & ſupernaturales, ſicut benè apparebat Chriſto exiſtente adhuc mortali: nam per ſolum tactum ſuæ humanitatis curabat innumeras infirmitates ſupernaturaliter, quia (vt dicitur apud Lucam) virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Ab illa ergo vnione diuina tota *Ioan. 6.* Chriſti humanitas conſequebatur infinitam virtutem & potentiã. Exemplũ accipite in membris corporis humani, quę de ſe non ſunt niſi caro, & per ſe nullam poſſent producere operationē, attamen quatenus ſunt inſtrumenta animę rationali vnita, ab ipſa trahunt virtutem videndi, audiendi, loquendi, & ſic mirandos effectus producunt. *Simile.* Ideò ipſe Dominus Iudęis dixit. Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quidquã m: quod perinde eſt, ac ſi diceret. Sicut in humano corpore caro. i. membra carnalia per ſe ſumpta, non proſunt quidquàm, quia per ſe nullam poſſunt producere viuam operationē, ſed ſpiritus illis vnitus viuificat, ideſt, reddit ipſa viua, & operantia viuas operationes: ſic caro mea per ſe ſumpta, & à diuinitate ſeparata, non prodeſſet quidquàm, nec poſſet eſſe verus cibus, nec poſſet conferre immortalitatem ipſam ſumentibus, ſed ſpiritus, ideſt, Deus illi vnitus. (Nam de Deo inquit B. Ioannes, Spiritus eſt Deus) *Ioan.4.* eam viuificat, ideſt reddit eam viuam, & immortalem, & potentem dare vitam immortalem iis qui eam cum fide ſumunt: Qui enim corpus Chriſti ſumunt, non ſumunt illud à diuinitate ſeparatum, ſed uiuum, & diuinitatē vnitum, quod virtute diuinitatis in ſe ſumentibus glorioſos effectus operatur, qui magis ſentiri quàm enarrari poſſunt. *2. Reg. 6.* Si ergo filij Iſrael arcam Dei, quę non erat niſi figura humanitatis Chriſti, vocabant gloriam filiorum Iſrael. Si Rex Dauid cum tanto honore, & triumpho hanc eandem arcam deportari fecit, & ipſe cum tanto gaudio & humilitate, depoſitis regalibus veſtibus, coram illa ſaltabat: ſi inquam, tanta cum fide, & honore populus antiqui teſtamenti venerabatur ſolam figuram: quid nos decet facere filios noui teſtamenti, qui non figuram, ſed rem ipſam, verum Deum, & hominem Ieſum Chriſtum pręſentem habemus in hoc glorioſiſſimo ſacramento, gloriam noſtram, Regem noſtrum, Pōtificem,

tificem,

tificem, & ſponſum pro nobis tanta paſſum, qui, quia nos regenerauit in filios Dei, vult eſſe panis & cibus noſter, vt per eum viuamus, per quem redempti, & regenerati ſumus. Caueamus ergo ab ingratitudine, & infidelitate, cha
Pſal. 106. ritatiſq; refrigeratione erga Chriſtum Dñm, & ne ſimus de illis, de quibus regius Propheta inquit: Anima eorum in bonis tabeſcebat, ſed poſtquàm ſumus filij, panem filiorum frequentemus: Quia qui manducat hunc panem viuet in æternum.

Euchariſtiæ exhortatio.

Ioan. 6. PAnis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, inquit Saluator noſter Ieſus Chriſtus. Vbi obſeruandũ eſt, indefinitè fuiſſe hic locutum Dominũ Ieſum de uita, non enim expoſuit, quæ vita ipſa ſit, quam caro ſua ſacratiſſima præſtat, vt intelligeremus ipſam omne genus vitæ neceſſariç ad vitæ glorioſç conſecutionem prçſtare: vt enim a Doctoribus orthodoxis traditur, quadruplici vita hominem viuere contingit, vita ſcilicet naturç, vita gratiæ, vita fructuoſç operationis, & demum vita gratiæ confirmatç. Poteſt etiam addi vita quinta gloriç, quç appellatur vita æterna. Vnaquçq; harum in ſua ſpecie amã
2. Ad Cor. tiſſima eſt, & de omnibus his. B. Paulus meminit tanquam de rebus hominem in ſpirituali vita perficientibus. De prima ait tanquam quadam naturæ voce. Dum ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati; eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuper veſtiri, ita enim deſiderabilis eſt vita iſta naturæ, vt quantumuis ſciat homo beatificari in ſua mortalitate non poſſe, adhuc ſecũdum naturæ motum nolumus expoliari bene tamen ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt a vita, idest dummodo mortalitas ſine morte tranſeat ad immortalitatem, vt B. Hieronymus inquit. Eodem deſiderio tenentur beati, vt vitam integram habeant redire ad propria corpora optant, & cum participes ſint vitç diuinç, etiã in ipſa beatitudine famẽ quadã deſiderio proprij corporis patiuntur. Quorũ vox eſt illa, vſ- Apoc. 6.
quequo ſanctus, & verus non iudicas & non vendicas ſanguinem noſtrum? De ſecunda vita ait. Mortui eſtis, ſcilicet, mundo, vitijs, & peccatis: & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Loquitur Ad Col. 3.
hic ſanctus Apoſtolus de vita gratiç, Eccleſ. 9.
quç propterea abſcondita eſſe perhibetur in præſenti, quia (vt dicitur in Eccleſiaſtico) ſunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Domini, & neſcit homo an odio, vel amore dignus ſit: hçc tamen vita in alio ſæculo omnibus electis reuelabitur. De qua reuelatione loquitur etiam B. Pau Ad Rom. 8
lus, dum ait Expectatio, anxia, ſcilicet, creaturç reuelationem filiorum Dei expectat: & B. Ioannes in ſua Canonica ait. Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Vita ergo iſta gratiæ abſcondita eſt nunc in parte animæ inuiſibili reſidens, manifeſtatur tamen aliquo modo per tertiam vitã, ſcilicet, fructuoſæ operationis, ad quã adhortatur nos idem Apoſtolus Paulus dicens. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ille e- 2. ad Cor. 6
nim vacuè, & ocioſè gratiam recipit, qui eam continuis bonis operationibus non fouet, vel aliter. Ille in vacuum gratiam recipit, qui nõ vtitur ea ad illum finem, ad quem data eſt, ſcilicet, ad augmentum meritorum. Sicut uas inutile hac ratione dicitur, quia nõ ſeruit fini ſuo: duplici namq; cibo vita iſta tertia augetur, & creſcit, declinando videlicet a malo, & faciendo bonũ, & (ut ita dicamus) vir pius non rapiat alienum, & det de proprio, non odiat inimicum, ſed bene illi faciat, nõ illi imprecetur malum, ſed oret pro illius bono; qui hæc facit vitam tertiam habet: ſed difficilius eſt, vitam iſtam ſuſtentare mali declinatione, quàm boni proſecutione. Ratio huius eſt, quoniam ſi recta ponderes lance propen-

ſionem

ſionem ſpiritus ad bonum, & ſenſualitatis ad malum. Huius profectò maior eſt inclinatio. (Explicetur hoc exẽplo) cum autem inclinationes intenſiores difficilius uincantur, conſequẽs eſt, vt difficilius abſtineamus a malo, & facilius operemur bonum. Demum quarta vita eſt gratiæ ſtabilitæ & confirmatę in uiris illuſtribus, & heroicis, De qua vita locus ille Apoſtoli eſt intelligendus. Per Chriſtum acceſſum habemus ad Deum in gratiam iſtam, in qua ſtamus: id eſt in qua ſumus tanquam columnæ immobiles; perpende illud, In qua ſtamus, quia ibi firmitatem ſtatus, & gratiæ immobilitatem notat, ratione cuius liberum arbitrium ex ſua natura ad malum uertibile, ita uita iſta quarta reformatur, vt nunquam velit experiri peccatum. Huic quadruplici vitæ mors quadruplex oppoſita eſt: mors ſcilicet naturę, mors operationis peruerſę, & denique mors voluntatis obſtinatæ, & induratæ, & quinta mors æterna. Ex his apparet quàm profunde ſacerdos æternus Ieſus Chriſtus de hoc tam ſupermirabili ſacramento loquatur, cum ait: panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita: Pro qua uita? nempe pro reſtauratione quadruplicis vitę, & pro exterminatione quadruplicis mortis. Hęc ſunt diffuſe proſequenda.

Ad Rom. 5

Imprimis igitur Euchariſtia panis iſte cęleſtis perficit primam vitam, ſcilicet naturalem, quia accipimus pign[us] immortalitatis, quodam enim modo eam immortalitatis participem facit hic cęleſtis panis, quod ſic liquidatur. Per condignam Euchariſtiæ ſumptionem tranſit homo a ſe, & ſpiritualiter incorporatur Chriſto ſuo capiti, & fit vnum cum eo: ex quo neceſſe eſt, ut illius perfectionem, & dignitatem participet iuxta ſuam deuotionem, & charitatis ardorem, & alias ſpirituales diſpoſitiones; & cauſatur quidam tranſitus [*y apoſentaſſe el hombre en Chriſto Ieſu bien ſuyo.*] Vnde Apoſtolus ait. Calix benedictionis, cui bñdicimus nos, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nõne participatio corporis Dñi eſt? Participatio uero hęc, & communio, ſecundũ annotationem B. Auguſtini, eſt quædã unitas inter nos, & Chriſtum vinculo ſingulari charitatis alligata. Propterea ſubiungit B. Apoſtolus dicẽs. Quia vnus panis, & unũ corpus multi ſumus oẽs, qui de vno pane, & de uno calice participamus. Illa igitur quæ aliquo modo una ſunt licèt ſint modo ſpirituali, adinuicem ſe poſſident. Ob hãc cauſam per Euchariſtiam, & nos poſſidemur a Chriſto, & Chriſtus a nobis, ſicut ipſe teſtatus eſt dicens. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hinc rurſum ſequitur, quòd ex eadem unitate ad participationem dignitatis corporis Chriſti aſcendimus: & cum ipſe iam dono mortalitatis fungatur, conſequens eſt & nos eodem dono potiri debere, modo in ſpe & poſteà in actuali poſſeſſione, unde poſtquàm ipſe Dominus dixerat: In me manet, & ego in in eo, inferius addidit. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet uitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Habet uitam æternam, ſcilicet, in ſpe, & in merito, & promiſſionem habet glorioſæ reſurrectionis. Magna igitur perfectio eſt vitæ naturalis poſſidere immortalitatem in ſpe, quam facit Chriſti caro dignè ſumpta. Venuſtiſſima quadã ſimilitudine hoc declarat ſapientiſſimus Irineus. Quemadmodum, inquit, panis iſte uſualis, quia terra eſt, per uim uerbi ſacramentalis iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans terrena, & cęleſti, terrenam dicit propter accidentia: ſic corpora noſtra ſunt terrena in ſe, & cęleſtia in ſpe, & percipientia Euchariſtiam iã quaſi non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Hinc Apoſtolus congratulans perfectioni vitæ ęter-

1. ad Cor. 10 · *Ioan. 6.* · *S. Irenæus* · *Simile.* · *Ad Rom. 8*

tuæ in ſpe habitæ ait. Vanitati, ideſt, mortalitati creatura ſubiecta eſt nō uolens, ſed hoc ſuſtinet propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe, quoniam liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei. Teſte enim B. Auguſtino illa, quæ in ſpe poſſidemus, ſi uera ſpes ſit, ita de re poſsidenda certos nos facit, ac ſi iam in actu poſsideatur, propterea uita noſtra naturalis ab Euchariſtia perficitur, quia ſpem immortalitatis obtinendæ præſtat: & nota quod mortalitas uanitas appellatur ab effectu, quoniam uanos homines oſtendit, qui cum ſint mortales, ita ſui obliti uiuunt, ac ſi immortales eſſent.

Probatur etiam alia ratione, quod uita natiui aliter per Euchariſtiam perficiatur. Vita humana eo in ſua natura perfectior eſt, quò in uirtute diuturnior, & longæuior. Item quia breuitas uitæ pœna peccati eſt, ut in Pſalmo dicitur. Quoniam defecimus in ira tua, Quoniam omnes dies noſtri defecerũt: patet etiam quia grandis uita, & annorum multiplicatis inter benedictiones Dei inuenitur: & etiam quia teſte Paulo ſicut per annorum congeriem corpus proficit in peius, ita animus ideſt,

2. ad Cor. 4. homo interior in melius. Ait enim, licet is, qui foris eſt, noſter homo corrũpatur, is autem, qui intus eſt, renouabitur de die in diem in agnitionem filii Dei. Hic obſeruare poteris, quãta bona animæ ſenectus afferat, propter q̃d orat Dauid. Vſque in ſenectam, & ſenium Deus ne derelinquas me. Et ſapientia Salomonis dubitat de uita uiri in adoleſcentia. Ideò ualdè timendum eſt, quod cum ſenectus detur in remedium uitiorum, ſi quis in ſenectute adhuc malus exiſtit, manifeſtum damnationis habet ſignum. Hinc ſanctus Da-

Daniel. 13 niel cuidam ſeni dixit. Inueterate dierum malorum nunc uenerunt peccata tua? Si ergo damus peccato ut ex ſuo demerito, & defectu humanam uitam abbreuiet, & de ſua dignitate, & perfectione cadere faciat. Quare non dabimus Euchariſtiæ, ideſt, fonti gratię, ut uitam conſeruet & perficiat? Illa enim, quæ contraria ſunt, contrarios habere effectus uidemus, ut patet de frigore, & calore, de liberali, & auaro, de continenti, & laſciuo. Cum autem peccati quidam effectus uitæ abbreuiatio ſit (nam de peccatore in pœnam dicitur. Minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eum confuſione: & iterum. Viri ſanguinum nō dimidiabunt dies ſuos.)

Simile. Ob eandem etiam cauſam Apoſtolus peccatores uocat uaſa iræ apta in interitum, quia citiſsimè ex peccati natura a morte prœoccupantur. Venuſta ſimilitudo ſumitur ex natura ueneni, quod aliquandò ita fortiſsimis mixturis confectum eſt, ut uix reperias uas, quod illius peſtifera natura non frangatur. Ita tradidit Sabellicus de Nona- Sabell. 1. p.

cro monte Arcadię, ex cuius rupe aqua manat gelidiſsima in ſpeciem roris, quæ peſtifera eſt potantibus, nullumque uas inuenitur, quod non frangatur ui peſtifera liquoris; eoque ueneni genere (ut Plutarchus ſcribit) Alexan- Plutar.

der Orientis domitor ab AEola ſublatus creditur equi ungula (quoniam alia nulla poteſt teneri materia) in Syriam uſque ubi ille periit delato. Talis eſt, crede mihi, natura peccati in uaſe cordis peccatoris: ſuo enim ueneno non ſolum intoxicat animum, ſed accelerat corporis mortem. Ex hac doctrina manifeſtè colligitur, quod cum Euchariſtia contrarium effectum peccati habeat ex natura ſua, uitam perficit corporalem, & ad uitam ſpiritualem habiliorem reddit. Propterea non immerito panis uitę à Saluatore mundi appellatur, qui uerè nouit corporis ſui uirtutem Comedit (inquit ſacra ſcriptura) Helias ſub cinericiũ panẽ, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montẽ Dei Oreb. Et ita de quibuſdã ſanctis legit, q̃d ſacra Euchariſtia refecti ꝑ notabile tpꝰ ci-

bo corporali non indigebant, experientia enim ſentiebant cibum animæ corpori præſtare alimentum. O ſacratiſſimus panis ſubcinericius cinere noſtræ immortalitatis olim coctus iam verò gloria, & immortalitate decoratus in cuius virtute non quadraginta diebus, vt Helias, ſed toto tempore vitæ noſtræ ambulamus, quouſq; ad montem Dei Oreb, ideſt, gloriam perueniamus.

Secunda vita eſt vita gratiæ, per hoc ſacramentum collata. Pro quo obſeruandum eſt, quod ſicut varia, ac diuerſa ſunt ſacramenta, ita varijs ac diſtinctis rationibus fuerunt à Chriſto Domino inſtituta. Baptiſmus in remediũ peccati originalis. Pœnitentia in remedium mortalium. Extrema vnctio in remedium venialium; Confirmatio ad fidei fortificationem; Euchariſtia autẽ, cum quantum ad rem contentam ſit nobiliſſimum ſacramentum, neceſſe eſt dicere, quod ordinatur ad nobiliſſimum effectum, ſcilicet, ad conſeruandam, & augendam gratiam, in qua conſeruatione, & augmento vita ſpiritualis conſiſtit. Ita enim verba illa Saluatoris noſtri ueniunt intelligenda. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, ideſt, pro conſeruatione vitæ ſpiritualis. Vide clementiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum, & ut in Pſalmo dicitur. Imperfectum meum uiderunt oculi tui, prouidit in hoc ineffabili ſacramento huic imperfecto perfectionem. Sed dices, quod imperfectum iſtud? Ad quod reſpondeo, quod ſecundum ſententiam D. Auguſtini, & glorioſiſſimi Cypriani, imperfectum noſtrum dicitur liberum arbitrium, eo quod multos gradus imperfectionis poſſidet. Primus, quia ex natura ſua eſt vertibile ad malum etiam cum exiſtat abſque peccato ſicut fuit in Adam, quia vt per Sapientem dicitur. Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui, ideſt, in arbitrij libertate. Secundus gradus non ſolum cum libertate peccandi, ſed cum

B. Aug. & B. Cypri. ſuper Pſalm.

Eccl 15.

quadam impulſione, ut patet in mox regeneratis, quia fomite intrinſeco tanto imperu agitantur ad malum, ut dicantur aliquo modo impelli. Vnde Apoſtolus ad Romanos ſcribens ait. Cũ enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum operabantur. Hoc eſt ergo imperfectum noſtrum, de quo ait Dauid. Imperfectum meum uiderũt oculi tui. Propter hoc ait Beatus Auguſtinus in libro de bono perſeuerantiæ: fideles in gratia exiſtentes neceſſe habere quotidie orare, Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Ratio huius eſt, quia licet communis gratia ſacramentorum ſufficiat ad nos iuſtificandum, non tamen habet ex natura ſua ad faciendum liberum arbitrium ſtabile in bono, ſed adhuc multis alijs auxilijs indigemus, ad perſeuerandum & ad hoc potiſſimum hoc diuiniſſimũ ſacramentum inſtitutum eſt, ut ſit fulcimentum, & robur gratiæ, ne ab illa diſcedamus, per hoc enim ſacramẽtum, ſi legitimè eo quis utatur, gradatim liberum arbitrium reparatur, & à ſuis imperfectionibus purificatur, quia gratia ſemper augetur, & nutritur. Adducitur hic comparatio eiuſdem ſancti Auguſtini, qui ait. Sicut oculus perfectiſſimè ſanus niſi candore lucis adiutus ſit uidere non poteſt, ita anima iuſtificata ſtare non poteſt, niſi diuina protectione adiuta. Sunt autem multæ rationes hanc doctrinam declarantes. Prima ſumitur ex illis verbis Saluatoris. Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Hæc eſt ratio, & argumentum ſumptum à ſimilitudine cibi, & panis humani. Nam ſicut comedere, & bibere præſupponit uitam naturalem (non enim comedunt mortui) ipſam tamen uitam cibus, & potus ſuſtentant, augent, & roborant, ita cibus iſte diuinus, & potus corporis, & ſanguinis Domini præſupponit uitam ſpiritualem gratiæ, non enim fas eſt, quin potius horribile mortuis in peccatis accedere ad tam

Ale. Aleſ. 3. p. q. 9. meb 3. ar. 2. I. 2.

Ad Rom 7

B. Augu. in lib. de bono perſe.

Simile.

Ioan. 6.

1. Ad Cor. 11.

sacram

ſacram menſam. Hæc enim menſa non eſt mortuorum, ſed viuentiū, non exteriorum, ſed filiorum. Vnde in Pſalmo. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Propter quod Apoſtolus inquit. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Vita igitur ſpiritualis præſuppoſita per hoc ſacramentum augetur, & roboratur. Propter quod metaphoricè, & ſimilitudinariè dictū eſt. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Quia autem inquit. Verè eſt cibus, perpende veritatem, vt doctoribus placet, eſſe ab intrinſeco conſonantiam rei interioris ad exteriorem. Vult ergo ſaluator noſter ſignificare, quod verè cibus eſt ſacramentum hoc non per id, quod eſt exterius, ſed per id, quod eſt interius, ſcilicet per verbum diuinum corpori eius vnitum, in virtute enim illius verè paſcimur, & potamur, & in vita ſpirituali enutrimur non inſolitus corporis eius virtute, ſed ratione aſſociati intus permanentis: ratione enim huius dicitur caro verè cibus. Nam quemadmodum aureum non eſt verè aureum, ſi intus non eſt aureum; ita caro Chriſti non eſt uerè cibus, niſi per id, quod intus eſt, uerè ſpiritualis cibus animarum. Hinc ſaluator noſter eleuans mentes noſtras ad intelligentiam myſterij ait. Spiritus eſt, qui uiuificat, ideſt qui uiuificam præſtat refectionem: Caro autem non prodeſt quidquam niſi in uirtute ſpiritus inhabitantis. Ex his manifeſte patet intelligentia huius uitæ ſpiritualis, quam facit caro Chriſti propter uerbum intus latens. *Ioann. 6.*

De tertia uita fructuoſæ operationis nunc agendum eſt. A cauſa nobiliſſima non poteſt non eſſe nobiliſſimus effectus, ut à ſole illuminatio totius mundi, & à Chriſto Ieſu redemptio totius uniuerſi. Ergo à tam excellenti cauſa, ut eſt hoc diuiniſſimum ſacramentum, excellentiſſimus oritur effectus, qui eſt fructuoſa, & caliſicata operatio. O felices ſacerdotes, quibus datum eſt hoc altiſſimum ſacramentum celebrare, ut ex eo habeant, un le ſint in actibus meritorijs extremi Conſidera diuinum artificium quia cum ſpiritus humanus carne aggrauante, & dæmone inſidiante, & mundo alliciente in uirtutū operibus repeſcit, & lenex fit, prouidit clementiſſimus Deus de hoc ſacramento, ratione cuius ſemper ſpiritus humanus feruear, & quotidie habeat unde ad bonum excitetur: ſicut ſagitta pluries impulſa, cum motus remittitur. Hinc eſt, quod in uiris ſpiritualibus unus actus ſpiritualis attingit alium, communicans hodie habes, unde in diuino amore ardeas uſque mane, & mane iterum ad ſacram communionem redis ut nunquam te peſcat ſpiritus tuus, quin potius ad uirtutum culmina aſcendat. Eadem aliquo modo militat ratio de manducantibus ſpiritualiter, ut de his, qui deuotè rem ſacram audiunt. Quare in Canticis ad frequentem excitamur communionē: Comedite, (inquit cœleſtis ſponſus) amici, & inebriamini chariſſimi. Vbi ponderanda ſunt iſta duo nomina, amici, & chariſſimi, quia duplex eſt genus hominum manducantium, quidam in gratia tantum ſed abſque feruore, & deuotione, mundanis occupationibus diſtracti, iſti amici ſunt, ſed non chariſſimi in gradu ſuperlatiuo. Illi uerò, qui ſpiritus inflammatione accedunt, qui in illuſtribus operibus occupātur, chariſsimi dicuntur, & cum alij tantū bibant, hi tamen inebriantur. Tertiam uitam fructuoſæ operationis habent hi, qui chariſsimi ſunt iſti quia calice Domini inebrianrur, dicere poſſunt. Calix meus inebrians, quam præclarus eſt. Sed uæ, uæ, & millies uæ nobis, qui tam cœleſti dono illegitimè utimur, & ex medicina non fructum capimus ſed reos nos diuini iudicii facimus, propter quod dicitur, Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. B. Auguſtinus

Simile.

Canti. 5.

1. ad Cor. 11.

B. Aug. li. 2. de Ciui. Dei.

Ee 2 ſtinus

ſtinus ait, quod ſi nullum peccatum, in uita præſenti puniret Deus putaretur nullam eſſe illius prouidentiam, nec de his rebus infimis illum curare, & effrænes magis fierent homines in peccatis. Rurſus ſi omne peccatũ manifeſta plecteret pœna, nihil ultimo iudicio reſeruandum putaretur. Inſignũ ergo ſuæ prouidentiæ peccata punit, & in atteſtationem futuri iudicii ex toto in præſenti non punit. Cum ergo ſacerdotes, & mali Chriſtiani loco fructuoſæ operationis poſtquam hoc diuino edulio cibati ſunt ſe exercent in peſſimis, preter pænas futuri iudicii puniuntur in præſenti pænis corporalibus & ſpiritualibus: ut hic diuinus Apoſtolus teſtatur: ſæpe enim teſte Auguſtino puniuntur peccata peccatis, & unum peccatum pena eſt alterius, & infirmitas ſpiritualis & debilitas reſiſtentiæ pœna eſt præcedentis peccati, imbecillitas etiam mentis ad uirtutis opera exercenda relliquia peccati eſt. Hinc eſt illud. Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Demum ex infirmitate ſpirituali animæ ſequitur mors peccati. Hæc omnia ex indigna ſumptione ſequuntur. Et cum ex hoc tam admirabili beneficio uirtus ad fructuoſam operationem elicienda erat, elicitur recipientis culpa, debilitas, & inſtabilitas in bono.

Treni. 1.

Demum in quarta uita ſtabilitas gratiæ per hoc ſacramentum perficitur, quantum eſt ex natura ſacramenti: Quod ſic declaratur. Secundum ſententiam Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti ſacramentum hoc ſanctiſsimum uirtutem habet, unitiuam, ratione cuius unimur Deo, & Chriſto, unitate amoris perfectiſsimi, quod eſt uinculum perfectiſsimum. Hinc ait. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. Si enim Deus quibuſdam lapidibus uirtutem attractiuam dedit ad uniendum ſes exteras ſibi (*como a la piedra Iman y al Ambar*) quare non potius corpori ſuo ſacratiſsimo, in quo uirtus latet diuinitatis hanc preberet uirtutem? Cum ergo ait, in me manet, ſignificantius uult dicere, Si quis per peccatum non obeſt in me manebit, mihi unietur per uirtutem attractiuam in hoc ſacramento reſidentem. Habetque ſacramentum hoc tanto maiorem uirtutem, uniendi nos Deo, quam cætera ſacramenta, quanto illis dignius eſt. Nam cætera ſacramenta ſunt inſtrumenta gratiæ, hoc uero fons omnis gratiæ eſt. Illud etiam quia hoc præſupponit unionem quandam communem inter nos, & Deum, factã per baptiſmum, per contritionem, per pœnitentiam, per confirmationem, & ita perficit unionem inuentam. Nec eſt incredibile, quibuſdam ſanctis ratione huius ſanctiſſimi ſacraméti gratię confirmationem eſſe collatam, uel ſaltem donum perſeuerantiæ. Et hac ratione manifeſtè deducitur, quod toties, & tã feruenter poſſet quis communicare quod unio inter animam, & Deum tanto eradicaretur, & intenderetur, quod indiſſolubilis ex priuilegio permaneret, ita ut nulla tribulatio, nulla tentatio, nullus dæmonis impulſus ſufficeret ad diuellendum eum à Deo, & quando ex Dei gratia ita contigeret, nonne quarta uita ſtabilitas gratię perficeretur? Hinc eſt, quod in perſona uiri iuſti huic ſacramento deditiſſimo dictum eſt. Nam & ſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Vide quam ſtabilem & firmum in Dei gratia ſe prædicat, qui ait. Et ſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala. Vmbræ mortis ſpiritualis uaria tentamenta, & pericula ſunt, quæ ad culpam ſolicitant, nam quemadmodum umbra ſequitur hominem: ita tentatio illum ſequitur, & perſequitur, ut peccet. Sed quare non timebis? Quare de tanta conſtantia gloriaris. Quia paraſti in

[illegible]

con-

conſpectu meo menſam (inquit) aduerſus omnes, qui tribulant me. Annotatio eſt Titelmani. De hac menſa ſumentes, dignéque communicãtes accipimus fortitudinẽ, & cõfirmauit ſecundũ ſpiritum, vt aduerſum omnes nos tribulantes fortes, & inuicti præſtare valeamus. Et hinc credo, propter frequentem vſum huius ſacramenti, Beatum Paulum dixiſſe. Quis nos ſeparabit à charitate Dei? Sequitur in Pſalmo. Impinguaſti in oleo caput meum. Hoc ad mentis alacritatem de accepto tam præclaro beneficio refertur, & calix meus inebriãs quàm præclarus eſt. Methaphorica loquutio eſt hæc ſumpta ab ebrijs: ebrius namq; auerſus eſt totaliter a ratione, & perdidit penitus intelligentiam, vnitus omninò parti animali: Ita calix domini inebriatiuus auertit à mundo & totaliter coniungit Deo firmiter & perſeueranter. De quinta vita gloriæ æternę eſt illud, quod ſequitur inferius in Euangelio Ioannis. Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum.

Titel ſup. Pſal. 21. — *ad Rom. 8.* — *Simile.*

Euchariſtia, memoriale Dei.

MEmoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe, inquit regius propheta. Magnam his verbis ſanctus Dauid exaggerationem facit, cum ſecundum humanam ſentẽtiam non eſſet hoc tantopere amplificandum: Quid enim mirandum eſt, ſi Deus cibum miniſtret, & ſuſtentationẽ ijs, qui ipſum timent, ſiquidem illam præbet non timentibus eum? Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, & non ſolum Deus bonos; & malos ſuſtentat, verum etiam bruta animantia, nec non aues cœli alit, ac denique omnibus uiuentibus cibum miniſtrat, ſicut idem regius Pſaltes fatetur dicens. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eũ. Ipſorum, inquit, quoniã omnibus brutis ſecundũ naturam eorum Deus ſuſtentationem præbet. Et pullis coruorũ inuocantibus eũ. De coruis naturales dicunt, quòd cũ filios ſuos recenter natos videant albos & nõ nigros, ſicut ipſi ſunt, exiſtimant, eos non eſſe filios ſuos, & ſic tanquam adulterinos aborrent, ac nullo modo eis in illis primis diebus cibum miniſtrant. Pulli vero fame oppreſſi in cœlum clamitant, & Deus admirabili prouidentia eos paſcit, paſcit inquam, aut rore cœli (ut ait B. Hieronymus) aut aliquibus paruis volatilibus, quæ circa ipſos pullos volantia, ab ipſis dum ora aperiunt, manducantur, & hoc modo aluntur quouſque parentes eorum eos, ut filios recognoſcant, ipſiſque cibaria portẽt, vt ait Beatus Chryſoſtomus. Et hæc eſt una ex plurimis quæſtionibus, quas Deus ſancto Iob propoſuit dicens: Quis præparat coruo eſcam ſuam quãdo pulli eius clamant ad Deum? In quo docemur, quòd quamuis creaturæ deficiant, Deus tamen ſua diuina prouidentia nunquam deficit, & vel minorum animantium neceſſitatibus ſuccurit. Ergo ſi hoc ita eſt, quid admirari poſſumus, quòd Deus hominibus, & præcipue ipſum timentibus timore reuerentiali cibum præſtet, cum & pullis coruorum neceſſaria miniſtret? Ergo quare propheta, inquit, Memoriam fecit Deus, immo & recopilationem omnium mirabilium ſuorum, dum ijs, qui ipſum timent, eſcam dat, & cibum miniſtrat? Nunquid Diuus Paulus ad Timotheum ſcribens non ait, Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet fidem negauit, & eſt infideli deterior? Hæc ratio inſinuat aliquod in his regij Prophetæ verbis latere myſterium: nam ſi de cibo materiali, quo corpus ſuſtentatur, intelligeret, non tantopere illud amplificaret: ſumma enim mirabilium Dei in illa eſca conſiſtere non

Pſal. 110. — *Matth. 5.* — *Pſal. 46.* — *Iob. 38.* — *2. ad Thi. 5. cap.*

poteſt. Quo circa fateri debemus, illũ de ineffabilis ſacramenti altaris inſtitutione loqui: in quo quidem recolitur memoria, & fit quædam omnium mirabilium Dei recopilatio.

Hoc conuiuium ſacratiſſimum non eſt triginta, aut quadraginta ciborum, vel epularum, vt modo in conuiuijs mundi fieri ſolet, in quibus, tot ciborum varietates non ſolum manducantibus, ſed etiam videntibus immo & audientibus horrorem faciunt, & faſtidium generant. In hoc autem Dei conuiuio vnus duntaxat cibus eſt, in quo conſiſtit, & verè ac realiter eſt totum id, quod Deus eſt, & omne quod dare poteſt atque omne, quod homo accipere valet. Quãuis verum ſit illud, quod ſapientes dicunt, ſcilicet, anima magis eſt, vbi amat, quàm vbi animata hoc eſt per affectum: nam vbi amat ibi eſt, cum affectione, cum memoria, & cogitatione: ſed tamen non eſt cum effectu, quia verè, ac realiter non eſt cum effectu in re amata. At vero dum hic cæleſtis cibus accipitur, verè, & realiter ac cum effectu Ieſus Chriſtus accipitur, & ſi digne ſumitur, non ſolum eſt in eo, qui ipſum recipit per effectum, ſed etiã per affectum: atque ita merito ipſe Dominus ait. *Ioan. 6.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo.

Euchariſtiæ figura.

Exod. 27. IN libro Exodi præcepit Dominus Moyſi. Facies altare de lignis Sethim nõ ſolidum, ſed inane, & cauum intrinſecus facies, ſicut tibi in monte monſtratum eſt. Poſtquam Deus mundum creauit, & cum hominibus tractare, ac communicare cœpit, ſemper eos docuit, vt altaria, in quibus diuerſa ſacrificia ei offerrent, erigerent. Hæc autem altaria non ſemper eodem modo confecta fuerunt, id eſt, [*no fueron ſiempre de una meſma traca:*] nam in veteri teſtamento iubebat Dominus, vt altare eſſet ex materia lignorum, & non ſolidũ, ſed concauum: at in nouo teſtamento è contra: fit altare enim debet eſſe lapideum & ſolidum, quales ſunt aræ, ſupra quibus verum miſſæ ſacrificium offerimus. Per differentiam altarium cognoſcimus hoſtiarum, & ſacrificiorum differentias; etenim qualia olim erant altaria, tales erant hoſtiæ, quæ in illis offerebantur. Quando altare erat inane, & concauum & intus nihil habebat, hoſtia etiam, quæ in eo offerebatur, erat vacua: non enim conferebat gratiam, nec peccata remittebat, vt Beatus Paulus docet ad Galatas ſcribens his verbis. *Ad Gal. 2.* Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro: ſi enim per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Quale tunc erat altare, talia erant ſacrificia; at in nouo teſtamento altare ſolidum eſt ac lapideum: quoniam hoſtia, quæ in eo offertur, videlicet filius Dei incarnatus, eſt plena hoſtia, & ingentis fructus, & maximæ vtilitatis; præbet enim vitam ſpiritualem animæ, ac per dignam receptionem eius æterna vita promittitur. *Ioan. 6.* Ipſe namque Dominus dixit. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinem habet uitam æternam. Sicut ſanguis veneno infectus ſtatim ad cor ipſum concurrit quærens remedium, & opem, quam non ſolum non inuenit, verum etiam ea ratione longo citius perit, cum infecerit, & contaminauerit cor ipſum, vbi remedium præſidiũque quærebat. Sic planè miſer homo afflictus huius mundi tribulationibus ad eundem mundum concurrit, opem, & auxilium petiturus: verum non ſolum ibi remedium non inuenit, verum etiam mortem. Quamobrem potius ad Chriſtum dominum accedamus, qui nobis diuinum, & cæleſtem cibum ſui pretioſiſſimi corporis, & ſanguinis largietur, de quo dicit. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem

nem in me manet, vbi ſcilicet refugiũ in ſuis tribulationibus inueniet: & ego in eo manebo protegens eum. Solitus eſt Deus nos his rebus à pernicie liberare, quibus in perniciem incidimus. A ligno ſcientiæ boni, & mali ortum eſt peccatum, & à ligno crucis gratiæ reſtitutio: vt qui per lignum vincebat (vt decantat ſancta Eccleſia) in ligno quoque vinceretur. Aquis prætere a diluuij mundus perijt, aquis baptiſmi inſtauratus fuit dicente domino, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Somnijs fuit Ioſeph Patriarcha ille præclariſſimus, & ſingularis uenditus, & abiectus, ſomnijs etiam fuit in excelſa dignitate conſtitutus. Per cibum ingreſſa eſt mors, dicente domino: In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris: per cibum etiam ingreditur vita, dicente ipſa vita: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Ioan. 3.

Gene. 2. & 3.

Euchariſtia amore & honore maximo complectenda.

HOc verbum Manhu dixerunt filij Iſrael viſo cibo, quem illis dominus effuderat circa caſtra: tantæ enim rei nouitate cõmoti dixerunt cum maxima admiratione Manhu. Vnde & cibus ille manna nomen accepit. Non ſecus, vt exiſtimo, in Eccleſia Dei hodie contingeret, ſi inter nos philoſophorum, aut paganorum caterua conſiſteret: inſpecta enim hac noſtra celebritate, viſo populi iubilantis concurſu, ſacerdotum laudantium apparatu, miniſtrantium ordine, canentium iubilo, ſaltantium tripudio, inſtrumentorum ſonitu, veſtium ſplendore, plebis exultantis applauſu, inſpecto etiam honore, reuerentia, cultu, qui ſacræ hoſtiæ ab omnibus exhibetur, quid aliud putas dicerent inter ſe, quid aliud clamarent, niſi Manhu? Quid eſt hoc? Quis honor huic pani. Quæ nam hæc reuerentia cibi? Hi quos videmus (dicerent) uiri prudentes ſunt, cordati ſunt, plebs nobilis, & urbana, gẽs ſapiens, & diſcreta. Quomodo illi hoſtiæ genu flectunt, quomodo diuinos pani præſtant honores? Quid, obſecro, iſtis reſpondebimus fratres? Quid illis dicemus? Niſi quod admirantibus Hebræis dux eorũ Moyſes ille reſpondit. Hic eſt panis, quem dedit nobis dominus ad veſcendum, nõ qualiſcunque, ſed panis viuus, qui de cœlo deſcendit, panis angelorũ, panis animarũ, panis uitæ: panis, quem qui manducauerit, viuet in æternum. Nunquid non merito huiuſmodi panis honoratur? Annon vobis hoc dignus videtur honore? Si quis ex uobis pane aliquo ærumnoſam hanc vitam centũ annos producere poſſet, nunquid non ſicut oculi pupillam panem illum cuſtodiret? Non illum omnibus, quaſcunque etiam cogitare poſſumus, mundi diuitijs anteponeret? Hic autem panis edenti vitam præſtat non centenariam, ſed æternam, vitam iucundam, vitam beatam, vitam omnium bonorum plenitudine fœliciſſimam, hic eſt fructus ligni uitæ in medio paradiſi poſiti, quo qui participat, non uidebit mortem in æternum. Noli ergo mirari, ò Philoſophe, ſi tali ac tanto cibo, talem, ac tantum exhibeamus honorem, quia in illo Chriſtus Ieſus uerus Deus, & uerus homo realiter continetur. In hac tamen re experientiam noli conſulere, ſed fidem: noli intelligere, ut credas, ſed crede, vt intelligas, ſicut ſcriptum eſt. Niſi credideritis non intelligetis. Fides docet nos de omnibus, ac ea magiſtra, hæc omnia facimus, & non confundimur. Si credideritis, quod credimus, ſentietis, quod ſentimus.

Exo. 16.

Exod. 16. Ioan. 6.

Ioan. 8.

Eſai. 7.

Multum proculdubio meretur Chriſtianus populus, qui tantum confidit Chriſto domino, & tantopere hoc ſacroſanctum ſacramentum reueretur, complectitur, & ueneratur, atque pro-

pterea immortale præmium paratum ſibi eſt. Si tantum meritus eſt Abrahã credens ſtatim ipſi Deo dicenti, ſe daturum ei filium, & legitimum hæredẽ, & quòd multiplicaturus eſſet ſemen eius ſicut ſtellas cœli, cum tamen uideret ſe, & Sarram coniugem ſuam adeò ſenuiſſe. Nihilominus tamen Deus tantopere id æſtimauit, ut dicat ſacra ſcriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Quanto plurius Deus faciet hanc fidem noſtrã, quam habemus de tam ſanctiſſimo & ineffabili myſterio, quod excedit longiſſimo interuallo atque exuperat omnem hominum captum, & intellectũ?

Gene. 15.

Lauren. li. de diſ. c. 17

Laurentius Iuſtinianus lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis inquit. Conſueuerunt laborãtes in agris, & in vineis post ſudores operis meridiani æſtus ardorem declinaſe, umbras petere, quatenus in ipſa amœnitate reſidentes feſſo corpori iucundius cibaria ſubminiſtrent. Habent etiam nautæ hoc proprium, ut poſt ſedatas tempeſtates, poſt ſulcata per tempus prolixum maria quærant portum fœliciter, perluſtrent littora in quibus deſcendant, nauem religent, vela reſarciant, atque quidquid vetuſtate corruptum, aut procellis diſſipatum eſt, reſtaurent, quatenus iterum flante proſpero uento maritimis ſe fluctibus tradant. Campi ductores quoque, & exercituum principes, cum aduerſus hoſtes viſibiles dimicare diſponunt, tentoria, & quædam ſpecialia deputant loca, in quibus pro reſumendis neceſſitatibus, ſeu medendi cauſa accedere valeant bellatores. Sic planè dux noſter, ſic ſpiritualium militum inuictiſſimus rex Chriſtus certantibus in hoc ſpirituali ſtadio militantis Eccleſiæ, ſpiritualia quædam ordinauit munita præſidia, ad quæ pugnantes confugiant, vt in illis reſumptis viribus, vel ſotis vulneribus iterum in campum redeant acrius bellaturi. Hæc nempe tutiſsima, & inexpugnabilia, & ad detegenda animæ vulnera ſpiritualia ſunt ſacramenta, per hæc nãque datur lapſis requies, debilibus robur, formidoloſis audacia, & ſemel proſtratis fiducia dimicandi. Quis etenim valeret aduerſus immundos ſpiritus pergere, in acie perſeuerare, & de talibus aduerſarijs obtinere uictoriam, niſi diuinis interdum eſſet recreatus alimẽtis, & exhortationibus animatus? Quis in tam diuturno certamine contra tam acerrimos luctatores perſiſtere unquam poſſet, niſi ſuper cæleſti hoc tanto verbi Dei pabulo paſceretur? Nullus ſibi arroget cauſam uictoriæ: nemo de proprijs uiribus præſumat: agat Deo gratias in cunctis operibus bonis, atque domino exercituum ſuum de inimicis aſcribat triumphum. Ipſe namque eſt, qui electos ſuos eripit de manibus perſequentium: ipſe eſt, qui oues ſuas in montes excelſos & in paſcua pinguia deducit, eaſque miſericorditer protegit ab incurſibus beſtiarum: ipſe eſt, qui milites eligit ſuos, eos faciens contra aereas poteſtates reſiſtere, & perſeueranter pugnare: ipſe nempe eſt, qui ad ſe de ſpirituali prælio redeuntes fouet, & nutrit ſacramentalibus alimentis. O quàm ſalubria ſunt cibaria hæc, ò quàm munita ſunt diuina præſidia: ſi quis enim veneno diaboli percuſſus eſt, ſi quis peccati morbo percuſſus, incunctanter ad refugium confeſſionis accedat, & ibi ſuarum recipiet medelam plagarum. Siquis uero inedia tabeſcit, uel fatigatus in prælio, reparare uires concupiſcit, ſacroſancta corporis Chriſti fideliter ſumat myſteria, & ſtatim conualeſcet in melius, priſtina reſtaurata uirtute. Eſt namque ſacramentum hoc tanquam cellarium quoddam omnium aromatum in ſe continens pretioſitatem, & virtutem, in ipſum qui ingrediuntur refocillantur ab omni fatigatione, & uires recipiunt, quibus perſeuerare poſſint in virtute. Eſt etiam myſterium hoc quaſi ingens arbor virentibus referta folijs, ſub quam

qui-

quicunque fugiunt laborantes, & peregrinantes proteguntur in ipſius umbraculo a diei æſtu, a turbine quoque, & pluuia: Confeſſionis vero ſacramentum uelut ſinus pacatiſſimus eſt, in qua hominum conſcientiæ religantur, ne a procellis abſorbeantur delictorum, deiecta eriguntur, amiſſa reparantur, & quicquid immunditiæ, inundantibus tentationum tempeſtatibus, aut operante malitia in nauem conſcientiæ perfuſum eſt, reijcitur, & purgatur. Hæc denique ſacramenta in remedium infirmitatis humanæ diuina contulit miſeratio, omnino ſaluti neceſſaria. Nemo enim quantumcunque ſanctus, quamuis innocens, & perfectus ſecernitur. Nullus prorſus eſt, qui hoc cœleſti non indigeat auxilio. *Ad Ro. 8.* Omnes quidem peccauerunt, & egent gloria Dei. Quis enim caſtum gloriabitur ſe habere cor, aut mundum eſſe a peccato? Vide igitur quanta debeatur reuerentia authori tam diuinorum remediorum, qui ſeſe nobis etiam in cibum dat in mirabili Euchariſtiæ ſacramento. Cuius excellentiſſimi ſacramenti dignitatem quis ſufficienter effari poſſit? Humanam, & angelicam tranſcendit gloriam, & linguam, & quidquid in eo eſt, diuinum planè eſt: ſub ipſis namque accidentibus totus Chriſtus eſt uerus Deus, & uerus homo, integer permanens in diuiſione ſacramenti, totus ſub unaquaque particula: non laceratur manibus, non atteritur dentibus, ſed ſemper in ſeipſo incoinquinatus, & impaſſibilis perſeuerat. Eſt planè manna abſconditum, in ſe continens omnium ſpiritualium abundantiam deliciarum, maxima nempe deuotionis materia in ipſo eſt: & quis non excitetur ad mentis deuotionem, cum diligenter conſideret tam ineffabilem diuinæ dignationis charitatem ſic inclinari ad ſe, ut nequaquam horreat hominis uiliſſimam ſubſtantiam, & deformatam naturã? Aut quis non compungatur, cum dominum gloriæ recogitat uenturum ad ſe corporaliter? Vel quis non corde proſtrato totis medullis veneretur tantæ præſentiam maieſtatis? Cuius uel ferreum pectus, aut adamantina mens non liqueſcat præ deuotione, cum ſibi Deũ, & ſe Deo ſenſerit corporaliter unitum? Non capit cor, lingua deficit humanuſque ſopitur ſenſus ad inueſtigandum tanti arcana myſterij. O quantæ cibi delitiæ, quantus odor, qualia uerba, quàm vehemẽs amor, quàm caſti amplexus guſtantur. Quis propalare hæc ualeat? Nihil tũc tibi, niſi dulciſona interioris hominis cantica, clamores deſideriorum, gratiarum actiones, laudum præconia, affectionum gemitus reſonant in laude dilecti. Talia nempe ſunt munera tua domine Ieſu, taliaq; amoris encænia, quæ amicis tuis deuotis, & dilectis per hoc ſacroſanctum myſterium conferre dignaris, ut omnem tranſeuntis uitæ ſuperent delectationem; per illud namqꝫ uenerabile myſterium tradis te ipſum fidelibus tuis, quatenus diſcant ex ipſius ſuauitate amare te, tenere te, cognoſcere te.

De Iudæorum ſinagoga dixit dominus apud Beatum Matthæum. Relinquetur uobis domus veſtra deſerta. At uero Eccleſiæ ſuæ ſanctæ perpetuã promiſit præſentiam, perpetuumque præſidium. Quam ob cauſam etiam, Emanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus appellatur. Nobiſcum eſt, ut Chriſtus, hoc eſt, *Eſa. 7.* ut Deus & homo, in admirabili euchariſtiæ ſacramento: ubi erit omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi in illa munda oblatione, de qua ipſe dixerat iam pridem, præclariſſimè, & ſingulariter per Prophetam Malachiam? In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. *Malach. 1* Hunc ſiquidem Malachiæ locum grauiſſimi quique authores de ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento

inter

interpretantur. Non quidem eſt hoc conuiuium ſicut illud, quod fecit Aſſuerus, neque illa cœna quam fecit Balthaſar Rex Babylonis, ſed prȩſtantior longè, & excellentior, ſiue numerum ſpectes inuitatorum, ſiue etiam delitias epularum. Neque eſt ueluti cœna illa Alexandri Magni: de qua refert Plutarchus, quòd prȩmium daretur in ea illi, qui pluries epotaſſet, & multi propterea perierunt: Cui & aliam copioſiorem adiunxit, in qua etiam multo plures perierunt, ut prodidit Aulogellius: ſed cœna eſt in qua ſe ſe Deus dat in cibum. Quam cœnam qui recuſant, atque negligunt, ſimiles eſſe videntur Reginȩ Vaſti, quæ recuſauit conuiuium Regis Aſſueri.

Eſther. 1. Atque propterea de regia dignitate depulſa eſt, & in eius locum ſucceſſit ipſa Eſther. Quod quidem malum plerìſque admodum contingit, qui ſiliquis malunt ſaturari, inſtar filij illius prodigi, quàm conuiuio hoc paterno frui. Si enim tantopere indignatus fuit Aſſuertus, eo quòd Regina Vaſti recuſaret eius conuiuium, an non magis iraſcetur Deus contra negligentes ſuũ conuiuium?

Derelinquunt homines uel ſubterfugiunt & recuſant res diuinas, & ſe totos permittunt rebus humanis, & caducis, atque ita propter temporalia iacturam faciunt ſpiritualium, & æternorũ.

Simile. Vt enim guſtus retunditur, & ſtupidus redditur, ſi immaturos, acerboſque ederit fructus, ita ut poſtmodum uelli ſuauiſſimos delibauerit, vix ſuauitatem ipſam perſentiat: & ſicut cultellus aliquis vbi aciem hebetatam habuerit propter craſſum aliquod obiectum, in quod vim ſuam exercuit, paulò poſt in delicatum non poteſt ſine maxima difficultate agere: ita profectò, qui ſe totos dedunt rebus terrenis, & inutilibus, guſtum rerum diuinarum, & ſuauitatẽ amittunt: indeque fit, vt plerique ſe excuſent a cȩleſti hoc conuiuio.

Vſque adeo plerique rebus friuolis, & infimis dediti ſunt, obliti interim rerum ſolidarum, vtilium, ac ſalutarium, vt propter eiuſmodi curioſitatem ſuam uitȩ etiam iacturam non raro incurrant. Ariſtotelem quidem ferunt miſerabili quodam dolore, atque mœſtitia conſumptum obijſſe, propterea, quod conijcere ſatis, & aſſequi nunquam potuerit cauſas fluxus plaudis cuiuſdam, aut marini ſinus, de quo mentionem faciens Pomponius Mela, inquit, quòd ſepties ſingulis diebus fluere ſoleat, ac refluere, ſiue aridum relinquere littus. Cȩterum quod Ariſtoteles ex eo mœrore, & ſenſu diem ſuum obierit, proditum reliquerunt Iuſtinus martyr, Procopius hiſtoriographus lib. 4. Gregorius item Nazianzenus in prima contra Iulianum oratione. Quin etiam nonnulli dicunt, quòd ſe ſe in eandem paludem prȩcipitem demiſerit, vt refert Mirandulanus libr. 4. ſuæ philoſophiæ. In huiuſcemodi igitur rebus friuolis pleriq; occupati ſolent, obliti interim, vel negligentes res cȩleſtes, atque diuinas.

Euchariſtia, qua cordis puritate ſumenda ſit.

IPſos etiam lapides altaris (quod a gẽtibus olim Machabȩorum tempore fuerat prophanatum) quando iam nefas erat hoſtias in eo adolere, eo quòd idolorum ſacrificijs pollutum fuiſſet, præcepit Iudas Machabeus in loco mundo collocari, donec ſurgeret propheta, qui conſulto Deo quid de his lapidibus faciendum eſſet oſtenderet. *1 Macha. 4. Cap.* Qua ex re licet nobis ad hunc modum philoſophari: ſi Deus noſter uſque adeo puritatis amator eſt, vt altaris ſui lapides ſacrificio idolorum maculatos in mundo loco reponi voluerit: quantam, quȩſo, a nobis puritatẽ exiget, vt ſacratiſſimum corpus ſuũ intra viſcera

noſtra

noſtra recipiamus? Non dubito quin quantum ſacramentum, quod traditur in altari a lapidibus diſtat altaris, tantũ puritas,& munditia noſtra ab illa diſtare debeat. Quod ſi Hieremias ꝓpheta inter ſummas excidij Hieroſolymitani ruinas lamentatur, quòd lapides Sanctuarij in capite omnium platearũ diſperſi iacerent, vbi ab omnibus conculcarentur; quale, obſecro, erit ipſum Dei filium conculcare,& pretioſiſſimũ teſtamenti eius ſanguinem polluere? Vtinam in hac parte tranſgreſſoris etiã Adæ timorem imitaremur, cuius inobedientiam imitamur: qui vbi Dei vocem in paradiſo deambulantis audiuit, ſe; eo quòd nudus ante domini loquentis conſpectum apparere trepidaret. Si igitur ille adeo domini loquentis conſpectum uerebatur, quia nudus erat, quomodo tu, qui non modo pietatis,& iuſtitiæ indumento nudatus, ſed multis etiam vitijs coopertus es, ad altare tremendum, atque adeo ad ipſius domini corpus accedis? Balthaſar ille Babyloniæ Rex quoniam indignis manibus vaſa templi Dñi contractare auſus eſt, eadẽ nocte vita ſimul & imperio ſpoliatus eſt. Dũ n. in côuiuio ſuo ſacra vaſa prophanat, articulos immiſſę manus vidit, tria illa verba horrificat cõtra ſe in pariete ſcribẽtis: Mane, Thechel, Phares, q̃ repẽtinũ illi exitiũ minabãtur. Si ergo ita Dñs iniuriã eorũ vaſorũ vltus eſt, in qbus ſanguis tãtũ hircorũ, & arietũ fundebatꝰ qua, q̃ſo, pęna in eos aĩaduertet, q calicis ſui ſãguinẽ,& ſuũ ipſiꝰ corpꝰ ĩpuro corde,& corpore ſuſceperint?

Hiere. 4.

Ad Hebr. 10.

Gene. 3.

Dan. 9.

Eucharistia quare manna vocatur.

QVoniam aũt ſuperius diximus, ꝙ hoc verbũ, manhu, dici poteſt de hoc ineffabili ſacramento; operęprecium erit videre qualiter mãna illud figura fuerit iſtius cœleſtis cibi erat manna cibus quidã delicatiſſimus, dulciſſimus, candidiſſimus, puriſſimus, non hominũ induſtria, ſed Dei virtute formatus, nullũ habẽs cũ terra cõmerciũ, cui inter alia hæc erant annexa prodigia. Primo quòd vnus omniũ ſaporũ plenitudinẽ continebat, Secũdo quòd cuiq; ſapiebat, vt ipſe erat: bonis bene, malis male. Vnde quidã illorũ faſtidientes dicebãt: Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, & cæpas peponeſq; Ægypti, & ollas carniũ cupiebãt. Tertiò qđ vnũquemq; ad ſufficientiã ſatiabat, ſicut ipſe comedens indigebat: pro vno quoq; eni capite vnũ colligebatur Gomor, neq; pro viro amplius, neque pro puero minus, & ſic neq; edaci deerat, neq; parco ſuperabat. Non datus fuit iſte cibus populo in Ægypto, ſed neque ing reſſis terrã deſiderabilẽ, poſtquam vberes terræ fructus guſtauerũt, ſed peregrinãtibus in deſerto, donec ingrederentur prõmiſſam patriã. Neque ſtatim vt egreſſi ſunt de Ægypto ſed pertranſito prius mari,& ſubmerſis in aqua hoſtibus,& conſumpta farinula, quã eduxerãt de Ægypto. Erat quoq; aliud nõ minus in eo mirandũ, quod cũ in diem alterũ ſine putrefactione ſeruari non poſſet, Dñi tamen præcepto in arca teſtamenti illius tanti beneficij memoria le ſempiternũ illæſum, integrũq; ſeruabatur. Quid, obſecro fratres, huic mirabili ſacramento conſonũ magis, & accommodatũ adferri potuit hoc edulio? Quã n expreſſam & quã notoriã continet ſacramenti Dñi noſtri Ieſu Chriſti figuram? Quid enim dulcius, quid pretioſius, quid purius iſto cibo? Qui non de terra eſt, ſed de cœlo venit: nõ hominũ opere, ſed Spiritus ſancti virtute in ſacro virginis vtero formatus, omnem habet ſaporem, omnem continet ſuauitatem, in eo omnium virtutum,& chariſmatum plenitudo eſt. Sapit etiam cuiq; ſicut eſt, & iuxta ſumentis qualitatem ſuum mutat panis iſte ſaporem, Vnde ſancta de illo canit Eccleſia. Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inęquali, vitæ vel interitus. Mors eſt malis,

Sap. 16.

Num. 21.

Exod. 16.

ad Heb. 9.

malis; vita bonis, vide paris ſumptio-
nis quàm ſit diſpar exitus. Habet etiã aliud, quod iuxta propriam cuiuſq; capacitatẽ reficit vnũquemq; edentis nãque merito, & deuotioni reſpõdet: licet enim ſeipſo infinitæ virtutis exiſtat, nõ tamen infinitam, ſed proportionatam cuilibet exhibet efficaciam. neque maioribus deeſt, neq; minoribus ſupereſt, cuiq; tamen ex Dei beneplacito determinata menſura, i. Gomór, limitataque efficacia eſt, quã ex opere operato cõferat, ſiue vt ſacramentũ Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ſiue vt ſacrificiũ eſt: tamen tantam cuilibet pręſtat gratiã, quantam in eo reperit meritorũ, & diſpoſitionis ſufficientiam. Quotus ergo quiſq; fuerit, qui accedit, ſiue gigas merito, ſiue pigmæus, vnde reficiatur copioſiſſimè habet, ſi iam iugũ Pharaonis excuſſit, ſi liber ab Ægypto peccati ſeruitutem euaſit: non. n. captiuorũ, & ſeruorũ, ſed liberorũ eſt panis iſte, & filiorũ. Non etiam eſt ciuiũ in patria regnantiũ, ſed viatorum in deſerto peregrinantiũ, qui iam cœleſtis patrię fructibus ſaginatur, hoc ſacramentali non indiget alimento: adipe. n. frumenti ſine cortice illa ciuitas ſatiatur, ſicut in Pſalmo ſcriptũ eſt.
Pſal. 147. Vnde iſte cibus viaticũ merito nominatur, quoniam viatorũ cibus eſt, non ciuiũ: In deſerto quippe iſto inuio, & inaquoſo hoc pane reficimur peregrini, donec promiſſam nobis patriam attingamus. Quid mirum ò viator ſi deficis, ſi laſſaris, qui viaticum tuũ recipere ad annum protrahis? Quid de infirmitate, & corpore cordis quotidie conquereris, qui illud cibo ſuo ſemel in anno pa-
Pſal. 101. ſcis? Nũquid nõ legiſti, Aruit cor meũ, quia oblitus ſum comedere panẽ meũ? Nunquid tu non uidiſti, quid laſſo corpori cibus conferat? Crede mihi hoc confert animo viaticũ ſalutare. An putas quia guſtatus Dñi. nullam adferat ſumentibus ſuauitatem? Affert ſanè maximam, & animæ palato ſuauiſſimè ſapit, adeo vt facile quamcumq; ſuauitatem aliam longiſſimo interuallo ſuperare videatur, & vincere. Quod ipſa experientia teſte, ſæpe ſancti uiri didicerunt. Occultatus quandoq; fateor propter fidem, ut non huic experientię noſtra credulitas innitatur, ſed frequentius hoc noſtra euenit tepiditate: quoniam Ægypti farinula guſtus infectus, cæleſtem non percipiat alimoniam. Iã uerò quod ut memoriale perpetuum illud manna in tabernaculo domini ſeruatur, quàm dilucidum, & indubitatum dominici corporis typum habet? De quo ſtatim poſt eius inſtitutionem a domino dictum eſt: hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis.

Narrat diligentiſſimus ille hiſtoriographus Vincentius Bell. rem ſanè memorabilem, & dignam, quàm hic inſeramus in hunc modum: In oriente puer quidam Iudæorum filius cum a coæuis ſuis Chriſtianorum filijs ad hoc adductus eſſet, vt in Eccleſia matris domini noſtri Ieſu Chriſti corpus Chriſti perciperet, propter hoc a patre ſuo proiectus in fornacem ardentem illæſus inde a Chriſtianis extractus eſt, nam mater pueri cum audiſſet, quòd filium cõmunem, pater deliberaſſet exuere, cucurrit ad liberandum eum: Sed cum uidiſſet incendia ab ore fornacis, patulo huc, atque illuc reſpergi ciuitatem uocibus impleuit: Chriſtiani autem concurrentes ad ſpectaculum, retractis ignibus, inuenerunt puerum illæſum: interrogantes autem infantulum Chriſtiani quale ei inter ignes fuiſſet umbraculum, ait. Mulier illa, quæ in baſilica, ubi panem de menſa accepi, in cathedra ſedens puerulum in ſinu geſtat, hęc me pallio ſuo, ne ignis me uoraret, operuit, unde indubitandum eſt beatiſſimam ei Mariam auxilium apparendo præbuiſſe.

Vincent. Bell. ſpe. hiſto. li. 21. cap. 78.

EXEMPLVM

Bonum.

ad Ro.13. SCribens B. Paulus ad Romanos inquit. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis ſicut in die, honeſtè ambulemus. *Simile.* Solent homines, cum dies eſt, corpus componere, cooperire, atque adaptare ne quid inhoneſtum, atque indecorum hominum proſpectibus appareat quod cum nox eſt minimè facere curāt, quoniam tenebrę eos occultant, ne uideantur. Inter infideles, ac paganos, quibus ſol iuſtitiæ non eſt ortus, hoc eſt Chriſtus Ieſus, quoniam in tenebris agunt uitam, nō eſt tanta cura, vt uitia tegāt, immo indecora multa inter eos fiunt, nec alij multū de his curant, ut eſt modo uidere apud Turcas, quorum Rex publicè multos pueros ad rem nefandam perpetrandam habet: & uidere fuit etiam apud Gentiles, cum tot inter eos fœda publicè permitterentur. *Ad Rō.1.* Quare eos B. Paulus in eadem epiſtola ad Romanos uocat incompoſitos. At inter Chriſtianos, qui in hac die ambulant, nihil quod a recta ratione diſſentit, permittitur. *1.ad Cor.6* Ideò inquit B. Apoſtolus, ſicut in die honeſtè ambulemus, ſiquidem nox præceſſit, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c. & ad Corinthios ſcribens nos docet, quomodo proximis noſtris bona exempla exteriora dare debemus, dicēs. An neſcitis quōm membra ueſtra templū ſunt Spiritus ſancti, qui in uobis eſt per gratiam, quā habetis a Deo & nō eſtis ueſtri, ut non polluatis corpora ueſtra; empti.n. eſtis pretio magno. Videte ergo quid faciatis (inquit B. Tho. in hoc loco) immūda reddendo corpora ueſtra glorificate, & portate Deum non ſolum in anima, ſed etiam in corpore ueſtro operantes bona opera exteriora in membris ueſtris corporalibus. *B. Th. lec. 3. in epiſt. ad Rom.* Cū enim Spiritus ſanctus Deus ſit, Conueniens eſt, quod in quocunq; ipſe eſt in ſpū, aut in anima, templum Dei dicatur. Eſt tū principaliter Spiritus ſanctus in anima exiſtenti in gratia, ſecundario tamen eſt in membris corporalibus, in quantum exequūtur operà charitatis. Vnde Regius vates aiebat. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum uiuum, ſcilicet, bene operando. *Pſal.83.* Glorificate ergo (inquit B. Apoſtolus) & portate Deū in corpore ueſtro: nihil.n. in corpore ueſtro debet apparere, niſi quod ad gloriā Dei, & ad ædificationē proximorū pertinet. Hoc eſt.n. glorificate Deū in corpore ueſtro, quia ut Dauid inquit. In tēplo eius oēs dicēt gloriā, quod etiā de iſto tēplo pōt intelligi, in quo oēs potentię animę ſpirituales, & oēs ſenſus corporales debēt gloriā Dei dicere, & enarrare, quantū *Pſal.83.* uero bona exēpla exteriora ad correctionē peccatorū conducant, uerba illa S. Iob manifeſtè indicant. Ait.n. Inſtauras teſtes tuos contra me. *Iob. 10.* Teſtes ſuos inſtaurat contra nos Deus, quia bona quę facere ipſi negligimus, hæc ad correctionē noſtrā fieri ab alijs demōſtrat vt qui præceptis non accendimur, uel exēplis incitemur, atq; in appetitu rectitudinis nihil ſibi difficile mēs noſtra exiſtimet, quod perfectè peragi ab aliis uidetur, unde cū B. Apoſt. ad Heb. ſcribēs ſanctorū patrū ueteris teſtamenti magnifica geſta recenſeret: tandem dixit. *ad Heb.12.*

Ideoq;

Ideoq; & nos tantam habentes impoſi tam nubem teſtiũ, deponentes oẽ pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitũ nobis certamẽ. Animaduertite quomodo ſanctos teſtes appellat, & bona exẽpla nubes uocat, protegimur enim ſanctorum exemplis, & geſtis tanquam nubibus aduerſus ſolis æſtum, hoc eſt aduerſus concupiſcentię, & uitiorũ ardorẽ. Hi ergo ſancti & omnes quotquot modo bona exempla proximis ſuis præbent, inſtaurati teſtes Dei ſunt aduerſus peccatores, & infideles. Cum ergo B. Paulus poſtquam de paſſione Domini egit dicens. Empti eſtis pretio magno, addidit: Glorificate, & portate Deum in corpore ueſtro, quaſi diceret, Magnitudinem beneficij ex parte cognouiſtis, iam quid uobis ſit agendum, in laudem, & gloriam authoris ſalutis ueſtræ audite. Glorificate, & portate Deum in corpore ueſtro. Hoc ſummæ curę debet eſſe Chriſtianis, glorificare, ſcilicet, & portare Deum in corpore ſuo. Quid eſt in corpore? In oculis ex uera mortificatione, in auribus ex aſſidua auditione uerbi Dei, obturãdo eas ne audiant ſanguinẽ (ut inquit S. Eſai) hoc eſt murmurationis ſermonem, & opprobriũ aduerſus proximum ſuum, in lingua, quæ ſolũ Deũ laudare & bñdicere, & proximũ de uia ſalutis inſtruere ſciat: nihil turpe, aut inhoneſtũ, aut criminoſum loquendo contra fratrem: in manibus, quæ purè contra cęlũ eleuentur, & ad miſericordias pauperum extendantur. Hoc eſt glorificare, & portare Deum in corpore. Sic impletur Domini præceptũ apud Matthęũ. Lux ueſtra luceat coram hominibus, ut videãt opera ueſtra bona, & glorificent patrẽ ueſtrũ, qui in cœlis eſt. Ad Coloſſenſes etiam ait idem B. Apoſtolus. Oẽs, qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Quid eſt Chriſtum induiſtis. i. Chriſtum pro ueſte accepiſtis, ut indumẽto iuſtitię illius circũdati nõ oſtẽdatis ultra iã ab ulla parte quidquã in operibus, & conuerſationibus, niſi ſanctitatẽ Chriſtianitatis. Hoc Dñs ſignificare uoluit in illis Apocalypſis uerbis, ubi ſic ait. Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Templum (ut ait D. Tho.) eſt eccleſia: altare uero eſt Ieſus Chriſtus. Adorantes in eo ſunt Chriſtiani. Itaque uult Dominus, quòd ſicut in eccleſia ſua, & ipſemet abſque macula ſunt, & ſicut puritas, ac ſanctitas, Chriſti publicè uiſa, & nota fuit, ſic Chriſtiani, tales eſſe debeant, vt quicumq; eos uiderit, cõfundantur, & ex uirtute eorum cognoſcat legis, quam obſeruant, puritatem. Metiatur eos Maurus, Hebręus, & Gentilis, & nihil in eis reperiat, niſi bonitatem, ac ſanctitatem, quemadmodum uult Dñs, ut Euangelium ſuum & lex ſua ſit inſta Nam quantumcunq; illam homines metiantur, nihil præter ſanctitatẽ, ac puritatem reperient: ſic oportet, ut in Chriſtianis inueniatur hæc puritas. Non ſic impius Mahoma, qui nõ uult, ut execrãdam ſectam ſuam aliquis metiatur, aut de ea diſputet, ſed ut tantummodo armis acerrimè defendatur. Ratio huius eſt, quia tota ipſa erroribus, fallacijs, atque immunditiis plena eſt. Puriſſima autem Ieſu Chriſti lex optimè diſputari poteſt, & nunquam in ea error, aut malum aliquod reperietur.

Matth. 5. Ad Col. 3. Apoc. 11.

Exemplum bonum efficax.

QVantum bonum exemplum animos peccatorũ moueat, patet ex uerbis B. Auguſtini in li. confeſſionum, ubi ait. Tu aũt Dñe inter uerba, Potitiani, duorum nobilium conuerſionem referentis, torquebas me ad me ipſum, auferẽs, me à dorſo meo, ubi me poſueram, dum nollem me attendere & conſtituebas me ante faciem tuam, ut uiderem, quam turpis eſſem, quam diſtortus, & ſordidus, maculoſus, & ulceroſus. Ergo ſi bonum exemplum auribus ſolummodo perceptum tam efficaciter operatum eſt in corde huius ſancti Doctoris

B. Aug. li. 8. Confeſ.

ctoris, quando adhuc in peccato erat, ut ipſe hic fatetur, quanto magis efficacius operabitur bonum exemplum oculis corporeis uiſu? Ecõtra uerò hinc etiam infertur, quam efficacia ſint mala exempla oculis conſpecta ad eorum corda peruertenda, qui ea ipſa oculis uident. Idcircò merito Dominus ait.

Exemplum bonum in omnibus dandum.

Simile. ILla, quę lucem habent, ut uideri poſſint, oportet ſimilitudinẽ quaſdam, & ſpecies a ſe emittere, quibus in cognitionẽ ipſorũ deuenimus. Exempli gratia, ut facies tua in ſpeculo uideatur, prius a ſe quaſdam ſpecies emittit, quibus ipſa facies conſpicitur. Dicunt philoſophi ſpecies eſſe ſimulachra uitæ. Anima, quæ in corpore incluſa eſt, quaſdam ex ſe mittit ſpecies, ac ſimilitudines per linguam, per oculos, per ſenſus ac membra corporalia, quibus apertę conſpicitur, qualis ipſa ſit. Vultis uidere, qualis eſt quilibet? Attendite uerba, quæ ipſe loquitur, uias, quibus ambulat, & opera, quę agit, & exercet, nam uerba, opera, ac motiones exteriores ſunt animæ ſimilitudines, & qualis eſt anima tales ipſę ſunt. Hinc oritur, quod cum peccatores animam perditam, & certo quodammodo corruptam habeant, mala exempla ſuis proximis prębent: contra uero iuſti cum animã ſanctam habeant, exempla ſancta de ſe præbent. Contendamus igitur fratres mei animas noſtras ſanctificare, & ita omnes bona exempla prębebimus. Quamuis autẽ hoc omnibus cõducat, multo tamen magis Eccleſiaſticis conuenit. Vnde B. Auguſtinus ait. Qui nos amant, quærunt quid laudent in nobis, qui uero nos oderunt detrahunt nobis: ſed nos in medio conſtituti adiuuante Domino Deo noſtro, & uitam noſtrã, & famam ſic cuſtodire debemus, ut nõ erubeſcãt de detractoribus laudatores.

B. Aug. de morib. & uita cler.

Quare B. Paulus gaudebat, quod diſcipuli de illo benè ſentirent, & ita dicebat. Gauiſum ſum in Dño uehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut ſentiebatis. Vbi ponderandũ eſt aduerbiũ, uehemẽter. Hoc autem gaudiũ non accipiebat D. Paulus propter id, quod ipſum tãgebat, ſed propter id, quod ad diſcipulos ſuos conducebat, qui tanto maius commodum, maioremq́; utilitatem ab eius doctrina elicerent, quanto magis certi eſſent de eius ſanctitate. *Ad Phi. 4*

De quo libet iuſtorum ait ſanctus David. Erit tanquam lignum, quod plãtatum eſt ſecus decurſus aquarũ, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. *Pſal. 1.*

Arbor non ſolum fructus ſuo tempore prębet, uerum etiam ſemina quibus aliæ arbores producantur: ſic iuſtus ſuis bonis exemplis aliquo modo iuſtos alios generat, folia uerò ſunt uerba: & ſunt aliqui, qui tacentes loquuntur, alij uero loquentes tacent. Iuſti ſuo ſilentio uoces emittunt, at peccatores uoci ferantes obmuteſcunt, iuxta ſententiã Menandri a Plutarcho relatam ſic dicentem. Sermo aut uis rethoricæ non perſuadet, ſed uirtus, ac bonum exemplum. Fœlix ille, qui uerbis auarus eſſe cupit, prodigus autem operibus: nunquam enim bene loqui ſciet, qui bene tacere neſcierit. Quemadmodum pauperes tunc apertius paupertatem ſuam dignoſcunt, & ſentiunt, cum theſauros diuitum proprijs oculis contemplantur. Sic peccatores, tunc clarius defectus ſuos uident, quando ſanctorum uirtutes conſiderant, & ſibi repręſentantur. Quando animo euoluo ea, quę ſanctus aliquis in ſua uita egit, & me ipſum contemplans, uideo parum, quod ago cor meum ad pedes quodammodo cadere uidetur. Quemadmodum ęgroti, & maximè febricitantes ea e quę comedunt inſipida, & abſque guſtu reputant, at ſi eadem alios manducare ſuauiter, & maximo *Simile.* *Simile.* *Simile.*

mo

mo cum ſapore uident, tunc ipſi ea ſapida reputant, & inuehuntur non in ipſos cibos, qui benè conditi ſunt, ſed in ſeipſos & in ſuam ægritudinem, quæ cauſa eſt, ut ſibi omnes epulæ quantumcunque ſapidæ ſint, inſipidæ reddatur. Sic nos debemus in nos ipſos iraſci uidentes, quàm male nobis uirtutum ſapiat exercitium, quàm moleſtè ferimus ieiunium cilitium, orationes, uigilias, & iniuriarum remiſsiones. Quę omnia aliis delectabilia ſunt. Profectò morbus, & ægritudo noſtra nobis tædium hoc, & moleſtiam affert. Idcircò contra nos ipſos inuehi debemus; atque per ſanctorum exempla uires ſumere oportet ad id, quod ipſi fecerunt operandum.

In cruce Dominus latronem, ac Cẽturionem conuertit. Et quidem ponderatione dignum eſt uidere, quid filius Dei in illo arido ligno crucis fecerit ubi non ſolum prædicauit, ſed plurima operatus eſt, ubi neminem uerbis tantum conuertit, quantum operibus, conuerſio enim latronis, & Centurionis nõ ex uerbis, quibus eos hortabatur, ſed ex admirandis operibus, quæ ibi Dominus in conſpectu omnium operatus eſt dimanauit.

Exemplum bonum à ſanctis doctoribus laudatur.

Orig. lib. 1 in Iob.

ORigenes inquit. Sicut cęli luminaria, ac ſydera in firmamento cęli à Deo collocata cunctis indeſinenter quæ ſub cœlo fulgent, atque omnibus, quæ ſuper terram ſunt, per tempora, ac tempora, per generationes, & generationes mirabiliter relucent, alia quidem per noctem, ut luna, & ſtellæ, alia nihilominus per diem ut ſolis ſpecioſiſsimi radii: ſic & ſanctorum uirtutes inſignia, atque beatiſsimi eorum agones omnibus in perpetuo ſingulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus ſub ſole pietatis exemplũ oſtendunt. Quod autem ſideribus, atque luminaribus cõparentur omnes ſancti, demonſtrat Apoſtolus dicens. Stella differt à ſtella in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorũ proculdubio ſanctorum. *1. ad Co. 15* Sed & Angelus ad Danielem. *Dani. 12.* Tum iuſti effulgebũt ut luminaria cœli, & tanquam ſol, & luna, & tanquam ſtella in ſæcula. Sic itaque effulgent, atque emicãt omnes ſancti non ſolum in tempore reſurrectionis, ſed & nunc in tempore præſentis ſęculi. Alius fide fulget, ut Abraham, alius caſtitate, ut Ioſeph, alius nihilominus manſuetudine, ut homo Dei Moyſes. Item uero alius conſtantia, atque tolerantia uehementium dolorum, ut admirabilis Iob. Euſebius Emiſſenus in quadam homilia inquit. *Euſ. Emiſ. ho. de initio quadr.* Sicut quãdo aliquis peccat, ſub conſcientia, ac deſtructione plurimorum de pluribus incurrit reatum, quantum per unius membri uitium ſerpit late diffuſum relinquã per membra contagium tantum in actorem ſuum multiplicis mali recurrit augmentum: & quantos deſtruxerit, de tantis ſibi materiam damnationis congregabit. Commiſſo enim peſſimo opere contriſtantur boni ſubuertuntur mali, utinam non etiam boni; nimis enim penetrabile telum eſt imitatio deteriorum. Ita autem è contrario, quando quiſque de Eccleſiæ filiis aliquod bonum profitetur in publicum creſcit deuotio mirantium, ac de tantis acquiruntur bonorum operum fructus quantorum uelut balſami ſuauitati condiuntur affectus.

B. Baſi. epiſto. 1. Simile.

B. Baſilius ait. Quemadmodum pictores imaginem ex imagine pingunt exemplar identidem reſpectantes lineamenta eius transferre conantur magno ſtudio ad ſuum officium: ita qui ſe meditatur omnibus numeris uirtutis abſolutum reddere: ueluti ſimulachra quędam ſpirantia & actuoſa ſanctorũ uitas reſpicere oportet, probaque opera illorum ſua imitando facere.

Beatus

B.Chryſ.de contin Ioſ. Simile.

Beatus Chryſoſtomus inquit. Non in ſolis hominibus videmus ſimilium imitationem, ſed in brutis, nam & columbæ ſæpe viſa vna auolante ſtatim ſequuntur omnes, & pullus generoſus in equorum armento exiliens ſecũ rapit omne armentum, Et inter vos vt in armẽto Chriſti bonus eſt pullus Ioſeph continentiſſimus, cœleſtibus exultationibus ad ſui imitationem nos cõſeruos vocans.

B.Chry.ho. 2.periculo ſum eſſe adire ſpectacula. Simile.

Idem ſanctiſſimus Doctor in quadã homilia ait. Quemadmodum qui laborant ab oculis, ſi ſpõgias, ac veſtigiũ cianeo colorẽ pannos tenẽtes frequenter in ea intueantur ex eo colore nonnullum capiunt morbi leuamen: Sic ſi hominis clementiſſimi & humaniſſimi imaginem præ oculis habeas, & in hunc aſſiduè oculos defigas, etiã ſi millies abundet ira mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar reſpiciens perfectam conſequeris ſanitatẽ, puramque animi Philoſophiam ac trãquillitatem.

Clim. de diſcr.gra.26 Simile.

Beatus Ioannes Climacus ait. Sicut pauperes cum theſauros diuitum aſpiciunt, ſuam paupertatẽ amplius agnoſcunt, ita magnificas patrum vitas relegens mentem ſuam amplius humiliat.

Idem Pater beatiſſimus ibidem inquit. Vt Zeuxis pictorus Iunonem Agrigentinis omnibus virginibus inſpectis, quinque præcipuas elegit ex quibus, quod eſſet in vnaquaque præcipuum imitaretur, ita è plurimis optimi nobis ad exemplum uitæ proponendi ſunt.

Plutarchus in moralibus ait. In facie plus offendit neruus aut uerrucula quàm in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: ſic exigua delicta magna videntur in principe cuius vita in conſpicuo eſt. Licet autem bona exempla ſemper vtilia ſint, & fructuoſa, multo tamen magis utilia apparẽt, ubi pauci iuſti ſunt, & plurimi peccatores, tunc.n.non tantum utiliores ſunt, verum etiã magis eniteſcunt, atque ita

Tit.Plato. ſer. 24. Simile.

Titius Platonicus ſapienter dixit, Quẽadmodum noctu lux ex igne claritatẽ lucens maiorem oſtentat, eo qui pariter interdiu apparet, propterea quod noctu profunda obſcuritas circunfuſa eius auget ſplendorem. interdiu uero quaſi certamine tenui, ac debiliſſimę luci, cum ualentiſſimo ſolis fulgore ſit ſcepto obſcurari magis minorem clatitatem oportet, ſic etiam tenue bonum, ſi per contentionem cum malis examinari contingat, fit, vt optimum maximum, & excellentiſſimum eſſe uideatur. Quemadmodum in tenebris profundis parua aliqua ſcintilla, aut obſcuriſſima nocte lux minima ſplẽdore clare oſtentat, at ſi ei cum ſuis ſimilibus bonis curſum, contentionemq; proponas tunc optimè deſpicies, id quod verè eſt optimum cum ſi aliter feceris ordinem prorſus perturbes, atque confundas.

Exemplum bonum maiorum.

Volens Eliphaz S. Iob perſuadere patientiam exiſtimans, ipſum eã non habere, eumque labores illos pro peccatis ſuis pati, ei dixit. Recordare, obſecro te, quis unquam innocens periit, aut quãdo recti deleti ſunt? In quo ut Chaldæus innuere uidetur) illuſtres Patriarchas Abraham, Iſaac, & Iacob, illorumque geſta, & optimos rerum exitus ſancto uiro in mentem uoluit reuocare. Nunquid iuſtus quiſpiam (ait Chaldæus) ut Abraham perijt, aut intẽger aliquis, vt Iſaac funditus deletus ẽ? Nulla enim re perinde ad uirtutẽ inflãmamur, & ad honeſti proſequutionẽ, ut eorum, quos admiramur exemplis, maximeque illuſtribus peruetuſtis, ac domeſticis. Nam ut illa authoritate cõmendantur, ita etiam, & hæc affectu. Nam priſcorum uirtutes, quoniã ab inuidia longe abſunt, & audimus libenter, & miramur impẽſius, & natura ita fit, ut exemplis finitimis acrius tangamur: veluti maiorum, affiniũ, & eorum, quibus cum nobis vel patria, vel

Iob 4.

ordo, vel profeſſio communis eſt. Siue ergo uirtutes Abraham, Iſaac, & Iacob, cum quibus erat ſancto uiro arctior neceſſitudo, è quorum ſtirpe originẽ duxerat ſiue Noe, ſiue Enoch egregia opera, ac proinde fœlices huius vitæ exitus, & ſucceſſus recenſere Eliphaz dixerit, vtrumque ſatis ſuſcepto argumento cohæret.

Exemplum bonum ante omnibus ponendum.

VT enim ludi magiſtri, qui ſcribendi artem profitentur, quanta poſſunt dexteritate elegantiſſimos characteres effingunt, eosque populo ſpectandos proponunt, ut artis ſuæ peritiam oſtentent; ita omnipotens illa bonitas abſolutiſſimum liberalitatis, & gratiæ, atque magnificentiæ ſuæ exemplar in Chriſti humanitate conſtituit, in quà hæc tanta gratiarum opulentia ex ſola ſua largitate, ante omne meritum effuſa eſt, ut hoc argumento, & homines, & angeli immenſam communis domini magnificentiam cognoſcerent, illumque propter hanc tantam liberalitatis gloriam laudarent. Et ſibi ipſi gratularentur, quod Dominum tam immenſa benignitate præditum colerent, à quo magnificentiſſimè laborum ſuorum præmia expectarent, laborantes pro uirili in eius exempli imitatione. *Simile.*

Quemadmodum (ut inquit Beatus Baſilius) pictores, cum imaginem aliquam ad alterius exemplar exprimere uolunt, identidem exemplar ipſum ſpectantes, illius lineamenta, & colòres ad uiuum referre conantur: ita quiſquis ſeipſum ſtudet uirtutibus cunctis perfectum reddere, debet in hoc elaborare, ut quaſi ad ſimulachra motu, & actione prædita (exempla dico Chriſti, & ſanctorum) ſæpè oculos animi conuertat, ut eorum in ſe puritatem, & innocentiam transferre ualeat. Quod ſi ſummam ſanctorum puritatem, & innocẽtiam exactè exprimere non ualeat, pulcherrimum tamen erit, & in ſecundo, tertiouè loco conſiſtere. Nam & qui pueros ſcribere, & literas formare docent, abſolutiſſima illa literarum exemplaria proponunt, quæ ſi illi talia reddere nequeunt, ad illa tamen exprimenda, quantum per ætatem licet, aſpirent. Magna ergo, & excelſa exempla nobis ad imitandum proponere debemus, quoniam (ut rectè Fabius inquit) altius ibunt, qui ad ſumma nituntur, quam qui præſumpta deſperatione, quò uelint euadendi protinus circa ima ſubſtiterunt. Nam quemadmodum qui debili uiſu præditi ſunt conſpicilis indigent, quibus uideant: ita planè mortales in hac uita in multis uiuentes defectibus exemplis indigent ſanctorum, ad quorum imitationem mores ſuos componant. Et ſicut nauigantibus prodeſt conſpectus ipſe ſyderum, ut ualeant commodè nauigationem ſuam perducere: ſic profecto indigent homines in hac uita ſanctorum præclariſſimis exemplis, quibus dirigantur, & gubernentur: nam quamuis terra aurum producat, eget tamen artificis induſtria, ut humanis uſibus adaptetur: ſic quamuis aliquis ſplendidum habeat ingenium, indiget tamen aliqua arte, & induſtria qua poſſit expoliri; & ueluti tabella quadam egent nauigantes in qua marinos curſus deſcriptos habeant. Sic homines indigent intelligentia ſententiarum, & conſiliorum ſanctorum præteritorum ut poſſint commode in hoc mundo uerſari: & tanquam boni nauigantes rectam intentionem in Deum dirigant, & ab ſcopulis & periculis inferni fugiant. *Simile.* *Simile.* *Simile.*

Exemplum malum dominorum.

DE crudeliſſimò quodam Imperatore refert Seneca, quod cum cuiuſdam filium haberet in uinculis, & pater pro eo magnis precibus, ac ſæpè repetitis intenderet, is quidem Imperator, crudeliter ſua, & immanitate uſq; adeò *Sene. li. 2. de ira. c. 33.*

debacchatus eſt, ut filium ſtatim illius hominis interfecerit, & ad eum coctũ patrem eius inuitauerit, edere quæ de filii ſui carne ſub hac interminatione cogerit, quod niſi id ſaceret, alium etiã eius filium (quem ſuperſtitem, & unicum habebat,) ſtatim iuberet interfici.

De Priamo item ſcribit idem Seneca tale quippiam, nempe, quod patrem quendam compulerit de filii ſui dextra comedere, ne ſi ſecus faceret filium ei alterum interficeret. Hi patres inuiti carnes filiorum ſuorum comederunt, nunc uero patres, qui filiis praua exempla præbent uirtutes eorum, & animas crudeliter, & ſponte manducant, ò crudelitatam lachrymis ſanguineis deplorandum: uidete, obſecro, ò crudeles patres, quibus uos maculis maculatis.

Exemplum malum.

Mat.8.

APud Matthæum, uæ homini illi, per quem ſcandalum uenit. Scandalum, ſecundum Theologos, eſt dictum, uel factum, minus rectum præbens occaſionem ruinæ. Eſt enim nomen uſurpatum à corporalibus, à quibus, ut potè nobis magis notis, ſpiritualia denominamus: ſcandalum autem corporale dicitur, quando ponitur alicui obex in uia, per quam tranſit, in qua offendens, uel ruit, uel diſponitur ad ruinam: ita in uia ſpirituali per dictum, uel factum alterius ſolet aliquis trahi, uel induci ad peccandum. Vnde Beatus Hieronymus ſuper illud. Quicunque ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis minimis, &c. inquit. Scandalizat alium qui alteri dicto, uel exemplo occaſionem ruinæ præbet. Heu quot ſunt hodie ſcandalum proximis dantes. Conſtituit olim Pharao miniſtros operum, qui populum ad palearum, & luti opera urgerent: ſed multo plures habet hodie principes huius mundi magiſtros, qui nos ad ſcelerata opera ſua urgeant. Quot prauos conſultores, quot adulatores, quot praua improborum hominum exempla, quibus plenus eſt mundus, unde fit, ut pretioſa alterius ueſtis, domus, menſa, familia, uariaque ſupellex mihi uanitatis, & auaritiæ magiſtri, atq; inceſtores ſint. Ideo oportet, ut cauti ſimus, inſtanterque uigilemus. De iuſtis autem perfectis dicitur in Pſalmo. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum: quia tales ſunt in charitate radicati, & fundati, ut ait Beatus Paulus. Quare ſicut uentus ualidus, etiam ſi moueat arborem, fixè radicatam non tamen eã euellit, ſic mala aliorum non eradicant iuſtos, etiam ſi tantiſper moueant, habent enim domum ſupra firmam petram ædificatam, contra quam etiam ſi uenti, ac flumina inſurgant, non tamen obruere poſſunt illam. Quare Beatus Paulus audacter dicebat. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, &c. & ut oſtenderet, ſe non impingere ob aliorum facta, ait ad Corinthios ſcribens. Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Non dicit, & ego non ſcandalizor, hoc enim longe eſt à uiris iuſtis, & perfectis, ſecus autẽ & imperfectis contingit, qui ſtatim uiſis imperfectis exemplis corrumpuntur. Veruntamen inter mala exempla illius nocibilia ſunt, quæ in maioribus conſpiciuntur: Vt in piſce corrupto capite totum corpus corrumpitur, ſic in republica deprauato Principe, alii in prauitate uerſantur. Qui uidere uult, ſit ne piſcis contaminatus, aut non, aſpicit caput, hoc enim eſt, quod prius corrumpitur. Hinc eſt quod merito ſanctus Iſaias rempublicam cum piſce comparat, cuius caput Princeps eſt, corpus autem populus: & ſignificare uolens Hieroſolymæ corruptellam ait. Principes tui putridi, & fœtidi: ſic enim uerti poteſt ex Hebræo, ubi noſtra uerſio habet. Principes tui infideles. Quantum etiam exemplum malorum parentum filiis noceat, docet Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia, ubi ſic ait. Pulli ſerpentium ſtatura breuiores ſunt parentibus: ueneno

B.Hiero. ſuper Matt. 18. — *Exo. 2.* — *Pſal. 118.* — *Simile.* — *Ad Ro. 8.* — *1. ad Cor. 11.* — *Simile.* — *Iſa. 1.*

B.Chry.ho. 42. operis imperf. *Simile.* tamen illis ſunt coæquales,& catuli luporum adhuc teneri conſtituti,etſi venationem exercere non poſſunt;iam tamen ſanguine gaudent ouium,& morſibus cum agnis ludunt. O genimina viperarum,& auarorum,immo ſerpentium filij, qui cum adhuc puſilli ſitis, & ſtatura breues, iã ferè coæquales parentibus ueſtris in ueneno rapinarum, & uenditionum, & in fraude ſimiles eſtis. O catuli luporum,qui cum nõdũ uenationem emptionum,& uenditionũm iniquarum frequentare poſſitis, tamen ſanguine pauperum iam gaudetis,& morſibus carnes innocentium dilacerare contenditis,quia hoc à parentibus ueſtris didiciſtis. Quia autem hæc ita ſe habent, Vos fratres per miſericordiam Dei obſecro,ne mala exempla proximis veſtris, & multo minus ſubditis, & filijs veſtris præbeatis: ſed, ut Beatus Bernardus inquit in quodã ſermone, hominibus bonum exemplũ per bona opera ſeminemus, & angelis gaudium magnum per occulta ſuſpiria.

Exemplum malum prælatorum.

ILli, qui in aliquo dignitatis gradu poſiti ſunt, ſolent ſuis malis exemplis maius,quam alij ſcandalum generare. Quemadmodum corpora mortua, ſi ſepulta ſunt, & terræ mandata, malum damnum inferunt, ſi uero ſub terra non includantur aerem corrumpunt,& peſtem generant:ſic quando aliquis particularis homo ſecretũ peccatum cõmittit,ſibi ſoli nocet, & eſt uelutí corpus ſepultum: At uero homines in aliqua Reipublicæ dignitate collocati, ſi publicè delinquunt, ſunt ueluti cadauera inſepulta,quę ſuo peſſimo odore omnia corrumpunt:Sanctus Moyſes (ut ſacra refert pagina) cinerẽ in aere erexit, & ſtatim facta ſunt ulcera Ae- *Exo.9.c.* gyptijs: ſic homines leues ſicut cinis, ſi in alto dignitatis gradu collocẽtur plurimorũ in Rep.malorũ ſunt cã, Ideo ꝑ *Pſal.11.* eo quod nos legimus:In circuitu impij ambulant, ſecundum altitudinẽ tuam multiplicaſti filios hominum. B. Hieronymus ex Hebræo uertit.In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint; uiliſſimi filiorum hominum. Ideſt, [*de euertuynes cabeças, viene a auer muchos malos en las Republicas.*

Exemplum malum grauiter punitur.

NArrans Propheta Michæas horribiliẽ flagella,quæ domui Iuda,& domui Iſrael propter ingentia ſcelera ſua dominus miſſurus erat,inquit. Au- *Mic.2.* dite populi,& attendat terra,& plenitudo eius. Exorditur Propheta ueluti ex abrupto ſermonem, ut ſua exclamatione maiorem concitet attentionem.Solent enim huiuſmodi exclamationes magis aures audientium arrigere,& eorum commouere animos ad attentionem: ſic de rebus magnis loquuturus Moyſes exclamauit dicens: Audite cęli;auribus percipe terra uerba oris mei. Sic etiam exclamauit Iſaias:Audite cę- *Deut.32.* li,auribus percipe terra.Sic Michæas incipit:Audite populi omnes,&attendat *Iſa.1.* terra,& plenitudo eius. Inanimata inteſtes uoluerunt Prophetæ inuocare,vt orationem amplificent,& uehementiorem reddant. Habet enim huiuſmodi phraſis loquendi maiorem emphaſim, & uigorem ad animos auditorum cõmouendos. Cum enim Prophetæ du- *B.Chry.ho 3. de pæn.* ros adeo homines uideant, nimiumq; obturare aures ſuas,ad ea, quæ eis conueniunt audienda,cęlum quantumcũque remotum,& terram,quantumcunque duram,& inſenſibilem inuitant:& id,quod illis à natura negatum eſt,tribuunt, ut uehementior ſit expoſtulatio:ſicut etiam fecit Propheta ille, qui Ioroboanum uidens Idolis ſacra facientem,non homines impios, neque *3.Reg.13.* ipſum Regẽ,ſed altare inſenſibile, & lapidibus conſtructũ in hunc modũ allo quutus fuit.Altare,altare hæc dicit dominus. Lapides alloquitur, qñ hoĩes *3.Reg.13.*

multo lapidibus duriores ſunt, nam altare, ſciſſum eſt uerbis Prophetæ obtẽperans, ipſe autem Rex durior factus remanſit. Sic nunc Propheta Michæas ait. Attendat terra, & plenitudo eius: quo nomine cætera omnia etiam inſenſibilia, quibus terra abundat, & plena eſt, intellexiſſe uidetur. Sic enim & alii uertunt. Quidquid in ea eſt. A terra; & à rebus inſenſibilibus ſanctus uir attentionem poſtulat certius habituros auditores, quam ſi ſolum homines inuitaſſet. Et quid audituri ſunt? Quia ecce, inquit, dominus egredietur de loco ſuo: loquitur Propheta de Deo, ac ſi de homine aliquo loqueretur. Cum princeps aliquis ruinam molitur alicui urbi aut regioni, egredi conſueuit de locis, in quibus frequenter habitare ſolet, & eò ſe confert, quò deſtinauit exercitum. Ita faciet dominus (ait Propheta) quaſi homo egredietur, licet ipſe non egrediatur, cum ubique ſit: nec moueatur, cum ſit immutabilis, ſed egredietur, quia uindictam ſumet de gẽte illa peccatrici, ſicut etiam Iſaias dixit. *Iſa.26.* Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, ut uiſitet iniquitatem habitatorũ terræ contra ipſum. Quid autem facturus ſit Dominus in egreſſu ſuo declarat dicens. Et calcabit ſuper excelſa terræ, & conſumentur montes ſubtus eũ, & ualles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. His omnibus uerbis, grauiſſimam calamitatem minatur, qualem contingere etiam uidemus, cum potentiſſimus aliquis Rex magno cum exercitu regionem aliquam inuadit. Montes in plana uertunt loca, per quæ tormenta bellica uehantur, ualles ipſas complanant: & præclara ſimilitudine explicat, nam cera liquefacta tumorem amittit, quem antea habebat: & montes ſicut aquæ decurriſſe uidentur. Solent autẽ Prophetæ Poetarum more diuinam potentiam hiſce commotionibus explicare, ſicut Regius uates, cum ait. *Pſal.17.* Cõmota eſt, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis. Vtuntur enim ea orationis exornatione (quam rethores hyperbolem uocãt) ut exprimant, atque amplificent uim iræ diuinæ, atque potentiæ eius. Quod B. Hieronymus adnotauit ſuper Iſaiã. *B.Hiero ſuper Iſa.13* Hanc enim ait eſſe ſuperlationem, qua uehementiſſimam iram Dei uates ſancti exaggerent. Non ergo ſic ſunt intelligenda uerba Michęæ, quaſi iſta contigerint in deſolatione Samariæ, ſed quod his uerbis ſtatum, & diſpoſitionem, illius ciuitatis, & regionis, atque habitatorum proponat. Viſurum enim erat illis præ magnitudine timoris mõtes conſumi, & ualles ſicut ceram à facie ignis ſcindi, & ſicut aquam in præceps decurrere. Vel uoluit Propheta his uerbis docere, non eſſe illis in aliqua re fidendum, ut reſiſtere poſſent diuino furori, licet enim Samaria in excelſo loco eſſet conſtituta, licet undique montibus, & uallibus cincta, ea eſt diuini furoris potentia, ut nihil horum impedimento illi eſſe poſſet. Nam licet in excelſo loco Samaria eſſet, ſuperexcelſa terræ (inquit) ipſe calcabit, licet undiq; montibus munita, & uallibus; tamen montes conſumentur, & ualles ſcindentur ſubtus eum. Hæc omnia fecit dominus, quia (ut in Paralipomenone dicitur) *1.Para.5.* ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Regis Aſur in Iudæos, idcirco & Deum egreſſum fuiſſe, & hæc feciſſe aſſerit Propheta, ſcilicet, ſuper excelſa terræ calcaſſe, & montes ſubtus eum conſumptos. Quæ omnia facta fuerunt uenientibus Aſſyriis. Quia uero poſſet aliquis merito rogare Prophetam, & quæ nam tanta ſe offerre cauſa, & ratio potuit, ut Deum alioqui mitiſſimum, & ſic ad parcendum, & miſeendum pronum concitaret ad ſumendum tam graue ſupplicium de his hominibus? *3.Reg.12* Reſpondet. In ſcelere Iacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſrael. Per Iacob Samariæ regnum intelligit, per Iſrael autem regnum Iuda. Vt enim conſtat ex tertio Regum: Cum gens illa Hebræorũ uni pareret Regi, unumque eſſet re-

gnum,iu duo eſt diuiſa regna,duæ tribus Roboam Regi parebant, ſcilicet, Iuda,& Beniamin cum Leuitica tribu, quæ in Beniamin ſorte habitabat. Decem aurem tribus ſequutæ ſunt Ieroboam.Duæ priores & Iuda regnum, & domus Dauid, & aliis nominibus uocabantur. Factio autem decem tribuū Ephraim,& Iſrael, & aliis nominibus dicebatur, & aliquando domus Iacob. Quod autem hic nomine Iaaob Propheta regnum decem tribuum intellexiſſet,facilè colligi uidetur,cum rationē reddens peccatorum hominum illorum inquit.Quod ſcelus Iacob? Nonne Samaria?Poſtea uero inquit de aliis duo bus tribubus:& quæ excelſa Iudæ? Nonne Hieruſalem? Ecce quot damna ex ma lis exemplis proueniant cum ſcelus I acob ortum à Samaria ciuitate regia habuit,& excelſa Iudæ à Hieruſalē ubi curia Regum reſidebat, etiam hortum habuerunt. Excelſa appellat ſcriptura ſacra ea loca,atque Phana,in quibus idolis ſacrificia fiebant.Quia enim Gentiles in locis excelſis aras ſuis diis conſtruere ſolebant, ac templa dicare (quod ideo faciebant,ut facilius dii ſui odorem libami num, & ſacrificiorum perciperent,tanquam illis propinquiores)ideò excelſa appellat ſcriptura ſacra loca illa,ac Phana, ubi Iudæi idololatræ ſcelera illa perpetrabant. Regias uero illas urbes Samariam,& Hieruſalem cau ſas fuiſſe tantorum ſcelerum, & errorum propheta tradit,quia occaſionē ſuis peruerſis exemplis aliis ciuitatibus idolatrandi præbuerunt. Solent enim regiæ urbes quæ debebant exemplum uiuendi præbere cæteris,ſolent, inquā eſſe ſcholæ, & officinæ ſcelerum, inde tanta morum corruptio ad alias dimanat urbes ex principum curia:quod illic geritur,quaſi uiuēdi regula ab aliis uſurpatur.Ruſticus, & inurbanus habetur,qui non eiſdem ueſtibus,non eiſdem ſermonibus, non eadem uiuendi ratione utitur. Vndè maximè oportet principes aduertere, quæ in curiis, in quibus habitant, permittant, maximā illos oportet æquitatis, & probitatis habere rationem,his præcipuè in urbibus,in quibus degunt.Inferiores namque ſuperiorum mores facilè æmulantur,ut ait Beatus Ambroſius.Et qualis eſt rector ciuitatis,tales & ſubditi eius erunt,inquit Eccleſiaſticus, *Eccl. 16.*

FESTVS DIES.

FEſtis diebus Dei laudibus, & Dei ſermoni, & meditationi, & orationi eleemoſynarūque largitioni vacare debemus. In lib. 2. Eſdræ dici- *2. Eſdræ 8*
tur. Comedite pinguia & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non parauerūt ſibi. Sed heu quam multi ſunt, qui hæc nullatenus ſeruent?Similes illi qui(ut Numeri ſacra narrat hiſtoria)
Num. 15. Sabbato ligna colligebat, quem Moyſes, & Aaron in carcerem recluſerūt,& requirentes à Domino quid de illo facere oportere, ait Dominus. Morte moriatur homo ille: obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Ligna ſpiritualiter ſcindit, qui materiam ignis infernalis ſibi colligit, qui lapidandus eſt, id eſt duris obiurgationibus increpandus, qui in feſtiuis ceſſare non uult, quin mala ad ſuum æternum incendiū colligat.

Beatus Gregorius Nazianzenus de hac materia agens inquit. Sanè, & Iu- *Naz. orat. habita in præſentia Greg. fra.*
dæus feſtiuitatem peragit,uerum ſecundum literam peragit & feſtiuitatem gentilis, ſed ut placeat dæmonibus. Nos autem, ut omnia ſint ſpiritualia opera, motus, conſilia, ſermo, ad inceſſum uſque & amictum, quin & ad nutum tonus,ita ut ratio in omnibus

dominetur, & homo ſecundum Deum dirigatur. Iſidorus Clarius in quadam
Iſi.Clar.orat.31.ſo.2. oratione ait. Legimus hominem, qui ligna collegerat in die Sabati oblatum Moyſi, Iuſſu Domini lapidibus obrutum. Alio item loco narratur grauiter peccaſſe eos, qui contra mandatum Domini profecti fuerant ad colligendum manna in die Sabbati. Quanto ergo magis putandum eſt eos grauiſſimè paccare, qui negotiationibus, ſpectaculis, ludis aleæ, tripudijs, pſaltationibus, & Choreis incumbunt, qui comeſſationibus, colloquijs prauis, & impudicis, cantilenis diem feſtum conſpurcãt?

Loquẽs Dominus de filijs Iſrael per Ezechielem prophetam dixit. Sabbata mea dedi eis, ut eſſet ſignum inter me, & eos, & ſabbata mea uiolauerunt uehementer.
Ezec. 20. Hoc eſt præcepi illis, ut ſabbata ſanctificarent, & à laboribus ſeruilibus abſtinerent, quo poſſent totos ſe ſe mihi dare, & myſteria mea in animo uerſare: eſſet que ſignum inter me, & eos, hoc eſt, mutui amoris ſignificatio eorum erga me, quo mihi adhærerent, oſtenderẽtque cæteris populis eſſe meæ legis cultores. Præcepit etiam Deus, ut ſabbatum obſeruaretur, in quo ipſe requieuerat in mundi creatione poſt opera ſex dierum, ut eſſet omnibus perſpectum, & cognitum non fuiſſe mundũ ſempiternum abſque principio, ſed à
Gen.1. Deo creatum. Creauit Deus mundum, & die ſeptimo requieuit. Ideò dies illa obſeruabatur. At contaminatis hominibus, & morum corruptela deprauatis mortalibus, fecit Deus alterum quodammodo mundum, & cum multis diebus laboraret, & pro nobis mortem crudeliſſimam pateretur, requieuit die Dominica reſurgens à mortuis, ut nos à morte liberaret. & (ut uerbis utar Diui Pauli.)
Ad Ro.4. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Eam ob cauſam decreuit ſancta Eccleſia diuino ſpiritu edocta, ut pro ſabbato dies Dominica obſeruaretur. Nam quemadmodum in lege ueteri ideo dies ſeptima obſeruabatur, quia in ea requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat, ſic in lege noua obſeruatur dies octauus, quia in eo Chriſtus quieuit patratis humanæ redemptionis operibus. Sed dices. Si ſabbati obſeruantia eſt diuinum præceptũ morale, qui fieri potuit, ut mutaretur? Nam & ſi cæremonialia ablata fuerint, moralia tamen auferri non poterant. Huic obiectioni facile reſpõdetur hoc modo. In ſabbati ſanctificatione erat quippiam morale, quippiam uerò cæremoniale: morale eſt obſeruari diem unum in hebdomada, & hoc non abſtulit Eccleſia, eſſe autem hunc diem, uel illum, hoc erat cæremoniale: & hoc merito mutauit, quia mutare poterat; immo mutare debebat ob reſurrectionis ſacratiſſimæ myſterium. Et ipſa lex uetus innuebat Iudæorum ſabbata eſſe abrogãda, ſolumque vſque ad Chriſtũ duratura. Oſeas diuinus vates Deum in hunc modum introducit loquentẽ. *Oſee 2.*
Ceſſare faciam omnes gaudium eius, & ſolemnitatem eius, neomæniam eius, ſabbatum eius, omnia feſta tempora eius, Vide quam aperte ipſorum Iudęorum propheta (cuius ore ipſi Deum loqui teſtabantur) eorum ſabbata, & feſtiuitates abrogandas eſſe prædixerit. Per Amos prophetam etiam hoc modo ait Deus. Odi, & proieci feſtiuitates *Amos 5.* veſtras, & non capiam odorem cętuum veſtrorum. Non ſolum dixit eſſe, Eodem modo per Iſaiam: Neomæniam, & ſabbatum & feſtiuitates alias non *Iſa.1.* feram: iniqui ſunt cætus veſtri. Calendas veſtras, & ſolẽnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta. Non quod tunc feſta impia eſſent, ſed quod Iudæi eſſent impij: erant illa quidem lege durante bona, ſed adueniente euangelio ceſſatura. Et intuens idem propheta mentis oculis venturum eſſe Chriſtum, qui alterum quodammodo mundum cõſtitueret, qui nouos cælos, hoc eſt, nouos Apoſtolos, qui ennarrarent gloriam Dei, efficeret, & nouum *Pſal.18.* populum, qui cantaret Dño canticũ nouum, illique non vmbris, & figuris, *Pſal.95.*

interpretantur. Non quidem eſt hoc conuiuium ſicut illud, quod fecit Aſſuerus, neque illa cœna quam fecit Balthaſar Rex Babylonis, ſed preſtantior longè, & excellentior, ſiue numerum ſpectes inuitatorum, ſiue etiam delitias epularum. Neque eſt ueluti cœna illa Alexandri Magni: de qua refert Plutarchus, quòd premium daretur in ea illi, qui pluries epotaſſet, & multi propterea perierunt: Cui & aliam copioſiorem adiunxit, in qua etiam multo plures perierunt, ut prodidit Aulogellius: ſed cœna eſt in qua ſe ſe Deus dat in cibum. Quam cœnam qui recuſant, atque negligunt, ſimiles eſſe videntur Reginę Vaſti, quæ recuſauit conuiuium Regis Aſſueri. *Eſther. 1.* Atque propterea de regia dignitate depulſa eſt, & in eius locum ſucceſſit ipſa Eſther. Quod quidem malum pleriſque admodum contingit, qui ſiliquis malunt ſaturari, inſtar filij illius prodigi, quàm conuiuio hoc paterno frui. Si enim tantopere indignatus fuit Aſſuertus, eo quòd Regina Vaſti recuſaret eius conuiuium, an non magis iraſcetur Deus contra negligentes ſuũ conuiuium?

Derelinquunt homines uel ſubterfugiunt & recuſant res diuinas, & ſe totos permittunt rebus humanis, & caducis, atque ita propter temporalia iacturam faciunt ſpiritualium, & æternorũ. *Simile.* Vt enim guſtus retunditur, & ſtupidus redditur, ſi immaturos, acerboſque ederit fructus, ita ut poſtmodum uelli ſuauiſſimos delibauerit, vix ſuauitatem ipſam perſentiat: & ſicut cultellus aliquis vbi aciem hebetatam habuerit propter craſſum aliquod obiectum, in quod vim ſuam exercuit, paulò poſt in delicatum non poteſt ſine maxima difficultate agere: ita profectò, qui ſe totos dedunt rebus terrenis, & inutilibus, guſtum rerum diuinarum, & ſuauitatē amittunt: indeque fit, vt plerique ſe excuſent a cęleſti hoc conuiuio.

Vſque adeo plerique rebus friuolis, & infimis dediti ſunt, obliti interim rerum ſolidarum, vtilium, ac ſalutarium, vt propter eiuſmodi curioſitatem ſuam uitę etiam iacturam non raro incurrant. Ariſtotelem quidem ferunt miſerabili quodam dolore, atque mœſtitia conſumptum obijſſe, propterea, quod conijcere ſatis, & aſſequi nunquam potuerit cauſas fluxus plaudis cuiuſdam, aut marini ſinus, de quo mentionem faciens Pomponius Mela, inquit, quòd ſepties ſingulis diebus fluere ſoleat, ac refluere, ſiue aridum relinquere littus. Cęterum quod Ariſtoteles ex eo mœrore, & ſenſu diem ſuum obierit, proditum reliquerunt Iuſtinus martyr, Procopius hiſtoriographus lib. 4. Gregorius item Nazianzenus in prima contra Iulianum oratione. Quin etiam nonnulli dicunt, quòd ſe ſe in eandem paludem pręcipitem demiſerit, vt refert Mirandulanus libr. 4. ſuæ philoſophiæ. In huiuſcemodi igitur rebus friuolis pleriq; occupari ſolent, obliti interim, vel negilgentes res cęleſtes, atque diuinas.

Euchariſtia, qua cordis puritate ſumenda ſit.

IPſos etiam lapides altaris (quod a gētibus olim Machabęorum tempore fuerat prophanatum) quando iam nefas erat hoſtias in eo adolere, eo quòd idolorum ſacrificijs pollutum fuiſſet, præcepit Iudas Machabeus in loco *1 Macha. 4. Cap.* mundo collocari, donec ſurgeret propheta, qui conſulto Deo quid de his lapidibus faciendum eſſet oſtenderet. Qua ex re licet nobis ad hunc modum philoſophari ſi Deus noſter uſque adeo puritatis amator eſt, vt altaris ſui lapides ſacrificio idolorum maculatos in mundo loco reponi voluerit: quantam, quęſo, a nobis puritatē exiget, vt ſacratiſſimum corpus ſuũ intra viſcera

noſtra

noſtra recipiamus? Non dubito quin quantum ſacramentum, quod traditur in altari a lapidibus diſtat altaris, tantũ puritas, & munditia noſtra ab illa diſtare debeat. Quod ſi Hieremias ꝓpheta inter ſummas excidij Hieroſolymitani ruinas lamentatur, quòd lapides Sanctuarij in capite omnium placearũ diſperſi iacerent, vbi ab omnibus conculcarentur; quale, obſecro, erit ipſum Dei filium conculcare, & precioſiſſimũ teſtamenti eius ſanguinem polluere? Vtinam in hac parte tranſgreſſoris etiã Adæ timorem imitaremur, cuius inobedientiam imitamur: qui vbi Dei vocem in paradiſo deambulantis audiuit, ſe, eo quòd nudus ante domini loquentis conſpectum apparere trepidaret. Si igitur ille adeo domini loquentis conſpectum uerebatur, quia nudus erat, quomodo tu, qui non modo pietatis, & iuſtitiæ indumento nudatus, ſed multis etiam vitijs coopertus es, ad altare tremendum, atque adeo ad ipſius domini corpus accedis? Balthaſar ille Babyloniæ Rex quoniam indignis manibus vaſa templi Dñi contractare auſus eſt, eadẽ nocte vita ſimul & imperio ſpoliatus eſt. Dũ. n. in cõuiuio ſuo ſacra vaſa prophanat, articulos immiſſę manus vidit, tria illa verba horrificat cõtra ſe in pariete ſcribẽtis: Mane, Thechel, Phares, q̃ repentinũ illi exitiũ minabãtur. Si ergo ita Dñs iniuriã eorũ vaſorũ vltus eſt, in q̃bus ſanguis tãtũ hircorũ, & arietũ fundebat quã, q̃ſo, pęna in eos aĩaduertet, q calicis ſui ſãguinẽ, & ſuũ ipſi' corp' ĩpuro corde, & corpore ſuſceperint?

Hiere. 4. *Ad Hebr. 10.* *Gene. 3* *Dan. 9.*

Euchariſtia quare manna vocatur.

Quoniam aũt ſuperius diximus, ꝙ hoc verbũ, manhu, dici poteſt de hoc ineffabili ſacramento; operęprętiũ erit videre qualiter mãna illud figura fuerit iſtius cœleſtis cibi erat manna cibus quidã delicatiſſimus, dulciſſimus, candidiſſimus, puriſſimus, non hominũ induſtria, ſed Dei virtute formatus, nullũ habẽs cũ terra cõmerciũ, cui inter alia hæc erant annexa prodigia. Primo quòd vnus omniũ ſaporũ plenitudinẽ continebat, Secũdo quòd cuiq; ſapiebat, vt ipſe erat: bonis bene, malis male. Vnde quidã illorũ faſtidientes dicebãt: Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, & cæpas peponeſq; Ægypti, & ollas carniũ cupiebãt. Tertiò q᷈d vnũquemq; ad ſufficientiã ſatiabat, ſicut ipſe comedens indigebat: pro vno quoq; eni capite vnũ colligebatur Gomor, neq; pro viro amplius, neque pro puero minus, & ſic neq; edaci deerat, neq; parco ſuperabat. Non datus fuit iſte cibus populo in Ægypto, ſed neque ingreſſis terrã deſiderabilẽ, poſtquam vberes terræ fructus guſtauerũt, ſed peregrinãtibus in deſerto, donec ingrederentur promiſſam patriã. Neque ſtatim vt egreſſi ſunt de Ægypto ſed pertranſito prius mari, & ſubmerſis in aqua hoſtibus, & conſumpta farinula, quã eduxerãt de Ægypto. Erat quoq; aliud nõ minus in eo mirandũ, quod cũ in diem alterũ ſine putrefactione ſeruari non poſſet, Dñi tamen præcepto in arca teſtamenti illius tanti beneficij memoria ſempiternũ illæſum, integrũq; ſeruabatur. Quid, obſecro fratres, huic mirabili ſacramento conſonũ magis, & accommodatũ adferri potuit hoc edulio? Quã in expreſſam & quã notoriã continet ſacramenti Dñi noſtri Ieſu Chriſti figuram? Quid enim dulcius, quid precioſius, quid purius iſto cibo? Qui non de terra eſt, ſed de cœlo venit: nõ hominũ opere, ſed Spiritus ſancti virtute in ſacro virginis vtero formatus, omnem habet ſaporem, omnem continet ſuauitatem, in eo omnium virtutum, & chariſmatum plenitudo eſt. Sapit etiam cuiq; ſicut eſt, & iuxta ſumentis qualitatem ſuum mutat panis iſte ſaporem, Vnde ſancta de illo canit Eccleſia. Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inęquali, vitæ vel interitus. Mors eſt malis,

Sap. 16. *Num. 21.* *Exod. 16.* *ad Heb. 9.*

malis, vita bonis, vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus. Habet etiã aliud, quod iuxta propriam cuiuſq; capacitatẽ reficit vnũquemq;: edentis nãque merito, & deuotioni reſpõdet: licet enim ſeipſo infinitæ virtutis exiſtat, nõ tamen infinitam, ſed proportionatam cuilibet exhibet efficaciam: neque maioribus deeſt, neq; minoribus ſupereſt, cuiq; tamen ex Dei beneplacito determinata menſura, i. Gomor, limitataque efficacia eſt, quã ex opere operato cõferat, ſiue vt ſacramentũ Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ſiue vt ſacrificiũ eſt: tamen tantam cuilibet præſtat gratiã, quantam in eo reperit meritorũ, & diſpoſitionis ſufficientiam. Quotus ergo quiſq; fuerit, qui accedit, ſiue gigas merito, ſiue pigmæus, vnde reficiatur copioſiſſimè habet, ſi iam iugũ Pharaonis excuſſit, ſi liber ab Ægypto peccati ſeruitutem euaſit: non. n. captiuorũ, & ſeruorũ, ſed liberorũ eſt panis iſte, & filiorũ. Non etiam eſt ciuiũ in patria regnantiũ, ſed viatorum in deſerto peregrinantiũ, qui iam cœleſtis patrię fructibus ſaginatur, hoc ſacramentali non indiget alimento: adipe. n. frumenti ſine cortice illa ciuitas ſatiatur, ſicut in Pſalmo ſcriptũ eſt.
Pſal. 147. Vnde iſte cibus viaticũ merito nominatur, quoniam viatorũ cibus eſt, non ciuiũ: In deſerto quippe iſto inuio, & inaquoſo hoc pane reficimur peregrini, donec promiſſam nobis patriam attingamus. Quid mirum ô viator ſi deficis, ſi laſſaris, qui viaticum tuũ recipere ad annum protrahis? Quid de infirmitate, & corpore cordis quotidie conquereris, qui illud cibo ſuo ſemel in anno paſcis? Nũquid nõ legiſti. Aruit cor meũ,
Pſal. 101. quia oblitus ſum comedere panẽ meũ? Nunquid tu non uidiſti, quid laſſo corpori cibus conferat? Crede mihi hoc confert animo viaticũ ſalutare. An putas quia guſtatus Dñs nullam adferat ſumentibus ſuauitatem? Affert ſanè maximam, & animæ palato ſuauiſſimè ſapit, adeo vt facile quamcumq; ſuauitatem aliam longiſſimo interuallo ſuperare videatur, & vincere. Quod ipſa experientia teſte, ſæpe ſancti uiri didicerunt. Occultatus quandoq; fateor propter fidem, ut non huic experientię noſtra credulitas innitatur, ſed frequentius hoc noſtra euenit tepiditate: quoniam Ægypti farinula guſtus infectus, cœleſtem non percipiat alimoniam. Iã uerò quod ut memoriale perpetuum illud manna in tabernaculo domini ſeruatur, quàm dilucidum, & indubitatum dominici corporis typum habet? De quo ſtatim poſt eius inſtitutionem a domino dictum eſt: hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis.

Narrat diligentiſſimus ille hiſtoriographus Vincentius Bell. rem ſanè memorabilem, & dignam, quàm hic inferamus in hunc modum: In oriente puer quidam Iudæorum filius cum a coæuis ſuis Chriſtianorum filijs ad hoc adductus eſſet, vt in Eccleſia matris domini noſtri Ieſu Chriſti corpus Chriſti perciperet, propter hoc a patre ſuo proiectus in fornacem ardentem illæſus inde a Chriſtianis extractus eſt, nam mater pueri cum audiſſet, quòd filium cõmunem, pater deliberaſſet exuere, cucurrit ad liberandum eum: Sed cum vidiſſet incendia ab ore fornacis, patulo huc, atque illuc reſpergi ciuitatem uocibus impleuit: Chriſtiani autem concurrentes ad ſpectaculum, retractis ignibus, inuenerunt puerum illæſum: interrogantes autem infantulum Chriſtiani quale ei inter ignes fuiſſet umbraculum, ait. Mulier illa, quæ in baſilica, ubi panem de menſa accepi, in cathedra ſedens puerulum in ſinu geſtat, hęc me pallio ſuo, ne ignis me uoraret, operuit, unde indubitandum eſt beatiſſimam ei Mariam auxilium apparendo præbuiſſe. *Vincent. Bell. ſpe. hiſto. li. 21. cap. 78.*

EXEMPLVM

Bonum.

ad Ro.13.

SCribens B. Paulus ad Romanos inquit. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis ſicut in die, honeſtè ambulemus. *Simile.* Solent homines, cum dies eſt, corpus componere, cooperire, atque adaptare ne quid inhoneſtum, atque indecorum hominum proſpectibus appareat quod cum nox eſt minimè facere curāt, quoniam tenebræ eos occultant, ne uideantur. Inter infideles, ac paganos, quibus ſol iuſtitiæ non eſt ortus, hoc eſt, Chriſtus Ieſus, quoniam in tenebris agunt uitam, nō eſt tanta cura, vt uitia tegāt, immo indecora multa inter eos fiunt, nec alij multū de his curant, ut eſt modo uidere apud Turcas, quorum Rex publicè multos pueros ad rem nefandam perpetrandam habet: & uidere fuit etiam apud Gentiles, cum tot inter eos fœda publicè permitterentur. *Ad Rō.1.* Quare eos B. Paulus in eadem epiſtola ad Romanos uocat incompoſitos. At inter Chriſtianos, qui in hac die ambulant, nihil quod a recta ratione diſſentit, permittitur. *1.ad Cor.6* Ideò inquit B. Apoſtolus, ſicut in die honeſtè ambulemus, ſiquidem nox præceſſit, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c. & ad Corinthios ſcribens nos docet, quomodo proximis noſtris bona exempla exteriora dare debemus, dicēs. An neſcitis quoniam membra ueſtra templū ſunt Spiritus ſancti, qui in uobis eſt per gratiam, quā habetis a Deo & nō eſtis ueſtri, ut non polluatis corpora ueſtra: empti.n. eſtis pretio magno. Videte ergo quid faciatis (inquit B. Tho. in hoc loco) immūda reddendo corpora ueſtra glorificate, & portate Deum non ſolum in anima, ſed etiam in corpore ueſtro operantes bona opera exteriora in membris ueſtris corporalibus. *B. Th. lec. 3. in epiſt. ad Rom.* Cū enim Spiritus ſanctus Deus ſit. Conueniens eſt, quod in quocunq; ipſe eſt in ſpū, aut in anima, templum Dei dicatur. Eſt tñ principaliter Spiritus ſanctus in anima exiſtenti in gratia, ſecundario tamen eſt in membris corporalibus, in quantum exequūtur operā charitatis. Vnde Regius vates aiebat. *Pſal.83.* Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, ſcilicet, bene operando. Glorificate ergo (inquit B. Apoſtolus (& portate Deū in corpore ueſtro: nihil.n. in corpore ueſtro debet apparere, niſi quod ad gloriā Dei, & ad ædificationē proximorū pertinet. Hoc eſt.n. glorificate Deū in corpore ueſtro, quia ut Dauid inquit. *Pſal.83.* In tēplo eius oēs dicēt gloriā, quod etiā de iſto tēplo pōt intelligi, in quo oēs potentiæ animæ ſpirituales, & oēs ſenſus corporales debēt gloriā Dei dicere, & enarrare, quantū uero bona exēpla exteriora ad correctionē peccatorū conducant, uerba illa S. Iob manifeſtè indicant. *Iob. 10.* Ait.n. Inſtauras teſtes tuos contra me. Teſtes ſuos inſtaurat contra nos Deus, quia bona quę facere ipſi negligimus, hæc ad correctionē noſtrā fieri ab alijs demōſtrat vt qui præceptis non accendimur, uel exēplis incitemur, atq; in appetitu rectitudinis nihil ſibi difficile mēs noſtra exiſtimet, quod perfectè peragi ab aliis uidetur, uñ cū B. Apoſt. ad Heb. ſcribēs ſanctorū patrū ueteris teſtamenti magnifica geſta recenſeret: tandem dixit. *ad Heb.11.*

Ideoq;

Ideoq; & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtiũ, deponentes oẽ pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitũ nobis certamẽ. Animaduertite quomodo ſanctos teſtes appellat, & bona exẽpla nubes uocat, protegimur enim ſanctorum exemplis, & geſtis tanquam nubibus aduerſus ſolis æſtum, hoc eſt aduerſus concupiſcentiæ, & uitiorũ ardorẽ. Hi ergo ſancti & omnes quotquot modo bona exempla proximis ſuis præbent, inſtaurati teſtes Dei ſunt aduerſus peccatores, & infideles. Cum ergo B. Paulus poſtquam de paſſione Domini egit dicens. Empti eſtis pretio magno, addidit. Glorificate, & portate Deum in corpore ueſtro, quaſi diceret. Magnitudinem beneficij ex parte cognouiſtis, iam quid uobis ſit agendum, in laudem, & gloriam authoris ſalutis ueſtræ audite. Glorificate, & portate Deum in corpore ueſtro. Hoc ſummæ curæ debet eſſe Chriſtianis, glorificare, ſcilicet, & portare Deum in corpore ſuo. Quid eſt in corpore? In oculis ex uera mortificatione, in auribus ex aſſidua auditione uerbi Dei, obturãdo eas ne audiant ſanguinẽ (ut inquit S. Eſai) hoc eſt murmurationis ſermonem, & opprobriũ aduerſus proximum ſuum, in lingua, quæ ſolũ Deũ laudare & bñdicere. & proximũ de uia ſalutis inſtruere ſciat: nihil turpe. aut inhoneſtũ, aut criminoſum loquendo contra fratrem: in manibus, quæ purè contra cęlũ eleuentur, & ad miſericordias pauperum extendantur. Hoc eſt glorificare, & portate Deum in corpore. Sic impletur Domini præceptũ apud Mathęũ. *Math. 5.* Lux ueſtra luceat coram hominibus, ut uideãt opera ueſtra bona, & glorificent patrẽ ueſtrũ, qui in cœlis eſt. *Ad Col. 3.* Ad Coloſſenſes etiam ait idem B. Apoſtolus. Oẽs, qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Quid eſt Chriſtum induiſtis. i. Chriſtum pro ueſte accepiſtis, ut indumẽto iuſtitię illius circũdati nõ oſtẽdatis ultra iã ab ulla parte quidquã in operibus, & conuerſationibus, niſi ſanctitatẽ Chriſtianitatis. Hoc Dñs ſignificare uoluit in illis Apocalypſis uerbis, *Apoc. 11.* ubi ſic ait. Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Templum (ut ait D. Tho.) eſt eccleſia: altare uero eſt Ieſus Chriſtus. Adorantes in eo ſunt Chriſtiani. Itaque uult Dominus, quód ſicut in eccleſia ſua, & ipſemet abſque macula ſunt, & ſicut puritas ac ſanctitas Chriſti publicè uiſa, & nota fuit, ſic Chriſtiani, tales eſſe debeant ut quicumq; eos uiderit, cõfundantur, & ex uirtute eorum cognoſcat legis, quam obſeruant, puritatem. Metiatur eos Maurus, Hebræus, & Gentilis, & nihil in eis reperiat, niſi boni atem, ac ſanctitatem, quemadmodum uult Dñs, ut Euangelium ſuum & lex ſua ſit iuſta Nam quantumcunq; illam homines metiantur, nihil præter ſanctitatẽ, ac puritatem reperient: ſic oportet, ut in Chriſtianis inueniatur hæc puritas. Non ſic impius Mahoma, qui nõ uult, ut execrãdam ſectam ſuam aliquis metiatur, aut de ea diſputet, ſed ut tantummodo armis acertimè defendatur. Ratio huius eſt, quia tota ipſa erroribus, fallacijs, atque immunditiis plena eſt. Puriſſima autem Ieſu Chriſti lex optimè diſputari poteſt, & nunquam in ea error, aut malum aliquod reperietur.

Exemplum bonum efficax.

QVantum bonum exemplum animos peccatorũ moueat, patet ex uerbis B. Auguſtini in li. confeſſionum, *B. Aug. li. 8. Confeſ.* ubi ait. Tu aũt Dñe inter uerba, Potitiani, duorum nobilium conuerſionem referentis, torquebas me ad me ipſum, auferẽs, me à dorſo meo, ubi me poſuerã, dum nollem me attendere & conſtituebas me ante faciem tuam, ut uiderem, quam turpis eſſem, quam diſtortus, & ſordidus, maculoſus, & ulceroſus. Ergo ſi bonum exemplum auribus ſolummodo perceptum tam efficaciter operatum eſt in corde huius ſancti Doctoris

ctoris, quando adhuc in peccato erat,
ut ipſe hic fatetur, quanto magis efficacius
operabitur bonum exemplum oculis
corporeis uiſū? Ecōtra uerò hinc
etiam infertur, quam efficacia ſint mala
exempla oculis conſpecta ad eorum
corda peruertenda, qui ea ipſa oculis
uident. Idcircò merito Dominus ait.

Exemplum bonum in omnibus dandum.

Simile. ILla, quę lucem habent, ut uideri poſ
ſint, oportet ſimilitudinē quaſdam,
& ſpecies a ſe emitere, quibus in cogni
tionē ipſorū deuenimus. Exempli gratia,
ut facies tua in ſpeculo uideatur,
prius a ſe quaſdam ſpecies emittit, qui
bus ipſa facies conſpicitur. Dicunt phi
loſophi ſpecies eſſe ſimulachra uitæ.
Anima, quæ in corpore incluſa eſt,
quaſdam ex ſe mittit ſpecies, ac ſimilitudines
per linguam, per oculos, per
ſenſus ac membra corporalia, quibus
aperte conſpicitur, qualis ipſa ſit. Vultis
uidere, qualis eſt quilibet? Attendite
uerba, quæ ipſe loquitur, uias, quibus
ambulat, & opera, quę agit, & exercet,
nam uerba, opera, ac motiones exterio
res ſunt animæ ſimilitudines, & qualis
eſt anima tales ipſę ſunt. Hinc oritur,
quod cum peccatores animam perditam,
& certo quodammodo corruptam
habeant, mala exempla ſuis proximis
prębent: contra uero iuſti cum animā
ſanctam habeant, exempla ſancta de ſe
præbent. Contendamus igitur fratres
mei animas noſtras ſanctificare; & ita
omnes bona exempla prębebimus.
Quamuis autē hoc omnibus cōducat,
multo tamen magis Eccleſiaſticis con-
B. Aug. de morib. & uita cler. uenit. Vnde B. Auguſtinus ait. Qui nos
amant, quærunt quid laudent in nobis,
qui uero nos oderunt detrahunt nobis:
ſed nos in medio conſtituti adiuuante
Domino Deo noſtro, & uitam noſtrā,
& famam ſic cuſtodire debemus, ut nō
erubeſcāt de detractoribus laudatores.
Quare B. Paulus gaudebat, quod diſci- *Ad Phi. 4*
puli de illo benè ſentirent, & ita dicebat.
Gauiſum ſum in Dño uehementer,
quoniam tandem aliquando refloruiſtis
pro me ſentire, ſicut ſentiebatis.
Vbi ponderandū eſt aduerbiū, uehemē
ter. Hoc autem gaudiū non accipiebat.
D. Paulus propter id, quod ipſum tāge
bat, ſed propter id, quod ad diſcipulos
ſuos conducebat, qui tanto maius com
modum, maioremq; utilitatem ab eius
doctrina elicerent, quanto magis certi
eſſent de eius ſanctitate.

De quo liber iuſtorum ait ſanctus *Pſal. 1.*
Dauid. Erit tanquam lignum, quod plā
tatum eſt ſecus decurſus aquarū, quod
fructum ſuum dabit in tempore ſuo.
Arbor non ſolum fructus ſuo tempore *Simile.*
prębet, uerum etiam ſemina quibus aliæ
arbores producantur: ſic iuſtus ſuis
bonis exemplis aliquo modo iuſtos alios
generat, folia uerò ſunt uerba: &
ſunt aliqui, qui tacentes loquuntur, alij
uero loquentes tacent. Iuſti ſuo ſilen
tio uoces emittunt, at peccatores uoci
ferantes obmuteſcunt, iuxta ſententiā
Menandri a Plutarcho relatam ſic dicentem.
Sermo aut uis rethoricæ non
perſuadet, ſed uirtus, ac bonum exemplum.
Fœlix ille, qui uerbis auarus
eſſe cupit, prodigus autem operibus:
nunquam enim bene loqui ſciet, qui
bene tacere neſcierit. Quemadmo- *Simile.*
dum pauperes tunc apertius paupertatem
ſuam dignoſcunt, & ſentiunt, cum
theſauros diuitum proprijs oculis con
templantur. Sic peccatores, tunc clarius
defectus ſuos uident, quando ſanctorum
uirtutes conſiderant, & ſibi repręſentantur.
Quando animo euoluo
ea, quę ſanctus aliquis in ſua uita
egit, & me ipſum contemplans, uideo
parum, quod ago cor meum ad pedes
quodammodo cadere uidetur. Quem- *Simile.*
admodum ęgroti, & maximè febricitantes
ea quę comedunt inſipida,
& abſque guſtu reputant, at ſi eadem
alios manducare ſuauiter, & maxi-

mo

B.Chryſ.de contin Ioſ. Simile.

Beatus Chryſoſtomus inquit: Non in ſolis hominibus videmus ſimilium imitationem, ſed in brutis, nam & columbæ ſæpe viſa vna auolante ſtatim ſequuntur omnes, & pullus generoſus in equorum armento exiliens ſecũ rapit omne armentum. Et inter vos vt in armẽto Chriſti bonus eſt pullus Ioſeph continentiſſimus, cœleſtibus exultationibus ad ſui imitationem nos cõſeruos vocans.

B.Chry.ho. 2.periculo ſum eſſe adire ſpectacula. Simile.

Idem ſanctiſſimus Doctor in quadã homilia ait. Quemadmodum qui laborant ab oculis, ſi ſpõgias, ac veſtigiũ cianeo colore pannos tenẽtes frequenter in ea intueantur ex eo colore nonnullum capiunt morbi leuamen: Sic ſi hominis clementiſſimi & humaniſſimi imaginem præ oculis habeas, & in hunc aſſiduè oculos defigas, etiã ſi millies abundet ira mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar reſpiciens perfectam conſequeris ſanitatẽ, puramque animi Philoſophiam ac trãquillitatem.

Clim. de di ſcr.gra.26 Simile.

Beatus Ioannes Climacus ait. Sicut pauperes cum theſauros diuitum aſpiciunt, ſuam paupertatẽ amplius agnoſcunt, ita magnificas patrum vitas relegens mentem ſuam amplius humiliat.

Idem Pater beatiſſimus ibidem inquit: Vt Zeuxis picturus Iunonem Agrigentinis omnibus virginibus inſpectis, quinque præcipuas elegit ex quibus, quod eſſet in vnaquaque præcipuum imitaretur, ita è plurimis optimi nobis ad exemplum uitæ proponendi ſunt.

Plutarchus in moralibus ait. In facie plus offendit neruus aut uerrucula quàm in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: ſic exiguæ delicta magna videntur in principe cuius vita in conſpicuo eſt. Licet autem bona exempla ſemper vtilia ſint, & fructuoſa, multo tamen magis utilia apparẽt, ubi pauci iuſti ſunt, & plurimi peccatores, tunc.n.non tantum utiliores ſunt, verum etiã magis eniteſcunt, atque ita

Tit.Plato. ſer.24. Simile.

Titius Platonicus ſapienter dixit, Quẽadmodum noctu lux ex igne claritatẽ lucens maiorem oſtentat, eo qui pariter interdiu apparet, propterea quod noctu profunda obſcuritas circunfuſa eius auget ſplendorem. interdiu uero quaſi certamine tenui, ac debiliſſimę luci, cum ualentiſſimo ſolis fulgore ſit ſcepto obſcurari magis minorem clatitatem oportet, ſic etiam tenue bonum, ſi per contentionem cum malis examinari contingat, fit, vt optimum maximum, & excellentiſſimum eſſe uideatur. Quemadmodum in tenebris profundis parua aliqua ſcintilla, aut obſcuriſſima nocte lux minima ſplẽdore clare oſtentat, at ſi ei cum ſuis ſimilibus bonis curſum, contentionemq́; proponas tunc optimè deſpicies, id quod verè eſt optimum cum ſi aliter feceris ordinem prorſus perturbes, atque confundas.

Exemplum bonum maiorum.

Iob 4.

Volens Eliphaz S. Iob perſuadere patientiam exiſtimans, ipſum eã non habere, eumque labores illos pro peccatis ſuis pati, ei dixit. Recordare, obſecro te, quis unquam innocens periit, aut quãdo recti deleti ſunt? In quo ut Chaldæus innuere uidetur) illuſtres Patriarchas Abraham, Iſaac, & Iacob, illorumque geſta, & optimos rerum exitus ſancto uiro in mentem uoluit reuocare. Nunquid iuſtus quiſpiam (ait Chaldæus) ut Abraham perijt, aut intẽget aliquis, vt Iſaac ſnnditus deletus ẽ? Nulla enim re perinde ad uirtutẽ inflãmamur, & ad honeſti proſequutionẽ, ut eorum, quos admiramur exemplis, maximeque illuſtribus peruetuſtis, ac domeſticis. Nam ut illa authoritate cõmendantur, ita etiam, & hæc affectu. Nam priſcorum uirtutes, quoniã ab inuidia longe abſunt, & audimus libenter, & imitamur impẽſius, & natura ita fit, ut exemplis finitimis acrius tangamur: veluti maiorum, affiniũ, & eorum, quibus cum nobis vel patria, vel ordo,

ordo, vel profeſſio communis eſt. Siue ergo uirtutes Abraham, Iſaac, & Iacob, cum quibus erat ſancto uiro arctior neceſſitudo, è quorum ſtirpe originē duxerat ſiue Noe, ſiue Enoch egregia opera, ac proinde fœlices huius vitæ exitus, & ſucceſſus recenſere Eliphaz dixerit, vtrumque ſatis ſuſcepto argumento cohæret.

Exemplum bonum ante omnibus ponendum.

VT enim ludi magiſtri, qui ſcribendi artem profitentur, quanta poſſunt dexteritate elegantiſſimos characteres effingunt, eosque populo ſpectā- *Simile.* dos proponunt, ut artis ſuæ peritiam oſtentent; ita omnipotens illa bonitas abſolutiſſimum liberalitatis, & gratiæ, atque magnificentiæ ſuæ exemplar in Chriſti humanitate conſtituit, in quà hæc tanta gratiarum opulentia ex ſola ſua largitate, ante omne meritum effuſa eſt, ut hoc argumento, & homines, & angeli immenſam communis domini magnificentiam cognoſcerent, illumque propter hanc tantam liberalitatis gloriam laudarent. Et ſibi ipſi gratularentur, quod Dominum tam immenſa benignitate præditum colerent, à quo magnificentiſſimè laborum ſuorum præmia expectarent, laborantes pro uirili in eius exempli imitatione.

Quemadmodum (ut inquit Beatus Baſilius) pictores, cum imaginem aliquam ad alterius exemplar exprimere uolunt, identidem exemplar ipſum ſpectantes, illius lineamenta, & colores ad uiuum referre conantur: ita quiſquis ſeipſum ſtudet uirtutibus cunctis perfectum reddere, debet in hoc elaborare, ut quaſi ad ſimulachra motu, & actione prædita (exempla dico Chriſti, & ſanctorum) ſæpè oculos animi conuertat, ut eorum in ſe puritatem, & innocentiam transferre ualeat. Quod ſi ſummam ſanctorum puritatem, & innocētiam exactè exprimere non ualeat, pulcherrimum tamen erit, & in ſecundo, tertiouè loco conſiſtere. Nam & qui pueros ſcribere, & literas formare docent, abſolutiſſima illa literarum exemplaria proponunt, quæ ſi illi talia reddere nequeunt, ad illa tamen exprimenda, quantum per ætatem licet, aſpirent. *Simile:* Magna ergo, & excelſa exempla nobis ad imitandum proponere debemus, quoniam (ut rectè Fabius inquit) altius ibunt, qui ad ſumma nituntur, quam qui præſumpta deſperatione, quò uelint euadendi protinus circa ima ſubſtiterunt, *Simile.* Nam quemadmodum qui debili uiſu præditi ſunt conſpiciliis indigent, quibus uideant: ita planè mortales in hac uita in multis uiuentes defectibus exemplis indigent ſanctorum, ad quorum imitationem mores ſuos componant. Et ſicut nauigantibus prodeſt conſpectus ipſe ſyderum, ut ualeant commodè nauigationem ſuam perducere: ſic profectò indigent homines in hac uita ſanctorum præclariſſimis exemplis, *Simile.* quibus dirigantur, & gubernentur: nam quamuis terra aurum producat, eget tamen artificis induſtria, ut humanis uſibus adaptetur: ſic quamuis aliquis ſplendidum habeat ingenium, indiget tamen aliqua arte, & induſtria qua poſſit expoliri; & ueluti tabella quadam egent nauigantes in qua marinos curſus deſcriptos habeant. Sic homines indigent intelligentia ſententiarum, & conſiliorum ſanctorum præteritorum ut poſſint commode in hoc mundo uerſari: & tanquam boni nauigantes rectam intentionem in Deum dirigant, & ab ſcopulis & periculis inferni fugiant.

Exemplum malum dominorum.

DE crudeliſſimò quodam Imperatore refert Seneca, quod cum cuiuſdam filium haberet in uinculis, & *Sene. li. 2. de ira. c. 33.* pater pro eo magnis precibus, ac ſæpè repetitis intenderet, is quidem Imperator, crudelitate ſua, & immanitate uſq;

debacchatus eſt, ut filium ſtatim illius hominis interfecerit, & ad eum coctũ patrem eius inuitauerit, edere quæ de filii ſui carne ſub hac interminatione cogerit, quod niſi id faceret, alium etiã eius filium (quem ſuperſtitem, & unicum habebat,) ſtatim iuberet interfici.

De Priamo item ſcribit idem Seneca tale quippiam, nempe, quod patrem quendam compulerit de fili ſui dextra comedere, ne ſi ſecus faceret filium ei alterum interficeret. Hi patres inuiti carnes filiorum ſuorum comederunt, nunc uero patres, qui filiis praua exempla præbent uirtutes eorum, & animas crudeliter, & ſponte manducant, ò crudelitatam lachrymis ſanguineis deplorandum: uidete, obſecro, ò crudeles patres, quibus uos maculis maculatis.

Mat. 8.

Exemplum malum.

APud Matthæum, uæ homini illi, per quem ſcandalum uenit. Scandalum, ſecundum Theologos, eſt dictum, uel factum, minus rectum præbens occaſionem ruinæ. Eſt enim nomen uſurpatum à corporalibus, à quibus, ut potè nobis magis notis, ſpiritualia denominamus: ſcandalum autem corporale dicitur, quando ponitur alicui obex in uia, per quam tranſit, in qua offendens, uel ruit, uel diſponitur ad ruinam: ita in uia ſpirituali per dictum, uel factum alterius ſolet aliquis trahi, uel induci ad peccandum. Vnde Beatus Hieronymus ſuper illud. Quicunque ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis minimis, &c. inquit. Scandalizat alium qui alteri dicto, uel exemplo occaſionem ruinæ præbet. Heu quot ſunt hodie ſcandalum proximis dantes. Conſtituit olim Pharao miniſtros operum, qui populum ad palearum, & luti opera urgerent: ſed multo plures habet hodie principes huius mundi magiſtros, qui nos ad ſcelerata opera ſua urgeant. Quot prauos conſultores, quot adulatores, quot praua improborum hominum exempla, quibus plenus eſt mundus, unde fit, ut pretioſa alterius ueſtis, domus, menſa, familia, uariaque ſupellex mihi uanitatis, & auaritiæ magiſtri, atq; inceſtores ſint. Ideo oportet, ut cauti ſimus, inſtanterque uigilemus. De iuſtis autem perfectis dicitur in Pſalmo. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum: quia tales ſunt in charitate radicati, & fundati, ut ait Beatus Paulus. Quare ſicut uentus ualidus, etiam ſi moueat arborem, fixè radicatam non tamen eã euellit, ſic mala aliorum non eradicant iuſtos, etiam ſi tantiſper moueant, habent enim domum ſupra firmam petram ædificatam, contra quam etiam ſi uenti, ac flumina inſurgant, non tamen obruere poſſunt illam. Quare Beatus Paulus audacter dicebat. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, &c. & ut oſtenderet, ſe non impingere ob aliorum facta, ait ad Corinthios ſcribens. Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Non dicit, & ego non ſcandalizor, hoc enim longè eſt à uiris iuſtis, & perfectis, ſecus autẽ & imperfectis contingit, qui ſtatim uiſis imperfectis exemplis corrumpuntur. Veruntamen inter mala exempla illius nocibilia ſunt, quæ in maioribus conſpiciuntur: Vt in piſce corrupto capite totum corpus corrumpitur, ſic in republica deprauato Principe, alii in prauitate uerſantur. Qui uidere uult, ſit ne piſcis contaminatus, aut non, aſpicit caput, hoc enim eſt, quod prius corrumpitur. Hinc eſt quod merito ſanctus Iſaias rempublicam cum piſce comparat, cuius caput Princeps eſt, corpus autem populus: & ſignificare uolens Hieroſolymæ corruptellam ait. Principes tui putridi, & fœtidi: ſic enim uerti poteſt ex Hebræo, ubi noſtra uerſio habet. Principes tui infideles. Quantum etiam exemplum malorum parentum filiis noceat, docet Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia, ubi ſic ait. Pulli ſerpentium ſtatura breuiores ſunt parentibus : ueneno

B. Hiero. ſuper Matt. 18.

Exo. 2.

Pſal. 118.

Simile.

Ad Ro. 8.

2. *ad Cor.* 11.

Simile.

Iſa. 2.

B.Chry.ho. 42. operis imperf. Simile. tamen illis ſunt coæquales,& catuli luporum adhuc teneri conſtituti,etſi venationem exercere non poſſunt,iam tamen ſanguine gaudent ouium,& morſibus cum agnis ludunt. O genimina viperarum,& auarorum,immo ſerpentium filij, qui cum adhuc puſilli ſitis, & ſtatura breues; iã ferè coæquales parentibus ueſtris in ueneno rapinarum, & uenditionum, & in fraude ſimiles eſtis. O catuli luporum,qui cum nõdũ uenationem emptionum & uenditionum iniquarum frequentare poſſitis, tamen ſanguine pauperum iam gaudetis,& morſibus carnes innocentium dilacerare contenditis,quia hoc à parentibus ueſtris didiciſtis. Quia autem hæc ita ſe habent, Vos fratres per miſericordiam Dei obſecro,ne mala exempla proximis veſtris, & multo minus ſubditis, & filijs veſtris præbeatis:ſed, ut Beatus Bernardus inquit in quodã ſermone, hominibus bonum exemplũ per bona opera ſeminemus, & angelis gaudium magnum per occulta ſuſpiria.

Exemplum malum prælatorum.

ILli, qui in aliquo dignitatis gradu poſiti ſunt, ſolent ſuis malis exemplis maius,quam alij ſcandalum generare. Quemadmodum corpora mortua, ſi ſepulta ſunt, & terræ mandata, malum damnum inferunt, ſi uero ſub terra non includantur aerem corrumpunt,& peſtem generant:ſic quando aliquis particularis homo ſecretũ peccatum cõmittit,ſibi ſoli nocet, & eſt uelu ti corpus ſepultum: At uero homines in aliqua Reipublicæ dignitate collocati, ſi publicè delinquunt ſunt ueluti cadauera inſepulta,quę ſuo peſſimo odore omnia corrumpunt:Sanctus Moyſes(ut ſacra refert pagina) cinerẽ in aere erexit, & ſtatim facta ſunt ulcera Ægyptijs:ſic homines leues ſicut cinis, ſi in alto dignitatis gradu collocẽtur plurimorũ in Rep. malorũ ſunt cã,Ideo ꝑ eo quod nos legimus:In circuitu impij ambulant, ſecundum altitudinẽ tuam multiplicaſti filios hominum. B. Hieronymus ex Hebræo uertit.In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint, uiliſſimi filiorum hominum. Ideſt, [*de euertuynes cabeças, viene a auer muchos malos en las Republicas.*]

Exo.9.c.

Pſal.11.

Exemplum malum grauiter punitur.

NArrans Propheta Michæas horribiliẽ flagella,quæ domui Iuda,& domui Iſrael propter ingentia ſcelera ſua dominus miſſurus erat,inquit. Audite populi,& attendat terra,& plenitudo eius. Exorditur Propheta ueluti ex abrupto ſermonem, ut ſua exclamatione maiorem concitet attentionem. Solent enim huiuſmodi exclamationes magis aures audientium arrigere,& eorum commouere animos ad attentionem: ſic de rebus magnis loquuturus Moyſes exclamauit dicens: Audite cęli;auribus percipe terra uerba oris mei. Sic etiam exclamauit Iſaias:Audite cęli,auribus percipe terra.Sic Michæas incipit:Audite populi omnes,&attendat terra,& plenitudo eius. Inanimata inteſtes uoluerunt Prophetæ inuocare,vt orationem amplificent,& uehementiorem reddant. Habet enim huiuſmodi phraſis loquendi maiorem emphaſim, & uigorem ad animos auditorum cõmouendos. Cum enim Prophetæ duros adeo homines uideant, nimiumq; obturare aures ſuas,ad ea, quæ eis conueniunt audienda,cęlum quantumcũque remotum,& terram, quantumcunque duram,& inſenſibilem inuitant:& id,quod illis à natura negatum eſt,tribuunt, ut uehementior ſit expoſtulatio:ſicut etiam fecit Propheta ille, qui Ioroboamum uidens Idolis ſacra facientem,non homines impios, neque ipſum Regẽ,ſed altare inſenſibile, & lapidibus conſtructũ in hunc modũ allo quutus fuit.Altare,altare hæc dicit dominus. Lapides alloquitur, qñ hoies multo

Mic.2. Deut.32. Iſa.1. B.Chry.ho 3. de pæn. 3.Reg.13. 3.Reg.13.

multo lapidibus duriores ſunt, nam al
tare, ſciſſum eſt uerbis Prophetæ obtē-
perans, ipſe autem Rex durior factus
remanſit. Sic nunc Propheta Michæas
ait. Attendat terra, & plenitudo eius:
quo nomine cætera omnia etiam in-
ſenſibilia, quibus terra abundat, & ple-
na eſt, intellexiſſe uidetur. Sic enim &
alii uertunt. Quidquid in ea eſt. A ter-
ra; & à rebus inſenſibilibus ſanctus uir
attentionem poſtulat certius habitu-
rus auditores, quam ſi ſolum homines
inuitaſſet. Et quid audituri ſunt? Quia
ecce, inquit, dominus egredietur de lo-
co ſuo: loquitur Propheta de Deo, ac ſi
de homine aliquo loqueretur. Cum
princeps aliquis ruinam molitur ali-
cui urbi aut regioni, egredi conſueuit
de locis, in quibus frequenter habitare
ſolet, & eò ſe confert, quò deſtinauit e-
xercitum. Ita faciet dominus (ait Pro-
pheta) quaſi homo egredietur, licet ip-
ſe non egrediatur, cum ubique ſit: nec
moueatur, cum ſit immutabilis, ſed e-
gredietur, quia uindictam ſumet de gē
Iſa.26. te illa peccatrici, ſicut etiam Iſaias di-
xit. Ecce Dominus egredietur de loco
ſuo, ut uiſitet iniquitatem habitatorū
terræ contra ipſum. Quid autem factu
rus ſit Dominus in egreſſu ſuo decla-
rat dicens. Et calcabit ſuper excelſa ter-
ræ, & conſumentur montes ſubtus eū,
& ualles ſcindentur ſicut cera à facie i-
gnis, ſicut aquæ, quæ decurrunt in præ
ceps. His omnibus uerbis grauiſſimam
calamitatem minatur, qualem contin-
gere etiam uidemus, cum potentiſſi-
mus aliquis Rex magno cum exercitu
regionem aliquam inuadit. Montes in
plana uertunt loca, per quæ tormenta
bellica uehantur, ualles ipſas compla-
nant: & præclara ſimilitudine explicat,
nam cera liquefacta tumorem amittit,
quem antea habebat: & montes ſicut
aquæ decurriſſe uidentur. Solent autē
Prophetæ Poetarum more diuinam
potentiam hiſce commotionibus ex-
Pſal.17. plicare, ſicut Regius uates, cum ait. Cō
mota eſt, & contremuit terra, & funda-
menta montium conturbata ſunt, &
commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.
Vruntur enim ea orationis exornatio-
ne (quam rethores hyperbolem uocāt)
ut exprimant, atque amplificent nim
iræ diuinæ, atque potentiæ eius. Quod
B. Hieronymus adnotauit ſuper Iſaiā. *B.Hiero ſuper Iſa.13*
Hanc enim ait eſſe ſuperlationem, qua
uehementiſſimam iram Dei uates ſan-
cti exaggerent. Non ergo ſic ſunt intel
ligenda uerba Micheæ, quaſi iſta con-
tigerint in deſolatione Samariæ, ſed
quod his uerbis ſtatum, & diſpoſitio-
nem illius ciuitatis, & regionis, atque
habitatorum proponat. Viſurum enim
erat illis præ magnitudine timoris mō
tes conſumi, & ualles ſicut ceram à fa-
cie ignis ſcindi, & ſicut aquam in præ-
ceps decurrere. Vel uoluit Propheta his
uerbis docere, non eſſe illis in aliqua re
fidendum, ut reſiſtere poſſent diuino
furori, licet enim Samaria in excelſo lo
co eſſet conſtituta, licet undique mon-
tibus, & uallibus cincta, ea eſt diuini fu
roris potentia, ut nihil horum impedi
mento illi eſſe poſſet. Nam licet in ex-
celſo loco Samaria eſſet, ſuperexcelſa
terræ (inquit) ipſe calcabit, licet undiq;
montibus munita, & uallibus; tamen
montes conſumentur, & ualles ſcinden
tur ſubtus eum. Hæc omnia fecit domi
nus, quia (ut in Paralipomenone dici-
tur) ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Re *1.Para.5.*
gis Aſur in Iudæos, idcirco & Deum e-
greſſum fuiſſe, & hæc feciſſe aſſerit Pro
pheta, ſcilicet, ſuper excelſa terræ calcaſ
ſe, & montes ſubtus eum conſumptos.
Quæ omnia facta fuerunt uenientibus
Aſſyriis. Quia uero poſſet aliquis meri
to rogare Prophetam, & quæ nam tan-
ta ſe offerre cauſa, & ratio potuit, ut
Deum alioqui mitiſſimum, & ſic ad
parcendum, & miſerendum pronum
concitaret ad ſumendum tam graue *3.Reg.12*
ſupplicium de his hominibus? Reſpon
det. In ſcelere Iacob omne iſtud, & in
peccatis domus Iſrael. Per Iacob Sama
riæ regnum intelligit, per Iſrael autem
regnum Iuda. Vt enim conſtat ex ter-
tio Regum: Cum gens illa Hebræorū
uni pareret Regi, unumque eſſet re-

gnum, in duo eſt diuiſa regna, duæ tribus Roboam Regi parebant, ſcilicet, Iuda, & Beniamin cum Leuitica tribu, quæ in Beniamin ſorte habitabat. Decem autem tribus ſequutæ ſunt Ieroboam. Duæ priores & Iuda regnum, & domus Dauid, & aliis nominibus uocabantur. Factio autem decem tribuū Ephraim, & Iſrael, & aliis nominibus dicebatur, & aliquando domus Iacob. Quod autem hic nomine Iacob Propheta regnum decem tribuum intellexiſſet, facilè colligi uidetur, cum rationē reddens peccatorum hominum illorum inquit. Quod ſcelus Iacob? Nonne Samaria? Poſtea uero inquit de aliis duobus tribubus: & quæ excelſa Iudæ? Nonne Hieruſalem? Ecce quot damna ex malis exemplis proueniant cum ſcelus Iacob ortum à Samaria ciuitate regia habuit, & excelſa Iudæ à Hieruſalē ubi curia Regum reſidebat, etiam hortum habuerunt. Excelſa appellat ſcriptura ſacra ea loca, atque Phana, in quibus idolis ſacrificia fiebant. Quia enim Gentiles in locis excelſis aras ſuis diis conſtruere ſolebant, ac templa dicare (quod ideo faciebant, ut facilius dii ſui odorem libaminum, & ſacrificiorum perciperent, tanquam illis propinquiores) ideò excelſa appellat ſcriptura ſacra loca illa, ac Phana, ubi Iudæi idolatræ ſcelera illa perpetrabant. Regias uero illas urbes Samariam, & Hieruſalem cauſas fuiſſe tantorum ſcelerum, & errorum propheta tradit, quia occaſionē ſuis peruerſis exemplis aliis ciuitatibus idolatrandi præbuerunt. Solent enim regiæ urbes quæ debebant exemplum uiuendi præbere cæteris, ſolent, inquā eſſe ſcholæ, & officinæ ſcelerum, inde tanta morum corruptio ad alias dimanat urbes ex principum curia: quod illic geritur, quaſi uiuēdi regula ab aliis uſurpatur. Ruſticus, & inurbanus habetur, qui non eiſdem ueſtibus, non eiſdem ſermonibus, non eadem uiuendi ratione utitur. Vndè maximè oportet principes aduertere, quæ in curiis, in quibus habitant, permittant, maximā illos oportet æquitatis, & probitatis habere rationem, his præcipuè in urbibus, in quibus degunt. Inferiores namque ſuperiorum mores facilè æmulantur, ut ait Beatus Ambroſius. Et qualis eſt rector ciuitatis, tales & ſubditi eius erunt, inquit Eccleſiaſticus, *Eccl. 10.*

FESTVS DIES.

Feſtis diebus Dei laudibus, & Dei ſermoni, & meditationi, & orationi eleemoſynarūque largitioni uacare debemus. In lib. 2. Eſdræ dicitur. *2. Eſdræ 8* Comedite pinguia & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non parauerūt ſibi. Sed heu quam multi ſunt, qui hæc nullatenus ſeruent? Similes illi qui (ut Numeri ſacra narrat hiſtoria) *Num. 15.* Sabbato ligna colligebat, quem Moyſes, & Aaron in carcerem recluſerūt, & requirentes à Domino quid de illo facere oporteret, ait Dominus. Morte moriatur homo ille: obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Ligna ſpiritualiter ſcindit, qui materiam ignis infernalis ſibi colligit, qui lapidandus eſt, id eſt duris obiurgationibus increpandus, qui in feſtiuis ceſſare non uult, quin mala ad ſuum æternum incendiū colligat.

Beatus Gregorius Nazianzenus de hac materia agens inquit. *Naz. orat. habita in præſentia Greg. fra.* Sanè, & Iudæus feſtiuitatem peragit, uerum ſecundum literam peragit & feſtiuitatem gentilis, ſed ut placeat dæmonibus. Nos autem, ut omnia ſint ſpiritualia opera, motus, conſilia, ſermo, ad inceſſum uſque & amictum, quin & ad nutum tonus, ita ut ratio in omnibus

dominetur, & homo ſecundum Deum dirigatur. Iſidorus Clarius in quadam oratione ait. Legimus hominem, qui ligna collegerat in die Sabati oblatum Moyſi, Iuſſu Domini lapidibus obrutum. Alio item loco narratur grauiter peccaſſe eos, qui contra mandatum Domini profecti fuerant ad colligendum manna in die Sabbati. Quanto ergo magis putandum eſt eos grauiſſime paccare, qui negotiationibus, ſpectaculis, ludis aleæ. tripudijs, pſaltationibus, & Choreis incumbunt, qui comeſſationibus, colloquijs prauis, & impudicis, cantilenis diem feſtum conſpurcāt?

Iſi. Clar. orat. 3 1. to. 1.

Loquēs Dominus de filijs Iſrael per Ezechielem prophetam dixit: Sabbata mea dedi eis, ut eſſet ſignum inter me, & eos, & ſabbata mea uiolauerunt uehementer. Hoc eſt præcepi illis, ut ſabbata ſancti ficarent, & à laboribus ſeruilibus ab ſtinerent, quo poſſent totos ſe ſe mihi dare, & myſteria mea in animo uerſare: eſſet que ſignum inter me, & eos, hoc eſt, mutui amoris ſignificatio eorum erga me, quo mihi adhærerent, oſtenderetque cæteris populis eſſe meæ legis cultores. Præcepit etiam Deus, ut ſabbatum obſeruaretur, in quo ipſe requieuerat in mundi creatione poſt opera ſex dierum, ut eſſet omnibus perſpectum, & cognitum non fuiſſe mundū ſempiternum abſque principio, ſed à Deo creatum. Creauit Deus mundum, & die ſeptimo requieuit. Ideo dies illa obſeruabatur. At contaminatis hominibus, & morum corruptela deprauatis mortalibus, fecit Deus alterum quodammodo mundum, & cum multis diebus laboraret, & pro nobis mortem crudeliſſimam pateretur, requieuit die Dominica reſurgens à mortuis, ut nos à morte liberaret: & (ut uerbis utar Diui Pauli.) Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Eam ob cauſam decreuit ſancta Eccleſia diuino ſpiritu edocta, ut pro ſabbato dies Dominica obſeruaretur. Nam quemadmodum in lege ueteri ideo dies ſeptima obſeruabatur, quia in ea requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat, ſic in lege noua obſeruatur dies octauus, quia in eo Chriſtus quieuit patratis humanæ redemptionis operibus. Sed dices. Si ſabbati obſeruantia eſt diuinum præceptū morale, qui fieri potuit, ut mutaretur? Nam & ſi cæremonialia ablata fuerint, moralia tamen auferri non poterant. Huic obiectioni facile reſpōdetur hoc modo. In ſabbati ſanctificatione erat quippiam morale, quippiam uerò cæremoniale: morale eſt obſeruari diem unum in hebdomada, & hoc non abſtulit Eccleſia, eſſe autem hunc diem, uel illum, hoc erat cæremoniale: & hoc merito mutauit, quia mutare poterat; immo mutare debebat ob reſurrectionis ſacratiſſimæ myſterium. Et ipſa lex uetus innuebat Iudæorum ſabbata eſſe abrogāda, ſolumque vſque ad Chriſtū duratura. Oſeas diuinus vates Deum in hunc modum introducit loquentē. Ceſſare faciam omnes gaudium eius, & ſolemnitatem eius, neomæniam eius, ſabbatum eius, omnia feſta tempora eius, Vide quam aperte ipſorum Iudęorum propheta (cuius ore ipſi Deum loqui teſtabantur) eorum ſabbata, & feſtiuitates abrogandas eſſe prædixerit. Per Amos prophetam etiam hoc modo ait Deus. Odi, & proieci feſtiuitat es veſtras, & non capiam odorem cętuum veſtrorum. Non ſolum dixit eſſe, Eodem modo per Iſaiam: Neomæniam, & ſabbatum & feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cætus veſtri. Calendas veſtras, & ſolēnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta. Non quod tunc feſta impia eſſent, ſed quod Iudæi eſſent impij: erant illa quidem lege durante bona, ſed adueniente euangelio ceſſatura. Et intuens idem propheta mentis oculis venturum eſſe Chriſtum, qui alterum quodammodo mundum cōſtitueret, qui nouos cælos, hoc eſt, nouos Apoſtolos, qui ennarrarent gloriam Dei, efficeret, & nouum populum, qui cantaret Dn̄o canticū nouum, illique non vmbris, & figuris,

Ezec. 20. *Gen. 1.* *Ad Ro. 4.* *Oſee 2.* *Amos 5.* *Iſai. 1.* *Pſal. 18.* *Pſal. 95.*

ſed ſpiritu, & veritate ſeruiret has voces emiſit. Sicut cæli noui, & terra noua ſtabit ſemen ueſtrum coram me: & erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabba- *Iſa.66.* to, & veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea. Nonne intueris, quam aperte prædixerit, eſſe noua feſta inſtituenda in lege gratiæ, nouoſque dies diuino cultui dedicandos? Erant feſta illa vetera vmbræ quædam futurorum, quę erant adueniente ſole diſceſſura. Eam ob cauſam ait D. Paulus in epiſto- *Ad Col.2.* la ad Coloſſ. Nemo uos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniç, aut ſabbatorum, quę ſunt umbra futurorum. Vult ſignificare B. Apoſtolus feſta legis Moſaycæ, eiuſque cæremonias & ſacrificia iam ceſſaſſe: quoniam adumbrauerant venturum Chriſtum, qui iam venerat. Et quoniam vmbra erant, Chriſtus autem erat eorum ſubſtantia, & veritas & ipſe Meſſias, quem illa omnia figurabant, oportebat adueniente ſole abſcedere vmbrã, & adueniente veritate abſcedere figurã. Vnde neomeniæ, quæ erant feſta innouationis lunç, imaginem gerebant eius innouationis, quæ erat in animis facienda tempore gratiæ, quando Deus erat in ſpiritu, & veritate colendus. Sabbatum, Chriſti requiem in die reſurrectionis adumbrabat. Omnia denique Iudæorum feſta in lege conſtituta fuerunt noſtrorum feſtorum vmbræ, & figuræ. Sed væ, væ, & millies væ, quoniam ſicut de Hebræis conquerebatur Dominus dicens. Et ſabbata mea violauerunt vehementer, ita & multo potius de nobis conqueri poteſt, quoniam feſtiuitates eius vehementer, uiolamus.

FIDES.

B.Th.2.q.2.art.10. BEATVS Thomas quærit, An exquirere rationes in fide minuat meritũ fidei. Reſpondet, quòd rationes præcedentes fidem minuunt eius meritum ſubſequentes vero augent. Hoc eſt dicere, requirere rationes, vt credas, infidelitatis indicium eſt fides enim nõ innititur rationi demonſtrationis, ſed authoritatem dicentis ſecundum illud dictum D. Gregorij. Fides non habet me- *B.Greg.homil.16.* ritum, cui humana ratio præbet experimentum: ſed poſtquam firmiter authoritati diuinæ credidiſti, inquirere rationem vt firmius, & delectabilius fidei inhæreas, & alios poſſis docere vel reuincere maximum meritum eſt. Scire etiã in hac materia decet quod habens donum intellectus ex hoc, quod melius apprehẽdit veritates fidei rectius de eis iudicat, atq; bonam æſtimationem de eis concipit, ſicut ille, quia lõge rectius apprehendit viſa, melius iudicat de apprehenſis. Donum ergo intellectus mẽtis aciem acutiorem reddit, vt ea, quæ ad fidem pertinent intimius penetret. Hoc donum eſt in omnibus habẽtibus gratiam, carentque illo peccatores. Ex quo conſequitur regulariter, iuſtos firmius adhærere rebus fidei, peccatores vero frequenter vacillationes circa ueritates fidei pati. Vnde animalia ſan- *Ezec.1.* cta, quæ propheta Ezechiel vidit, plena erant oculis ante, & retro ad ſignificandum hoc lumen intellectus, quo iuſti gaudent: adeo enim mentẽ illuminat, ac ſi tota eſſet plena oculis. Eſt autem donum hoc ſpeculatiuum, ſimul & practicum, quia non ſolum ordinat ad ea, quæ principaliter cadunt ſub fide. Verum etiam ad omnia, quæ ad fidem ordinantur: fides autem etiam ordinatur ad opus ſecundum illud Pauli. Fides, quæ per dilectionem operatur. Et (ut author eſt B. Thomas) hoc ipſum per- *B.Th.2.2.q.8.art.3 ad 2.* tinet ad dignitatem doni intellectus, quod intelligibilia æterna conſiderat,

non

non ſolum ſecundum quod in ſe ſunt, ſed ſecundum quod ſunt regulæ humanorum actuum. Quia quanto virtus cognoſcitiua ad plura ſe extendit, tanto eſt nobilior. Igitur quia actio humana non ſolum regulatur lege humana, ſed etiam lege æterna, in quantum ad beatitudinem ordinatur: ſecundum illud vltimum, eget illuminari à dono intellectus, quod eſt lumen ſupernaturale. Illuminat ergo donũ intellectus, & dirigit ipſam operationem. Hoc donum poſtulat regius vates dicens. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Non ſolum uolo intelligere legem tuam, yt ſciam, verum etiam vt voluntate, & opere eam compleam, & in Hebræo legitur. Fac me intelligere, & ſeruabo doctrinam tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Pſal. 118.

Fides traditionum.

Equius in Enchir.

OPtimus ille Doctor Equius, & acerrimus malleus contra hæreticos in ſuo artificioſo Enchiridione, & ſatis pio, in titulo de ſcripturis, inquit. Non ſunt ſolum credenda, & ſeruanda, quæ expreſsè habentur in diuinis literis, aut probãtur ex ipſis, verum etiam ea oportet credere, & ſectari, quę ſancta mater Eccleſia credit, & obſeruat, non enim omnia tradita ſunt manifeſtè in ſacris ſcripturis, ſed quam plurima Eccleſiæ, (quæ ab Spiritu ſancto illuſtratur, & gubernatur, & ob id à veritatis tramite errare nequit) determinanda relicta ſunt. Vnde Saluator noſter ad diſcipulos ſuos dixit apud Ioannem. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo docebit tamen vos, & Eccleſiam ille ſpiritus veritatis, qui à patre, & me procedit. Multa igitur ſuis ritibus, & cæremonijs obſeruat Eccleſia Dei ex familiari Spiritus ſancti illuſtratione, & inſtinctu, & traditione Apoſtolorum, & ſanctorum patrum, quæ, & ſi expreſſe in ſacris literis non habentur, ipſis tamen nequaquam obuiant, aut ab ipſis diſcrepant, & ſic ſunt ab omnibus ueris Chriſtianis amplexanda; & obſeruanda, vt præcipit B. Paulus ad Theſſalonicen. dicens. Itaq; fratres eſtote in vera fide, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et B. Ioannes in ſua Canonica ait. Plura habens vobis ſcribere nolui per cartam & attramentum, ſpero me futurum apud vos, & os ad os loqui. Quid apertius dici poteſt in traditionum Eccleſiaſticarum commendationem?

Ioan. 16.

1. ad Theſ. 2. c.

Sãctus Epiſcopus & Martyr Dei Roffenſis in ſuo contra damnatum Martinum doctiſſimo libro, ante articulorũ confutationem veritates aliquas præiactat, quarum non talis eſt. Traditiones apoſtolicas quanquam in ſcriptura nequaquam proditæ ſunt, nihilominus à ueris Chriſtianis obſeruandas eſſe. Oſtendit hanc ueritatem ex loco illo B. Pauli modo citato, & ait; Si Paulus, qui præ cæteris Apoſtolis tot reliquit epiſtolas, traditiones etiam à ſe nõ ſcriptas iuſſit obſeruari, non negari debet hoc à cæteris Apoſtolis, qui quo minora ſcripſerunt (immo plures illorũ nulla) eo ueriſimilius eſt plura tradidiſſe uerbo. Quid enim ex Petro capite Eccleſiæ & duce, ab ipſomet Deo conſtituto, & ouium paſtore, & animarum doctore, qui poſt mortem Chriſti Ieſu in ſancta Eccleſia uixit circiter annos triginta ſeptem: Quæ, inquam, in eius literis habemus Eccleſiæ reliquiſſe præter duas breues epiſtolas? Quis dubitat eum alia pleraque & ſaluberrima, tradidiſſe dogmata in tam longo tempore, quæ literis non commendauit? Tantus Paſtor, & tam grauiſſimus Doctor, & ab Spiritu ſancto doctus non plura debebat oues ſuas docere, quam quæ ſcripſit? De Iacobo, & Iuda quid præter unicam utriuſque epiſtolam accepimus? De aliis autem Apoſtolis exceptis Euangeliſtis nihil nec uerbum quidem habemus ſcriptum, tamen ſingulos ſalutaria reliquiſſe documenta nemini poteſt obſcurum eſſe, De quibus ſacrã do-

doctores crebrius nos admonent. Vt Beatus Dionyſius libr. de eccleſiaſtica Hierarchia, & Damaſcenus in libr. de Orthodoxa fide, & alii quamplurimi. Singularis tamen eſt Tertulliani ſententia, qua monet, ut aduerſus hæreticos magis traditionibus, quam ſcripturis diſſeramus; ſcripturæ enim in uarios ſenſus facilè trahuntur, traditiones uero non item. Nemo hæreticorum eſt (ut Hilarius ad Conſtantinum Auguſtum tradit) qui ſe non ſecundum ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur, ſed omnes abſque uero ſcripturæ ſenſu loquuntur. Et Hirenæus. Hæretici, inquit, ſcripturis nituntur ſua dogmata confirmare: ne ſine teſte eſſe uideantur, ſed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis uulpis, uel urſi figuram reddunt. Hactenus ille. Cum hæreticis ergo agendum eſt, aut alio teſtimonio ſcripturæ, aut traditionibus à maioribus acceptis, quæ ſenſum ſcripturarum explicant, aut cõciliorum definitionibus, aut omnium patrum conſenſu. Hoc enim modo uerus habetur ſenſus ſcripturæ.

B. Dion li. de eccl hierar.
B. Damaſc. li. de ortho fide.
Tertullia.
B. Hila. ad Conſtan.
B. Hire. li. 1. c. 1.

Fides eſt donum Dei.

Fides donum Dei eſt, ne quis de ea ſibi glorietur: quæ nemini debita eſt à Deo, ideo uerus mundi Redemptor Ieſus Chriſtus apud Ioannem dixit. Nemo uenit ad me niſi pater meus traxerit eum, & trahit pro ſuo beneplacito, ut ipſe in Exodo teſtatur dicens. Miſerebor cui uoluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Quẽ locũ B. Paulus ad Romanos ſcribens interpretatur & infert concluſionem, quę explicat ſecundam partem illius magnæ ſententiæ ſcilicet, & clemens ero in quem mihi placuerit, & inquit. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Poſſet quis errare in uerbo illo, In quem mihi placuerit, exiſtimans beneplacitũ eſſe Deo in aliquo propter propriam, & innatã illi virtutem, & bonitatem: per quam

Ioan. 6.
Exo. 33.

beneplacitum habere Deus in illo, ſicut de Chriſto Redemptore noſtro pater cæleſtis proteſtatus eſt: In te complacui. Quam ſententiam B. Paulus aduertit dicens. Igitur neque uolentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Omnibus opus eſt miſericordia, que miſeriam ſanet, & naturam eleuet, ut deinde Deus ſibi complaceat in illo, quod aliunde demonſtratur apertiſſimè. Præpoſitio enim illa, in, non regit in hac ſententia àblatiuum ſed accuſatiuum. Nõ dicit, clemens ero, in quo mihi placuerit: ſicut dixit de filio ſuo unigenito, de illo namque aſſeruit: In quo mihi bene complacuit. Sed quid in hac ſententia ait: Clemens ero quem mihi placuerit? Vt doceat actionem, & effectũ clementiæ tranſire, in quem uoluerit ſibi placere Deus: non ex meritis aut ex debito, ſed ſecundum ſuam uoluntatem, & miſerationem.

Cum uero fides donum Dei maximum ſit, quod omnibus Chriſtianis non ex operibus eorum, ſed ex Dei miſericordia collatum eſt, quis non mirabitur fidem illorum conſiderans, & mores peruerſos animaduertens? Quamobrem inquiſitione dignum eſt, cur qui talia credunt taliter uiuant. In cauſa eſſe uidetur quia illud in hac re contingit, quod in concilijs ſæpe fieri uidemus, ut maior ſcilicet pars uincat minorem. Multorum enim ſtultorum ſuffragia unius ſępe rectiſſimo conſilio ante feruntur. Fides rectiſſime conſulit, quæ ad ſuperna, & ſpiritualia nos uocat. Vocat tamen non uoluntatem impellendo, ſed ſolum uera bona iudicando. At contra huius dictamen tota carnis militia impugnat, quæ cum omnibus affectibus, & ſenſibus ad corporalia, & terrena deflectitur. Oculi enim appetunt pulchra, nares odorifera, guſtus ſuauia, tactus mollia. Quid uero appetitus ipſe, quid affectus omnes, quid amor ſui niſi terrena, & uoluptaria concupiſcunt? Itaque maior pars vincit meliorem. Ideo quæritur Propheta regius dicens. Miſerere mei Deus,

quo-

quoniam conculcauit me homo, uidelicet exterior. Ac deinde quem unum dixerat multos appellat. Quoniã multi, inquit, bellantes aduerſum me. Vnus enim hic exterior homo multos habet ſatellites, qui agmine facto ſpiritũ impugnant: & multitudines non ratione armati mentem ab honeſto dedúcunt.

Fides.

QVomodo in rebus aſperis ac diffi cillibus piorum hominum fidem Dominus probet, Declarat plánæ pondus tentationis illius, qua tẽtauit Abraham. Quod quidem etiam conſtat ex omnibus circunſtantijs quibus ei prçcepit, ut filium ſuum, quem diligebat Iſaac ſacrificaret, ut patet in Geneſi. *Gen.22.* Nunquid non poterat duci prius Abraham cum puero ad illum montem excelſum, & ibi ad eum diceretur, ut offerret filium ſuum? Sed Dominus ei loquutus eſt. Quo ad hoc ſpectat, ut dum ambulat, dum iter agit, per totam uiã cogitationibus diſcerparetur, ut hinc urgente præcepto, hinc unici nati affectu obluctante cruciaretur. Propterea ergo etiam uia iniungitur etiam montis aſcenſio, ut in his omnibus ſpatium certaminis accipiat affectus, & fides, amor Dei, & amor carnis prçſentium gratia, & expçctatio fututorum. Quid ad hæc tu Abraham? Quæ, & quales cogitationes voluuntur in corde tuo? Putas ne quia ſi in Iſaac data eſt tibi promiſſio, & hunc ſi iugulas, quis erit diuinis promiſſionibus locus? Nihil horum ait, nihil diſcutit, ſed celeri, atque ſimplici obedientia paret. O fidem egregiam ac dignam perpetuis laudib. ut ab omnibus pater fidei nuncuparetur.

Fidei confeſſio.

Exo.14. *Philõ li. de Emigrati.* COnfeſſio fidei ſignificata, & figurata fuit in illa tenebricoſa nube, de qua in Exodo dicitur, Cum tenebroſa eſſet noctem caliginoſam illuminabat, *Porque eſte no ſaber ſi no creer las coſas diuinas es ſummo ſaber,*] & hæc tenebra eſt lux magna ſicut eleganter dixerunt Philon, & Irinæus, ſanctus Hilarius, & B. Auguſt. qui illa diuina uerba potulit. Videlicet. Plus ualet, & melior eſt ignorantia fide ſociata, quam ſcientia temeritate, & præſumptione coniuncta, Eſt autem ualde notadum, quud cum dicimus. Credo in unum Deum, & rurſus in eadem oratione dicimus. Credo ſanctam Eccleſiam, & non dicimus credo in ſanctam Eccleſiam, hoc ideo facimus quoniam illa dictio, in, ſignificat fiduciam, & amorem, quem ponit is, qui in ſolo Deo credit, & confidit, ſicut eruditè B. Auguſtinus ſuper Pſal. 77. adnotauit, & clarius Ruffinus in expoſitione ſymboli, ubi ſic ait. Nõ dicimus Credo in ſanctam Eccleſiam, ſed Credo ſanctam Eccleſiam, ad inſinuandum, nos non credere Eccleſiam ipſam eſſe Deum ſed congregatam, & coniunctam eſſe in Deum. Hac enim præpoſitione, in, creator à creatura diſtinguitur.

Abrahã. Irin. li.1. c.43. Hila. li.8. de trin. B. Aug. de ver. Apoſto. ſer.10 *B. Aug. ſuper Pſ.77 & tracta. 29. in Ioã. Ruf. in ſymbolum.*

Fides in anima debet facere, & operari id, quod viſus mediante luce corporaliter operatur, nã ſi propriis noſtris oculis videmus Regẽ in throno regio ſedentem, nunquid non mouemur ad reuerentiam ei, atque honorem exhibẽdum? Si igitur oculis corporeis vere, & realiter in illo altari Ieſum Chriſtum filium Dei ea videremus forma, gloria, & maieſtate, qua ad dexteram patris ſedet, qualiter, obſecro, eum amaremus? Qualiter in eius amore liqueſceremus? Qua reuerentia, & animi ſubmiſſione eum adoraremus? Quo affectu miſericordiam ab eo peteremus? Deniq; quã diligentiam adhiberemus, nec coram eius diuino conſpectu cum odio, aut inimicitia erga proximos noſtros, aut cum aliqua mala intentione eſſemus? Si ergo tanta veritas eſt Deum ibi eſſe ac ſi proprijs oculis illum videretis, & vere ita eſſe omnes credimus, quare ipſa fides in vobis non operatur id, quod

viſus corporalis, ſi corporaliter illum uideret, operaretur? Quare hic tam tepidi, & tam pauca reuerentia eſtis, ac ſi hoc non crederetis? O Deus infinitæ maieſtatis ſuſcita, obſecro, has animas, in quibus tam parum lux fidei, qua eas adornaſti, operatur. Scribens B. Paulus ad Hebræos inquit. Iuſtus autem ex fide uiuit. Cuius loci inter alias vna expoſitio eſt, quod fides iuſtum ducit, eũ quę facit uitam ordinare, & in ſeruitiũ Dei maximo cum amore, ac reuerentia uiriliter incedere. Cum igitur fratres mei fidem habeatis, & ipſa in vobis hoc non operetur, merito perti meſcere poteſtis, vos non eſſe iuſtos ſiquidem, (ut ait Apoſtolus) iuſtus ex fide uiuit. *Ad Hebr. 10.*

Fides.

OMnes qui ab initio mundi ſalui facti ſunt, & uſque in finem ſæculi ſaluabuntur, in fide reparatoris noſtri Ieſu Chriſti ſaluati ſunt, & ſalui erunt. Quod quidẽ probatur ex illis D. Pauli verbis. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quę eſt in Chriſto Ieſu: quibus uerbis teſtatur S. Apoſtolus. Omnes, qui ſaluandi ſunt, per redemptionem Ieſu Chriſti reparatoris noſtri ſaluandos eſſe. Hæc etiam ueritas cõprobatur ex aliis eiuſdem Apoſtoli uerbis, quæ ſic habent. Vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus. Si igitur unus mediator duntaxat eſt, qui humanum genus æterno patri reconciliare potuit, ergo in fide huius mediatoris gloriam conſequentur omnes, qui eam conſequuntur. Atque ita idem S. Apoſtolus de S. Moyſe uerba faciens inquit. Maiores diuitias æſtimauit theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti, aſpiciebat enim remunerationem. Vbi apertiſſime oſtenditur, qualiter S. Moyſes omnem ſpem ſuam, ac fidem, in Ieſu Chriſti meritis fixam haberet. Idcirco S. Damaſcenus antiquos patres Abrahamum, Iſaac, & Iacob, & cæteros legis ueteris ſanctos patriarchas uocat optimos Chriſtianos, quamuis olim in illa lege magnum, diſcrimen uerſabatur inter ſapientes, & populare uulgus: nam ſapientes hanc fidem explicitam habebant, uulgus autem implicitam. Sicut qui in papyro deſcriptionẽ Hiſpaniæ aut Italiæ depictam haberet, ipſa autem papyrus extenſa eſſet, & omnibus manifeſta: alius uero hanc eã dem deſcriptionem in papyro duplicatã, & inuolutã: profecto alter horum, uidelicet, primus haberet Hiſpaniam explicitam, alter uero implicitam. Sic illi credentes omnes in uno mediatore alii explicitam fidem tenebant, alii uero implicitam. Nam alii myſteria diuina apertius, quam alii credebant. Vnde inferre poſſumus quanto maiori obligatione nunc aſtringamur, & quantò magis nunc altiſſimo Deo noſtro debeamus ſiquidem tam claram nobis ſuorum myſteriorum lucem donauit: Idcirco oportet, nos ei gratiſſimos eſſe ac non ſola fide contentos plurimi enim ſunt, quos nimia fides decipit, ſicut Henricus ille Angliæ Rex (quando Catholicus erat, nec ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam deſeruerat) in libro, quem contra impium Lutherum edidit, eleganter amplificauit, Atque ita non immerito S. Propheta Oſeas fidem appellauit ſponſæ annulum, qui ſi nimis anguſtus eſt, & paruus, digitum uexat, ſi autem nimis amplus eſt, & magnus, ex digito ſenſim, & paulatim cadit: ſic quidam plus credunt, quam Deus uult, ut credant, ſiquidem credunt, ſe cum in peccatis uixerint, ueniam ſic conſecuturos, & ſaluandos eſſe, quod quidem magna præſumptio eſt; Alii autem minus credũt, quam credere debent, nam ex altiſſimi Dei miſericordia defidentes licet de ſuis peccatis maxime pœniteãt, nõ credunt, ipſam eſſe infinitam, ipſumque Deum eſſe ad miſericordiã nimis procliuem, aut etiam (quod grauiſſimum malum eſt) non credunt aliquem ex fidei articulis. In ludo quem uocant arũ di-

Ad Ro. 3.

1. ad Thi. c. 2.

Ad Hebr. 11. c.

dineum, hoc eſt, [*juego de canas*] Plurima ipſis equitibus diſſimulari ſolent; [*como es diſſimular vn mal deſden en la ſilla, y vna mal a poſtura, y no herir bien de las eſpuelas, y no adargarſe bien.*] At uero ſtapedam amittere fidiſſimum eſſe reputatur, hoc eſt, [*perder los eſtribos aquello es tenido por feyſſimo.*] In hunc modum, ſacroſancta Eccleſia in ludo noſtræ ſaluationis plurima diſſimulat uitia, & peccata, qualia ſunt ſuperbiæ hominum, inuidiæ cupiditates, &c. At uero fidem, qua nitimur, amittere, hoc execrandum reputat, & nullo modo ferre poteſt, quia fides eſt omnis ſpiritualis exercitii fundamentum; [*E aſsi por ninguna manera conciente que ſe pierdan los eſtribos del alma, que es la fe en que eſtribamos,*] idcirco eos, qui eam deſeruit grauiſſimè optimo iure punit.

Simile.

Fides magnum eſt Dei beneficium.

FIdes eſt donum Dei, quam ipſe ſolo beneplacito ſuo præbet ut ſupra apertiſſime probauimus, & experientia conſtat, ſiquidem eam Deus plurimis hominibus abſque meritis eorum communicauit, de quorum numero Indianæ gentes fuerunt, quibus Dominus, cum ipſæ tot ſceleribus, ac facinoribus plenæ eſſent Euangelium ſuum, ac fidẽ ſanctiſſimam communicauit. Et profecto diuinum beneficium reputari debet immenſum Deum ampliſſima illa regna Hiſpanis oſtendiſſe, & in eorum manibus collocaſſe, ut ex illis tot barbaræ nationes fidei Catholicę puritatem, & ueritatem acciperent, eiſque fuiſſet frænum quoddam aduerſus deteſtabile uitium potandi, cui omnes illæ Indicæ nationes obnoxiæ ac deditæ ſunt, ſiquidem inter omnes mundi nationes, quæ in Europa degunt, paucæ tam ſobriæ reperiuntur, ſicut Hiſpanica natio, & poſſent quidem Indicæ illæ nationes populum, licet Chriſtianum reperire qui ſimul cum eis huic deteſtando uitio largiſſime ſe traderent: Sed Deus hoc ſua infinita miſericordia non permiſit. Singulare etiam Dei beneficium fuit, eos in manus hæreticorum non incidiſſe, qui cum miſeros homines ab uno errore liberarent, eos in alios plurimos incidere facerent. Sed uoluit altiſſimus Deus, ut in manus Chriſtianorum catholicorum inciderent, à quibus ueram ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ fidem acciperent. Denique miraculoſum eſſe uidetur tot gentes à tam paruo numero ſuperari, maxime cum Mexicani, & alii plurimi eorum gens fuerit bellicoſiſſima, & magni roboris, ac fortitudinis, ita ut inter eos aliquis extiterit, qui nudus contra Tygridem cultro duntaxat lapideo [*Por ſola gentileza*] certauerit, ipſumque, (cum animal ferociſſimum ſit) ualidiſſimè ſuperauerit, & interfecerit. Miraculoſum etiam uidetur, quod cum Indi noſtros ſæpenumero ueneno interficere tentauerit, eis nunquam nocere potuerunt. Prodigioſa etiam res fuit, quendam hominem in equo ſedentem coram exercitu Hiſpanorum in Mexica expugnatione apparuiſſe, qui quidem creditur fuiſſe Diuus Petrus, aut Diuus Iacobus. Miraculum etiam fuit uirginem coram eodem exercitu, & in eadem expugnatione, magno ſplendore circumfuſam apparuiſſe, quæ per phalanges, & exercitus hoſtium pertranſiens oculos eorum tanquam puluere obcæcare uidebatur: & hæc creditur fuiſſe ſacratiſſima uirgo Maria Dei Mater, & Domina noſtra. Quæ duo ipſi Indi teſtantur. Hæc omnia Deus optimus Maximus propter conuerſionem illarum nationum fecit, & non (ut ego exiſtimo) quia illi Hiſpani, qui regna expugnarunt id merebantur. Miraculoſum etiã exiſtimo Deum omnia illa noua regna in fundationem ſacroſancti Euangelii, & in conuerſionem illarum gentium uocaſſe per medium trium ordinum mendicantium, ſcilicet prædicatorum, Diui Auguſtini, ac minoritarum, quorum uirorum ſanctitate magna, & eruditione præditorum euangelica uita ſingularis charitas, feruor deuotio-

nis, atque innocentia fuerunt ædificatio non unius nationis, aut populi, ſed unius noui mundi decem mille leucæ ſua amplitudine continentis. Hæc omnia miſericors Deus propter illas barbaras nationes quamuis idolatras, & abominabiles peccatores operatus eſt, & non ad illos attēdit, ſed ad ſeipſum. Propter quod ipſi magis deuincti, & obligati ſunt, ad eius ſeruitium exequendum, & ad oſtendendum ſe continuo tantis beneficijs gratos. Nos autē ex his omnibus commoueri, & incitari debemus ad laudes Domini continuo referendas pro tam ſingulari opere, quod in illis regnis proximis noſtris operari dignatus eſt, eum ſimul deprecantes, ut lucem ſuam, fidem, atque Euangelium aliis infidelibus nationibus, quæ per mundum diſperſæ ſunt, mittat, ut ſic omnes in una fide, obedientia, & amore ei fideliſſimè ſeruiamus.

Fides à ſanctis doctoribus commendatur.

Ad Hebr. c. 10. Beatus Paulus ad Hebræos ſcribens nos admonet dicens. Accedamus ad eum uero corde inplenitudine fidei. Fides plena eſt illa, quæ per dilectionem operatur: fides uacua eſt, fides ſine operibus, & ſine charitate. Sicut autem Hermas inquit, cum homo impleuerat amphoras bono uino, & inter illas paucas ſemiplenas poſuit, uenit uero, ut tentet, & guſtet amphoras non tentat plenas, ſcit enim quia bonæ ſunt: ſemiplenas autem guſtat, ſint ne accidæ factæ, cito enim ſemiplenæ aceſcunt: ſic que qui pleni ſunt in fide, reſiſtunt diabolo & fugit ab eis, quia non habet locum intrādi, ſed in ſemiplenas intra, & quæ uult facit illis & fiunt famuli eius. *Simile.*

Lact. Firm. lib. 6 c. 9. Lactantius Firmianur de fide agens inquit: Omnis enim iuſtitia eius (ſcilicet fidem non habentis) ſimilis eſt humano corpori caput non habenti, in quo tametſi membra omnia, & locis ſuis conſtent, & figura, & habitudine, inde quoniam de eſt id, quod eſt omnium principale, & uita & omni ſenſu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent uſum tamen non habent, tam ſcilicet corpus ſine capite, quam caput ſine corpore, cui ſimilis eſt, qui cum Deum nō ignoret uiuit iniuſtè, id enim ſolum habet, quod eſt ſummum, ſed fruſtra quoniā uirtutibus tanquam membris caret. Itaque ut ſic uiuum, ac ſenſibile corpus, & agnitio Dei neceſſaria eſt ſicut caput, & omnes uirtutes quaſi corpus. *Simile.*

Cyril. Cateche: 2. Cyrillus Hieroſolymitanus. Sed forte dices. Fdelis ſum, me apprehendet concupiſcentia, etiam ſi aliquid concupiuero obſcurius. An ignoras, quod etiam in petra quādoque radix agitur, & ſæpè manet? Ne ſuſcipias ſemen, quoniam perdet ſuam fidem, priuſquam floreat, radicitus erue malum: ne ſi ab initio neglexeris, poſtea in profundū incidas, & ignem magis excites. Lippitudinem inceptātem tempeſtiuè cura, ne cum excæcatus fueris tum demum fruſtra medicum quæras. *Simile.*

B. Hil. li. 2. de trin. Simile. Beatus Hilarius lib. de Trinitate ait: Vt quædam medicamentorum genera ſunt, ita comparata, ut non in ſingulis tantum ægreditudinibus vtilia ſint, ſed omnibus in commune medicantur, habentque in ſe virtutem generalis auxilij. Ita, & fides catholica non aduerſus ſingulas tanum peſtes, ſed contra omnes morbos opem medelæ impertit, non infirmanda genere, non uintenda numero, non diuerſitate fallenda, ſed una, atque eadem aduerſus ſingula omnia que conſiſtit.

B. Cyril. Catheche. 5. B. Cyrillus etiam inquit. Magnum quidam eſt uir fidelis omnique diuite ditior: fidelis enim uir eſt uniuerſus mundus diuitiarum, qui poſſit cōtemnere ipſas, & conculcare. Nam qui ad apparentiam diuites ſunt, multaque poſſidēt, in anima pauperes ſunt. Quāto plura enim congregant, tanto magis eorum quæ deſunt concupiſcentia tabeſcunt. Fidelis autem uir, quod eſt maxi-

maximè paradoxicum, in paupertate diues eſt, ſciens enim quod tantum habere neceſſe eſt, quibus tegamur, & ueſcamur & his contentus aſpernit diuitias,

Euſe. Emiſ. homi. 2. de ſymbo. Simile. Euſebius Emiſſenus in quadam homilia inquit. Fides religionis Catholicæ lumen eſt animæ oſtium uitæ, fundamentum ſalutis æternæ. Quicunque hac derelicta uelut peſſimum Ducem proprium ſequitur intellectum, ſic facit quomodo ſi abſque fundamento ædificet domum, aut ſi prætermiſſo oſtio uelit introire per tectum: uel ſi nocte ſine lumine inferat greſſum totum ſe clauſis oculis urgeat in profundum.

B. Chryſ. in Bab. Martyrem. Simile. B. Chryſoſtomus inquit. Enim uero ſicut ſi adamãtina & incorruptibilia nobis corpora eſſent, neque ſcorpios, neque ſerpentes, neque ignem manibus formidaremus complecti. Ita cùm animas noſtras fide Chriſtus armauit, nõ eſt, quod timeamus etiam hoſtes tenentes uenena: nobis enim conceſſum eſt ambulare ſuper uenena, & ſcorpios & omnem diaboli tyrãnidem multo magis ſuper terenides, & ſcarabeos, tam procul eſt ne qua parte nos offendant inſidiæ diabolicæ.

Idẽ ſermo. Iuuentini & Maximi Mar. Simile. Idem in quodam ſermone ibquit. Enim uero ſicut plantæ rigatæ magis creſcunt: ita & fides noſtra oppuguata magis floret, & ſeditione agitata incrementa maiora ſumit. Neque horti aquis irrigati ita germinant, & fœcundi ſunt, ut Eccleſiæ, ſi martyrum irrigentur ſanguine.

Idẽ ho. 18. ope. imp. Simile. Idem in quadam homilia ait. Sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, ſed per oleum nutritur, ſic fides non quidem ex opere naſcitur, ſed per opera nutritur.

Homi. 20. ope imp. Simile. Idem ibidem inquit. Sicut qui audit quia mel dulce eſt, uec guſtat de illo, nomen quidem mellis cognoſcit, gratiam autem eius naturæ ignoræ ignorat: ſic & qui audit quia Chriſtus filius Dei eſt, iuſtitia autem eius nõ fuerit vſus tantummodo nomen Chriſti cognoſcit, gratiam autem naturæ eius ignorat,

Idẽ ho. 25. Simile. Idem homilia alia inquit. Sicut domus, quæ habet validum fundamentũ, ſi pars aliqua parietis, uel tecti ceciderit ruina eius, magna non erit, quia poteſt fieri vt iterum raparetur. Si autem fundamentum eius caſum fuerit paſſum, tunc eſt ruina magna quia tota nenit deorſum. Sic & Chriſtianus ſi aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidum fecerit, cecidit quidem tamen ruina eius magna non eſt, quia pœnitentia iterum poteſt ſurgere, ſicut Dauid: ſi autem de fundamento fidei aliquid fuerit paſſus, ideſt, ſi præuaricatus fuerit, & ad gentiles aut hæreticos tranſierit, tunc eſt eius ruina magna, quia totus funditus ruit.

Ibi ho. 40. Simile. Idem ibidem homilia alia ait. Sicut quando radix eſt viua, neceſſe eſt, vt aut ramos producat aut folia: ſi autem non produxerit, ſine dubio intelligis quod radix eius in terra ſiccata eſt: ſic quandiu fides cordis intra eſt, ſemper germinat confeſſionem in ore: ſi autem confeſſio non fuerit oris, intellige ſine dubio, quia fides cordis eius iam ante ſiccata eſt.

Idem 2. in epiſto. ad Rom. Simile. Idem ibidem homilia alia ait. Sicut in turri conſiſtentes duo bona conſequuntur, & hoſtium irruptionem ipſi nõ facile patiuntur, & hoſtes de turri facile conterunt, Sic & qui in fide Chriſti conſiſtunt, & dæmones ſuper irruere non ſinunt, & ſpiritualibus bonorum operum ſagittis eos facile vulnerant.

Idem alia homilia ait. Sicut pecunia hæc corporalis quidem ſi ſit in ſacculo incluſa ipſa eſt ſemper ſola, ſi autem fuerit agitata de manu in manum vſu ipſo multiplicatur, vnde vſura dicitur ab uſu: ſic & fides Chriſti, ſi quidem otioſa teneatur iu corde non ſolum ipſa manet, quæ fuit, ſed adhuc minoratur in otio, & torpeſcit & ſenex efficitur, & paulatim peractus carnales exanimata ad nihilum vadit, ſi autem exercitata fuerit ſcripturis & loquutionibus aſſiduis, operibus bonis viuificata,

non

non ſolum multiplicabitur, ſed nunquã deſinet creſcere donec viuet homo.

Idem ho. 5 in 1. ad Co. Idem alia homilia inquit. Cum faber ignitum ferrum forcipe accipere ſoleat, ſi alius id digitis accipere contendat, vltimam illius amentiam conie ctabimur. Sic Philoſophi per ſeipſos res diuinas inuenire conati fidem coinquinarunt: Propterea nihil, quod quærerent, inuenire potuerunt, forcipe enim fidei diuina myſteria accipienda ſunt. *Simile.*

Idẽ c. 1. ad Gal. Simile. Idem alia homilia inquit. Quemadmodum de moneta Regia, qui paulum aliquid amputarit de impreſſa imagine totum numiſma reddidit adulterinum. Ita quiſquis ſanæ fidei vel minimam particulam ſubuerterit in totum corrumpitur ab hoc initio ſemper ad deteriora procedens.

B. Ambro. ſer. 1. Simile. B. Ambroſius ait. Sicut granum ſinapis prima fronte ſpecie ſui eſt paruum, vile deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem, at vbi, teri cœperit, ſtatim odorem ſuum acrimonia exhibet, cibum flauei ſaporis exhalat, & tanto feruoris calore ſuccenditur, ut mirum ſit in tam friuolis granis tantũ ignem fuiſſe concluſum, Cuius etiam ſeminis cibum homines hiemis tempore præcipuè magna pro ſuauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores auferant, viſcerum interna calefaciant, ſæpe etiam capiti ex hoc adhibent medicinam, ut ſi aliquid inualidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur: Ita & Chriſtiana fides prima fronte videtur eſſe parua, vilis, tenuis, non oſtendens potentiam ſuam, at vbi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aſpirat, & tãto diuini ignis ardore iaſtatur ut & ipſa ferueat, & participantem ſibi ardere compellat: granum ſinapis membrorum viſcera calefacit. Fidei autem vigor cordium peccata comburit: illud quidem aſperum algorem frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Granum ſinapis iniquos humores corporum decoquit: fides autem libidinũ fluenta conſumit. Per illud medicina capiti procuratur: per fidem autem ſpirituale caput noſtrum, quod eſt Chriſtus ſæpius refouetur fide iuxta comparationem ſinapis odore ſancto perfruimur.

Idem B. Ambroſius alio ſermone ait. *Idẽ ſer. 2. Simile.* Sicut cum ſinapis ſuccum ſumimus vultu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lachrymas promouemur, & ipſam ſalubritatem corporis noſtri cum quodam fletu auſteritatis accipimus, illinc enim nos amaritudo exaſperat, acrimonia penetrat: hinc calor ignei ſaporis aſcendit, & toto perturbati corpore, tunc magis ſani efficimur, cum amplius deploramus: Ita & cum fidei Chriſtianæ mandata percipimus, contriſtamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipſam noſtram ſalutem cum quodam fletu, ac mœrore conſequimur. Inde ieiunia nos exaſperant, illinc peccatorum conſcientia macerat. Hinc patrimonij iactura perturbat, & toto contriſtati habitu, magis ſalutem conſequimur, ſi amplius defleamus, ſicut Dominus ait, Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Quod ſuccus ſinapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur in anima.

Beatus Auguſtinus in prologo de fide ad Petrum inqnit. Tale eſt ut ſine uera fides quiſque velit Deo per contemptum ſæculi placere: quale ſi quis quã tendens ad patriam, in qua ſe ſcit beatè eſſe victurum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus ſectetur errorem, quo non ad beatam ciuitatem perueniat, ſed in præcipitium cadat, ubi non gaudium peruenienti datur, ſed cadenti interitus infertur.

Idem de verbis Domini ait. Infans natus ſi poſſet verba loquentis intelligere, cum ipſe loqui non poſſit, nec ambulare, nec aliquid agere, ſed ſicut eum videmus infirmum, iacentem indignum opis alienæ et tamen modo intelli-

intelligere poſſit eum, qui ſibi loqueretur, & diceret ei. Ecce ſicut me vides ambulantem, operantem, loquentem, poſt paucos annos talis eris: attendens ſe, & illum quamuis quod promitteretur videret, tamen ſuam conſiderans infirmitatem non crederet, & videret tandem quod promittebatur. Nobis autem tanquam infantibus in hac carne, atque infirmitate iacentibus, & magnum eſt, quod promittitur, & non videtur, & erigitur fides, qua credimus, quod non videmus, vt mereamur videre, quod credimus

B. Damaſ. li. 4. de fide c. 12. Beatus Damaſcenus lib. de fide inquit. Non animaduertitis actiones omnes antecedere fidem? Quis obſecro, agricola metere poteſt, niſi prius ſemen credat ſulcis? Quis mare poterit traijcere, niſi prius ſemetipſum credat nauis gubernatori? Quis morbis implicitus ſanitatem recuperare poterit, niſi ſemetipſum prius tradat medico? Quã artem, quam ſcientiam, quis diſcere poterit, niſi prius ſemetipſum tradiderit, & crediderit preceptori? Si igitur agricola credit telluri, nauigans naui, infirmus medico, tu ne refugies temetipſum credere Deo à quo tot fidei arrabones accepiſti: Primum quidem, cum non fores, te creauit &c.

Fidei miſteria non ſunt curioſius ſcrutanda.

VBi nos legimus in Canticis: Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me aduolare fecerunt, alij ex Hebræo vertunt, Auerte oculos tuos, ne me rectè intueantur, quia me ſuperbiorem faciunt. Quorum translatione, ſi nobis probetur, poſſumus ſenſum gratiſſimũ huius loci, & literæ etiam accommodatiſſimum eruere. Docet enim diuina ſcriptura præſentim D. Paulus, omnia diuina adoranda quidem eſſe, ſed non curioſius à nobis ſcrutanda. Nam cum propter imbecillitatem noſtræ rationis, & mentis, tum propter rerum magnitudinem facile in contemplatione illorum noſtri ingenii acies retũdetur. Ob eamque rem hortatur interdum ſacra ſcriptura cohibendam eſſe mentem & auocandam à curioſa diuinarum rerum contemplatione. Duplici ergo ratione humanus animus ſponſum poteſt intueri, hoc eſt illius magnitudinẽ, & ſublimitatem contemplari, nũc quidem rectè aciem mentis in naturam ſponſi intendendo, nunc tranſuersè, & ueluti per ænigmata, ac mediam caliginem illius maieſtatem conſiderando. Ergo cum anima ſponſi res contemplatur curioſius, quam par ſit, directè intuetur ſponſum. Cum autem conſiderat, & contemplatur ipſas ſponſi res, pro ut nobis eſt in ſacris literis reuelatum, fidei cognitione contenta, diuina tantum oracula adorans, atque ſuſpiciens, his, inquam, & ſponſum intuetur (quemadmodum oportet) & magna quædam ac mirabilia ipſa contemplatione aſſequetur. Iubet proinde ſpõſus, ne chariſſima ſponſa ipſum directis oculis intueatur. Nã qui uelit iſta ratione ſponſum intueri operam, ut aiunt, & oleum perdet, hæc enim inuerecundæ frontis audacia, & humanæ mentis impudentia ſponſum efficiunt ſuperbiorem. Etenim qui ſcrutator eſt illius maieſtatis non ſolum opprimetur a gloria, uerum etiam inanes humanæ mentis conatus ipſemet ſponſus reprimet, quoniam ſolet ille ſuperbas mentes, & arrogantes à ſuis cogitationibus depellere. Itaque ne ſponſa cõtentionem iſtam rerum diuinarum magno ſtudio ſuſciperet, uehementer illã dehortatur ſponſus, ne directè ipſum contempletur, &c. Duplex enim cum ſit diuinarum rerum cognitio (quarũ altera fit per ſpeculum, & in ænigmate, altera uero facie ad faciem) habet utraque opportunum tempus, quas ſi in idem tempus uelis detrudere, ipſarum rerum naturam perturbabis. Ideo Beatus Paulus utrumque cognitionis genus nobis proponit dicens. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Prou. 25. 1. ad Cor. 13.

Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus, cogitabã ut paruulus: quando autem factus ſum uir euacuaui, quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ecce duplicem cognitionem, quarum altera diuinis oraculis nobis proponitur mortali hac uita amplectenda: altera uero in id tempus eſt releganda, quando ſponſum, ſicuti eſt, cognouerimus. Velle itaque ſponſum, dum in carne uerſamur, intueri facie ad faciem ſiue directè ſummæ eſt impudentiæ, poſtremæque uerſaniæ: Quemadmodum ſi in ſuprema illa fœlicitate ſecum ſtatueret quiſpiã, ſponſum ibi per ænigmata uidere. Cũ nullus tunc iam erit fidei locus. Sunt ergo ſingulæ uiſiones ſuis coaptandæ tẽporibus, alioquin omnia perturbabimus. Vnde & B. Paulus eos omnes, qui in carne uerſantur, paruulos appellat, eos autem qui exuta iam mole corporea, recta ad ſponſum uia contenderũt, uiros nuncupat. Stultum uero eſſet, & dedecoris plenum, ſi quis uir matura iam ætate cõſtitutus luſus, & ineptias, & nugamenta puerorum amplecteretur, nec minus aduerſaretur naturæ, ſi puer aliquis, aut qui infantiam nondũ exceſſit, uirorum functiones, & munia ſubire contenderet. Habent enim ſingulæ ætates, ſingula officia, ſingulaſque actiones à natura ſibi deſtinatas, quas ſi prætergredi uelis, totam concuties naturam. Cum eſſem paruulus (inquit ſanctus Apoſtolus) ſapiebam, ut paruulus, &c. Paruula ergo eſt ſponſa, interim quod in carne uerſatur, pueritiam autem, & infantiam excedet, cum ad maturam acceſſerit ætatem, hoc eſt, cũ exuta mole corporea ſponſum ſicuti eſt uidebit. Cum ergo paruula eſt ſponſa per fidem, & in ænigmate ſponſum intueatur. Cum uero ad uirilem acceſſerit ætatem, hoc eſt in gloria ſponſum directè, & facie ad faciem intuetur: alioquin ſentiet ſuo malum ſponſum ſuperbum, quaſi dicas indignabundum, & irritatum, & animo commoto. Quo circa inquit. Auerte oculos tuos à me, ne directè me intueantur, &c. Vt autem facilius, quæ diximus, intelligantur, exempla ex ſacris literis depromptiora aperiamus. Diuinis oraculis nobis proponitur credendum, ſponſum omnia ex nihilo condidiſſe id quidem per ſpeculum, & in ænigmate credere, & iubet ſponſus, & ratio ipſa poſtulat. Directis autem oculis velle intueri myſterium hoc, & curioſius inueſtigare, quomodo id fecit ſponſus, qua ratione, qua uia, hoc ſanè eſt ſponſum ipſum directè intueri. Proponitur nobis credendũ, & adorandum Trinitatis myſterium prædeſtinationis, & electionis diuinæ incarnationis, verbi natiuitatis ineffabilis iubet ſponſus, vt ſponſa hæc omnia adoret, veneretur, fide cognoſcat, contempletur in ænigmate, & per ſpeculũ: nam in his rebus, quæ prorſus excedũt captum noſtræ mentis, modum excogitare, vbi nullus eſt modus, & rationes metiri, vbi nulla eſt menſura, demens prorſus eſt, atq; ſtultum. Proponit nobis ſacer Euangeliſta Ioannes, quoniã in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & quoniam verbum caro factum eſt, quid directè intuetur ſponſum, ſtatim incipit inueſtigare. Quæ ſit ratio incarnationis, quomodo potuerit humana natura diuinæ coniungi. Qui vero res iſtas contemplatur, vt oportet, cogitat, quoniam oportuit eum qui remiſſionem peccatorum debebat facere, Deum eſſe. Auerte igitur oculos tuos. O anima fidelis, ne me rectè intuearis. Nam ab iſta curioſa inueſtigatione plerumque innumeri naſcũtur errores. Contenta ergo ſit ſponſa, interim quod in terris uerſatur, illo cognitionis genere, quod per ænigma, & per ſpeculum eſt. Hæc enim cognitio diuinis oraculis nobis proponitur amplectenda. Per ſpeculum quidem nunc ſponſum cognoſcimus, quoniam inuiſibilia per ea, quæ facta ſunt intelligimus, nam & creaturarum uenuſtas, & ordo, & magnitudo, & concentus quodammodo noſtris oculis obijciunt diuina-

Ioan. 1.

Ad Ro. 1.

ſinatum rerum ſpecies quaſdã, quemadmodum fit in ſpeculo. Cæterũ præſtantia illa exactiorque cognitio diuinarum rerum in vita iſta mortali per ęnigma eſt, obſcura, inquam, & caliginoſa. Nam fides ipſa diuinas res nondum apertè proponit contemplandas. Quæ, viſio magna cum proprietate à D. Paulo ænigmatica appellatur. Eſt enim ænigma per obſcura quædam ſententia, cuius germanum ſenſum uix poteris eruere. Quemadmodum ænigma illud Sanſonis. De comedente exiuit cibus, & de forte egreſſa eſt dulcedo. His ergo duabus conditionibus cõtenta debet eſſe ſponſa, reliquum omne ſtudium in componendis moribus, & reformandis affectibus collocandum eſt.

Iud. 14.

Differentia inter articulos fidei noui, & veteris teſtamenti.

RES quidẽ ſcitu digniſſima eſt differentia, quæ verſatur inter articulos quos credere tenebantur fideles in lege naturæ, & in lege ſcripta, & inter eos, quos fideles Chriſti in lege gratiæ credere debent. Pro quo perpendendũ eſt; quod in lege naturæ homines credere tenebantur, quator articulos: primũ, quod Deus eſt vnus: ſecundum, quod eſt remunerator, ait enim Apoſtolus: Accedẽtem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirẽtibus ſe remunerator ſit præmij, ſcilicet, æterni. Et in hoc articulo implicitè cõfitebantur Ieſu Chriſti fidem: nam fides implicita ẽ credere aliquem articulum uniuerſalẽ, ex quo in bona cõſequentia poteſt colligi aliquis particularis. Et quoniã de hoc articulo vniuerſali, Deus eſt remunerator præmij æterni, ſequitur in bona conſequentia, quod ipſe nobis per merita Ieſu Chriſti ſempiternam daturus eſt gloriam. Idcircò dum ſupradictus articulus creditur, implicitè in Ieſum Chriſtum creditur. Quod ſi aliqs quærat, quomodo inferatur hæc conſequentia? Ad hoc reſpõdeo, hoc modo inferri. Deus remuneraturus eſt ęternis bonis amicos ſuos, & hoc facturus eſt aliquibus medijs ab æterno cõſtitutis, quorum unum eſt verbi diuini incarnatio, ergo qui credit hunc vniuerſalẽ articulum, Deus eſt remunerator, virtualiter credit in Ieſum Chriſtum, atq; in eius ſacroſanctam incarnationẽ. In tertio articulo credere debebãt, Deum eſſe creatorem, quoniam ex obligatione tenebantur adorare Deum adoratione latriæ, quæ ipſi Deo titulo creatoris debetur. Quarto denique loco credere tenebãtur articulum iuſtificationis: nã ſpem habere obligabantur, quod ſi de ſuis peccatis pęnitentiam agerent, remiſſionem illorum conſequerentur. Illi autem, qui in lege ſcripturæ viuebãt, tenebantur credere explicite Meſſiæ aduentum: & in hoc (ut ait D. Thom.) erat diſcrimen inter doctores legis, & uulgus populi Iſraelitici. Etenim maiores ſynagogæ, videlicet doctores, & ſacerdotes obligabãtur explicitè credere incarnationis filij Dei articulum; quoniam in ſcripturis, quas ipſi legebant, reuelatus erat: minores uero ſcilicet, ſtatus ſæcularis explicitè credebant aduentum Meſſię, incarnationem autem implicitè; ſciebant enim, & credebant, venturum eſſe mediatorem inter Deũ & homines; vtrum autem hic mediator futurus eſſet Deus, & homo, hoc nõ erat articulus explicitus minoribus. Denique fideles legis euangelicę tenentur explicitè credere quatuordecim fidei articulos. Quod uero attinet ad articulũ ſanctiſſimæ Trinitatis, ſi forſan fuerit aliquis adeò ruſticus, vt differentiam perſonarum diuinarum, & unitatẽ eſſentiæ non addiſcat, ſufficiet ei (ut ait Scotus) credere, quod credit eccleſia catholica, hoc eſt, [*baſtarle ha remitirſe a la fe de la Igleſia catholica.*] Oportet ẽt vt Chriſtianus ſciat, ſe eſſe obligatum ſub reatus mortalis pœna in quatuor caſibus fidei actum habere: primus eſt quando aliquod ſacramentum recipit,

Ad Hebr. 11.

B. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7.

Vide B. Tho. 2. 2. q. 2. ar. 8. Scot. in 3. diſt. 25.

tunc enim tenetur inuocare Deum, & filius eius Chriſtum Redemptorẽ noſtrum, & ex conſequenti ipſum actualiter credere. Nam, vt ait D. Paulus. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? *Ad Ro. 10.* Secundus caſus eſt, quando de ſuis peccatis pœnitentiam agit tunc. n. ex obligatione debet habere actũ ſpei, & charitatis, quæ ſine actuali fide produci non poſſunt. Tertius caſus eſt, quando aliquis tyrannus eum interrogaret, an in Ieſum Chriſtum crederet, tunc obligatus eſt reſpondere ſe firmiter credere, quia ut ait D. Paulus, *Ad Ro. 10* corde creditur ad iuſtitiam, ore autem cõfeſſio fit ad ſalutem. Quartus denique caſus eſt, quando ex obligatione prædicare & alios docere tenetur; ut ſunt Epiſcopi, & alij, quibus ex officio hoc munus incumbit.

Fidei diffinitio.

Ad Hebr. 11. BEatus Apoſtolus fidem hoc modo diffinit. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentũ nõ apparentium. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt, hunc terminum, ſubſtantia, duas habere ſignificationes, alteram propriam, alteram verò metaphoricam, ſecundum ſignificationem propriam ſignificat indiuiduum de genere ſubſtantiæ, ſicut hoc nomen, Petrus, hic equus albus: at verò in ſignificato metaphorico ſubſtantia ſignificat *Fidei defi nitio.* principium, & cauſam vnde res aliqua oritur, & procedit. Nam quemadmodum ſubſtantia in ſua propria ſignificatione eſt principium, ex quo accidentia procedunt, & eſt ſubiectum, ſupra quod ſunt: ſic principium, vnde res aliqua dimanat, dicitur ſubſtantia. Exempli gratia. In qualibet ſcientia, præmiſſæ dicuntur ſubſtantia, quoniam ex illis colliguntur concluſiones. Et in corporalibus ægritudinibus principia, vnde ipſæ procedunt dicuntur ſubſtãtia, vt in ægritudine (quæ vocatur febris tertiana) abundantia coleræ nuncupatur ſubſtantia illius ægritudinis, quoniam ex illa procedit. Sic fides eſt ſubſtantia; hoc eſt, principium ad conſequendum æterna bona, quæ expectamus. Ratio eſt, quia ſicut principium in ſcientijs eſt quædam præmiſſa, vnde cõcluſiones colliguntur: ſic fides, quã homo habet in intellectu, eſt quoddam principium, ex quo in bona conſequẽtia ſequuntur media ad cõſequendum æterna bona, quæ expectamus. Ideo dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum. Media ſunt ſpes, charitas, & obſeruantia legis diuinæ: ideo enim ſperamus, quia credimus Deum eſſe miſericordẽ quod ſi non crederemus eum eſſe infinitè bonum, non utique ſuper omnia illum diligeremus, Ergo fides eſt principium, vnde ſpes, & charitas procedũt. Et hoc ſignificare volũt Doctores ſcholaſtici, cum dicunt, fidem eſſe primam ex uirtutibus Theologalibus. Vocant eam primam ad ſignificandum, quod ex illa tanquam ex quodam principio ſpes & charitas oriuntur.

Fidei amiſſio.

FIdes non eſt primum, quod in anima amittitur, prius enim deperditur charitas. Qui ſemel, iterum, atque iterum cibum euomit, & ſæpenumero vomitare ſolet, tandem aliquando ſanguinem euomit. Sic aſſueſcunt homines vomitare caſtitatem, miſericordiã, humilitatem, patientiam, charitatem, quouſque tandem aliquando fidem, & ſanguinem Ieſu Chriſti vomitant. Si quis veſtẽ habet pretioſam ex lana purpurea confectam, & eam in angulo arcę oblitam relinquit, quãdo minus cogitat, illam perforatam, & corroſam à tinea, ac deſtructã inuenit. Itaque quia veſtem non exercebat, nec ea vtebatur, tandem à tinea deſtruitur. Sic aliqui fidem adeo oblitam habẽt in arca ſui intellectus, & eam tam parum exercent, & utuntur, [*que a algunos ſe les viene a eſtragar, y a roer con la polilla del error y heregia.*

Fidei efficacia.

SVper illa verba, quæ Chriſtus ſaluator noſter Magdalenæ dixit, ſcilicet, Fides tua te ſaluam fecit, tribuens ſalutem fidei, duo notanda ſunt. Primū quod ante illa uerba dominus præmiſſerat, nempe, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Secundum quod nō dicit abſolutè. Fides te ſaluam facit: ne videatur ſalutem tribuere vni fidei, ſed fides tua te ſaluam fecit. Tua, inquit, fides ſic diſpoſita, vt in te tam operans per dilectionem, ſic cor immutans debita pœnitentia ad imbres vſque lachrimarum. Fides tua talis ac tanta, ò Magdalena, te ſaluam fecit. Sicut te ò peccator, & me indubiè ſaluos faceret, ſi ſic in nobis viua, fertilis, ac ſtudioſa eſſet bonorum operum per dilectionem. Similes ſcripturæ omnes ſimiliter interpretandæ ſunt: nam niſi fides adiuuetur eiuſmodi ſequentibus bonis operibus, manet inanis, ac mortua: ſicut B. Iacobus docet. Qualia opera ſi ſecum habeat profecto multum valet, ſicut B. Paulus docet dicens. Nam in Chriſto Ieſu neque circuncíſio (hoc eſt, quidquid egeris ſecundum legem) aliquid ualet, neque præputium; hoc eſt, quidquid egeris ſecundum dictamē rectæ rationis, aliquid valet, vt intelligas opera præcedentia antè fidem nihil prodeſſe ſed fides. Et quæ obſecro, fides? Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur, ſupple, valet. Quoniam autem, dicit. fides quę operatur, manifeſtum eſt, quod S. Apoſtolus non excludit opera ſequentia fidem à iuſtificatione. Verum quæ ſunt iſta opera. Hoc quia non exprimit B. Apoſtolus, relinquitur intelligendum de quibuſcumque operibus fidei elicitis, vel imperatis, hoc eſt, de omnibus, quæ cognoſcimus, lumine fidei bona, Deoque grata eſſe, eamque ob cauſam proſequimur ea. Et hæc quidem operatur, non quocūque modo ſed per dilectionem, qua affectuoſe in Deum fertur anima, ò incommutabilis Deus. Quam probè animaduertit hæc D. Petrus, quando interrogatus ab incipientibus credere conſilium dedit inquiens. Pœnitentiā agite, & batizetur vnuſquiſque veſtrū in remiſſionem peccatorum, &c. Quaſi diceret. Bene eſt, quod creditis verbo Dei per os meum annuntiato, verum hoc non ſufficit, ut ſalui ſitis: oportet præterea etiam pœnitere vos veteris vitæ, & iniquitatis quam exercuiſtis crucifigendo Chriſtum Dominum, & conuolare ad baptiſmum, illoque ablui. Atque tum demum accipietis remiſſionem peccatorum, & Spiritum ſanctū. Quoniam illa multum per omnia cooperatur ad iuſtificationem. Verum præter hæc bona opera, quæ ſequuntur fidem, præcedunt tamen iuſtificationem, ſunt alia bona opera, quæ & fidē ſequūtur, & iuſtificationem longe eminentiora iſtis, quia procedunt non ſolum ex fide, ſed etiam ex ſpiritu Dei inhabitante, quo aguntur quicumque filij Dei exiſtunt. Ad hæc procedunt ex pretioſis illis donis Dei, quibus homo conſors efficitur diuinæ naturæ. Vnde haud dubiè ſapiunt, & redolent iſpam naturam iuſtitiæ diuinæ, Quapropter non poſſunt non arguere eam iuſtitiam, quæ erat iam in corde noſtro, & ex cuius principijs procedebant efficiendo, ut homo iam non ſolum iuſtus ſit intus in corde, ſed & foris, atque quaqua verſum, per omnes vires, omniaque membra, quantum patitur humana infirmitas: prius in Deum, in patriam, in parentes, caſtus in ſeipſo, æquus in commutationibus, modeſtus in congreſſibus, pudibundus in oculis, in lingua moderatus, & ſic de alijs mēbris. In hoc enim, teſte B. Paulo, apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus erudiens nos, vt abnegantes impietem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, & non tantum, iuſti ſimus intus in corde. Sicq; uiuamus diuino quodammodo ex ſpiritu Dei intus adiuuante, multoque eminentius, quam Socrates, aut

Ad Gal. 5. *Act. 2.* *Ad Tit. 2.*

Plato hæc facere potuerunt ſuis virtuti bus. Secundo augent eiuſmodi opera iuſtitiam noſtram intenſiuè, idque bifariam. uno quidem modo, quo ſolent omnes habitus intendi, ac robur, & firmitatem accipere debito exercitio ſui: alio uero modò per viam meriti propter occultam uim, & pretioſitatem uelut diuinam, quam poſſident ex ante dictis ſuis principijs, qua indubiè promerentur apud Deum abundantiorem gratiarum infuſionem, iuxta illud ſaluatoris. Omnia habenti dabitur, & abundabit, habenti, inquam, bonum uſum gratiarum, quas acceperat uti manifeſtè indicat parabola Matthæi, & B. Lucæ Euangeliſtæ. Tertio obſeruandum eſt, quod eiuſmodi opera merentur non ſolum augmentum iuſtitiæ prius habitæ, ſed & coronam iuſtitię in cælis nobis repoſitam, quæ eſt modis omnibus conſummata, & glorificata iuſtitia. Quapropter rectiſſimè diſtinxerunt patres eruditionis noſtræ inter primam, & ſecundam, hoc eſt, inchoatam, & prouectiorem iuſtitiam, dicentes, illam non cadere ſub noſtro ſed ſolius Chriſti merito: iſtam uero, ſicut & coronam iuſtitiæ, etiam noſtris ſanctarum actionum meritis tribui. Hinc Corinthios ſtudioſe hortatur B. Paulus dicens. Siue ergo manducatis, ſiue bibitis uel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, ſcilicet, per directionem fidei, nam tunc demum proſunt, tuncque reſpicit illa Deus, ut grata ad futuram retributioné. Alioquin ſi fiant citra directionem fidei, non in gloriam Dei ſaluatoris, etiam ſi in ſe optimi exiſtant, qui ea faciunt, profecto nihil ſunt, nihil ualent, nihil nobis

Matt. 25. Luc. 19.

1. ad Cor. 10.

proſunt magis, quam ſi gétes eſſemus, niſi forte quod impediunt, ne excidamus à iuſtitia, ſi iuſti eramus. Dum enim illa facimus, inter ea nihil agimus mali: aut ſi iuſti needum eramus, faciunt, ne deteriores, damnabilioreſque efficiamur, ſumus inſuper minus indigni gratia iuſtificante, ſuo fortaſſis tempore, à pijſſimo Deo nobis largenda. His omnibus benè perſpectis intelligetis, quomodo percipiendæ ſunt aquę de fontibus Saluatoris. Nam de tempore legis gratiæ loquutus eſt Iſaias dicens. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Non ait Haurietis aquam, ſed aquas, nec de fonte, ſed de fontibus, ut gratiæ magnitudinem, & donorum ſpiritualium multitudinem ſignificaret. In fonte eſt aqua, at in pharmacopolæ officina ſunt diuerſa aquarum ſalutarium genera. Ita in eccleſia, quæ eſt diuini medici officina, ſunt multa ſacramenta, multa dona, uaria gratiarum genera, quę omnia aquarum nomine ſignificantur. Hæc eſt aqua, de qua ait Chriſtus Ieſus Samaritanæ. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Quemadmodum auceps auiculam capit, qua vtitur ad alias capiendas eamque aliarum auium vocatricem, & inuitatricem iuxta fontem aliquem in vinculum coniectam collocat, ut alijs illuc conuenientibus impleat ſuum rete: ſic Dominus Ieſus mulierem illam Samaritanam ueluti auem quandam uoluit aucupari iuxta fontem Iacob, vt eſſet multarum volucrum inuitatrix, quæ exeuntes è ciuitate ad Chriſtum uenerunt, quos ille in admirabili reti fidei recepit.

Iſai. 12.

Simile.

Ioan. 4.

FIDVCIA quid ſit.

B. Tho. 2. 2. q 129. ar. 6. ad 3.

BEATVS Thomas exponens, & declarans quid fiducia ſit, inquit. Fiducia eſt modus quidam ſpei fortitudine ſociatus. Itaque non quæcumque ſpes eſt fiducia, ſed ſpes (ut ita dicam) calificata, & fortitudine ſociata. *Math. 6. Iſai. 6.* Nihil autem Dominus intentatum relinquit, ut nos ad fiduciam habendã perſuadeat, ſicut rationes, quas ad hoc apud Diuum Matthæum adduxit, perſuadent, ac manifeſtant. Et infido Achaz per Iſaiam dixit, Pete tibi ſignum à Deo tuo, ſiue in profundũ inferni, ſiue in excelſum ſupra, ac ſi dicat. Quod miraculum uelis quantumuis maximum, edet Dominus ut illi fidas. Aperietur mare: motiui, ſi uolueris, ſuſcitabuntur, dummodo illi credas, in eumque fiduciam habeas. Ad hanc fi- *Ad Ro. 8.* duciam habendam Diuus Paulus ſic fidelibus ſuadet. Si Deus eſt pro nobis, quis contra nos? Ac ſi dicat. Nõ fames, non ſitis, non nuditas, non creatura aliqua aduerſari nobis poſſunt, ſi Deus eſt pro nobis: ille enim prouidebit, ut nobis ſuccurrat liberalitas bonorum hominum, aut opera manuaria ſuppeditet, quod neceſſitati medeatur. Si autem nihil horum, ſaltem, pater non deſtituet ſuoa. Quiſquis uero cor ſuum fiducia fulcire uelit, circumducat oculos per admiranda diuinæ prouidentiæ opera, quibus Deus in ſeruandis, alendiſque animantibus. Vtitur, & uideat, quę apeſequæ araneæ, quæ uulpes, qui lupi cum improba fàme agitantur, & quæ cætera animantia faciunt, ut cibum ſibi parent, ut uitam tueantur, ut pullos ſuos nutriant, deprehende: que non ſolum ea facere, quæ uix humana ratio excogitare potuiſſet, ſed frequenter etiam, quæ ſupra rationem poſita ſunt, attingere, Nam & tempeſtates eminentes, & ſerenitates, & pluuias, & ſtragem hominum futuram, & aeris, temporiſque mutationes perſentium, ſibi opportunè proſpiciunt. Si ergo tanta cura Deus brutis animantibus neceſſaria prouidet, quæ illi neque gratiam habere, neque referre poſſunt, quonam modo nobiliſſimæ creaturæ ea quæ ad uitam ſunt neceſſaria, denegabit cum ipſa illius beneficiis grata eſſe poſſit, & propter quam cætera omnia condita ſunt? Quam quidem fiduciam regius propheta in domino habebat, ut inſinuant uerba illa, Iudica iudicium meum, & redime me, pro quibus Caieta- *Pſal. 118* nus legit. Litiga litem meam, & eripe me, hoc eſt ad ſimilitudinem aduocati atque patroni aſſume cauſam meam, & à tot fallaciis eripe me, ut uiuam propter promiſſa tua. Pro eo etiam quod nos legimus, Adiutor & ſuſcepor meus es tu. Caietanus & alii ſic legunt, Abſcõſio mea & ſcutum meum es tu. Vbi maxima ſancti prophetæ fiducia inſinuatur, nam ea, quæ abſcondimus, maiori cura ſeruamus. Vnde idem regius *Pſal. 118.* Pſaltes de iuſtis uerba faciens inquit: Abſcondes eos, in abſcõdito faciei tuę: & res quidem præcioſæ uocantur abſconditæ, eo quod in thecis, ne ſurripiantur, ſeruari ſolent. Vnde illud Pſals *Pſal. 16.* mi: De abſconditis tuis adimpletus eſt uenter eorum: pro quo multi ex Hebræis transferunt de theſauris tuis, & Chaldaica paraphraſis ſic habet. Theſaurus tuus bonus adimplebit thecas eorum, ubi theſaurum ponit loco eius, quod ſeptuaginta interpretes dicunt, de abſconditis. Denique puella uirgo, & incognita uiro uocatur apud Hebræos Aalma, hoc eſt, abſcondita, quaſi

res maximè æſtimabilis, quæ in abſconditis obſeruatur. Extende pallium tuũ ſuper me, quia propinquus es: dixit
Ruth 3. Ruth ad Booz, qui excuſauit ſe dicens alium propinquiorem, quam ſe eſſe. O quãta fiducia poteſt anima fidelis Deo dicere: Extende pallium miſericordiæ tuæ ſuper me, quia propinquus es, nec poterit ſe excuſare, ſicut Booz; quia pater noſter eſt.

Fiducia in bonitate Dei fundatur.

NOn attendit Deus ad hominem tantum; quamuis peccator ſit quãtum ad neceſſitatem eius, ut ei remedium adhibeat. Improbi erant Iſrael, & Agar; & ut tales, à domo patriarchæ
Gen 25. Abrahæ expulſi ſunt, ſed in neceſſitate poſtquam conſtituti fuerunt exaudiuit Dominus (ut ait ſacer textus) uocẽ pueri. Vbi alia litera ait exulatum pueri, id eſt, ploratum pueri. At quare puerum, & non matrem audiuit, cum ambo ſcelerati eſſent? Quoniam puer in maiori erat neceſſitate poſitus. Quocirca licet maximus ſis peccator, ne diuinæ miſericordiæ diffidas, neve plura ſcelera committas occaſione exeundi à neceſſitatibus corporalibus. Reuertere ad Deum, & ipſe tibi remedium præſtabit, tuiſque neceſſitatibus ſubueniet, ſiquidem brutorum animantium neceſſitatibus ſuccurrit. Animalia nanque fecit Deus propter hominem, hominem uero propter ſeipſum. Si ergo animalibus miniſtrat propter hominem, quomodo hominibus non miniſtrabit propter ſeipſum? inquit Beatus
Chry. ſuper Mat. Chryſoſtomus.

In Deo habebat S. Dauid fiduciam ſuam repoſitam, quando dixit. Anima mea in medio catulorum leonum: dormiui conturbatus. Vbi Diuus Hieronymus ex Hebræo uertit. Anima mea in medio leonum dormiuit ferocientiũ. Hoc præſtitit ad uerbum propheta Daniel. Sed in ſpiritu hoc ipſum præſtant uiri ſancti, qui inter dæmonum, & cupiditatum aſſaltus poſiti in pace dormiunt, & requieſcunt, illius ope freti, qui ait. Cum pertranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: in igne non combureris. Hæc autem ſecuritas, ex præſentia Dei animam inhabitantis manet, de qua in Pſalmo, ſic Pſal. 40.
Dauid ait. Propter innocentiam ſuſcepiſti me, &c. Pro quo B. Hieronymus ex Hebræo uertit, Ego autem in ſimplicitate mea admtus ſum à te, & ſtatues me ante faciem tuam in perpetuum. Vnde quidam interpres ſuper illo uerſu, ubi Dauid loquens de iuſtis ait. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, ſic Pſal. 183.
ait. Hac elegantiſſima allegoria exprimit uir ſanctus quantæ curę ſit Deo piorum ſalus, quamque ſecuti, & ab omni periculo tuti ſint, quicunque ſe, ac ſua omnia tutelæ, ac miſericordiæ ipſius commiſerunt.

Eſt enim ſumpta hæc orationis exornatio ex ſimilitudine Regis, qui eum, quem ſecuriſſimum uellet eſſe, ab impetu & inſidiis inimicorum, in ſuum cubiculum reciperet, ut non ſolum parietes Regii, ſed etiam oculi Regis ſalutem ipſius cuſtodiant. Qua quidem tutela nihil ſecurius, aut amantius excogitari poteſt. Hinc ſæpè uidemus, homines pios nulla ui, aut uexatione improborum à rectitudine mentis ſuæ depelli poſſe.

Fiducia in chirographo Dei fundatur.

BEatus Auguſtinus de uerbis Domini inquit. Promiſſorum ſuorum B. Aug. de ver. do. ſecundũ Lucam ſer. 13
nobis chirographum fecit, non debendo, ſed promittendo debitorem ſe fecit Deus, id eſt, non mutuo accipiendo. Non poſſumus ergo ei dicere. Redde, quod accepiſti, quoniam quis prior dedit illi, & tribuetur ei? Non poſſumus dicere. Redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti. Inde eſt, quod audemus dicere. Adueniat regnum tuum. Promiſit patribus, ſed cautionem fecit, quam legeremus & nos. O ineffabilem

Dei erga hominem miſericordiã. Meritò admirãs interrogabat ſanctus Iob. Quid eſt homo, quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum. Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum. Duo ſanctus vir hic proponit ad exprimendam huius diuini animantis excellentiam: quorum alterum ad ipſam hominis creaturam pertinere videtur: alterum verò ad ipſam rationem diuinæ prouidẽtiæ, qua homini per omnia abundè proſpicit. Vt igitur priori loco de magnificẽtia illa dicamus, quæ ſibi per creationis opus cõtingit, illud ſummopere ad hanc magnificentiam pertinere videtur, quod homo à Deo conditus ſit ad imaginem atque ſimilitudinem diuinę mentis, ita vt ipſã intelligentia, atque ſubſtantia animi diuinam naturam referat, ſed & (vt arbitror) hæc hominis magnificentia, atq; excellentia, & Dei ſimilitudo in hoc ẽt poſita eſt, quod illum reliquis omnibus animantibus dominum præfecit Deus. Nam & poſt illa verba Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ſubiecit Moyſes. Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs vniuerſæque terræ, omnique reptibili quod mouetur in terra. Huc fortaſſe multò magis ſpectabat ſanctus Iob, atque hac in re magna huius excellentiæ humanæ naturæ pars poſita eſt, quod quemadmodum cæteris in rebus mortalis homo diuinam referebat imaginem, ita etiam hac in re quod in cæteras creaturas diuinum poterat exercere imperium, & in ſeruitutem, ac miniſterium ſuum ſubigere. Itaque nos bobus, & equis, & canibus dominamur, atque eos nobis parere cogimus: proſunt quædam ad ſubuehenda corpora & adferenda onera, quæ ſi defuiſſent noſtris oporteret ceruicibus deferre quædam ad veſcendum quædam adue hẽnda corpora, plurima etiam ad uolu ptates, atque delicias. Quid igitur eſt homo (inquit ſanctus Iob) quod eum tantopere magnificas, vt & illius mens ti tuam impreſſeris imaginem, & cæteris animãtibus imperare patiaris? Aut quid, inquit, apponis erga eum cor tuum? Sanè hac cordis appoſitione in gẽtem quandam curam, ac proſpectionẽ rerum humanarum ſignificare voluit. Quid eſt, inquit, homo quod eum tractas tam magnificè, & animum applicas ad eum? Diuina prouidentia, quãuis reb. oĩbus abũdè proſpiciat, & illius gubernationi ſint omnia ſubiecta, varia tamen ratione longèq; diuerſa à ſũmo Deo diſponuntur, iuxta cuiuſque rei ordinem, & gradum: Cum enim res ſingulæ, quæ tota rerum uniuerſitate conſiſtunt, in commune bonum totius orbis referantur, ea ratione quædam à Deo diſponuntur, & in ſuos proprios ducuntur fines, ut bonum totius vniuerſi ſemper ſpectent; ſic enim cæteris animantibus proſpicit magnus ille Deus (hominem ſemper excipio) ut erga ea non apponat cor ſuum, neque animum adijciat. Non enim ſingularem ouem (ut exemplum proferam) aut bouem tuetur, & ſeruat, huius tantum indiuidui gratia, ſed eam ob rem potius, ne ſpecies in vniuerſum intereant, neque enim hiſce in rebus Deus rationem aliquam proſpicit meriti, aut demeriti. Secus autem eſt in hominibus. Ita enim ad curandas fouendaſque res homanas animum applicat, ut propter ſe illas curet, & non totius uniuerſi gratia, neque ut humana ſpecies non intereat, ſed cuiusque hominis etiam poſtremæ notæ rebus proſpicit & quidem propter ſe, ut diximus. Hanc igitur rationem diuinæ prouidentiæ in ſequẽtibus fuſius explicat dicens. Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum. Vtramque enim rationem diuinæ prouidentiæ duobus tantummodo uerbis complexus eſt ſanctus vir. Nam partem illam, quæ blanda eſt, dulcis, & ſuauis, viſitandi uerbo exprimere uoluit more ſanctarum ſcripturarum, quæ uerbo, uiſitandi, genus omne beneficiorum in homines collatum à Deo ſignificare ſolent. Hinc fit, ut Redemptionis beneficium appelletur uiſitatio. Vt apud Lucam

Iob 7. a.

Gen. 1.

Luc. 1.

cam

cam dixit Zacharias. Viſitauit, & fecit redemptionem, &c. Et iterum. Viſitauit nos oriens ex alto. Quid igitur homo eſt, inquit Iob, quod illum inuiſere non dedigneris, & quidem diluculo? Nam cum primo intra uiſcera materna coagmentatur & primo accipit uitæ initia, uiſitas eum. Nonne magnum eſt beneficium in homines collatum, quod ibi formantur pueri, augentur, & ad prodeundum in lucem parantur tãdemque è materni vteri latibulo producuntur? An non & illud planè ſtupendum, tantam in eſſe malis etiam hominibus erga infantes ſuos charitatem, ut illos cum nihil, niſi mugitu obſtrepere, ſordibus nauſeã cauſare, infinitoque labore, & cura, diu noctuque moleſtiæ eſſe poſſint. Parentes tamen minimè faſtidiant nullis, vel ſordibus, vel laboribus offenſi, adeò ut uoluptas ſit etiam illis inſeruire. Hoc ſanè argumento colligebat Chriſtus uerus mundi Redemptor, quid quiſque noſtrum à patrem cæleſti ſperare debuiſſet Si uos, inquit, cum ſitis mali, & mente deprauati, noſtris ueſtris filijs bona dare, hoc eſt, illis per omnia proſpicere, Quid quæ ſo eſt iudicandum de Deo, qui ipſum bonum natura exiſtit? Quantis uero periculis deinde paruuli miniſterio ſanctorum angelorum eripiantur ſingulis momentis & fides ipſa docet, & docet religio, & nemo eſt tam cæcus, qui hoc non uideat. Sũmo igitur diluculo, hoc eſt ab ipſo cõceptu, & exortu Deus hominem uiſitat, & innumeris afficit beneficijs. Habetque illud gratiam uenuſtatis, quod Deo affingit perſonam hominis ſummo diluculo ſurgentis, ut operis quidpiam efficiat. Hebræa ſingulo mane, ſonant, ut intelligas ſequenti etiam ætate Deum humanis rebus prouidere: ſed & alteram diuinæ prouidentiæ rationem ſubiungit ſtatim, quæ probatione, & tentatione conſtat dicens, Et ſubito probas illum. Vt enim uaſa figuli probat fornax, ita & Deus, hominis iuſti ſolet probare uirtutem (ut dixit ſapiens ille) & igne tantationis multis modis explorare. Sũt autem uerba Iob non improbantis diuinam prouidentiaam (quam ipſe multis modis ſuſpiciebat, atque mirabatur) ſed mirantis potius, ac ſuſpicientis, tantam proſpectionem, erga infœlicem hominem, atque calamitoſum. Nam humana quæcumque quæ exterius uidentur, & apparent exigua quidem ſunt, humilia prorſus, atque diecta. Ob eamque rem non poteſt non uideri mirum, quod his Deus ſumma cura, atque proſpectione prouideat. Niſi enim aliquid in homine eſſet æternitatis capax, nunquam profecto tanta cura, & prouidentia illius rebus Deus ipſe proſpiceret. Ex his omnibus deduci poteſt, quanta ſecuritate in protectione altiſſimi fidelis homo requieſcere indutus fiducia poteſt.

Simile. (margin, beside "Vt enim uaſa figuli probat fornax")

Fiduciæ cauſa.

Psal. 90. (margin)

QVam pia ſit Dei noſtri protectio, deſignatur in toto illo Pſal. 90. vbi dicitur. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Ciconiæ (quę mira teneritudine pullos ſuos proſequuntur) ſole feruente protenſis alis, & ſcapulis pullos tegunt, ne ęſtu teneri adhuc, & implumes torreãtur. Hoc idẽ fecit Dñs Ieſus, qui totum diuini furoris æſtũ in ſe recepit, ut nos ab eo liberaret. Quod quidem regius Propheta inſinuauit cum illum ſcapulis ſuis nos texiſſe & obumbraſſe ait. Sequitur inde. Non timebis à timore nocturno, hoc eſt, ab omni tentatione principis tenebrarum: & multa alia ibi promittũtur, quæ omnia promiſſa ad eum pertinent, qui habitat in adiutorio altiſſimi hoc eſt: Qui omnem fiduciam ſalutis non in ſe aut humanis præſidijs, ſed in vno Deo collocauit, ſeque totum illius miſericordiæ, & paternæ prouidentiæ commiſit. Dicitur enim ibi. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Eſt autem elegantiſſima metaphora in habitandi

verbo

verbo poſita. Domos enim homines fabricant, in quibus requieſcant, ſeque ab omni cæli intemperie, hoc eſt a frigore, ab æſtu, imbribus, & ventis tueantur. Ad hunc ergo modum vir iuſtus, Deum ipſum in domicilium elegit, in quo requieſcat, atq; ab omnibus huius vitæ periculis ſe totum incolumem ſeruet. Idem autem pręſidium pollicetur

Eſai. 4. Dominus per Iſaiam. Cum ait. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu, & in abſconſionem a turbine, & a pluuia. Vnde ꝑ eo quod nos legimus: Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. B. Hieronymus ex Hebræo uertit. Qui habitat in abſcondito altiſſimi, in umbraculo omnipotentis commorabitur. Alij uero tranſtulerunt in latibulo altiſſimi, quod idem eſt, ſed appoſitè tamen magis reſpondet, habitandi, uerbo quod præceſſit. Pro hoc etiam facit, quia pro eo, quod nos legimus in Pſal-

Pſal. 124 mo. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. B. Hieronymus uertit, Hieruſalem montes habet in circuitu ſuo, & Dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc, & uſque in ſæculum. Simile eſt itidem illud

Zach. 2. c. Zachariæ. Ego Dominus ero eis murus ignis in circuitu. Quibus uerbis magnum pijs ſolatium, magna tutela, & ſecuritas promiſſa eſt. Quid ergo hac paterna cura, & protectione dulcius? Quid amantius? Fœlices profecto pij omnes, qui omnem fiduciam ſuam in tali protectore conſtituunt. Hanc eandem curam, & protectionem declarant, & pollicentur illa Domini

Exod. 19. uerba Exodi. Si audieritis uocē meā, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis terræ, mea eſt enim omnis terra. Dauid

Pſal. 32. autem ait. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eorum, populus, quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi. [Plus tamen aliquid in peculio, quam in hæreditate deſignari uidetur. Hæreditas enim poteſt eſſe diuitum peculium autem ferè pauperum eſt, qui cum nihil habeant aliud, quo uitam tueātur, omnem operam ſuam in illo excolendo ponunt. Similem ergo curam Dominus obedientibus pollicetur. Vnde ſequitur ueram obedientiam fontem eſſe, & radicem omnis ſanctæ fiduciæ.

Fiduciæ ratio.

NEgotium ſaluationis noſtræ, magis tribuendum eſt gratię Dei per Ieſu Chriſti ſaluatoris noſtri merita, quam uiribus humanis, ac propriis laboribus noſtris, ac magis vult Deus glorificari ab hominibus, eo quod eos gratis iuſtificauerit, quam quia eis ſoluerit id, quod debet, hoc eſt, [*Mas quiere Dios ſer glorificado de ſaluar por gracia, que de pagar lo que deue: por que pagar quienquera lo haze mas darnos de gracia ſu hijo, y por el recebir nos por hijos, y darnos el don de ſu gracia, y fuerças para que le ſiruamos como buenos hijos, e como a tales prometernos la herencia de la gloria,*] hoc maximum eſt, atque ineffabile Dei beneficiū: & ut tale uult ipſe Dominus ut a nobis cognoſcatur, & pro uiribus gratificetur. Idcirco D. Paulus ad Romanos *Ad Ro. 6.* ſcribens ait, Gratia Dei uita æterna, hoc eſt uita æterna eſt gratia Dei. Nam licet ad ingrediendum in æternam uitam merita hominis prærequirantur: hæc tamen ſuum præcipuum ualorem ex parte hominis non habent, ſed ex gratia Dei, & quia in unigenito filio ſuo Ieſu Chriſto Redemptore noſtro incorporata ſunt. Quod quidem non in laudem hominis, ſed in laudem Dei, atque gratiæ eius cedit & reſultat. Aliud enim eſt hæreditas, quæ filiis obedientibus, & amore patri ſuo ſeruientibus cōfertur, & aliud merces, quæ extraneo & mercenario tribuitur, habita tantum ratione ualoris laborum eius. Quod autem nos expectamus hæreditas eſt, quæ licet bonis operibus comparanda ſit (& ob eam cauſam merces uocari poſſit) non tamen ipſa bona opera facienda ſunt animo mercenario, extraneo, aut lucratiuo, ſed animo filiali, qui maximò

mò amore patri ſuo deſeruit, & cuius labores, ac ſeruitia magis remunerārur ex eo, quia ſeruitia filij in patrem exhibita ſunt, quam quia merces, aut præmium mercenārij, ideſt. [*Cuyos trabajos y ſeruicios mas ſon galardona dos por ſer ſeruicios de hijo, que ſudores de jornalero.*] Et hæc eſt ſingularis conſideratio, & quæ valde potens eſt ad generandam ſingulārem quandam in cordibus fidelium Chriſtianorum fiduciam.

Fiduciæ exemplum.

Iob. 2.c. IN libro Iob legitur, Dominum dixiſſe ad Satan. Ecce in manu tua eſt, ſcilicet Iob, ueruntamen animam illius ſerua. In quo loco anima uitam ſignificat, *Exod. 4.* ſicut in Exodo. Reuertere in Aegyptū, mortui ſunt enim omnes qui quærebāt animam tuam, ideſt, uitam tuam tolle- *Matth. 2.* re. Et apud Matthæum. Vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Voluit Deus, ut Diabolus Iob quam crudeliſſime torqueret, noluit tamen, ut eum interficeret, quoniam habebat in animo miſeriis omnibus leuare eum, quē in tot miſerias detruſerat; poſtquam ſatis eius eſſet patientia tentata, & poſteris omnibus ad perpetuam memoriam demonſtrata. Quod fieri oportebat, nam ſicut Deus Iob incommodis afficiendo, eius eximiam uirtutem oſtenderat, ita ab incommodis liberando par erat, ſuam ut oſtenderet benignitatem, pietatem, curamq; bonorum omnium, ut exemplo Iob, & infinita Dei erga illum benignitate excitarentur poſteri ad ſimiles miſerias æquo animo tolerandum, & ad bene Deo in aduerſa fortuna fiden- *Pſal. 87.* dum. Obeamque rem Dauid in magnum luctum detruſus; ut Dei ſubſidiū impetraret, ita precabatur. Clamaui ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Nūquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam & ueritatem tuam in perditione: ideſt, ſi ego his laboribus abſumptus morior, quo pacto tua miſericordia, quam in miſeris opem ferendo declaras, & ueritas tua, quæ in præſtando auxilio, quod promittis precantibus, demonſtratur, cognoſci poterit? Et alio loco ait. Qui *Pſal. 9.* exaltas me de portis mortis, ut anūtiē oēs laudationes tuas in portis filiæ Siō. Chriſtus quoque Ieſus Redemptor noſter in alio Pſalmo eodem argumento utitur ad reſurrectionem ſuam a patre impetrandam dicens: Ad te Domine *Pſal. 29.* clamabo, & ad Deum meum deprecabor: quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit ueritatem tuam? Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei. Boni igitur uiri, qui a malis, & miſerijs Dei præſidio liberantur, ualde Dei laudem, & gloriam amplificant, & alijs afflictis occaſio magnæ fiduciæ ſunt. Hac ergo de cauſa uoluit Deus, ut ſanctus Iob in tātis ærumnis, & calamitatibus animam ageret.

Inuitatio ad fiduciam.

BEatus Bernardus ſuper Cātica ait: *B. Ber. ſer. 68. ſuper Cantica.* Non eſt planè quod formidemus, & timeamus cum tam magnifica, & ampla nobis Deus promittat, tantamq; de nobis curam gerat. Qua de re uehementer admiratus ſum. Ita ne huic intenta eſt illa maieſtas, cui gubernatio pariter, & adminiſtratio uniuerſitatis incumbit, & cura ſæculorum ad ſola transfertur negotia, immo otia amoris & deſiderij huius? Ita planè: ipſa eſt enī Eccleſia electorum, de quibus Apoſtolus. Omnia, inquit, propter electos. *2 ad Ti. 2* Et cui dubium, quòd gratia, & miſericordia Dei ſit in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius? Ergo prouidentiā cæteris creaturis non negamus, curam ſponſa uendicat ſibi. Nunquid de bo- *Sapien. 4.* bus cura eſt Deo? Nec dubium quin idē poſſimus dicere de equis, de camelis, de elephantibus, & de cunctis beſtijs terræ. Similiter & de piſcibus maris, & uola-

tilibus

tibus cœli, poſtremo de omni re, quæ eſt ſuper terram, ſolis ſanè exceptis, quibus dicitur. Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniā ipſi cura eſt de vobis. An nō tibi videtur veluti his verbis dictum: Intendite illi, quia ipſe intendit vobis? Et obſerua Apoſtolum Petrum: eius enim verba ſunt, ſi non & ipſe verborum ſpōſæ obſeruauerit ordinem, nempè nō ait: omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum, vt ſit ipſi cura de vobis: ſed
Luc. 12. quia ipſi cura eſt de vobis: apertè proinde monſtrat Eccleſia ſanctorum non modo quoniam dilecta eſt, ſed & quod prius dilecta fuerit. Conſtat non ad eā pertinere de verbo, quod de bobus dixit Apoſtolus, nam curam illius habet, qui dilexit illam, & ſemetipſum dedit pro illa. Nonne hæc eſt ouis errans cuius cura etiam ſupernorum curæ gregum prælata eſt? Quid ergo? Proprijs humeris dignatus eſt eam portare, & curam illius non habebit? Ideo non confunditur regius vates dicere. Dominus ſolicitus eſt mei. Nec ſe exiſtimat errare cum item dicit. Dominus retribuet pro me. Denique ait. Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Satis ergo ex his patet, quantopere complectenda ſint, verba illa Chriſti Ieſu Saluatoris noſtri, & eis fides adhibenda, cum dicit. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro donare vobis regnum.

FORTITVDO.

Iſa. 25.

IN Iſaia Propheta dicitur. Super hoc laudabit te populus fortis ciuitas gentium robuſtarum timebit te, quia factus es fortitudo pauperi, egeno, in tribulatione ſua ſpes à turbine umbraculum ab æſtu. Chriſtianos vocat ſanctus vates fortes, & robuſtos quoniam debent aduerſus diabolum, mundum, & carnem acerrimè pugnare, & animo excelſo, & inuicto ſub ſpe viuentes omnia aduerſa tolerare. Vt enim dura, & robuſta quercus uentorū, ac procellarum ictibus reſiſtit, & quāuis frondes amittat, intus tamen virtus perſeuerat: ſic verus Chriſtianus ui tentationum & calamitatum exagitatus, immobilis conſiſtit, & quāuis mūdi opes, authoritatem, & æſtimationē perdiderit, animi tamen virtus, & conſtantia intus uigent, quas neque caſus eripit, nec tempus labefactat, nec vetuſtas vlla conſumit, atque hoc minimè mirum eſt, nam illis qui ſuam miſeriā agnoſcentes diuinum implorant auxilium, Deus factus eſt fortitudo, ſpes in tribulatione ſua, vmbraculum ab æſtu; ſed quamuis impiorum gladius ſeruis domini uitam eripuerit, eorum tamen laudes nulla vnquam obſcurabit obliuio, quin potius uigebunt ad memoriam omnium ſæculorum. Simile. Cœlum primum mobile appellatum, uehementi ſuo impulſu, & incitata conuerſione alios globos æthereos coercet, atque efficit, vt ab Oriente in Occidentem, violenter, & per accidens moueantur. Nihilominus tamen hi inferiores cœli inuito primo mobili mouentur ſuapte natura proprio motu, ab Occidente in Orientem, ſic quamuis tempus ſuo diſcurſu omnia quæ poſſunt labefactari conſumat ea rapiens, & ad Occaſum adducens: & tyranni ſua potētia, & crudelitate iuſtos homines ad Occidentē, ideſt mortem perducat, tamen uelint, nolint, rectè facta, & admirabiles virtutes ſemper habent ſuum curſum, & motum in ſphæra famæ immortalis, quæ ueluti cœlum uarijs ſyderibus ornatū, pulchriſq; luminibus diſtinctum de tēpore ipſo, & de tyrannis triumphat, quoniam illa perpetuitas ipſa ſemper intue-

intuetur. Nec ſolum viri iuſti, qui propter iuſtitiam ab impijs interfecti ſunt tã in ueteri, quàm in noua lege in hac vita celebrantur, ſed etiam quod illuſtrius eſt in cœlum peruolant, vbi requieſcunt in beatiſſimis ſanctorum ſedibus, gloria immortali redundantes.

Fortitudinis diffinitio.

Cic. lib. de pan. CIcero in libris de officijs, inquit. Omnis de aliqua re inſtitutio debet à diffinitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. Cũ igitur de fortitudine nobis agendũ ſit, quid ipſa ſit ſcire æquum eſt, atq; idẽmet Tullius eam diffiniuit, dicens. *Definitio fortitud.* Fortitudo eſt magnarum rerum appetitio & humilium deſpectio. Iuxta hanc diffinitionem ille fortis cenſendus eſt, qui ardua, ac difficilia aggreditur, qualia ſunt virtutes, quæ omnes ſecum quandam, immo & plurimam habent difficultatem, ſiquidem (ut ait Ariſ.) uirtus circa difficillima verſatur: res autem viles, & abiectas, quales ſunt terrenæ, ac temporales, deſpicit, & contemnit. Quamobrem omnes iuſti fortes appellantur: atque ita ſanctus Iſaias de illis *Iſa. 40.* verba faciens, inquit. Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſumet pennas, ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Hic maximè perpendendum eſt illud, mutabuut fortitudinem: plurimi nanque exiſtunt, qui ad perpetrãda ſcelera, ac res prophanas fortes ſunt, ad uirtutem autem, ac res ſanctas capeſſendas ignaui. *B. Amb. in exame. de opere ſexti diei. Simile.* Beatus Ambroſius ait elephantem adeo robuſtum, tantæque fortitudinis animal eſſe, vt turrim armatis hominibus plenam ſuſtinere poſſit ſuper ſe: tantæque audaciæ eſſe, vt nec tormenta bellica, nec militum teſtudinem paueat: admirabiliter tamen murem pertimeſcit, taliterque ab eo deterretur, vt horrendos barritus emittens procul fugiat. Sic miſeri peccatores fortiſſimi, ac robuſtiſſimi ſunt ad lucrum, ad bellum, ad mundi opera, & maria transferantes nimios, ac penè intolerabiles labores ſuſtinent: ad minimum autem pœnitentiæ opus faciendum horrent, tremunt, pauent, nec vllo modo aggredi audent: Cum vero diuini ſpiritus operatione conuertuntur mutant fortitudinem: ante conuerſionem fortes ſunt ad malum poſtea fortes ad bonum. Dicitur amplius de his iuſtis, poſtquam fortitudinem mutauerint, Aſſument pennas ſicut aquilæ. Ferunt naturales philoſophi, aquilas decimo quoque anno alas ſuas mutare: atque ita ipſæ renouãtur, & nunquam ſeneſcunt, ſed ſemper quodammodo pubeſcunt, Sic iuſti paſſim, & quotidie ſanctis exercitiis renouantur, atque ita in ſancto Dei ſeruitio nunquam ſeneſcunt. *Simile.* Hæ etiam alæ eleuationem ſpiritus per orationem, & contemplationem ſignãt. Vnde quatuor illa animalia, quæ Ezechiel Propheta uidiſſe commorat, omnia uolabant. O rem admirandam, & prodigioſam, uidere bouem, ſeu leonem uolantem? Quod aquila uolet, non eſt mirãdum at uero leonem, uel bouem ſeu hominem (quæ animalia ſunt turpia, & grauia) aduolare, hoc admirationẽ inducit. Sed ibi quatuor illa animalia ſimul aduolare dicuntur, quoniã omnia alas habebant, in quo ſignificatum eſt, quod licet alia exercitia omnibus chriſtianis communia eſſe nõ poſſint, ſaltem omnes ſancto exercitio orationis, & contemplationis uacare debent, omnes enim intellectum, & uoluntatẽ habent, quæ duæ alæ hominibus datæ fuerunt à Deo ut in ipſum aduolent: omnes obligatione aſtringuntur, Deũ diligere, hæc autem dilectio fit per uoluntatem: Quomodo autem diligent uoluntate, niſi prius altiſſimi Dei bonitatem, pulchritudinem, ſapientiam, miſericordiam, omnipotentiam, atq; alias infinitas eius excellentias intellectu non contemplentur? Oportet ergo ut non ſolum omnes orent, uerum etiam ut in Deo, ac diuinis eius excellentiis contemplentur, ut ſic in diuino ipſius

ſius amore flammeſcant, atque ita cur-rent, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Sed nunquid ieiuniũ, diſciplinæ, uigiliæ, atque alia ſancta exercitia laborioſa non ſunt, & pœna af ficiunt? Ita planè. Quare ergo ait: Non laborabunt? Quoniam ex eiſdem uirtu tibus oritur, & dimanat quominus ipſi in exercitio earum laborem non ſen tiant; Nam, ut dicebat Plato. Virtus for tis eſt: uitium autem debile: & cum in uirtutibus fortibus caro fundetur debi lis, & infirma, id, quod debile eſt, ſi ſuper forte fundetur abſque labore profe cto ibi ſuſtentatur, atque ita in Prouer biis dicitur. Fortitudo ſimplicis uia e-
Prou. 10. ius. Simplicis id eſt perfecti, ſecundum quod in eodem capite dicitur. Qui am bulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Ait igitur Spiritus ſanctus in hoc loco, quod uia uidelicet uita, uirtus, ac ſanctitas iuſti eſt fortitudo ipſius, atq; ita currit, & non laborat, ambulat, & non deficiet, quin potius uſque in finẽ perſeuerabit, & præmium, quod perſeuerantibus promittitur conſequetur. Idcirco de anima ſancta ſacra ſcriptu-
Prou. 30. ra dicit. Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo, hoc eſt, in die mortis ſuæ. In quibus uerbis maximè perpendendum eſt, qua re ſapientſſimus Salomon fortitudinẽ cum pulchritudine coniunxerit dicẽs. Fortitudo, & decor indumentum eius? Ad hoc reſpondetur, quod ſortitudo efficit, vt anima, uitiis reſiſtat, & uirtutes eas apprehendat, quibus ipſa pulchra redditur. Ideo (ut Beatus Hierony
B. Hieron. in epiſ. ad prin. de laudib. Marcellæ. mus ait) regius Propheta magni facit, immaculatos in hac uita dicens. Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini. Quaſi dicat; Grande certè opus facit, qui uiam ſpurcitiis plenam,
Pſal. 118. immaculato calle pertranſit, ſicut eſt
Simile. Sol, qui cum per ſterquilinia tranſeat,
Cant. 8. non coinquinatur ab eis non enim patitur peregrinas impreſſiones. Vnde in Canticis dicitur, Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit de deſerto huius ſæculi (in quo ſpinæ & tribuli germinantur) delitiis, & floribus flagrans, ut de terra ſterili tot fructus afferat? Beatos ergo optimo iure eos appellat, ſanctus Propheta, qui in uia immunda immaculati ſunt, & ambulant in lege Domini &c. Signum fortitudinis eſt equitem armatum in campo eſſe quando Sol magis æſtuat, & galeam non auferre, nec armis ſe exuere. Puſillanimi autem, ac debilis eſt cõtrarium facere. Quinimo ii, qui hoc faciunt ſolent magno damno ſuo id facere, pleruque enim ab hoſtibus ſuis ſic armis exuti ſuperantur, & ab ſcopettis, uel aliis bellicis tormentis grauiter percutiuntur. Sic milites Ieſu Chriſti in maiori feruiore tribulationum arma uirtutum deponere non debent, nec ſe mundo detegere, hoc enim ſignum infirmitatis, ac debilitatis eſt, magnumq; *Pli. li. 16. & 43.*
damnum animæ afferre ſolet.

Plinius inquit. Vt palmæ arboris ramus impoſito onere non deflectitur in terram more cæterarum, ſed renititur, & ultro aduerſus ſarcinæ pondus ſe ſe *Simile.*
erigit: ita uiri fortiſſimi animus quo plus negotiis premitur, quantoque magis ſæuit fortuna, tanto eſt erectior.

Fortitudo auferri ſolet propter peccata.

SOlet Deus in pœnam præcedentiũ ſcelerum fortitudinem ab hominibus auferre, eoſque debiles, & inconſtantes relinquere, atque ita in libro Iob dicitur. Baltheum Regum diſſol- *Iob 12.*
uit, & præcinxit fune renes eorum. Elegans profecto loquutio. Batheus enim ſiue baltheum (vt Varro inquit) zona militaris erat. Vnde baltheum adimere, ignominoſum ſemper habitũ fuit. Scipioni Africano, quãuis falſò delato fraudi vertebant aduerſarij, quod ſolutus, & fluxus balnea ſectaretur, quod militem, & eo magis ducem ſemper inſtructum, & accinctum eſſe oporteat Baltheum vero non aperire erat roboris, atque ſtrenuitatis indicium, ſicut balthumſoluere imbecillitatis, & igna

Luc.12. ui animi argumentum. Hinc Christus Redempror noſter mandabat, ut lumbis ſempet eſſemus accincti. Et propheta Iſaias de eodem magiſtro vitę agens inquit. Neque ſoluetur cingulum renũ

Iſa.5. eius. Vel (ut Hebræa videntur habere volumina.) Non ſoluetur uel non aperietur baltheus lumborum eius. Iam ergo facilè eſt intelligere; quid ſanctus Iob inſinuauerit: nam ſolutione balthei illud ſanè (ut arbitror) explicare voluit, qua ratione diuina prouidentia fortiſſimos quoſque Reges, alioſque potentes viros in pœnam ſcelerum ipſorum imbelles, & effœminatos fluxos, atque diſſolutos reddere ſoleat, ita ut amiſſa regia dignitate illorum renes pro baltheo fune cingantur. Quod perinde eſt, ac ſi dicas. Sublata regia poteſtate in miſeram abducantur captiuitatem fune quodammodo ligati. Atque ita ſicut Deus potentes Reges ptopter ſcelera ipſorum debiles, atque ignauos reddit, efficitque, ut captiui, & funibus accincti ab hoſtibus ſuis ſuperentur: ſic à plurimis particularibus hominibus in pœnam flagitiorum, quæ comiſerunt, & in pœnam ingratitudinis, ipſemet Deus fortitudinem auſert, ut illi veluti funibus ſuarum paſſionũ ligati maneāt. Et hoc eſt, quod etiam

Rom. 1.c. Diuus Paulus ait. Tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum.

Fortitudo animæ aſſimilatur curribus Pharaonis.

Cant.1. EQuitatui meo iu curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea (inqui ſponſus loquens cum ſponſa in Canticis). In quibus verbis perſpicitur fortitudo quædam admirabilis ſponſæ, & ita ſimilitudo hæc ad fortitudinem poteſt referri. Equitatus ille ſanctis angelis, & ſpiritibus accommodari poteſt. Nam ſæpius ſcriptura ſacra ſpiritus illos fœliciſſimos, equitatum Dei appellat, & currus Dei & quadrigas Dei, quę omnia copioſiſſimè tractantur à Beato Dionyſio in libro de cæleſti Hierarchià. Et Abacuc ait. Aſcendes ſuper Abac.3.

equos tuos. Et Ioel Propheta cum diem aduenientis Domini deuuntiat, de exercitu etiam loquitur dicens. Dedit Do- Ioel.2.

minus vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia, & facientia, verbum eius. Conſtabit ergo ſimilitudo, ſi dicamus, ſponſam propter ſummam fortitudinem animi, aſſimilari equitatui ſponſi: hoc eſt cæleſtibus iſtis, qui prōpti ſemper ſunt, & expediti ad exequenda diuina mandata: qui totum Pharaonis exercitum, ipſumque Imperatorē Exo.14.

breui momento confecere, quemadmodum & exercitum Sennacherib. O ad- 4.Reg.14.

mirabilem ſponſæ fortitudinem Similis es, o ſponſa equitatui meo, inquit ſponſus, hoc eſt equis & quadrigis, exercitibus ſcilicet angelorum, quæ propter ſummam velocitatem, & facilitatem exequendi mea mandata, fortiſſimis equis, & quadrigis aſſimilatur. Vt ergo equitatus ille facilè exuperauit, proſtrauitque Pharaonis exercitum, ipſumque ſuffocauit vndis, ad eundem etiam modum, & tu ipſa, quæ dorſum iam curuaſti, vt ſuſciperes ſeſſorem, & fræna diuini verbi libenter ſuſtines, ut quocunque ego voluero te flectam, & præceptorum habenis agam: quæ iam nou propria voluntate incedis, duceris, & reduceris, iam uoluntate ſeſſoris, ipſumque Imperatorem excedens, quāto equitatus meus olim, cum ſæuientis maris fluctibus conuoluit triumphans de hoſtibus fallaciſſimis, potentiſſimis, carnem Pharaonem mundum, omnes illius copias, artes, & vires retundis. Denique hoſtes potentiſſimos deijcis, non ſecus atque meus equitatus olim currus Pharonis. Habet enim hic mundus aduerſus electos Dei currus, equites, quadrigas, copias pedeſtres, & equeſtres, habet milites ſubſidiarios. Hinc vrgent fluctus maris, illinc Parao: ſed ſponſa, hoc eſt anima fidelis, quæ per ſimilis eſt equitatui ſponſi contemnit, facileque exuperat hęc omnia pericula; artes,

2. ad Cor. 11. artes, machinamenta. Paulus ille fortiſſimus Dei miles flagris læſus, catenis innexus, multis affectus contumelijs, maris pericula, ieiunia, inediam, uigilias, totum orbem, ipſos denique, qui ſumma dignitate Imperij potiebātur, non ſecus euaſit, omnibusque his periculis elapſus eſt, quam olim exercitus Dei, & Pharaonem, & copias illius, & pericula etiam ſæuientis maris. Et non ſolum hæc exuperabat Paulus, verum etiam & gloriæ ducebat. Quid referam de Tecla, Agnete, Pelagia nobiliſſimis fœminis tenera adhuc ætate, & florenti? Quàm forti animo, & excelſo, & AEgyptiorum pericula, & Pharaonis exuperarunt? tanquam nobiles victimæ, ad pericula, ad mortem, ad cruces, tanquam ad delicias feſtinabat. Vnde Diuus Ambroſius admiratus, tantam in ſponſis Dei fortitudinem, dicebat. Exultat virgo inter leones, & prodeuntes beſtias ſpectat intrepidè. Quid uero de Laurentio dicam, qui abſumpto penè corpore, ſæuientibus iniquis flammis, infracto animo, dicebat ad tyrannum: verſa, & manduca? Quid mirabilius Pelagia? quæ à perſecutoribus vallata, & obſeſſa, priuſquàm in eorū conſpectum ueniret aiebat. Libens morior, nemo me manu continget, nullus proteruo oculo uirginem uiolabit, mecum feram pudorem, mecum incolumem uerecundiam, nullum prædones lucrum ſuæ capient inſolentiæ, Pelagia Chriſtum ſequetur: nemo animi celſitudinem auferet, nemo captiuam uidebit, liberam fidem, integramque pudicitiam ad ſpōſum deferam pro illiſque fortiter dimicabo, quod ſeruum eſt, quod humile, quod abiectum corpus, ſcilicet, O quàm uerè huic ſponſæ potuit ſponſus dicere. Equitaui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.

FRANCISCI

patris noſtri encomia.

QVemadmodum inter aues quædam ſunt, quæ tam altè uolando ſe ſe erigunt, ut præ nimia diſtantia uideri non poſſint: ſic inter ſanctos aliqui ſunt, qui uirtutum magnitudine ita ſplenduerunt, ut homines in magnam rapiant admirationem. [*Y la alteza de ſus uirtudes ſe ua de buelo.*] Ex quibus unus idemque ſingulariſſimus fuit beatiſſimus pater Franciſcus ordinis minorum caput & principium. Qua in re obſeruandum eſt intentum ſacroſanctæ eccleſiæ militantis in terra eſſe eccleſiam triumphantem in cælis inſtaurare, atque ita quouſque uideat huius negotii executionem ſemper in ſuſpiriis, atque gemitibus uiuit, ſicut beatus Paulus de hac materia agens in epiſtola ad Romanos ſignificauit. Vbi poſtquàm dixerat. Scimus quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc, ſtatim adiecit. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes intra nos gemimus, adoptionē filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri. Id uero, quod difficilius, & maiori cum labore inſtauratur, eſt ordo Seraphinorū, quippe qui in Dei amore magis inflammati ſunt, & dignitate eminentiores, exiſtūt. Vna autem ex cauſis, ob quam hoc præſens ſæculum, tam lōgo tempore differtur, & finale iudicium ita tardat, eſt, quia pauci reperiuntur uiri tam ſingulari Ad Ro. 8

uirtute præſtantes ut Seraphinorum ſedes occupare, eorumque locum inſta urare poſſint. Cumque aliquis offertur, quem tam alte aſcendiſſe poſſimus coniicere, ſacroſancta eccleſia gaudio, & iubilatione quodammodo liqueſcit: & hinc eſt quod in diebus ſanctorum Apoſtolorum, & Patriarcharum qui religiones inſtituerunt, & fundarunt, qualis fuit beatus Baſilius, Dinus Benedictus, Beatus Auguſtinus, Sanctus Dominicus, & beatus Franciſcus, magnam oſtendit Chriſtianis populis lætitiæ uoluptatem, quippe quæ credat hos in Dei amore adeo inflammatos fuiſſe, ut in Seraphica ſocietate collocari meruerint. In hac feſtiuitate ſacrum illud canitur Euangelium in quo Chriſtus Redemptor noſter æterno Patri gratias agit dicens. Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. De diuina gratia ait S. Dauid in quodam Pſalmo. Pluuiam uoluntariam ſegregabis Deus hęreditati tuæ. Vocat regius Propheta diuinam gratiam pluuiam uoluntariam: eſt enim gratia uelut aqua, quæ verno tempore pluit: non eſt ſicut pluuia uniuerſalis, quæ ubique cadit, ſed pluuia uoluntaria, quæ hic cadit, illic vero non. In humilibus ſeruis pluit Deus diuina ſua dona, ſuper bos autem uelut lapides duros, atque aridos relinquit. Magna profecto eſt debilitas, & impotentia, quę manet in homine, quando Deus ab eo ſeparatur, in huius rei verificationem dixit Dominus. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Vbi obſeruandum eſt, quod in hoc loco ut ex Hebræo colligitur, idem eſt imago, quod vmbra, & Hebræa loquutio accipit ſimilitudinem inter corpus, & vmbram eius. Faciebat enim Deus hominem uniuerſalem rerum omnium dominium, ſed ne ipſe homo ſuperbiret, & inſolentia inflatus tumeſceret, ait Deus. Faciamus hominem, qui ſit ueluti umbra noſtra. Vnde ipſe ſuum parum valorem intelliget, & apertè cognoſcet, & quam parum ualeat ſine me, ſiquidem dependẽtiam ex me habet, ſicut vmbra à corpore dependet. Dicite, quæſo, vmbræ, ut ambulet ſi corpus ſiſtit. Dicite ei, vt pedem figat, aut eleuet manum, ſeu brachium, ſi corpus has non facit operationes. Certè impoſſibile eſt, nam vmbræ eſſe à corpore dependet ita quod ex ſe vmbra nihil eſt ſi autem aliquid eſt, aut eſſe videtur, hoc corpus ipſum facit.

Macc. 11.

Pſal. 67.

In hunc modum homo eſt umbra Dei & abſque Deo eſt uelut nihil. Dicite, obſecro, homini, vt diuina intelligat, dicite, ut cogitationes ſanctas euoluat, Dicite, vt fidei myſteria contempletur, & guſtum, ac ſuauitatem Chriſtiani habeat, & manum ſuam ad bona opera exercenda admoneat: profecto impoſſibile eſt, hoc abſque Dei auxilio operari, atque ita merito Seneca Deum uocauit mentem vniuerſi. Sicut igitur corpus ſine anima moueri nequit: ſic anima ſine Deo quidquam operari nõ poteſt. Hanc ueram, & Chriſtianam philoſophiam D. Paulus confirmat in actibus Apoſtolorum, ubi de Deo loquens ait. In ipſo enim uiuimus, & mouemur, & ſumus. Idcirco homo qui à Deo fortificatur illuminatur & protegitur valde potens remanet. Per Zachariam prophetam, hic omnipotẽs Deus promiſit, ſe poſt captiuitatẽ Babylonicam populum ſuum protecturum, ac defenſurum eſſe duce Zorobabele. Et uidebunt (inquit ſacer textus) lapidem ſtanneum in manu Zorababel: ſeptem iſti oculi ſunt domini, qui diſcurrunt in vniuerſam terram. Habebit lapidem ſtanneum in manibus ſuis. Vult dicere. Habebit Deum in manibus ſuis, Deum, inquam, oculis plenum quoniam omnia uidet. B. Hieronymus inquit quod argentum, quando ſub terra eſt, calore ſolis liqueſieret & ferè anihilaretur niſi ſtannum cum eo eſſet permixtum, itaque ſtannũ fortificat argentum, ipſumque tuetur, quominus calore ſolis liqueſcat, & reſoluatur: ſic homo cum Deo, qui eſt ſtãnum,

Act. nũ. 17

Zacha. 4.

Simile.

num, & fortitudo, ac protectio eius habet eſſe & ſine Deo eſt ueluti ſtupor quidam, atque animi deliquium, & ita abſque eo ad nihilum moueri poteſt. Vnde ille, qui humilitatem habet, non eſt mirum, vt diuinæ legis myſteria conſequatur, ieiunet, eleemoſynam eroget, iniurias condonet, uigilet, oret, atque in ipſius Dei ſeruitio fortius, quã adamas perſeueret, [*porque eſta eſtañado.*] Peccatori autem omnia difficilia redduntur, atq; ita quocunque ſenſuali calore veluti argentum abſque ſtanno liquefit reſoluitur & pene annihilatur, & à quocũque vento ſuperbiæ præcipitatur, ac denique à minima quaq; tentatione mundi, dęmonis, aut carnis vincitur: & ſic ad omnem virtutem debilis eſt, ac ferè impotens, [*faltale el eſtaño, faltale Dios.*] Videbitis mercatorem, qui aliquando mercaturam in rebus maximi ualoris exercuit, videlicet mittendo mercimonias magni valoris in extranea regna. poſtea vero ipſum videbitis vendentem pectina acus, aciculas, ac ligulas aſtrictorias, quid cauſæ hoc eſt? Antea ſocius erat ditiſſimi, ac potentiſſimi alterius mercatoris, nunc autem derelictus ab illo ſolus vitam agit, & paruam, atque inopem mercimoniam vendit, vtpote qui ditius peculium non habet, ut in maioribus ſe exerceat. [*No tiene caudal para mars.*] Vnde, obſecro, oritur vt ille, qui quõdam ſpeculum virtutis, & ſanctitatis erat, nunc ſuperbus, auarus ac ſenſualis ſit? Hoc totum ex eo oritur, quia videlicet ſolus eſt, quondam enim cum Domino conuerſabatur, ſicut D. Paulus faciebat, cum dixit. Plus omnibus laboraui non ego, ſed gratia Dei mecum. Non eram ſolus (ait ſanctus Apoſtolus,) [*ni era todo el caudal mio:*] Deus gratiam ponebat, ego autem ponebam bonum vſum liberi arbitrij, [*y como agora eſte trata ſolo, que Dios le dexo, y quito del el caudal de ſu gracia, quedo tan pobre que trata miſerablemente en coſas de tierra, y eſtando aſſi mucho uendra a dar en loque dio Pharaon.*] De quo dicitur. In duratum eſt cor Pharaonis: vbi alia translatio habet. Roboratum eſt cor Pharaonis, idest fortificatum eſt cor Pharaonis contra Deum, & contra gratiam eius, reſiſtẽs ipſi gratiæ quæ inter alios effectus, duos pręcipuè efficit. Alterum animam emoliri, eamque diſponere ad voluntatem Dei. Alterum vero ipſam animam illuminare, & clarificare, atque diſponere ad diuina myſteria intelligenda. Cuius contrarium omnino peccatum efficit, indurat enim cor ipſumque obſcurat, & tenebris operit. Atque ita vbi ſacer textus ait, induratũ eſt cor, iterum, & alias inquit. Aggrauatum eſt cor, nam cum induratur cor à peccato efficitur graue, ita ut ſecundum naturam rerum grauium infra deſcendat. Eſt autem maxime notãdum quod antequam dicat. indurauit Deus cor Pharaonis, dixerat ſacer textus, ſępenumero, induratum eſt cor Pharaonis, quod interpretantur Pagninus, & Rupertus Stephanus in hũc modum. Indurauit ſe ſe, videlicet ipſe Pharao ſuis ſceleribus, & peccatis ſe ſe indurauit, & factus eſt uelut lapis. In quo ſignificatur, quod quando Deus aliquẽ relinquit, [*y le quita, el caudal de ſu gracia,*] & ipſum pauperem, ac miſerabilem relinquit, ideo hoc facit, quia peccata eius id meruerunt, & quia ſemel & pluries peccator ipſe gratiæ reſtitit. Ecce igitur rationem, quare Deus diuina ſua myſteria ſuperbis ſapientibus abſcondit, & ea corde humilibus reuelat, eiſque ſingularia confert beneficia, quibos in ſancto Dei ſeruitio conſeruantur. Solet hibernis noctibus pruina, ſeu ros frigidiſſimus è cęlo cadere, quo omnes arbores, & plantæ cuiuſque horti marceſcunt, & uiriditatem, ac pulchritudinem amittunt, ita vt quicquid in horto eſt, quaſi areſcat: in medio autem illorum florum eſt gariophilatus flos (ideſt, vn clauel) adeo rubicundus, & uiridis, ac ſi nunquam pruina è cęlo cecidiſſet.

Simile. Exod. 7. c. Simile.

Hh 2 Fran-

Franciſci patris præconia.

QVid huius rei cauſa eſſe potuit? Profecto quia flos ille paruus erat à pruinæ frigiditate liber extitit. Sic ue rè humiles à pruina peccatorum, & ab erroribus, in quibus ſuperbi, & arrogãtes comprehenduntur, facile liberãtur. Hęc igitur humilitas, qua ſanctiſſimus pater Franciſcus floruit effecit, ut ipſe coram diuino conſpectu tam magnus euaderet; [*Y aſſi a cada vno de los otros ſanctos dize Chriſto nueſtro Redemptor a*
Iſa.49. *quello de Iſaias.* In manibus meis deſcripſi te. [*pero a ſant Franciſco le dize. Yo eſtoy eſcripto en tus manos, y en tus pies, y en tu coſtado. Ieſu Chriſto eſta eſtampado en Franciſco, y Franciſco eſtampado en Ieſu Chriſto. Chriſto original de nueſtra redempcion, y Franciſco traslado deſte original. La cruz de Ieſu Chriſto fue vn madero, y la cruz de Franciſco es el meſmo Ieſu Chriſto. A los de mas eſcogidos como a ouejas ſuyas almagra las Dios en la frente, y alli les aſſienta el hierro, y aſſi dixo Dios a*
Ezec.9. *vn angel,*] apud Ezechielem Prophetã. Signa thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctas abominationes, quę fiũt in medio eius: [*pero a ſant Franciſco ſeñalale el meſmo Dios en todo el cuerpo, en pies, manos, y coſtado. Las llagas de Ieſu Chriſto con immenſo amor fueron recebidas, mas con terrible deſamor, y crueldad fueron dadas: y las llagas de ſant Franciſco con ardentiſſimo amor fueron dadas, y tambien con grande amor fueron recebidas. Prodigioſo eſpectaculo fue ver el hombre en el caluario crucificar a Ieſu Chriſto verdadero Dios, y verdadero hombre: y milagroſo eſpectaculo fue ver a Chriſto crucificar a vn hombre llamado Franciſco.*

Franciſci patris præconia.

DEus noſter vniuerſalis Dominus, & naturæ author res naturales per claſſes, & ordines diſpoſuit, & cuilibet ordini dedit quædam velut præcipua capita. Exempli gratia. Ordini rerum calidarum dedit ignem calidiſſimum tanquam caput ſuper omnes: in ordine corporum ſplendentium, & coruſcantium creauit ſolẽ ſuper omnia micantem. Inter flores odoriferos conſtituit roſam: inter arbores palmam: inter metalla aurum: inter gemmas & lapides pretioſos carbunculum: inter piſces cete: inter aues aquilam: & inter animalia leonem. Et cum Deus ſit Dominus & author naturæ, & gratiæ non eſt mirandum, ſi eundem ordinem in rebus gratiæ obſeruauerit, quem in rebus naturæ. Idcirco poſuit in eccleſia ſua ordines, & claſſes, atque ſtatus differẽtes. Vnde B. Dionyſius inquit in libro de Eccleſiaſtica hierarchia, ſacros Apoſtolos religioſos ſui temporis diuinos appellaſſe: nam aliquando eos nuncupabant therapẽtas, id eſt cultores, propter diuinum cultum, in quo ſe aſſidue occupabant: aliquando vero monachos vocabant propter ſolitudinem, in qua viuebant, & qua vni ſoli Deo ſeruire curabant. Cæterum Diuus Thomas ſignificationem huius verbi, monachus, magis amplificat dicens, illud ſignificare, [*la vnidad impartible en diuerſos ſentimiẽtos:*] nam coniugatus (ut ait D. Paul.) ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt: religioſus autem ſe uni Deo integrum, atque unicum ſeruat. Plurima alia circa hãc materiam dicit ibi B. Dionyſius, atque ita probat, ſtatim in principio ſacroſanctæ eccleſiæ in ipſo Apoſtolorum tẽpore religioſos fuiſſe, qui onera, tumultus, atque irretiones & laqueos mũdi huius effugerunt, ut ſummo bono, qui eſt Deus, ſe unirent, & coniungerent: atque ideo à ſacris Apoſtolis in magna fuerũt habiti eſtimatione ſicut ibidem hic ſanctus Doctor ſignificat. Itaque Deus, ut author gratiæ, dedit his claſſibus, ac ſanctis religionibus capita, quæ alios religioſos longe ſuperarunt, & antecelluerunt. In monaſticis ordinibus dedit ſanctum Baſilium tam magnum,

B.Dion. li. de eccl. hierar. c.6.

D. Tho. 2. 2. q. 88. artic. 11.

1. ad Co 7

gnum, & ſanctum Doctorem, & Diuũ Benedictum, uirum quidem maxima perfectione plenum, & glorioſum Bernardum inſignem Doctorem, diuino amore inflammatum, atque excellentiſſimum Hieronymum ſapientiæ, & ſanctitatis culmen. Et quamuis in his ſacris religionibus fuerint quondam, & ſint modo uiri excellenti uirtute, ac ſanctitate præditi, tamen credere poſſumus, eos ſanctis illis capitibus non eſſe æquales. In ſacro ordine Diui Auguſtini dedit pro capite glorioſiſſimum illum Doctorem clariſſimam ſacroſanctæ eccleſiæ lucem, & in alijs ſacris religionibus dedit etiam capita ſingulari uirtute, & ſanctitate illuſtriſſima, in quibus licet etiam fuerint, & nunc ſint ſanctiſſimi viri, non tamen ſuis ſacris capitibus æquales extiterunt. Vltimis denique temporibus miſit pater miſericordiarum glorioſiſſimum patrem Dominicum, & Seraphicum patrem noſtrum Franciſcum clariſſima mundi lumina, qui eodem tempore non ſolum apoſtolica vita, ſed etiam apoſtolicis miraculis ſplenduerunt, quibus ægritudines ſanabant, dæmonia è corporib. eijciebant, mortuos vitæ reſtituebant, & velut quidam dij in terris naturæ præcipiebant, & ſuo placito imperabant. Sed quamuis in ſacro prædicatorum ordine per totum terrarum orbem propagata ſemper extiterint, & nunc extẽt plurimi ſanctiſſimi uiri, credendum tamen eſt nullum ad altiſſimam perfectionem ſui ſanctiſſimi capitis, videlicet glorioſiſſimi Dominici perueniſſe. Quid de Seraphico patre noſtro Franciſco dicam, quem Deus conſtituit caput tam ſanctæ, & glorioſæ religionis, & per totum etiam vniuerſum mundũ tam propagatæ, in qua florent, & floruerunt tot inſignes uirtute, literis, ſanctitate, ac religione uiri, tot Epiſcopi, tot Cardinales, tot ſummi Pontifices, tot clariſſimi Doctores, tot admirandi concionatores, & quod magis eſt, tot inuictiſſimi martyres, tot ſanctiſſimi confeſſores, tot puriſſimæ Virgines. Quæ quidẽ religio breui tempore adeò creuit, ut cum adhuc ſanctiſſimus pater noſter Franciſcus uiueret, quinque millia fratrum pœnitentiſſimorum, & ſanctiſſimorum ad generale capitulum conuenerint, qui curiam Romanam, & totum orbem terruerunt, *que puſieron en aſſombro a la corte Romana, y a toda la tierra.* O admirabilis Deus in ſanctis ſuis collaudent illum pro tam ſingulari opere omnes cæleſtes Hierarchiæ, & omnes huius miſerrimæ uitæ iuſti. Hãc ergo totam multitudinem ſanctorum huius ſacræ religionis glorioſiſſimum caput Seraphicus pater noſter Franciſcus (ut credere eſt) longiſſimè ſuperauit. Hic dicere poterit concionator, quam inſignis prædicator extiterit glorioſiſſimus Ieſu Chriſti confeſſor, quãtum verba eius in cordibus audientiũ operabantur, ſiquidem vna duntaxat concione quam in primo capitulo generali habuit maxima hominum multitudo ad ſacrum habitum eius ſuſcipiendum conuerſa eſt. Atque ita ut prædicandi finem fecit ſtatim quingentos ex illis nouitios in ſuum ordinem ſuſcepit, [*porque veays como ſe enſeñoreaua el ſancto varon de los coraçones por el ſpiritu diuino, que moraua en el*] Superauit etiã omnes martyres ſuæ ſacræ religionis, ſiquidem inter omnes fuit martyr à Ieſu Chriſto Saluatore mundi martyrizatus, id eſt, [*fue martyr de amor, que le martyrizo Chriſto Ieſus Saluador del mundo con ſus proprias manos.*] Confiteor tibi pater, &c. Et reuelaſti ea paruulis. Matt. 11.

Quanto es marauilloſa la naturaleza en la hermoſura de ſus obras, obrando cada dia como vemos coſas tan lindas, y hermoſas, tanto es tambien admirable el modo que tiene en produzirlas: porque ſi mirays al arte, y al modo que tienen los artifices en obrar, hallareys, que para obrar ſiempre buſcan los mejores medios que pueden. El pintor buſca perfectos colores para ſus pinturas: el eſtatuario buſca precioſos mar- Simile.

moles, y alabaſtros para ſus figuras. Pero la naturaleza quanto mas precioſas, y ſubidas obras quiere produzir, parece que anda buſcando materia mas vil, y baxa, para que anſi nos mueſtre la ſabiduria infinita de ſu autor: quiere produzir vna hermoſa flor, vn lirio, vna roſa, y produzelo de vn poco de humor terreſtre: quiere produzir perlas precioſas y toma vn poco de agua y rocio, que a la mañana ſe deſtila del ayre, y de alli las congela: quiere produzir vn reſplandeſciente criſtal, y toma vn poco de carambano, que es vn humor elado, y frio, y del lo haze. Deſta manera nueſtro Dios marauilloſo en ſus marauillas, para moſtrar a ſu Igleſia la potencia, y gran ſabiduria ſuya, no ſolo ſe moſtro admirable en produzir flores, y perlas precioſas, que ſon muchos ſanctos, que ha ſanctifico, y perficiono, y planto, y puſo en ſu Igleſia, pero tambien ſe moſtro admirable en el modo que tomo, y toma para produzirlos: porque pudiendo hazer, que ſus ſanctos, y eſcogidos fueſſen de los nobles, ricos, doctos, y ſabios del mundo, eſcogio vnos pobres peſcadores, idiotas, y impotentes, y a eſtos ennoblecio, y enſeño, y juſtifico, y hizo principes, y fundamento de ſu Igleſia, y deſto da gracias Chriſto nueſtro Redemptor a ſu eterno Padre, diziendo.] Confiteor tibi pater, &c. quia reuelaſti ea paruulis. [*Admiracion pone grande conſiderar, de quan diuerſo modo ſe ha Dios en el gouierno de la Igleſia triumphante, al modo del gouierno de la Igleſia militante.*] In eccleſia enim triumphante (vt ait B. Dionyſius) angeli ſuperiores purgant, illuminant, & perficiunt minores. Reuelat Deus myſteria ſua ſpiritibus ſupremis, ſcilicet, Seraphin: ipſi verò eorum inferiotibus qui ſunt Cherubin: [*Y anſi van de boca en boca, de mano en mano, las diuinas reuelaciones, de los mayores a los menores.*] At in eccleſia militanti reuelauit Deus ſua diuina myſteria paruulis, ideſt humilibus, vt ipſi ea magnos, & potentes mundi doceant. Et quamuis pro ratione huius rei ſufficiat id, quod ſtatim Dominus adiecit, dicens. Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te: tamen D. Paulus ad hoc ſingularem rationem adducit, dicens. Videte vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; vt non glorietur omnis caro in cōſpectu eius: hoc eſt, [*para que ſe entienda, que eſta no fue obra de carne, y de ſangre, ni de potencia, y ſabiduria humana, ſino de potencia, y ſabiduria diuina.*] Quærit B. Chryſoſtomus, quare ſanctus Dauid non egreſſus eſt ad pugnam aduerſus gigantem Goliath indutus armis Saulis, ſiquidem Rex ipſe eis illum armauerat? Et reſpondet, quòd non ſolum id fecit quia non erat exercitatus in illo genere pugnæ, & armorum; ſed quia Deus ei inſpirauit, vt indutus armis illis non dimicaret: nam ſi cum illis victoriam comparaſſet, aliqua pars ipſius victoriæ armis Saulis tribui poſſet. At cum ſanctus iuuenis ad pugnam ingrederetur propter ſolum honorem Dei, uolebat, ut illi ſoli tribueretur uictoriæ gloria: Atque ita noluit procedere ad pugnam illis armis, ſed duntaxat funda, & quinque lapidibus. Ita voluit Deus, vt tam infimis inſtrumentis, qualia ipſe elegit, tam magna victoria aduerſus mundum, diabolum, & carnem compararetur, vt non glorietur omnis caro.

B. Dion. de cæle. hier.

1. ad Co. 1

B. Chr. hom. ſuper Pſal. 50.

Et reuelaſti ea paruulis. Fœlices illi, quibus Deus myſteria ſua reuelauit, ſi tamen ab eis commodum elicere, & humiliter illa accipere ſciunt, nolentes curioſius ſcrutari pluſquàm id, quod de ſe Deus reuelauit. [*Quando el Rey juega con ſu criado a los naypes, no tiene neceſſidad de moſtrar las cartas, ſolo baſta dezir, tantos puntos tengo, porque a la mageſtad real ſe deue eſſe credito, y aun ſeria deſcomedimiento del criado, aunque el Rey le*]

Simile.

3. Reg. 19 *le moſtraſſe los naypes quererlos ver, ſino cerrar los ojos y boluer la cara dandoſe por contento con ſola ſu palabra. Pues quanto mas ſe deue la criatura ſatisfazer con la palabra infallible de ſu criador?*] Quam ob cauſam Propheta Helias in conſpectu Dei pallio vultum ſuum operuit, [*haziendo eſte comedimiento a ſus diuinos myſterios.*

Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. Hic damnantur audaces quorundam hominum cogitationes, qui uſque ad profundiſſimam abyſſum myſteriorum Dei ſe intromittere, atque eius incomprehenſibilem ſapientiam conſequi uolunt, & his deſiderijs incēſi interrogant. Quare hoc eſt, & quare illud? Et in rebus Dei ita ſuam ferunt ſententiam, ac ſi eſſent Deo æquales. Omnibus nota eſt hiſtoria illa libri Eſdræ, [*de lo que aconteſcio a aquel ſancto propheta con el angel, que viendolo metido en querer aueriguar, y entender, y ponerſe con Dios, en porque affligia ſu pueblo, y conſentia que los Gentiles idolatras preualeſcieſſen, para darle a entender como auia de repórtar ſus penſamientos le dixo.*] Excendens exceſſit cor tuum in ſeculo hoc, & comprehendere cogitas uiam altiſſimi? Et dixit Propheta. Ita Domine mi. Vt igitur eius ignorantiam exprobraret, dixit. Vade pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi flatū venti, aut reuoca mihi diem, qui præterijt. Et dixit Propheta. Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his? Hoc eſt. Quis poterit facere id, quod tu mihi dicis? Et dixit ei angelus. Si eſſem interrogans te quantæ habitationes ſunt in corde maris, hoc eſt, ſi à te quæ rerem piſcium numerum, qui ſunt iñ mari, aut quantæ uenæ ſunt in principio abyſſi, aut quantæ ſunt ſuper firmamentum, aut qui ſunt exitus paradiſi, diceres mihi fortaſſis: In abyſſum non deſcendi, nec in infernum adhuc, nec in cælum unquam aſcendi: nunc autem non interrogaui te, niſi de igne, & de vento, & die, per quem tranſiſti, & à quibus ſeparari non potes & non reſpōdiſti mihi de eis. Igitur ſi hæc non potes intelligere, quare ſcrutaris, & intelligere præſumis altiſſima Dei myſteria? [*Reportate pues y detente de paſſar a las coſas mayores, pues aũno alcanças las menores.*] Hoc fuit frænum, quod angelus Prophetæ Eſdræ adhibuit, quod etiam poteſt admoueri omnibus vanis cenſoribus, qui ſua vana curioſitate uolunt altiſſima Dei myſteria penetrare. Hoc igitur ſit remedium, ut cum Dei myſterium non intellexeris, & licet illud intelligas, dicas. Ita pater, quoniã ſic placitum fuit ante te.

4. Eſd. 4.

Pro ſacris ſtigmatibus. B. P. N. Franciſci.

NOlo hic de profundiſſima huius ſanctiſſimi uiri humilitate agere, nec de eius aſperrima pœnitentia, & altiſſima paupertate tractare: extãt enim eleganter ſcriptę hiſtorię, ubi hæc omnia perlegere poteſtis: ſed tam ſupernum beneficium, quale fuit communicatio ſacrorum ſtigmatum, quæ ab ipſo Chriſto reparatore noſtro ei impreſſa ſunt, ſilentio pretereundum non eſt: non quòd uelim comparationem aliquam facere inter tabulas, in quibus impreſſa fuerunt diuini ſaluatoris uulnera, & tabulas huius glorioſiſſimi uiri, [*porque la differencia que ay del oro al lodo, y del brocado al vil ſayal, eſſa pué de auer, y mucho mayor de la carne ſacratiſſima de Ieſu Chriſto hijo de Dios a la carne de S. Franciſco.*] De hoc non ago, ſolum dico, quòd ſi pictura æſtimatur propter manum pictoris, magnum diſcrimē inuenio inter uulnera Ieſu Chriſti, & uulnera patris noſtri Franciſci: nam uulnera Chriſti depicta fuerunt à crudeliſſimis carnificibus, & nefarijs peccatoribus: at uero D. Franciſci uulnera ab ipſo Chriſto cæli ac terræ domi

no in figura cuiuſdam Seraph depicta,
& impreſſa fuerunt. [*Las llagas de Chri-*
ſto pintaronſe con odio, y aborreſcimento;
las de S. Franciſco pintaronſe con amor, y
aſſi ſon ellas llagas de amor, y prendas del
inflammado, y ardiente amor, que el buen
Ieſus le tenia, pues le quiſo veſtir de ſu li-
brea.] Qua propter iure optimo poſ-
ſet Seraphicus pater dicere uerba illa,
quæ de Ieſu Chriſto dicta fuerunt, ſci-
Zac. 13. licet. His plagatus ſum in domo eorũ,
qui diligebant me.

Ad declarationem literæ huius ſan-
cti euangelij multa inuenies litera E.
titulo Euangelium, ſiue lex. Præter hæc
hic aſſignantur: Confiteor tibi pater q̃
&c. quoniam ſic placitum fuit ante te.
Quod perinde eſt ac ſi diceret. Profecto
ſic res habet, ſic tuæ bonitati & benigni
tati uiſum eſt, quo doceris tibi nullate
nus placere ſuperbos, & ſuæ prudentiæ,
ſuæque iuſtitiæ fidentes, & eos fore ma
gnos apud te ob ſimplicitatem fidei,
quos mundus fallax ſpernit, & pro abie
ctis habet. Ita placuit ſapientiæ tuæ
damnare humanam ſapientiam, quæ
alias mera ſtultitia eſt, & per humilita
tem euangelicæ doctrinæ bonos ad te
pertrahere. Notandum quod Græcè ha
betur. Ita pater, quoniam apud te bo-
na uoluntas. Non ergo fas erit indaga-
re, quam ob cauſam Deus hunc ad ſe
pertrahat; & illum non? Hinc beatus
Auguſtinus: quare hunc trahat, &
B. Aug. in illum non trahat inquit. Noli iudica-
Ioan. re, ſi non uis errare. Quin pij cuiuſ-
Pſal. 17. piam ea vox eſt. Saluum me fecit
quoniam voluit me. Ecce voluntati
diuinæ vniuſcuiuſque electio aſcriben
da eſt, non peculiari merito. Vnde
optime Diuus Gregorius. Verbis ijs
B. Greg. li. humilitatis exempla accipimus, ne
mor. c. 25. temerè iudicih diſcutere præſuma-
mus. Oſtendit enim quod iniuſtum
eſſe non poteſt, quod iuſto numini
placuit. Reuelat itaque Deus myſte-
ria paruulis, quia talis eſt voluntas
Exo. 4. eius. Nam Salamone teſtante, cum
ſimplicibus ſermocinatio Dei eſt. Sic
paruulo Moyſi Deus in rubo ardenti
loquitur. Sic Dauidi tot reuelauit
arcana. Vnde egregiè Diuus Diony-
ſius exhortatur fideles omnes, ut men
tes habeant abſque oculis, quo per-
cipere valeant ſummi Dei myſteria.
Huc pertinet quod in Canticis cla-
mat ſponſus. Auerte oculos tuos à *Cant. 6.*
me, quia ipſi me auolare fecerunt.
Mira res tunc Chriſtus recedit, quan-
do mens oculis intellectualibus ſuper
nam ſapientiam nititur aſpicere. Ne
vtiquam ad illam intellectus intrat,
ſed affectus. Hinc ſcriptum eſt. Vul-
neraſti cor meum in uno oculorum *Cant. 4.*
tuorum. affectus amoris cor ſponſi
cæleſtis vulnerare poteſt, non intelle
ctus, quantumlibet perſpicax fuerit.
Vnde probe Ariſtotelis dixit. Sicut
oculus noctuæ ad lumen Solis, ſic o- *Ariſt. 1.*
culus noſter ſe habet ad ea quæ ſunt *Met.*
manifeſtiſſima naturæ. Sat nobis ſit
nunc per ſpeculum ea, quæ ſunt no-
ſtræ fidei videre, aderit tempus, quan-
do Deum noſtrum videamus facie ad
faciem. Omnia mihi tradita ſunt à
patre meo. Quaſi dicat. Quid fru-
ſtra laboratis filij Adæ? Si opes non
perituras, ſi honores non fallaces, ſi
denique oblectamenta candida, & ſan-
cta quæritis, nunquam niſi in me ea
inuenietis? Ego, inquam, ſum fons *Pſal. 41.*
viuus, de quo Dauid bibere maximo-
pere affectabat, dicens. Sitiuit anima
mea ad Deum fontem uiuum. Quan-
do veniam, & apparebo ante faciem
Domini? Ecce fons vbi ſitim ueſtram
extinguere ualeatis. Filii hominum uſ-
que quo graui corde? Vt quid diligi-
tis uanitatem, & quæritis mendacium?
Nempe, quod uanum eſt, & inane uos *Pſal. 4.*
ſatiare minime poterit. En omnia, quæ
ſub ſole fiunt, uanitas uanitatum eſt,
Salomone teſte. Quandoquidem ſi bea
titudo eſt aggregatio omnium bono-
rum, extra me fœlicitatem, quam ue-
ſtrapte natura affectatis, poſſidere ne- *Eccl. 1.*
quibitis. Venite ergo ad me omnes

qui

qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam uos. O uerba dulciſſima? O eloquia ex præcordiis Saluatoris charitate exardeſcentibus oborta? Quis adeò demens, qui hæc audiens non ſtupeſcat,ſimul & hilareſcat? Profectò Dominus Ieſus animo contemplans, quãta eſſet generis humani calamitas, alios uidit paupertate premi, alios cura diuitiarum anxia grauius diſtorqueri. Alios morbis,alios ſenio, alios diſcrutiari amore fallaci,multos uariis falſarum opinionum errare laberinthis. Pleroſque ſcelerum conſcientia, nunquam non intus affligi, nec eſſet, qui paſtorem ageret fidum, & efficacem, cum eſſent innumeri, qui faſtu gererẽt ſacerdotes, qui Rabbini nomine ſe uendicarent,miſericordia mirabili, tactus, & iaculo charitatis uulneratus, tanquam è turri alta uociferans omnes ad ſe inuitat,omnibus ſolatium pollicens ſponte.Si modo ſimplici, ac ſyncero corde ardeant,& excuſſo mundi iugo longè miſerrimo moleſtiſſimoq;, euangelicæ doctrinæ iugum ultro recipiãt.Venite ad me, ait Dominus quotquot afflictionibus omnigenis, curis uariis, aut uitiorum conſcientia laboratis, quotquot malorum ſarcina, & peccatorum mole degrauamini. Vbi aduertendum,quod laborantes, & oneratos uocat,ubi duplicem neceſſitatem communem memorat. Alteram laboris,alteram oneris,alteram actionis, & alteram paſſionis,id eſt, uenite qui laboratis agendo, & qui actionis ueſtræ onus portatis.Et quoniam quilibet homo aliqua afflictione,uel cura laborat, & multorum malorum ſarcina oneratur,conſequens eſt, ut omnes mortales inuitẽtur, & ex ipſis moleſtijs quas patiuntur trahantur, Quare.n. omnes laboramus(inquit B. Auguſt.) niſi qa mortales ſumus, lutea uaſa portantes, quæ anguſtias inuicẽ faciunt? Sed ſi anguſtantur uaſa carnis, dilatẽtur ſpatia charitatis.Ad quid ergo Dominus ait: Venite ad me omnes qui laboratis,niſi ut non laboretis? At B.Hilarius labores ad legem ueterem refert,dicente Petro. Quare impoſuiſtis eis iugum, quod nec nos, nec patres noſtri portare popotuimus? O quam grauia erant cæremonialia illa antiquæ legis, à quibus ſaluator potenter nos liberauit. Nec abs re beatus Paulus libertatem hanc redemptionem vocat ad Galatas ſcribens: vbi ait. Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Rurſus onus illud Diuus Hilarius peccatum eſſe dicit, quo heu amatores huius ſæculi onerati incedunt, vt fatetur de ſe regius vates, dicens. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. In cuius typo Zacharias vidit iniquitatem ſub talento plumbi ſedere. Et quia Dominus peccata omnium pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, eam ob rem clamitare non ceſſat. Venite ad me, qui onerati eſtis. Huc pertinet quòd beatus Gregorius inquit. Aſperum eſt iugum, & durum onus ſeruitutis, ſubeſſe peccatis terrena, & lubrica ambire, labentia retinere, velle ſtare in non ſtantibus, tranſeuntia appetere, & cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex deſiderio adeptionis afflixerant, poſtea ex pauore amiſſionis premunt. Sequitur in textu. Et ego reficiam vos. Non vt expetam noxas ad me venire vos cupio, ſed potius vt peccata veſtra ſoluam. Venite, non quod gloria, aut honore veſtro indigeo, ſed quia ſummopere veſtram affecto ſalutem. Nedum ſaluabo tantum, ſed quod etiam admirabile eſt, efficiam reficiens vos,vt in quiete mirabili, ac pace ineffabili conſtituti ſitis. Sanè verbum illud, ego, energiam habet non vulgarem.Ego vos reficiam. Non modo per angelos meos refectionem mittam

B. Aug. li. de ver. do.

Act. 15.

Ad Gal. 4

Pſal. 27.

B. Greg. li. mor. 30.

tam, vti quondam Heliæ fatiſceati, & ſub Iunipero ſedenti, panem ſubcineri tium præbebo, non vt populo meo in deſerto ſcalenti manna, largiri cupio, quod in diem ſeruatum vermibus ſcatebat. Sed dabo vobis manna abſcondi tum, quod nemo nouit, niſi qui accipit. Nec tantum per miniſtros eccleſiæ meæ, qui verba uitæ uobis propina nt, & ſacramenta adminiſtrant; ſed ego ip ſe in ore eorum loquens, & interna ſua uitate reficiam uos. Hic operæpretium eſt attendere, quòd non inquit, labores, & preſſuras, quas patimini, auferam: ſunt enim aliquando nobis frugiferæ, ne efferamur, & inſoleſceates pereamus. Nonne beato Paulo teroranti dictum eſt. Sufficit tibi Paule gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur? Ecce ſtimulus carnis datus eſt diuino Apoſtolo, ne magnitudo reuelationis eum extolleret, quod planè ipſe optimè ſciuit. Reficiam vos (inquit) in calamitatibus, cumulum gratiæ meæ impertiendo, adeò vt iubilo magno affecti, ouanter aduerſa patiamini. Sicut memoriæ proditum eſt de Apoſtolis. Ibant Apoſtoli gauden tes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Enimuero quotidie electi Dei cum Iob clamant, Deo gratias agentes, & aiunt. Qui dat carmina in nocte, ideſt, ut cignus quò plus mori appropinquat, eo dulcius, ac feruentius canit: in preſſura Deo gratiarum carmina ſic iuſti cōcinunt. Quid, quod Saluator noſter tam eſt munificentiſſimus, vt non modo ad menſam opiparam ſuæ gratiæ, & miſericordiæ nos inuitet, ſed quod plus admirationis habet, ad ſacroſanctum altare ſuum nos quotidie uocat, ſæpenumero uerba illa dulciſſima proferens. Accipite, hoc eſt corpus meum. Bibite ex hoc omnes hic eſt calix ſanguinis mei. O ſumma, & incomprehenſibilis Regis noſtri charitas, qui ſe ſe naſcens nobis dedit in fratrem, & in cruce obiens dedit in pretium, is ipſe ſe fidelibus ſuis præbuit in cibum. O refectionem mirabilem ò menſam ipſis Seraphicis ſpiritibus ſtupendam, vbi cæli ciues, & mortales homines, eodem pabulo reficiũtur, quamquam modo diuerſo. Vnde ſicut iuſti dicuntur conſortes diuinæ naturæ, (de eis enim inquit Beatus Petrus, magna eos promiſſa eſſe accepturos, ut efficiantur diuinæ conſortes naturæ,) quia in cœlo fruuntur, & beatificantur eadem diuina natura, & eſſentia, qua ipſe omnipotens Deus beatificatur, eadem ratione dici poſſunt conſortes diuinæ naturæ: quia etiam in terra reficiuntur hoc ineffabili ſacramento, in quo diuina natura continetur.

Apoc. 2.

2. ad Cor. 12.

Act. 5.

Iob. 35.

2. Pet. 1.

Cæterum mirabile eſt, quod nunc ſequitur. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus ueſtris. Senſus eſt. Legem meam, quæ in euangelio conſpicua cunctis apparet, ultronea ueſtra uoluntate ſuſcipite, & eam pro modulo veſtro honorate. Equidem heroum, & ingenuorum lex eſt, non ſeruorum, ideo uoluntariè, & ſponte eſt accipienda. Super uos eam ferte tanquam legem ſummi Dei, non pedibus eam conculcando, quod magnum nefas eſt. Etenim nec mundi honos, aut lethales uoluptates, nec denique fluctuantes diuitiæ, animæ tranquillitatem præſtãt. Sed ſola lex mea id præſtare ualet ſeruantibus eam. Habet ni fallor, mundus peculiare iugum, prima ſpecie lene, ſed re uera moleſtum, & graue ualde, De quo Sapiens ait. Beatus, qui non traxit iugum illius, & vinculis eius non eſt ligatus. Iugum enim illius, iugum ferreum eſt, & vinculum illius uinculum æreum. Væ impio, qui hoc iugo premitur, & uinculis æreis alligatus manet. Illud uero imprimis excutere oportet eos, qui ſalutare Chriſti iugum accipere cupiunt, quod Heliſeus quondam ab Helia uocatus fecit. Cum enim ſub duodecim iuga

Eccle. 4.

3. Reg. 19

iuga boum araſſet, ea confregit, atque combuſſit. Ad eandem imaginem ſi currimus ad Chriſtum Ieſum uocantem, mundi iugum deponamus neceſſum eſt, & igne charitatis illud comburamus maximè oportet. Alioquin capaces non erimus legis diuinæ, quæ per omnia aduerſatur legi mundi, & diaboli. Quoniam quæ ſimilitudo lu- *2.Cor. 6.* cis ad tenebras? Aut quæ ſocietas Chriſti ad Belial? certè nulla inueniri poteſt. Perpendendum etiam eſt, quòd *Iſai.10.* Chriſto Ieſu paſſo uaticinium Iſaiæ adimpletum eſt, quod ſic habet: Erit in die illa: auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo. Et computreſcet iugum à facie olei. Profecto gratia ſummi Dei oleum mirabile eſt, qua aduentante non tantum iugum ponderoſum legis antiquæ, ſed iugum ferreum peccati computruit, & funditus perijt. Alioquin idem Propheta Iſaias non diceret: *Iſai. 9.* uirgam humeri eius, & iugum oneris eius, & ſceptrum exactoris ſuperaſti? ſicut in die Madiam. Perpulchrè *Iudicũ. 7.* triumphum Saluatoris, quem in paſſione ſua uendicauit de Satana, breui methodo uates ſanctus nobis ob oculos poſuit. Vicit ſanè populus Iſraeliticus Gedone duce, Madianitas fractis lagenis. Et ad eundem modum Dominus proſtrauit inimicum vulneribus multis ſauciatus, & obiens in patibulo crucis. Tunc, ni fallor uirgam cruenti hoſtis, iugum & ſceptrum *Ioan. 12.* potenter ſuperauit, iuxta illud. Ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Quod eſt dictu, cunctos inimicos meos glorioſè uincam. Qui ergo iugum ferreum peccatis à nobis abſtulit, is iugum ſuum militibus ſuis imponit. Iugum metaphoricè ſeruitutem præſignat. Vnde populus Iſrael clamauit ad Roboam filium Salo- *3.Reg. 12* monis: Pater tuus duriſſimo iugo nos preſſit. Ergo dicens clementiſſimus Dominus: Tollite iugum meum ſuper uos, perinde eſt, ac ſi dicat, Seruiſtis hactenus diabolo, qui uos graui ſuo iugo cruciauit; nũc proijcientes duriſſimum eius iugum, ſeruite mihi, agnoſcite me Dominum, qui uos creaui, & ſanguine meo redemi. Quas ob res iuſtiſſimum erit, ut legi ſanctæ meæ colla ſponte ſubmittatis. Etenim ſeruire mihi Regi Regum, & dominantium Domino regnare eſt. Hinc beatus Auguſtinus, Huic iugo qui ſubiectus eſt, ſubiecta habet omnia. Sanè uſque adhuc uerba illa Domini aures noſtras pulſant. Auferam, *Leuit.26.* & confringam de ceruicibus ueſtris catenam, & iugum ferreum. Magna quidem pollicitatio hæc eſt, modo iugum Domini tollamus, & tollentes honoremus.

Sequitur in Euangelio. Et diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ex me diſcite manſuetudinem, qua nõ modo ſedatur animus, ne iniuriam maledicenti irroget, uerum etiam cor ipſum tranquillitatur, ita ut ſe homo placidum inimicis oſtendat. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, ait idem Dominus apud Matthæum. *Matth. 5.* O nouam dilatandę poſſeſſionis rationem, plus impetrat à tranſgreſſoribus manſuetudo, quàm per fas, & nefas parat aliorum rapacitas. Immitis, & ferox Dominus nec hoc habet, quod poſſidet. Hinc Moyſes maximis en- *Deute. 12* comijs effertur, quòd mitiſſimus fuerit ſuper omnes homines, is non uindictam, ſed ueniam ſorori detrahenti conciliauit. Quid multis immoror? Deus, qui ſuauis eſt, & mitis, mites tantum docet uias ſuas, uti in Pſal- *Pſal. 22.* mo legimus. Ergo tanquam ſpeculum Saluator ſe ob oculos noſtros ponit, ut manſuetudinem, & mititatem ab ipſo diſcamus, dicente. Diſcite o filij à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Vbi ſummopere conſiderandum eſt, quòd patiens perfert aduerſa, & fortiter ſuſtinet: mitis autem ouanter in bono ſuperat malum. Vnde potior, & excellentior eſt mitis manſueto. Hoc nomine Saluator nobis commendatur à Zacharia, dum ait: Ecce Rex *Zachar.9.*

tmus venit tibi manſuetus. Deinde vt humilitatem ab eo etiam diſcamus pręcipit Saluator, quia nimis odibilis eſt apud Deum ſuperbia. Et quia clementiſſimus noſter Redemptor ſalutis noſtræ maximè cupidus eſt, & dona ſua nobis impendere vehementer cupit, ideo nuſquam non commendat humilitatem. Non deſinam eis benefacere
Hiere. 32. (ait per prophetam Hieremiam) & lętabor ſuper eis, cum eis bene fecero. Ecce quantum gaudeat Deus optimus, dum theſauros ſuæ clementiæ nobis abunde largitur. Hanc ob cauſam nos humiles vult, non humilitate fucata, quæ foris tantum apparet, ſed vt ille humilis corde fuit, ita nos decet hu-
Eccl. 19. miliare. Eſt qui nequiter ſe humiliat, ait Sapiens. Fons ex quo naſcitur totius mundi tumultus, animus ferox, & elatus eſt, ſibi fidens. Hinc ſcatet ambitio, & pecuniæ cura, uindictę libido, ſimultas, ſeditiones, & impietates in Deum. Diſcite ergo à me, quia mitis ſum, & humilis corde: ac ſi dicat. Si vultis ſemel ab omnibus malis liberari, fontem lethalem tollite, & accipite doctrinam meam, imitamini vitam cādidam meam. Totum mundum inuitat his verbis ſupernus Saluator. Quamobrem non ait. Diſcite à me ieiunijs uacare, pernoctare orando, ſed māſuetudinem, & humilitatem ſuam imitandam offert, nequis excuſationes afferat: poteſt tamen quiſque comprimere internas paſſiones, & cordis motus prauos cohibere, ipſo Domino adiuuāte, & ob hanc cauſam ſic alloquitur. Vbi beatus Chryſoſtomus ait. Incipiens diuinas leges ab humilitate incipit, & maximum præmium pollicetur. Inuenietis requiem animabus ueſtris. Non modo alteri vtilis eris, ſed tibi ipſi requiem hic parabis, in futuro uero æternam retributionem. Verum tamen ne forſitan caro inſolens nomine iugi expaueſcat, addidit. Iugum
B. Aug. in Matt. ſer. 9. & 10. enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Vbi beatus Auguſtinus inquit. Qui iugum Domini intrepida ceruice ſubierunt, tam difficilia pericula patiuntur, ut non à laboribus ad quietē, ſicut ſumma, ueritas inquit, ſed à quiete ad laborem uocari uideantur. Sed profecto adeſt Spiritus ſanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouat de die in diem: ut guſtata requie ſpiritali in affluentia delitiarum Dei, in ſpe futuræ beatitudinis omnia præſentia delineret, aſpera, & omnia grauia releuaret. Omnia enim ſæua, & immania, prorſus facilia, & prope nulla facit amor. Vti in mercatoribus maria transferentibus uidere eſt. Quanto ergo facilius charitas id in nobis operari poteſt? Hæc egregia verba huius ſancti Doctoris ſunt, uel maximè memoriæ tradenda, & noctu, diuque candido pectore uerſanda. Denique iugum Domini ſuaue eſt, quia iugum à iungendo nuncupatur. Nullus enim ſolus legem Chriſti implet. Habētes igitur tam potentem ſociū Chriſtum Ieſum, qui miſſus eſt de cœlis, vt nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret audacter iugum peccati attrociſſimū abijciamus, & Regis noſtri ſuaue iugum amplectamur.

Pro Seraphico Patre noſtro Franciſco.

VOluit ſanctiſſimus pater Franciſcus habitum fuſcum, ac cinerarei coloris induere, quod diuina inſpiratione factū fuiſſe credere poſſumus, quoniam prunæ incenſæ igne, & non frigidi, ac nigri carbones cinere cooperiri ſolent. Cunque beatus Franciſcus eſſet pruna incenſa igne diuini amoris altiſſima prouidentia decreuit, vt habitu coloris cinerarei indueretur, quo ignem in corde ſuo latentem ſignificaret. Non ſolum autem ipſe his ueſtibus uti voluit, ſed etiam omnibus ſuis fratribus iuſſit, vt eodē mō induerentur, & cū habitu ſe conformantes omni ſtudio, ac uiribus curarent eſſe ueluti prunę diuini amoris igne inflammati, & cinere perfectæ humilitatis cooperti.

Pro

Pro ſacris ſtigmatibus Patris noſtri Franciſci.

DE hoc Seraphico patre ſic ſcriptũ eſt. Ad quem uenit rex è cælo amictu Seraphico, ſex alarum tectus velo, aſpectu pacifico, affixuſque crucis telo, portento mirifico. Vertex montis inflammatur vicinis cernentibus; cor Frãciſci transformatur amoris ardoribus: corpus uero mox ornatur mirandis ſtigmatibus. Itaque non tantum illis ſacris vulneribus adornatus fuit, ſed etiam cor eius diuini amoris igne inflammatum eſt. Hoc clarius per hoc ſimile intelligetur. Si quis acutiſſimũ enſem viuo igne inflammatum ex fornace educeret, & cum eo quempiã multis ictibus percuteret, profecto non ſolum vulnera infligeret in illo corpore, verum & carnem combureret, atque in ea ardorem efficeret. Sic cum vulnera Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, quę ſtigmata ſeu vulnera diui Franciſci cauſarunt, ſicut pleniſſima amore, non ſolum carnem Franciſci uulnerarunt, uerum etiam cor eius diuino igne inflammauerunt. *Simile.*

F V R T V M.

B. Chry. ho. 9. in 1. ad Corin.

BEATVS Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Hominum oculi egenos intueri ſolent. Cum inopia laborant, & de his ingemiſcere: raptores autem conſpectis pauperibus magis ſęuiunt. Hominum oculi non tanquam ſua, aliena conſpicãtur, ſed ſua tanquam aliena, neque quæ alienis dantur deſiderant, ſed ſua in alienos effundunt: hi non deſiſtũt, niſi omnium auferant facultates, quippe qui non humanos, ſed ferinos habent oculos. Hominum oculi nudum ſuũ corpus uidere non patiuntur, ſuum namque eſt, licet ſecundum perſonam ſit alterius. Hi autem niſi omnia populentur, omnia domum conferant, nunquã ſatiantur, immo nullo vnquam tẽpore expleri poſſunt: ferinas habent manus, aut feris etiam immaniores. *Simile.* Vrſi, lupique cum ad ſatietatem ederunt, cibo abſtinent. Hi nunquam ſatiantur. Tu ſi pecudem fera lacerat, ægrè fers, cum id in proximum tuum facis, nihil te mali facere arbitraris, & qua ratione homo es? humanum enim dicimus hominẽ humanitatis plenum: crudeliter aliqd, & immaniter operantem, inhumanum uocamus. Figuram quidem hominis à miſericordia, feræ autem ab immanitate deſcribimus. Dicentes, nunquid homo fera, uel canis? Horum certè ora, ferarum ora, uel potius quàm ferarum ſæuiora, uerba magis uenefica, & cædiũ plus machinantia, ſic in humanitas ex hominibus, qui ei ſe dedunt, feras facit, feriſque peiores, quòd hæ natura tales ſunt: hi naturalem manſuetudinẽ in immanitatem uertunt. Quorũ adeò mentem ſi quis inueſtiget, eos iam non feras tantũ, ſed & dæmones dicat, & ducat. Nã dæmones quidẽ eos modo, qui in tẽtationibus cõſentiunt exuperãt, in eos, qui iugũ detrectãt, nihil inſidiãdò proficiẽtes. Hi uero obnixè repugnãtes eos, quibus calũnias ſtruunt, ſuperare cõtendunt. Dęmones quidẽ cũ hominibus nõ eiuſdẽ generis cũ ipſis certãt. Hi uero cõſanguineos, & familiares perdere conãtur, neq; eos naturæ pudet. Ideoque S. Dauid eos ab hominũ expellit cõſanguinitate. Vbi nã ergo tales cõſtituem⁹ extrinſecus feras, ĩtus dęmones?

Idem Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia ait. Dic mihi ſi quis adulterium cum muliere clanculum perpetraret, alius uero illud uiro etiam uidente faceret, uter uirum hunc magis contri-

tri-

triſtaret, & maiori moleſtia mordere ualeret? Hic quidem cum hoc quod malum faceret ſimul etiam contemneret: ille uero ſi nihil aliud boni, uel hoc tamen oſtenderet, quod virum eam, cui iniuriam infert, metueret. Ita & cũ pecuniis hic quidem occulte auferens, hoc ipſo læſum honorat: iſte uero manifeſtè & publice cum damno ſimul, & contemptum infert. Ceſſemus igitur quæ aliorum ſunt rapere tam pauperes, quam diuites.

Ad ho. 3. in 2. ad Timoth. Simile.

Idem alia homilia ait. Si duo minuta diripias, nihilo meliori in loco es, quam hi, qui multa deripiunt. Immo ut mirabilius aliquid loquar illos iniquitate tranſcendis: Sicut enim quiſq; ſiue Regis uiolaret uxorem, ſiue pauperis, ſiue ſerui, pari ratione adulter eſt, cum peccatum non perſonarum differentia, uerum ex uoluntate improba id ſcelus admittentis iudicetur: ita & hic, immo illum magis adulterũ dixerim, qui quamlibet ex uulgo, quam qui Reginam uiolauerit: Illic enim plurima irritamenta ſunt, putà opes, elegantia, fortunæ, & eiuſmodi cætera, quorum hic nihil inuenias. Eadem ratione illũ magis ebrium dixerim, qui quolibet uino, quam qui optimo inebriatur: ita & cupidum eum potiſſimum cenſeo, qui ne minimum quidem rapere omittit. Nam qui maxima diripiet minima fortaſſe cõtemnet: Qui aũt parua non deſpicit, qũo is maiora deſpiceret?

Vitium hoc furandi abiecti, infimi, & uiliſſimi hominis eſt. Atque ita cum in libro Iob fieret mentio de tribus hominum generibus, qui alienas opes in hoc mundo perdere ac diſſipare ſolent, quales ſunt latrones, tyranni, & milites, latrones uocauit hoc nomine, famelicus, dicens. Cuius meſſem famelicus comedet, & ipſum rapiet armatus, & bibent ſitientes diuitias eius. Fures appellat famelicos, eo quod ferè ſemper huiuſmodi homines, egeni, pauperes, uiribuſque deſtituti ſint, ob eamque rẽ clam furentur, quia ui, aperteque rapere non poſſunt. Prædones uocat ſitientes, quod prædam inhient, & uehementer ſitiant. De armatis uero militibus intelligit illud. Ipſum rapiet armatus, ut ſynecdoche figura ſit, ſingularis pro plurali: nam famelicus ponitur pro famelici, & armatus pro armati.

B. Aug. de verbis domini. c. 2.

Beatus Auguſtinus de uerbis Domini inquit. Si in ignem mittitur, qui nõ dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit, qui inuaſit aliena? Si cum diabolo ardet, qui nudum non veſtiuit, ubi putas arſurus eſt, qui ſpoliauit?

GLORIA INANIS.

1. Macha. c. 2.

A VERBIS uiri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & uermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur, dixit uenerabilis ſenex Mathatias filijs ſui. Et Beatus Chryſoſtomus de inani gloria agens inquit. Intolerabilis quædam ebrietas eſt uana gloria. Quam ſuæ ſubijcit ditioni, is ægrè in ſanitatem reſtituitur. Et quam peſtifera tabe inficit animam abſcindens terrę affigit, nec eã amplius ſinit, ut ad ueram lucem dirigere poſſit intuitum. Qui enim hoc morbo afficitur, nullo præceptore, ſed omnia ſua ſponte operatur, quę alijs placere arbitratur, ut alijs admirationis ſit præceps agitur. Vis huius intelligere tyrannidem? Si quẽpiam negotiatorẽ, qui pretioſiſſimas ſibi merces magno auri põdere cõpararit, rogaueris, quanã gratia tantũ auri profundat, quid ve tantus ſibi ſumptus uelit ſi nullã aliã ab eo rationem acciperes, quam ut populo placeret. Quod ſi deinde. Quid populus ſit, percontaberis? Quidam, inquit, tumultus, perturbationiſque plenus, & ſtul-

B. Chryſo. homi. 2. in Ioannem.

ſtultitia maiori ex parte conſtans, atq; compoſitum temerè per maris fluctus varia expugnante ſententia ſæpenumero iactatum? Qui igitur ſub huius ſeruitij dominio prçmitur, nonne omniũ miſerrimus eſt? Inanem gloriam maiores noſtri ſiccam appellarũt. Inanis eſt, nihilque rectum, clarum, nec glorioſũ in ſe habens, tanquã perſonæ, quæ pulchræ quidem viſu, & decoræ videntur: intus autem inanes reperiuntur. Quarecum aſpectu ipſo elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad ſe amandum allexerunt: ita nihil miſerius inani gloria, quæ à multitudine comparatur, aſpectu nanque ſolo pulchra, & elegans uidetur: intrinſecus autem non inanis modo, verum etiã ignominioſa & crudelitate, ac uiolentia plena eſt.

Simile.

Idem alia homilia ait. Quemadmodùm terrenas diuitias contemnimus, cum alias diuitias ſperamus: ita & huius vitę gloriam cum longè maiorem, & veram gloriam coniectabimur, contemnemus, hæc nanque inanis, & ſtulta eſt, & nomine tantum, non re, gloria illa vero cœleſtis vera, quæ non homines, ſed angelos & archangelos, & angelorum Dominum, immo & cum his ẽt homines laudatores habet. Si illud ſpectaculum contemplaueris, ſi illas coronas noueris, ſi ad illum plauſum te trãſtuleris, nunquam aduerſum te terrena poterunt præualere, nec hæc magni facies. Etenim in huius ſæculi regijs nemo ſatellitum, his omiſſis, quibus coronato Regi, & in ſolio ſedẽti placeas, graculorum voces, muſcarum, & culicum obuolãtium ſtridorem proſequitur: nec enim his vlla ex parte potiores hominum laudes inueniuntur.

B. Chry. homil. 28. in Ioan.
Simile.
Simile.

Idem ibidem. Varia, & multiformis beſtia inanis gloria, & vbique propriũ virus diſſeminat, & pecunijs, & delitijs, & corporis pulchritudine, ac gratia, sẽper neceſſitatem excedimus. Inde veſtimentorum copia, inde & ſeruuorum examen, inde omnis neceſſitas contemnitur, in domibus, veſtibus, menſæ ſplendore exceſſus dominatur. Vis frui gloria? Facias eleemoſynam, tunc angeli te laudabunt, tunc Deus te excipiet: nunc autem artifices tantum, & textores admirantur.

Idem alia homilia inquit. Mater gehennæ eſt inanis gloria, uidere eſt illã & in mortuis uires obtinere, quare qd poterit fieri peius? Aliæ ſiquidem paſſiones morte finiũtur, iſta uero & poſt mortem uiolenter inſtat, naturamque ſuam etiam in è mortuo iam corpore oſtendere contendit. Cum enim ſplendida ſepulchra, omnemque ipſorum ſubſtantiam conſumentia morientes ſibi erigi curent, atq; in ſepultura multus antea luxus adhibeatur, affectent: quam quęſo aliam, quę res in hoc morbo tyrannidis excellentiam?

B. Chry. homil. 17. in epi. ad Ro.

Idem ibidem ait. Hoc Chriſti uerbũ inſcribamus, & parietibus, & ianuis, & menti, diſcamusque continuè nobis ipſis. Væ uobis ſi quando laudauerint hos homines, nam ipſi etiam laudatores te poſtremo, uelut uanæ gloriæ, uani honoris, præconiique, quod ab ipſis ſit, ſtultè amantem uituperabũt. Deus autem non ita, ſed cum viderit te eius, quæ gloriæ cupidum, tum te potiſſimum laudabit, celebrabit. Homo uero aliter, nam, is, poſtquam pro libero ſeruum te acceperit, nudo plerumque verbulo tibi falſam laudem gratificatus, veram abſte mercedem aufert, & ſibi magis, quam quemuis emptitium ſubijcit. Habent enim illos præceptis ſuis obedientes, qui illorum dominantur, tũ verò etiam ſine præceptis.

Idem quadam homilia ait. Nõ aſpicis, ut in ſcena ſibi perſonas imponunt hiſtriones, quam præclara, quam honeſtas, quam ad extremam, & exactiſſimam formæ diligẽtiam effectas? Potesne huiuſmodi aſpectum mihi uerum eſſe monſtrare? Minime ſane. Quid igitur, non eas aliquando adamaſti? Non. Cur id? Quoniam inanes ſunt, imitanturque decorem, ſed nullus ibi ſolidus decor: ita & gloria inanis eſt imitaturque gloriam, ſed non vera gloria eſt.

Illa quippe ſola permanet, quæ naturalis eſt, illa vero quæ extrinſecus adhibetur obtulit ſæpius facultatem, ſed id apud homines, & vſque ad veſperā. Cæterum ſoluto theatro, ſublatiſque perſonis vnuſque, quod eſt, id quoque videtur. Dic, quęſo, quid in ſe pręclari habet à multitudine inſpici? Inanis eſt hæc gloria: nam vbi te domum receperis, id omne prorſus effluxit, extincta eſt penitus illa gloria, receſſit, atque in fumum reſoluta.

B. Bern. de natiuit. B. Io. Bapt. Eccl. 27. Simile.

B. Bernardus inquit. In Eccleſiaſtico dicitur, Stultus, ut luna mutatur. Quēadmodum ſplendet luna ſine feruore, modo plena, modo exigua, modo nulla uidetur, mutuatum quidem lumen nunquam in eodem ſtatu permanet ſed creſcit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt, modo magni, modo parui ſunt, modo nulli, ſecundum quod adulantium linguis, uel uituperare, uel laudare placuerit: at uero iuſtus permanet ut ſol. Splendor ſolis igneus eſt, & cum feruet acrius etiam oculis lucidior exhibetur. Sic ſapientis ardor internus foris lucet, & ſi ſoli Deo placere curat, ſemper magis ardet, ut pater, qui uidet in abſcondito, reddat.

Idē ſer. 4. de aduen.

Idem ſermone quarto de aduentu ait. Aliter, & ſapientius mendici, quàm nos miſericordiam implorant: nam eleemoſynam petentes non pretioſas ueſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra, aut ulcera, ſi habuerint, hominum aſpectibus exhibent: nos uero exemplo Phariſæi, ſi quid boni fecerimus, aut minus malum, quàm alii, Deo ueluti exprobramus.

ſi. ſup. illa verba Pſ. 102.

Iſidorus Clarius ſuper illa uerba Dauidis: Homo ſicut fœnum dies eius, tā quam flos agri ſic efflorebit, ait. Nihil tam aſſimile eſt humanæ gloriæ, quàm fœnum agri. Cernes prata miranda florum uarietate diſtincta, ut iucundiſſimum intuentibus ſpectaculum præbeant, cernes in illis floribus eam colorū uerè gratiam, ut rectè dixerit Dominus, Salomonem in omni gloria ſuā non ita ueſtitum fuiſſe: & tamen tantus decor per quàm exiguo temporis ſpatio deperit. In eundem modum ſe habet hominum gloria, de qua idem regius Propheta ait. Vidi impium ſup erexaltatum &c.

1. ad Cori 1. c. Simile.

Siue manducatis, ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite, inquit B. Paulus ad Corinthios ſcribens. Vt homo cooperit domi ſupellectilia, ne inquinenē, ſic cooperire debet bona opera, quæ agit ne corrumpantur. Mirum eſt profecto, ſed lugendum quidem, habere hominem domi ſuæ ueſtes in apoditerio tectas, parmam tectam lineo operimento, gladium opertum uagina, ſagittas opertas pharetra, ſolam autem uirtutem, ſi quam habet, detectam. Omnia uult habere cooperta præter bona opera, quæ uult omnibus diuulgari.

Henric. de Aſia in ſo lil. animæ.

Cæſarum lata pòtentia (inquit Henricus de Aſia) Principum dominationes, prælatorum gloria, qui ante nos fuerunt, quo peruenere? Quid profuit illis inanis gloria? Breuis lætitia, mundi potentia, magna familia, ac ſæcularis pompa quid profuere? Hæc omnia tanquam umbra ueſtigium non habens, ac ueluti nauis fluctuantem aquā celeriter tranſierunt. Etiam ſapientia mundi quid profuit, quæ tot ac tantos uiros Ariſtotelem, Platonem, Diogenem non ſaluauit, ſed excæcauit, non ædificauit, ſed inflauit?

Iſido. orat. de humili tate to. 1. Simile.

Iſidorus in quadam oratione, ait. Qui externa bona materiam inſolēni faciunt, voluntque ob eam duntaxat coli, & plus alijs æſtimari, perinde faciunt, ac ſi aſellus aureis phaleris ornatus generoſo equo præferri ob ea ornamenta vellet. Quod ſi quis hoc cerneret, rideret ſanè: & nos non putamus ridendam rem eſſe, ſi homo, qui eſt rationale animal hoc faciat, quod in ratione carentibus abſurdum eſſe iudicaremus. Idem ibidem ait. Qui rebus externis delectantur, & gloriantur, non aduertunt non ſolum hæc cum brutis ratione carentibus eſſe communia, ſed homi-

homines ſæpius ab illis ſuperari. Magna corporis mole præditus es, quæ eſt hæc magnitudo ſi cum elephantis mole comparetur? fortis es, & intrepidus, at leo ſi tecum conferas lōgo profecto interuallo te ſuperabit: de eo namque ſcriptum eſt. Leo fortiſſimus animaliū ad nullius pauet occurſum. Cantu, ac uocis modulatione inſignis es at Cygnus, & plurimæ aliæ aues uocales maius miraculū in ſuo cantu excitant. Pulcher es, & pauo, atque aliæ multæ aues te præſtant. Non pudet his gloriari, quibus & bruta, & ſceleratiſſimi quique poſſunt gloriari? Arte aliqua præſtas, quid in hac re apibus eſt ſapientius, quarum opera quis pictor, quis Geometra unquam potuit imitari?

Simile. *Prou. 30.*

Tenui, ac ſubtili ueſte indueris, & in hoc te ſuperant aranei. Celeritate pedum uales rurſus in hoc primatum tenent carentia ratione animalia, uidelicet lepus, caprea, & cætera huiuſmodi. Acuto uiſu præditus es, non ut caprea aut aquila? Acutè audis, acutius aſinus. Acuto es odoratu, canis te ſuperat.

Beatus Auguſtinus inquit. Spes mea rogo te per omnes pietates tuas ut propitieris impietatibus meis: nihil quæſo ſine te mihi dulceſcat, nihil cōplaceat, tædeat me gaudere ſine te, & delectet contriſtari pro te: ſit mihi nomen tuū refocillatio, & memoria tua conſolatio. Qui hoc dicebat non in uana mundi gloria gaudere cupiebat.

B. Aug. in meditationibus c. 7.

GRATIA DEI.

BEATVS Baſilius inquit. Quemadmodum vultuū imagines non in qualibet materia redduntur, ſed in his duntaxat, quæ ſplendorē, & pellucentiam quandam habent: ita non in quibuslibet mentibus operatio ſpiritus, ſed in his, quæ nihil habent obliquum, nihil obtortum. Beatus Macharius in quadam homilia inquit. In ipſa gratia quædam ſimilia ſunt ueritatis, immo hæc ipſa ex hypoſtaſis ueritati, quemadmodum in ſole eſt ſplēdor, & circulus ipſe, ac aliter ſplendor, apparet, alio modo lumen quod eſt recōditum in circulo. Itidem lucernæ lucentis in domo alius eſt ſplendor ubique relucens, & aliud eſt lumen, quod in ipſa lucerna ſplendidius eſt, & ſpecioſius ita quædam manant à gratia, quæ uelut quaſdam uiſiones homo procul intuetur, ac huiuſmodi uiſionibus delectatur, ſitq; alius, propterea quod ingreditur in illum uis diuina, quæ illius membra continet, & cor, & captiuam illius mentem reddit in dilectionem Dei.

B. Baſilius proœmio in Iſaiam. Simile. B. Macha. homil. 7. Simile.

Idem in quadam homilia ait. Quemadmodum apis ſecreto fauum conficit in alueo: ſic & gratia dilectionē ſuā ſecreto in cordibus exercet, & quod amarum eſt, mutat in dulce: quod autē aſperum in planum, & ſuaue. Itaque ſicut faber argentarius, & ſculptor quādo diſcum inſculpit, aliquatenus operit uaria illa, quæ ſculpit animalia: ubi uero perficit tunc diſcum ſplendentē profert in lucem. Ita Dominus, qui uerus eſt artifex corda noſtra inſculpit, ac renouat donec è corpore decedant & tūc eminet dignitas animæ.

Idem homil. 16. Simile.

Beatus Chryſoſtomus in quadā homilia ſuper illa uerba Pauli. Spiritum ne extinguatis, inquit. Extinguit ſpiritum uita impura. Nam quemadmodū ſi quis lucem lampadis aqua aſpergeret, aut puluere, uel ſi oleum eximeret, eam extingueret: ita habet, & donū ſpiritus. Siue namque rebus terrenis, & rerum fluxarum curis inſperſeris, extingues ſpiritum, ſiue etiam ſi tu nihil tale feceris, aliunde tamen tentationis uehemens impulſus inſtar cuiuſdam uenti ir-

B. Chryſo. hom. 11. in priorē ad Theſſalonicen. Simile.

ti irruerit,& flamma ualida non fuerit, aut parum oleum habuerit, aut foramẽ non obturaueris, vel oſtium non occluſeris, omnia peribunt. Quod uero eſt hoc oſtium? Oſtia ſunt oculi, & aures: ne ſinas iſtis occurrere validum malitię flatum, alioquin flammam extingues, ſed claude oſtia timore Dei, vt externum impulſum repellas: ſi enim aperueris concitabis magis ventum hunc.

Simile. Non vides in ędibus quando è regione duæ ianuæ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit, ſi alteram clauſeris, & reſpiratio prohibita fuerit, quomodo nihil ualeat efficere flatus, ſed pluſimũ de robore illius præcindatur? Ita & hic duæ ſunt ianuæ os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probro afficit. Si tuum occluſeris, & ſpirationem non dederis, omnem flatum iſtum extingues: ſi uero aperueris effrænis reddetur: Ne extinguamus ergo ſpiritum.

Fit autem ſæpenumero, vt etiam nullo externo impulſu incumbente extinguatur fax, quando uidelicet oleum deficit. Quando miſericordiam non facimus, extinguitur ſpiritus. Extincto autem ſpiritu, quid reliquum eſt? Noſtis quod in tenebricoſa nocte ambulatis? Si uero de terra in terram noctu ambulare difficile eſt, & moleſtum, quomodo tutum erit eam viam, qua ex terra in cœlum tenditur ſine hac luce ambulare? Ignoratis quot dæmones ſint in iſtius uię ſpatio? Quot beſtiæ? Quot verſutiæ ſpirituales? Nam & latrones lampadem primum extingunt, deinde latrocinantur.

Idemque homilia quadam ait. Sicut enim in velum nauis laxum uentus incidens nihil operatur: ſic etiam Spiritus ſancti gratia in anima remiſſa, & ſegni permanere non ſuſtinet. *Idem ho. 34. ad Hebraeos.*

Gratia iuſtificans. Et gratia gratis data.

IN Geneſi narratur, quod poſtquam Patriarcha Iacob filijs ſuis, ſed non æqualiter omnibus futura prædixit, tã dem benedixit ex ęquo ſingulis quantumvis aliqui eorum ex ancillis nati eſſent. Sic in ſancta eccleſia quoad gratiam iuſtificantem omnes æquales ſumus, ſi ad eã diſponimur: hic enim non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci, maris, & fœminæ domini, & ſerui: ſed omnes vnum ſumus in Chriſto. Iuxta gratias gratis datas ſunt tamen diuiſiones gratiarum, quas Spiritus ſanctus diuidit ſingulis prout vult, alij plus, alij minus quemadmodum dicitur in illa parabola apud Matthæum, Dominum illum talenta ſua inæqualiter ſeruis ſuis diſtribuiſſe. *Geneſ. 49.* *Matth. 25*

GRATIA PRAEueniens.

PRO hac materia uide litera V. titulo vocatio Dei, notabili antepenultimo, tomo. 2.

GRATIAE INCERTITUDO.

PER reuelationem Spiritus ſancti, nō autem aliter ſcire poteſt homo ſe in Dei amicitiam, & dilectionē aſſumptum eſſe. Principium enim noſtræ iuſtificationis Deus eſt per ſuā benigniſſimam uoluntatem, ſed in hoc ſtatu nos latet ſecretum ſuæ uoluntatis, & beneplaciti, niſi ipſe reuelet. Ergo nulla eſt uia, qua certi eſſe poſſimus de noſtra iuſtificatione ſine ipſius Dei reuelatione. De qua Propheta Ioel cum exhortaretur populum Dei ad pœnitētiam inquit. Conuertimini ad Deum in toto corde ueſtro, quia benignus, & patiens eſt, & præſtabilis ſuper malitiā: & ſtatim adiecit. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem? Super quæ uerba Beatus Hieronymus inquit. Ne deſperetis ueniam ſcelerum magnitudine &c. Sed ne forſan magnituudo clementiæ nos faceret negligentiores, adiunxit. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus? Ego quidem hortor, quod meum eſt, ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui eſſe clementem. Sed quia profundum diuitiarum ſapientię Dei ſcire nō poſſumus, ſentētiam tempero, & opto potius, quam præſumo dicens. Quis ſcit ſi ignoſcat, & conuertatur Deus? Denique patres in Concilio Tridentino rem hanc diffinierunt. Ego uero pro mei ingenij paupertate non uulgare donum iudico rei huius ignorationem, quia certè, quantum poſſum conijcere, in magnam cedit utilitatem noſtram, quod noſtra nos lateat iuſtificatio? Qui enim ſuæ ſalutis, & regni Dei eſt ardens amator, & certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſcit, ſe ex venia peccatorum ad regnum cęleſte conſcendere, & qui Dei amicitiam non habuerit, exulem fieri: cum aliquod peccatum commiſit mortale; certitudine fidei ſcit, ſe eſſe extra Dei amicitiam, & gratiam. Quantum, obſecro, hic homo aſſiduè, & ſubinde multoties ingemiſcet, & lachrymabitur pro peccato, quod commiſit? Quam humilis hic ueniam deprecabitur per ſingulos dies? Quam timoratus ad genua ſacerdotum crimina cordis ſui in multa amaritudine confitebitur? Poſt quæ omnia adhuc neſcius de propitiato peccato non ceſſabit à lachrymis, & ſuſpirijs, nec erit ſine metu, De quibus omnibus magnificus Doctor erat Dauid, etiam ſi ab ore Nathan audiuit. Dominus tranſtulit peccatum tuum: per ſingulas noctes ſtratum regium rigabat. Nec uiolentiam literæ inferimus, ſi huic conſiderationi ſententiam Baruch Prophetæ adaptauerimus. Sicut enim fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo: ita decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. Vnde hoc, quod decies tantum uiri timorati & ſuæ ſalutis ſolliciti requirent Dominum, quia certitudine fidei didicere quod in odio Dei erant per peccatum mortale, & per pœnitentiam certitudinem habere nō poſſunt vtrum peccatum dimiſſum ſit, & gratiam Dei habeant. Quātas diuitias gratiæ in hac incertitudine comparabunt? Quam magnifica, & ſublimia dona? Quam chari Deo ſuo erunt, qui ita fideles inuenti ſunt, ut decies tātum per gemitus, & ſuſpiria quærāt, quam uiolauerunt amicitiam? Qui ſcit certo, ſe executum eſſe corporalem ſalutem, uentis ſe exponere, plus nimis cibo,

Ioelis 2. *B. Hiero. ſuper c. 2. Ioelis.* *Conci. Triden. ſeſſ. 6.* *2. Re. 12.* *Simile.*

cibo, & potu indulgere non timet: qui uero ualitudinarius eſt, & à medicis admonitus ab omnibus ſe abſtinet. Bene ergo noſtræ ſaluti conſuluit altiſſimus, dum noſtra iuſtificatio nos latet: (Apoca. 22 cap.) ut ſic cum multo timore, & tremore aſſiduè noſtram iuſtificationem operemur, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & glorioſior ſit de inimico triumphus, quam fuit miſerabilis caſus, & excellentior ſit, & fulgentior fabricetur noſtra corona in mille uigilijs, in mille ſuſpirijs, & in mille deprecationibus in multiplici confeſſione, & aſſidua ſatisfactione, ita ut fructus pœnitentiæ ſint digni, & ſuperabundantes.

Gratiæ incertitudo.

PVlchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata, inquit Sponſus ad ſponſam in Canticis. Hæc lo- (Cant. 6.) cutio non tam externas ipſas aures, quam interiorem conſcientiæ auditũ pulſat. Nam uerba iſta ſunt à nobis intelligenda, quaſi Sponſus teſtimoniũ reddat ſpiritui ſponſæ, quod pulchra ſit, quod uenuſta, quod terribilis &c. (Ad Roma. 8. cap.) Hoc eſt teſtimonium illud Diui Pauli de ſpiritu Dei, cum inquit. Spiritus ipſe teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei: Hoc enim eſt, quod inquit. Pulchra es amica mea &c. quandoquidem ſpiritus ſponſi præſenti carmine teſtatur apud conſcientiam ſponſæ, quod pulchra eſt, quod uenuſta &c. Erit quidem teſtimonium hoc certiſſimum, non tamen inde ſequitur id, quod Bucerus euincere nitebatur illo Paralogyſmo. Teſtimonium Spiritus Sancti certiſſimum eſſe oportet, & firmiſſimum: ſed nulla eſt certitudo magis, quam fidei. Eadem igitur certitudine, qua cætera reuelata credimus, & Sponſa credit, ſe eſſe pulchram, & uenuſtam: & quicunque accipit teſtimonium ſpiritus ſpõſi qua certitudine credere poteſt ſe eſſe filium Dei. Quis enim non intelligat quod quamuis ſpiritus ſponſi teſtimonium certiſſimum ſit, & apud noſtros animos teſtetur de beneuolentia illius erga nos, nuſquam tamen nobis adeò certum eſſe, an teſtimonium hoc ab Spiritu Sancto proficiſcantur, an potius à noſtra ipſorum opinione, & ſententia. Nuſquam enim Spiritus ſanctus ita de noſtris rebus teſtatur palam, & apertè, & euidenter quemadmodum de Chriſto Redemptore noſtro teſtabatur aſſumpta columbæ effigie, cum baptizaretur in Iordane. Non itaque adeò certi ſumus de teſtimonio iſto, atque de certitudine ſcripturæ, aut ſicut Virgo beatiſſima, & pauci alij, quos ſemper excipio, apud quos apertè teſtabatur ſpiritus ſponſæ, quod filij Dei eſſent. Non tamen negandum cenſeo, quin in pleriſque hominibus teſtimonium hoc Spiritus ſancti ita poſſit in dies creſcere, & augmenta quædã ſuſcipere, ut ſenſim humanus animus in ſummam prouehatur fiduciam. Cum quadam certitudine coniunctã, quæ more humano excludere uideatur timorem, ita ut ſit quædam certitudo moralis. Non quod autor huius certitudinis non ſit ſponſus, ſed quod ad tantam certitudinem, quanta eſt oraculum Dei, & reuelatæ fidei nuſquam perueniat. Et hæc certitudo (quantum ego poſſum ingenio conſequi) certitudini perſimilis eſt qua citra metam iudico principem aliquem adhuc uiuere, aut integra ſalute eſſe, aut incuria commorari: quæ omnia, quamuis breui temporis momento falſa poſſint eſſe, more tamen humano, depulſo omni timore, & formidine contrarij iudico ita eſſe: nam falſum quidem poteſt ſubeſſe noſtræ exiſtimationi. Ideo B. Bernardus in quodam ſermone inquit. Orandus eſt Deus, ut noſtra corda, intelligentiasque cuſtodiat, ne forſan cum non adeſt nobis, illum adeſſe putemus, noſtroſque ſenſus errantes à uero pro ipſo ſectemur ſponſo. Eſt ergo ſponſi teſtimo- (B. Bernar. ſerm. 17. ſuper Cãt.)

ſtimonium, quod apud conſcientiam ſponſæ teſtatur. Pulchra es amica mea, & decora, &c. Hebræa uero uidentur ſonare. Formoſa es amica mea, ut thirza, & amabilis, ut Hieruſalem terribilis, & formidabilis, ut caſtrorum acies ordinata. Thirza dicitur à uerbo Hebræo, quod fauere, complacere, & bene uelle ſignificat, ita ut thirza dicatur à fauore, beneuolentia, atque complacentia. Et Hieruſalem dicitur, quia ſonat uiſionem pacis. Terribilis quoq; aut formidabilis, ut caſtrorum acies ordinata, dicitur ſponſa. Quæ uerba non ad exercitus referenda ſunt, cum in procinctu extant, ut cum hoſte conferant manus (ut quidam non rectè putarūt) ſed iuxta uerborum proprietatem ad caſtra ſunt referenda, in quibus milites uerſantur, cum ſtatiua faciunt. Quæ loca tutiſſima eliguntur, atque aggeribus muniuntur, & foſſis, ne exercitus ipſe ſine aliqua munitione conſiderat, ita ut militibus uel in comparandis cibis occupatis, aut ad alia munera ſubeunda diſperſis, facilè illis nectantur inſidiæ. Muniuntur autem caſtra multis modis, in unius noctis tranſitum ſublato ceſpite circundantur, & aggerem faciūt milites, ſupra quem ualli, hoc eſt ſudes, uel tribuli lignei per ordinem digeruntur. Statiua caſtra hoſte uicino maiori labore, ac cura firmantur, nam ſcutis, uel ſarcinis in orbem depoſitis, ramiſq; arborum, ne facile terra dilabatur. Tribuni circumeunt, nec antea diſcedunt, qui ſtrenui ſunt, quam fuerint omnia perfecta, uigiliæ conſtituuntur in quatuor partibus: equites extra uallum nocturnas agunt excubias. Quæ omnia iſtuc tendunt, ut caſtra hoſtibus appareant formidabiliora, tum etiam ut milites ſecutè agant. Voluit itaque ſponſus oſtendere his uerbis, quanta ſit potentia ſpiritus, qui ſponſam ducit, & moderatur: quanta ſit ſecuritas eorum, qui eodem ducuntur ſpiritu, & intra caſtra iſta, & munitiones agunt.

Gratia incertitudo.

SI iuſtificare me uoluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem me oſtendero, prauum me comprobabit, inquit Iob. *Iob. 9.* Acutiſſima quidem ratio ad infirmandum, & excludendum teſtimonium ſuū. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Si teſtificari audeam apud Deū, me iuſtum eſſe, ex ipſa mea iuſtificatio ne ſecus eſſe cōuinceret, cum delictum non leue ſit in tanto iudicio, quod quiſpiam ignorat, pro certo affirmare. Dixerat enim. Si uenerit ad me, non uidebo eum. Et mox dicit. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſū ignorabit anima mea. Temeritatis etiam, & arrogantiæ merito ex huiuſmodi teſtimonio repræhenderetur, dicente ſacra ſcriptura. *Prou. 20.* Quis dicere poteſt. Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Iam uero teſtimonium, quo quiſquam laudat, & commendat ſeipſum in hominū vulgus negligitur, quāto magis à Deo contemnetur? Omnibus enim exploratum eſt, unumquemque ſeipſum amare, ac propterea non malum ſe ducet, quem amat, præſertim cum ſuum ſit (ut aiunt) unicuique pulchrum. Et ob eam rem B. Paulus ait. *2. ad Cor. 10.* Nō qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt. Sed nullo magis id teſtimonio confirmatur, quam eo Chriſti Ieſu R. N. Si ego (inquit) glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt. Sed dicet fortaſſe quiſpiam. *Ioan. 8.* Quare teſtimonium, quo quiſquam ſeipſum probat, & ex ſua uirtute gloriatur adeò nullius eſt ponderis, ac momenti, ut Chriſtus ſumma ſapientia eiuſmodi gloriam nihil eſſe dicat? cū tanti fiat ab Apoſtolo Paulo, ut Corinthijs ſcribat. Gloria autem noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Pro huius difficultatis declaratione aduerte. Intelligendum eſt Chriſtum ſignificare teſtificationem ſuam contemnendam eſſe ſi à Dei Patris teſtificatione eſſet ſeiuncta. Itaque ſi pater ęternus

tijs gaudet, nullum otium habere poteſt, quo vſque illas adipiſcatur, & idem eſt de uoluptatibus, atque alijs huius mundi delectamentis. Verum ſi Deum guſtat, & cæleſtia gaudia verè, concupiſcit, omnes uires ſuas intendit, vt ipſa conſequatur, ita, ut nec proſpera huius mundi ei curam afferant, nec aduerſa ipſum opprimant, ſibi enim perſuaſum habet, aliam rem longè meliorem, quam caduca, & miſerabilia huius mundi eſſe, videlicet Deum, in quo ipſe oculos ſuos fixos habet. Huiuſmodi perfecto uir ſuæ prædeſtinationis, ac diuinæ gratiæ fiduciam habere poteſt, ſiquidem omnia ſua deſideria in cælo retinet, & media efficaciſſima ad illud comparandum quærit. Scitote fratres, hanc eſſe præcipuam differentiam iter filios Dei adoptiuos, & inter filios huius ſęculi, quod filij Dei retinent ſpei gloriam, hoc eſt, gloriationem, nulla enim re tanta voluptate afficiuntur, quam vitam æternam inquirendi. E contra vero filij huius ſæculi nihil magis oblitum habent quam uitam æternam, & nihil minus in memoria retinent, quam gloriam ſempiternam. Exempla vtriuſque huius generis hominum, in ſacra ſcriptura habemus. Nam D. Paulus de ſe ipſo dicebat: Omnia arbitror, vt ſtercora, ut Chriſtum mihi lucrifaciam. Et alibi. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Quare ò ſancte Apoſtole mortem exoptas? Propter gloriationem ſpei, propter gaudium, & voluptatem, quam ſpes æternæ vitæ mihi pollicetur. Econtra autem dicebat diues ille auarus, de quo apud

Lucæ 12. Lucam Chriſtus Redẽptor noſter ait. Hominis cuiuſdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens. Quid faciam quia non habeo, qno congregem fructus meos? Et dixit. Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti cuius erunt? Hic infœlix, vt erat ex numero reproborum fœlicitatem ſuam non in Deo ſummo bono, ſed in rebus caducis, & tranſitorijs collocauerat. Heu, heu, quot hodie hunc infœlicem imitantur, qui magis præſenti, ac temporali, quam ſuprema, & æterna uita congaudent? Hoc beatus Chryſoſtomus maximo animi dolore deplorabat, dicens. Non video fratres chariſſimi, quod aliquis noſtrum veram, & perfectam cupidinem teneat cœleſtium. Vehementer doleo (ait hic ſanctus Doct.) quod cum oculos in omnibus huius mundi ſtatibus fixerim, & animaduerterim omnes Eccleſiaſticos, ac ſæculares prælatos, & ſubditos, liberos, & vxoratos, ſenes, & adoleſcentes, vix vnũ reperio, qui integrum, perfectumq; cœleſtis glorię deſiderium habeat. Quid hoc eſt, ò Chriſtiani? Inter tam varia hominum genera, inter tot ſapientes, ac literatos non inuenit hic ſanctus Doctor vnum, qui rerum cœleſtium deſiderio flagret, & res terrenas faſtidiat. Sed videamus, ò perfectiſſimè prælatè, quod fundamentum habeas ad hoc dicendũ. Audite quæ ipſe ſanctus vlterius dicat. Alioquin, inquit, omnia, quæ nobis videntur eſſe grauia, riſum putaremus, & iocum. Si integro, ac vero eundi in cęlum deſiderio arderemus, ſi æterna bona guſtaremus, omnia, quæ magnificimus, qualia ſunt diuitiæ honores, prælaturæ, & mundi pompæ, ac cætera huiuſmodi ridicula, & iocoſa putaremus. Quoniam autem video, nos ea ſuper capita noſtra ponere, & rebus diuinis pręferre, idcirco dicere audeo. Non video fratres chariſſimi, quod aliquis noſtrũ veram, & perfectam cupidinem tenear cœleſtium. Omnes iſti, de quibus ſanctus Doctor loquitur, ſunt huius ſæculi filij, nam filij Dei (vt ait D. Paulus) ſpei gloriam retinent. Sed aduertite illum addere, vſque in finem firmam. Duo hic ſanctus Apoſtolus expoſtulat: Alterum eſt gloriationis ſpei perſeue-

rautia, alterum verò firmitas. Sed quoniam primum à ſecundo oritur, idcirco oportet, vt in primis agamus de firmitate, quę eſt conſtantia, quam ſancti in Dei amore retinent. Hæc idem eſt, quod virtus, quæ fortitudo dicitur, & quæ in reſiſtendo vitijs, quibus diabolus Chriſtianum hominē aggreditur, cōſiſtit
Simile. ædificium firmum appellamus illud, quod difficile dirui, & labefactari poteſt, [*qual es vna cerca hecha de argamaſſa, y terae pleao, la qual aunque con mas artilleria ſea combatida no ſe puede deshazer, porque eſta muy firme.*] Quando aliquis Chriſtianus negotia Dei viriliter & animoſe ſumit, &, vt aiunt, [*a pechos y de veras,*] ſolet adeò firmus eſſe in præceptorum diuinorum obſeruatione, vt nulla diaboli machina illum valeat ab
Pſal. 90. eius loco dimouere. Loquens regius Propheta de hac firmitate cum iuſto inquit. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autē nō appropinquabit. Comparat hic S. Pro-
Simile. pheta virum iuſtū ſtrenuo militi, qui fortiter, ac viriliter ſuum locum defendit gladio, hoſteſque ſuos hinc, & inde trucidat nemine illum prohibente. Militia eſt vita hominis ſuper terrā. Nunc ira ipſum hominem expugnat, nūc honor; dū enim oculos in honoribus ponit, ſuperbia inflammatur, nunc ei bellum infert ſuum proprium corpus inuitans illum ad omnia turpitudinum genera. Qui autem ſtrenuus ac fortis miles eſt, omnes hoſtes à ſe expellit, atque enſe fidei deturbat, & ſolo æquat debilis verò, & ignauus ſtatim ſe ſuperari deſinit. De huiuſmodi infirmis a-
Mat. 10. gens Dominus apud D. Matthæum inquit. Omnis, qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petrā, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata .n. erat ſupra firmam petram: & omnis qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. O quā ſtrenuus miles D. Paulus erat, ſiquidē omnes creaturas ad ſingulare certamen prouocabat, & ſic ad Romanos ſcribēs literas prouocatorias (hoc eſt, *vn cartel de deſafio,*) omnibus creaturis poſuit dicens. Quis nos ſeparabit à charitate Dei? Exeant omnes in publicum crea- *Ad Ro. 8.*
turæ, [*que io ſere mantenedor:*] & videbimus, an aliqua poſſit me à Chriſti charitate ſeparare, an tribulatio? an anguſtia, &c? Certus ſum, quòd nec mors, nec vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. O excellētiſſime fidei dudux? O ſpeculum in quo omnes ſe aſpicere debent? O domus ſupra firmiſſimam petram Ieſum Chriſtum fundara, quæ nulla potuit vi, aut contradictione deturbari? Hic igitur diuinus Apoſtolus ait. Quæ domus ſumus nos? Si fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmiter retineamus: ſumus ex domo & familia Chriſti. Quiquidem tribus conditionibus comprobatur, videlicet ſi fiduciam ſalutis in ſolo Chriſto Redemptore mundi, & non in alia creatura poſuerimus: ſi gaudium, & voluptatem reperimus in ſpe, quam de vita æterna habemus: ſi denique magna animi fortitudine vſque ad mortem in hac iuſtitia perſeuerauerimus.

GRATIARVM actio.

1.ad Ti.4. AGens D.Paulus de quibuſdam impijs, ac nefarijs hominibus inquit, illos errare, quia docebant, abſtinẽdum eſſe à cibis quos creauit Deus vt à fidelibus, & ijs, qui cognouerunt ueritatem cum gratiarum actione perciperentur. Omnis enim creatura Dei bona eſt, & nihil reijciẽdum, quod cum gratiarum actione percipitur. Omnes cibos (ait Apoſtolus) creauit Deus. Et cui creauit illos? Fidelibus, & ijs, qui cognouerunt ueritatem: non Mauris, non Turcis, non denique alijs ethnicis, & infidelibus. Quare ergo iſti illos manducant? Verum quidem eſt, eos edere cibos illos, ſed tamen fidelibus Dei ſerui debentur. Quam autem penſionem Deus ponit ſeruis ſuis, quibus tot, ac tam uarios cibos creauit? Hic ſanctus Apoſtolus explicat dicens. Ad percipiendum cum gratiarum actione. Itaque fideles omnes ex obligatione tenentur gratias Deo agere non ſolum propter id, quod ipſi manducant, & accipiunt, ſed etiam propter illa, quæ cuncti mundi infideles edunt, & accipiunt. Siquidem Deus illis ea propter Chriſtianos fideles elargitur.

B.Ber. ſer. 13. ſuper Cant. Beatus Bernardns ſuper Cantica inquit. Origo fontium & fluuiorum omnium mare eſt: uirtutum autem & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus, *1.Reg.2.* Quis enim Dominus uirtutum, niſi ipſe eſt Rex gloriæ? Sedet iuxta Annæ Canticum idem ipſe Deus ſcientiarum Dominus eſt. Continentia carnis, cordis induſtria uoluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non ſolum autem hæc, ſed & ſi quis calet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt: Inde ſapientiæ ſermo. *Ad Col.2.* Theſauri ſiquidem ſapientiæ, & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid caſta conſilia iuſta iudicia, ſancta deſideria, nonne riuuli fontis illius ſunt? Quod ſi copiæ *Simile.* aquarum ſecretis ſubterraneiſque receſſibus inceſſanter æquora repetunt, ut inde rurſus ad uiſus, uſuſque noſtros iugi, & infatigabili erumpant obſequio. Cur non etiam ſpirituales riui, ut arua mentium rigare non deſinant proprio fonti ſine fraude, & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum, unde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remitatur ad ſuum principium cæleſte pro fluuium, quo ubecrius terræ refundatur. Qualiter, inquis? quali e dicit Apoſtolus, in omnibus *1.Theſ.5.* gratias agentes? Quidquid ſapientiæ, quidquid te uirtutis habere confidis, Dei uirtuti, & Dei ſapientiæ deputa Chriſto Ieſu. Et quis tam inſanus eſt, ut aliudè præſumat? Nemo planè adeò *Luc.18.* ut & Phariſæus ille gratias agat, cuius tamen iuſtitiæ non eſt laus à Deo. Nec enim illa gratiarum actio, (ſi bene recolis euãgelium (gratiorem eum facit. Quare? Quia quidquid in ore deuotum ſonuerit, cordis non ſufficit excuſare tumorem apud eum, qui alta à longe cognoſcit. Deus ò Phariſee non irridetur. *Pſal 137.* Putas tu. habes aliquid quod non acce *1.Cor.4.* piſti? Nihil, inquit, & ideo gratias refero largitori. Nihil ergo nec meritum præceſſit in te vnum, vt illa de quibus gloriaris acciperes: quod ſi & fatearis, ptimo quidem fruſtra inflaris aduerſus Publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit vt tu. Deinde aduerte, ne aliquid auferas à Deo, & tibi attribuas. Cum te cæteris anteponis, deles, quæ feceras opera: neque .n. ſi non te anteponeres, Publicanum ita contemneres. Multi quidem impij gra

tias

tias Deo agunt, quod eis pro libito ſuc
ceſſerit in facinoribus, & flagitijs, & la-
trocinijs, homicidijs, & ſimilibus; qui-
bus dicit Deus per Prophetam in Pſal-
Pſal.49. mo. Exiſtimaſti inique quod ero tui ſi
milis? &c. Magna & rara virtus profe-
ctò eſt, vt magna licet operantem ma-
gnum te neſcias, & manifeſtam omni
bus tuam te ſolum facere ſanctitatem.
Mirabilem te apparere, & contemptibi
lem te putare, hoc ego ipſis virtutibus
mirabilius iudico. Præclarum aliquid
operatus es, cupis etiam præclarius age
re? Reputa te inutilem ſeruum, & dici-
Luc.17. to. Quod debui facere, feci. Denique
ita in tuis laudabilibus factis te geres,
vt qui ea viderint, Deum ipſum glori-
ficent. Ioſeph cum domum & omnia
bona Aegyptij domini ſui, ſibi credita
ſciret, dominam non ignorauit exce-
ptam, & ob hoc non acquieuit ei. Mu-
Gen.39. lierem nouerat gloriam eſſe viri: & ini
1.Cor.7. quum iudicauit ſibi vice contraria in-
glorium facere eum, qui ipſum fecerat
glorioſum, & manum ad non conceſ-
ſum extendere non præſumpſit. Audi
Iſa.48. ergo iam quid dicat Deus. Gloriã meã
alteri non dabo. Si ergo ſolus cuncta
creauit, quem tandem habebit ſociũ in
gloria? Quis credat parieti ſi ſe dicat *Simile.*
parturire radium, quem ſuſcipit per fe-
neſtram? aut ſi glorientur nubes, quod
imbres genuerint, quis nõ irrideat? Mi-
hi liquidò conſtat, nec de canalibus o-
riri riuos aquarum, nec de labijs, vel dẽ
tibus, verba prudentiæ. Si qua ſanè in
ſanctis digna laude vel admiratione in
tueor, clara luce veritatis diſcutiens,
profecto reperio laudabilem ſiue mira-
bilem neminem alium apparere præter
Deum, atque ipſum laudo in ſanctis *Simile.*
ſuis. Nec laus calami, laudabilis pictu-
ra ſiue ſcriptura, nec gloria linguæ, aut
labiorum ſermo bonus. Nunquid glo-
riabitur (inquit Iſaias) ſecuris contra
eum à quo trahitur? Quomodo ſi ele- *Iſa.10.*
uetur virga contra leuantem ſe, & exal-
tetur baculus, qui vtique lignum eſt: ſic
contra Dominum omnis qui gloria-
tur, ſi non in Domino glorietur. Dica-
mus ergo cum Propheta: Non nobis *Pſal.113.*
Domine, non nobis, ſed nomini tuo
da gloriam.

GRATITVDO beneficiorum.

NON vult Deus, vt ingrati ſimus, at-
que poſt acceptũ beneficium terga
vertamus. Præci-
piebat olim ipſe
Deus apud Eze-
Ezec.49. chielem Prophe-
tam, vt qui templum adibat, & vſque
ad portam Sãcti ſanctorum accedebat,
per aliam egrederetur portam, ne pro-
pitiatorio terga verteret, cum exiret.
Sunt nonnulli, qui calamitatum angu
ſtijs preſſi, ad Deum confugiunt, pias
ad illum fundentes precationes, & ad
Chriſtum Dominum noſtrum, quem
Deus pater poſuit propitiatorium (vt
ait B.Paulus.) Qui eſt propitiatio pro *Ad Ro.3.*
peccatis noſtris (inquit B.Ioannes) ſup *1.Ioan.1.*
plices accedunt, eiuſq; diuinam miſeri
cordiam vocibus lamentalibus implo-
rant. At remedio impetrato Deum ip-
ſum relinquunt, & ab eo declinantes
præbent terga fugæ, & cum deberent
beneficii memoriam colere obſeruan-
tia perpetua, illius penitus obliuiſcun-
tur. Vt qui aqua indigent, ſe in fontem *Simile.*
conferunt, oculos in eum dirigentes,
ſed hauſta aqua, & plena hydria reuer-
tuntur, fontique terga uertunt. Sic mul

ti periculis, & morbis cincti, & ærumnis undique oppugnati, ad fontem miſericordiæ confugiunt, ſed aqua remedii impetrata, fontem illum aquæ uiuæ contemnunt, qui ait apud Hieremiam. Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Cum uerſarētur in gemitu, & calamitate abſtraxerunt ſe à peccato, fecerunt pia uota Deo, & ad uirtutum fontem feſtinarunt, ſed erepti à periculo reſpexerunt retro, & ad priſtina ſcelera redierunt. O noſtrā ingratitudinē. Deberēt quidem ultra procedere, Deoque ſemper pro ſuſcepto tanto munere gratias agere, & retro non aſpicere, ſicuti tres illi iuuenes fecerunt, qui cum ſe ab igne fornacis Babylonicæ propter infinitam Dei miſericordiam, & potentiam liberos aſpicerent, gratitudine pleni omnes cæli, ac terræ creaturas inuocarunt, ut ſe ipſos ad Dei laudes pro tam ſingulari beneficio decantandas adiuuarent, atque inter alia dixerunt. Benedicite noctes, & dies Domino. Dubitandum uero non eſt noctem ipſam nullam habere ſubſiſtentiam, nec enim à Deo dicitur creata, & ut annotatum eſt à B. Auguſtino, inter diem & noctē non minus eſſe diſcriminis quam inter veſtimentum, & nuditatem, inter plenum, & inane. Sed quamuis tenebræ à Deo conditæ non ſunt, tamen ab illo diſpoſitæ, & ordinatæ. Creauit enim Deus ſingulas rerum ſpecies, illarum autem priuationes ordinauit, atque diſpoſuit. Atque ea ratione, vt admirabilis artificis ſapientia his rebus non minus ſe probet ad viſendam, & conſpiciendam, quam in eis, quæ condidit & creauit. Quemadmodum muſici ſapientia in modulatione muſicæ declaratur, nam ſilentia illa interpoſita certis, moderatiſque interuallis, quamuis ſint uocum priuationes: plurimum tamen conferunt ad ſuauitatem armoniæ Et vmbræ in arte pictoria non ſpecie, ſed ordine placent, nec minus eſt admirabilis pictoris induſtria, cum umbras interſerit, quam cum luces, & eminentiora quæque depingit. Cum tamen ita ſit, quis negare poterit inter cætera ſummi Dei beneficia, noctem ipſam non infimum locum tenere? Tolle noctem, uix aliquid erit, quod poſſit corpus diurnis laboribus feſſum reſtaurare, & attrita membra, & fatigata remittere. Accedente nocte ut corpus à labore quieſcit, ſic etiam & curæ abeunt ex animo. Bene Ariſtoteles dixit. Sine nocte nihil toto orbe potuiſſet conſiſtere. Etenim niſi tantundem uaporum ex alta caderet nocte, quantum die detraxiſſet Sol non flumina, non montes eſſent, non uenti, non nubes, non pluuæ, quorum omnium defectu tota natura labefacta corrueret. De die uero quis non multa bona intelligit? Ergo noctè illi uiri ſancti aiunt. Benedicite noctes, & dies Domino, hoc eſt, noctes, & dies, qui materiam præbetis hominibus benedicendi Dominum, & gratias illi agendi, nobis quoque ſtimuli eſtote ut illum benedicamus.

Hiere.2. *Dan.3.* *Simile.* *Ariſt.*

Gratitudo beneficiorum quomodo generatur.

ASſidua diuinorum beneficiorum conſideratio homines incitat, ut infinito autori illorum ſeſe gratos exhibeant, & oſtendant. Vnum autem ex præcipuis beneficijs quod adhoc magis mouet, & ad uiuendum maxima cura, timore, & ſolicitudine eſt redemptionis beneficium. Atque ob hanc cauſam poſtquam B. Apoſtolus Petrus dixit, in timore incolatus veſtri tempore cōuerſamini, ſtatim adiecit.

Scientes quod non corruptibili auro, uel argento redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati. Vbi apertè ſanctus Apoſtolus docuit, quod inter ea quæ magis timere debemus, unum eſt, nos ingratos oſtendere tanto beneficio, quale fuit beneficiū redemptionis, & modus, quo fuimus redempti, non corruptibilibus auro & argento,

1.Pet.1.

argēto, ſed pretioſo ſanguine Ieſu Chriſti noſtri immenſo amore, atque abundantiſſimè profuſo. Amor cum hoc cœleſti Redemptore ſe geſſit ad inſtar magnanimi Ducis in expugnatione & euerſione alicuius vrbis. nam vbi primū eam ingreditur cum ſuis militibus, ſtatim ipſam expoliare, & deprædari iubet, hoc eſt, [*la mete toda a ſaco, y da los deſpojos a los ſoldados.*] Taliter ſe habuit amor erga diuinum noſtrum Saluatorem, non ſolum enim ipſum vincere, & ſuperare voluit, ſed etiam, [*lo metio a ſaco, y lo dio en deſpojo en las manos de aquella crudeliſſima gente Iudayca.*] Ibi ò pijſſime Ieſu re honore expoliarūt impij Iudæi, & famā tuam deprædati ſunt denique amor æſtimationem tuam, ſiue reputationem in manibus tuorum inimicorum collocauit, qui ſacratiſſimum corpus tuum veſtibus expoliarunt, ipſumque crudeliſſimè flagellauere, ac ſacratiſſimum ſanguinem tuum exinanire contenderunt, quinque fontes præcipuos faciētes vnde magna flumina promanarunt, quibus omnē mūdum irrigaſti, & à labe, in qua iacebat, mūdare dignatus es: & his omnibus nō contenti tandem pretioſiſſima te vita priuarunt. Quis ergo hæc paulo altius attendens, & conſiderans non in eius diuino amore inflammabitur, tantiſque beneficijs ſe gratum exhibebit, maximè ſi animaduertat, quis, & propter quem hæc paſſus eſt? Hoc vt melius intelligatur, oportet cōſiderare beneficiū, quod Angelus Raphael Tobię contulit, vt ex hac comparatione oſtendatur magnitudo illius beneficij quod verbum diuinum nobis exhibuit, dum factus homo pro nobis mori voluit. In libro itaque Tobiæ refertur, qualiter volens adoleſcens Tobias in vrbem Rages ſe conferre, vt certam pecuniæ ſummam à debitore patris ſui recuperaret, in forum iuit ad quærendum aliquem, qui ipſum in illo itinere comitaretur, & factus eſt ei obuiam Angelus formam pulcherrimi adoleſcentis habens, qui cum Tobia ſocietatem iniens, eum per totum illud iter comitatus eſt, ingentiaque beneficia illi contulit, ac tandem ipſum ditatum, honoratum, incolumen, & in nouo matrimonio collocatum ad parentes reduxit, & patrem eius Tobiam ſenem, qui cæcus erat, uiſui oculorum reſtituit. Quibus actis Tobias ſenex filio ſuo dixit. Quid poſſumus dare uiro iſti ſancto, qui uenit tecum? Reſpondens Tobias dixit patri ſuo. Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, uxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoq; uidere fecit lucem cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto à te pater mi, ut roges eum, ſi forte dignetur medietatem de omnibus, quæ allata ſuut, ſibi aſſumere. Hęc ſecum pater, & filius agebant, quando oculos in accepto duntaxat beneficio ponebant, nec illum, qui in eos tot beneficia contulerat, cognouerant. At cum Angelus Raphael (qui erat ſocius adoleſcentis Tobiæ) ſe manifeſtauit, & quis eſſet aperuit, dicens. Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum, tanto pauore perculſi fuerunt tum propter dignitatem perſonę, tum propter diuinam bonitatem, qua Deus ipſis tam ſingulari, & particulari modo ſuccurrere voluit, vt per trium horarum ſpatium attoniti, pauidi, atq; immoti remanſerint, & tāta eos tenuit admiratio, vt toto illo temporis ſpatio à diuinis laudibus ceſſare minimè potuerint. Atque ita inquit ſacer textus: Tum proſtrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum. Itaque quando in accepto beneficio duntaxat oculos proponebant, de remuneratione curabant, ſed cum perſonam Angeli, qui eos tāto beneficio affecit, cognouerūt, tunc de re altiori agunt & proſternunt ſe maxima cum reuerentia, animaſque ſuas

Simile.

Tob. 12.

ſuas in diuinarum laudum ſacrificium offerunt. Fratres mei per viſcera Ieſu Chriſti pijſſima uos obſecro, ut ut attē tè, & maxima conſideratione beneficiū cum beneficio, & perſonam cum perſona in præſentiarum comparetis. Dicite quæſo, quanto amplius & excellentius eſt Deum à dētibus infernalis draconis nos eripere, quam Tobiam à dentibus piſcis liberare? Quanto altius eſt illuminare oculos animæ, quibus Deū cognoſcere & diligere poſſimus, quam corporales oculos ſeni Tobiæ reſtituere? Quanto maiores ſunt gratiæ, gloriæ, & beneficia, quæ nobis Ieſus Chriſtus obtinuit, quā temporalia quæ angelus fecit, vt Tobias conſequeretur? Si igitur ſancti illi viri non reperiebant aliquid, quo benefactori tantorum beneficiorum ſatisfacere poſſent, eiq; medietatem bonorum ſuorum offerebāt, quare nos tā ſupremo benefactori omnia noſtra interiora, atq; exteriora non offeremus? Et ſi duo illi, ſancti viri, dū grauitatem, atque excellentiam perſonæ Angelicæ cognouerunt, admiratione correpti, tanta rei magnitudine in terram cecidere, & per tam longum temporis ſpatium proſtrati fuerunt, quomodo in te ô Chriſtiane homo ſpiritus, & halitus eſt, cum dignitatem perſonæ quæ te redemit conſideras, & labores quos in hac redemptione pro amore tuo paſſus eſt animo euoluis. Ille angelus erat, qui vt Tobiæ benefaceret aereum corpus aſſumpſit: qui vero te redemit eſt verbum diuinum qui verū corpus, & veram animam ſumpſit. Angelus ille abſque labore aliquo breuiter illud beneficium contulit: hic autē cęleſtis Redemptor per triginta trium annorum ſpatium immenſos labores, innumerabiles ignominias, ac deniq; crudeliſſimam crucis mortē paſſus eſt. Dic mihi ô homo, qui tot beneficijs ꝑ manum omnipotentis Dei collatis te aſtrictum & obligatum vides, quare tā ſupremo benefactori te gratum non oſtendis? Proijce ergo te ad pedes eius, & ſuauiſſimis verbis eū alloquere, nec deficiſcas te gratum tantis beneficijs exhibere. Quid tu erubeſcendis cupiditatibus exoneras? Nobilem vult eſſe vitam tuam, qui tibi commiſit imaginē ſuam. Quam pretioſus ſis; ſi factori ſoſte non credis, interroga Redemptorē: ait Euſebius Emiſſenus in quadam homilia. Et alibi. Opus eſt, vt ita elaboremus, quod ille elaborauit nō iterum polluamus: ne ſcindamus vulnera, quę ille ſanauit, nē quod ſemel in nobis diluit vnda baptiſmi, rurſum excoquere neceſſe habeat ignis inferni. Sancti viri gemitibus inenarrabilibus vlulabant, videntes non poſſe vicem repēdere crucifixo Ieſu Dei filio. Admirantes enim & amplexantes in Chriſto illum amoris exceſſum, quo propoſito ſibi gaudio, ſcilicet, electorum ſuorum ſuſtinuit crucem, humana confuſione contempta, vicem non rependere confundebātur, atque paſſionis eius ludibrijs, quaſi quibuſdam aculeis incitati ferebantur effrænes in amoris abyſſum, in profundum charitatis: id omnimodo & ſolummodo quæritantes. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? O excellentiam amoris? ô vehementiam dilectionis? ô miram gratitudinem? Hei mihi, nihil ſe feciſſe arbitrati ſunt priſci illi Chriſtiani, niſi animam redderent ei, qui ſuam dedit pro illis in manu inimicorum. Ideo aiebant. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo?

Euſ. Emiſ. homi. 2. de ſymbo. & homi. 7. de Paſcha.

Singularem gratitudinem diuinorum beneficiorum oſtendit regius Propheta, cum dixit. Exultabūt labia mea, cum cantauero tibi, & anima mea quā redemiſti. Et cauſam huius laudis ſubdit protinus, cum ait. Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt, qui ſimilis ſit tibi. Pro quo B. Hieronymus ex Hebræo vertit. Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationes tuas pro nobis. Non inuenio ordinem coram me; Si enarrare voluero, & numerare, plura ſunt, quam vt narrari queant. Quibus verbis innumerabilia diui-

Pſal. 70.

reſuſcitaret, dixit. Domine Deus meus etiam ne uiduam, apud quam ego ut cunque ſuſtentor: afflixiſti, ut interficeres filium eius? Rectè intelligebat ſanctus uir, Deum uiduam illam, & ſeipſum ſuſtentare, illam, inquam, reſpectum ipſius Prophetæ, & quia hoſpes eius erat, ſed ſanctus uir, ut erat gratus beneficijs exhibitis, ad id non attendit, ſed dixit, illam ſeipſum ſuſtentare, cum dicere poſſet, eam ab illo ſuſtentari.

Gratitudo beneficiorum admirationem in anima producit.

Cant. 1. Meliora ſunt ubera tua uino, inquit Sponſa loquens ſpōſo ſuo. Hic locus intelligendus eſt de ſumma ſponſi erga ſponſam chariſſimam beneficentia, & liberalitate, cura, amore, & dilectione. Nam ſæpè cogit nos diuina bonitas adeò expoſita & in noſtras utilitates, & commoda diffuſa multa illi tribuere, contra quam natura rerum patiatur. Naſcitur hæc loquēdi de Deo ratio ab admiratione diuinæ prouidentiæ erga mortales, & ſolicitudinis cuiuſdam, quæ nullis uerbis exprimi poſſit. Eſt creatura rationalis multis miſerijs, uarijſque calamitatibus oppreſſa, in quibus habet ſummam ſponſi erga ſe prouidentiam, & curam incredibilem adeò, ut non ſolum amore coniugali illam uideatur diligere, uerum etiam tanquam chariſſimam filiam, aut nuper natum infantem fouere, nutrire, lactare uberibus eximiæ, atque ſingularis pietatis. Nam poterat ſolo nutu, & uoluntate eam redimere non edito nouo aliquo miraculo, ſed quod tot portentis ſtupēdis à Deo tam mirabiliter ſit redempta, hæc, inquam, non tam ſponſi, quam pientiſſimæ matris uidentur eſſe officia. Ob eamque rem ſpōſa admirata tantam chariſſimi ſpōſi erga ſe indulgentiam, vbera illi tribuit, ad inſinuandam incredibilem ſponſi benignitatem, & pietatem eximiam. Sic ſolet diuina philoſophia Deo optimo maximo propter ſummā illius prouidentiam, & ſedulam curā erga ſponſam non ſolum vbera (vt præſenti carmine licet intueri) verum etiam & nixus ſibi partus, & uteri geſtationes, & reliqua omnia, quibus matres chariſſimos filios ſolent officijs pietatis quodammodo onerare, ſuamque erga liberos teſtari beneuolentiam, tribuere. Iſaia inquit. Nunquid obliuiſci poterit mulier infantem ſuum? Sed ſi illa fuerit oblita, ego tamen, tui non obliuiſcar. Iſa. 49 Ad eandem rem pertinet locus ille Dauidicus. Sicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea. Pſal. 130. Iſtuc referenda ſunt quæcunque Paulus Apoſtolus omnibus penè epiſtolis inculcat de diuitijs gratiæ, & gloriæ, quibus ſponſus vnicam ſponſam, & chariſſimam mirificè ditauit, vltra quam credi poſſit, aut excogitari. Nam quod diuitias ſæpe. & theſauros nominat ſanctus Apoſtolus eo expectat, vt quiſque noſtrum intelligat, ſponſam non ſolum in ſalutem, vitam, & libertatem aſſertam, ſed & copioſo ſanguinis Chriſti Ieſu, & cruoris fluxu opulētiorē, & ditiorem effectam adeò, vt nō ſolum Chriſtus Redemptor per totam vitam medijs etiam ſupplicijs à mortuis excitatus regreſſus in cœlum ſponſum egerit, & coniugem, ſed & matrem ſuis vberibus tenerrimè infantem recēter natum lactantem, & nutrientē. Quæ cauſa fuit (vt exiſtimo) vt Ioannes euāgeliſta inter cæteras viſiones ſponſum viderit in Apocalypſi præcinctū apud mammillas in pectore. Tanta enim fuit ſponſi benignitas, & miſericordia, quibus voluit ſponſam ſuam fouere & nutrire, vt quoniam vitalia omnia in pectore continentur (quibus ſolet Scriptura ſacra affectus pietatis tribuere (Ioannes Euangeliſta loco iam citato videat Chriſtū Dominum ad pectus præcinctum iuxta mammillas. Apoc. 1. Sponſa proinde pietatem ſponſi, & dilectionem tenerrimam, cæteraque eius beneficia, vberum nomine expreſſam præfert vino.

hoc eſt omnibus oblectamētis, quibus ſolent mortalium animi mira quadam iucunditate affici. Obſeruandum tamē eſt pleroſque Hebræos autores hoc ſequentes, conſtanter vertere pro vberibus, amores, vt ſit ſenſus. Meliores ſunt amores tui vino. Latenter hic ſubindicauit ſponſa, ſe de amore cœleſti (quod omne genus oblectamenti exuperat) loqui. Id vt manifeſtius Chriſtiano lectori fiat, aduertendum eſt, Hebræis hoc nomen, vinum, omne genus oblectamenti & voluptatis ſignificare. Huius rei argumenta ab eodem Salomone petamus. In Eccleſiaſte cum à rebus anteactis ſuo exemplo voluiſſet ſuadere, ſummi boni rationem non eſſe, aut in voluptatibus carnis, aut in ſapientia humana, aut in amore ſenſuali ſitam, & his omnibus rebus parandis plus eſſe diſpēdij, quam in fruendo compendij: multa ſingulatim recenſet, quæ homines tāquam ſummum bonum admirentur, & ſuſpiciunt. AEdium itaque amplas ædificationes commemorat, plantationes uinearum, conſitiones hortorū piſcinas, & aqua redundantes, & piſcibus refertas, ſeruos, ancillas, pſaltrias, ſeu cantatrices, puellas etiam eximiæ formæ, quarum amore flagraret Salomō, vxorem, quam vnicè diligebat magnā vim auri, & argenti, multarum gentiū imperium: quibus omnibus ſe ſummā hominis felicitatem adeo nunquam inueniſſe conſtanter affirmat, vt omnia potius vana, leuiſſima, ſtultitiæ, ac laboris plena duceret. Antea tamē quam hæc Salomon recenſeret, quibus oblectamenta vitæ continentur in quæ proni feruntur ſenſus omnes, viſus, auditus, tactus, guſtus, &c. vt omnia vno verbo complecteretur, dixit (iuxta interpretationem B. Hieronymi.) Cogitaui protrahere in vinum carnem meā *Eccl. 2.c.* quaſi dicat. Sæpe, ac multum mecum cogitaui, & cum animo reputaui meo, vt omni voluptatum genere ad ſatietatem vſque me explerem, & omnibus me oblectamentis ingurgitarem. Hæc omnia uini appellatione Salomon cōplexus eſt. Audis Chriſtiane lector vinum Hebræorum genti ſymbolum, & ſignificationem fuiſſe cuiuſuis voluptatis, & oblectamenti, illius maximè, quod ex amore vulgari naſcitur. Vnde apud Prophetas cum ſit tam frequens uini mentio, ego crediderim, quod nō tam uſus uini apud ſacros vates damnetur, quam amor ipſe qui circa res perituras, & fluxas verſatur, quo vino facile inebriatur hominis animus, & mens ipſa, & ratio à ſua ſede dimouetur. B. *Apoc. 17.* Ioannes in Apocalypſi cum ciuitatis illius (quæ ſpiritualiter Babylon appellatur) libidine, luxuque perditæ interitū cōtemplaretur, delitias omnes, & oblectamenta, quibus ciues perpetuo vacabant, vinum proſtitutionis appellat, & aliquando, vinum fornicationis, nimirum ſuæ gentis, & linguæ referēs idioma. Erit igitur ſenſus. Amores tui chariſſima ſponſa, quemadmodum & multis experimentis, & longo rerū vſu didici, vino ſunt præferendi, hoc eſt, eis omnibus voluptatibus, quæ ex amore rerum periturarum naſcuntur. Quibus verbis Salomon explicare contendit affectus piorum animorum, qui ab orbe condito hoc iudicium inter amorem diuinum, & vulgarem fecerunt.

Gratitudo beneficiorum verecundiam in iuſto operatur.

SIcut fragmen mali punici, ita genæ tuæ abſque eo, quod intrinſecus latet, *Cant. 4.* inquit Sponſus loquens cum ſpōſa in Canticis. Laudat his verbis ſponſus ſponſam ab his, quæ ſolent fœminarum vultus eximiæ decorare, & exornare. Sicut framen mali punici ſolet in genis rubor quidam apparere cum affectibus verecundiæ, & pudoris animum occupat, qui cum in genas erūpit, incredibilem gratiam fœminis ſolet conciliare, & vultus venuſtatem mirum in modum augere: verecundiā autem iſtam maximè referendam cenſeo ad philoſophiæ genus illud, quod

Chri-

Chriſtus Redemptor noſter frequẽter nobis commendauit:& B.Paulus innumeris penè locis nihil aliud inculcat adeò,ſcilicet, de bonis operibus non eſſe gloriandum,aut pietatis opera, quæ fecerimus non eſſe ita iactanda, quin potius poſtquàm diuina mandata ope re fuerimus executi,inutiles ſeruos nos dicamus. Poſtquàm hæc omnia feceritis,&c. Hęc eſt enim uerecundia illa, quæ maximè decet ſponſam, ut omnibus bonis exornata ſit,ut ſic ad abſolutam uirtutem nihil illi deſit corã ſponſo ſuo: tamen rubore perfuſa mali punici colores referat. Naſcitur autem rubor iſte, & verecundia noſtris animis cum ab eo homine ampliſſima accipimus beneficia, de quo nos malè meritos ſatis eſſe ſcimus. Intelligit,& cognoſcit ſpiritualis homo ſe nihil dignum prorſus habere, quod rependere ualeat pro innumeris beneficijs acceptis. Hoc regius uates dicebat. Quid

Pſal.148. retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam. Hoc eſt, labores, ærumnas, ingruentem etiam morte & libenti pro illo animo feram. Sed & illa maior eſt erubeſcendi cauſa, quæ ſponſæ genas, aut ſpiritalis hominis poſſit perfundere rubore, quod non ſolum nihil habet, quod ſponſo pro tot beneficijs acceptis poſſit rependere: verum etiam & quod de illo ſæpè malè fuerit merita. Nam cum multis illum ſceleribus irritaſſet, pulchram tamen effecit, & uenuſtam,& ſibi in matrimoniũ copulauit. Quod vt de veteri ſinagoga verum eſt,cum in AEgypto verſaretur: tum vero maximè de tota eccleſia, quæ à iuſto Abel ſumpſit exordium. Quibus laboribus uerus ſponſus ſponſam ſuam uindicauit, quos pertulit cruciatus, quæ opprobria ſuſtulit, quã horrenda paſſus eſt,ut ſponſam multis ornamentis condecoraret? Quid ergo mirũ,ſi coram ſponſo ſponſa erubeſcit adeò de ſe benemerito? Quemadmodũ aũt ſuperiori carmine dixerat, Abſque eo quòd intrinſecus latet, ita ẽt & præ-

ſenti,quaſi dicat(ut cętera taceã)quę intus ſunt, multa, & magna ornamenta. Quemadmodũ.n.ſub fragmẽto uel pelliculа,aut cortice mali punici, ſiue granati multa occultantur grana ſaporis dulciſſimi:ita ẽt ſub iſta uerecũdia ſpõſę,& hominis ſpiritualis multa latent, quæ oculos humanos fugiãt, quæ ſpõſo uidẽtur gratiſſima,immo inter cætera uirtutum opera illa maximè ſponſo probantur,quæ maximè latent, & ipſis animi receſſibus occultantur:nam quę ab hominibus uidẽtur opera bona nõ nihil interdum mercedis accipiũt: quæ autem in occulto manent, quæ ſolum ſponſum habent ſpectatorem hæc ampliori laude digna ab ſpõſo iudicãtur.

Cum Rex Darius (quemadmodum Iuſtinus ſcribit) ſuo diſſipato exercitu Alexandrum fugeret,& maximũ quendam fluuium per pontem traiecilſet, ſuaſus à ſuis militibus,ut eum ſtatim pontem demoliretur, ne inſequentes aduerſarij tranſire commodè etiam poſſent, dixiſſe fertur, ſe nolle ingratum eſſe in eum pontem,à quo tam ſingulare tranſeundi beneficium accepiſſet. Iuſtinus lib. 11. Exemplũ.

Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia inquit.Magna fuit ingratitudo Agar contemnentis dominã ſuam, eo quòd concepiſſet de ipſo Abraham, præſertim cum hoc beneficium acceptum ferre deberet ipſi dominæ ſuæ Saræ, quæ ad uiri ſui thalamum eam libenter admiſerat, & per conſequens magno honore affecerat. Hęc fuſius dilatabis contra eos ingratos homines qui cum infimi eſſent, eos poſtmodũ contemnunt,per quos ad altiores quoſque dignitatis gradus euecti ſunt. Et etiam pondera, quàm ingratum ſit hominum genus,qui aduerſus eius uiuũt uoluntatem, à quo ipſum uiuere acceperunt, & illius præcepta deſpiciunt; qui ideo aliqiud imperat, ut cauſas habeat remunerandi. B. Chryſo. ho.38.ſuper Gene. 16.

Conſiderа quæſo, quantam prouidentiam, quamq́ue adorandam de homine ipſo habuerit Deus, cui ſolem

ſuum omnia deuoraſſe: at Daniel ſubridens orauit Regem, ut uideret pauimentum, & pedum veſtigat in cinere expreſſa. Cum uero Rex aſpiceret cinerem pauimenti, ſtatim ei fuerunt ſacerdotum fraudes perſpectæ. Dum locum carnium, & eſcarum intuetur, deceptus eſt: cum vero cinerem contemplatus eſſet, intellexit veritatē. Si ad eſcas, ad gulam, ad ebrietatem reſpexerimus, ſi in his rebus voluptatem quæſiuerimus, erimus abſque dubio decepti, & idolum colemus, & in erroribus intolerandis verſabimur, at ſi cinerem, ſi puluerem, in quem ſumus conuertendi animo contemplati fuerimus reuolabimus ad veritatem rationem, & noſtram fragilitatem contemplantes dabimus operam, vt carni non ſubijciamur.

Gula à ſacris Doctoribus execratur.

Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Beſtijs peiores ſunt ebrioſi, illæ enim nihil vltra, quā opus eſt, deſiderant. Quanto melior aſinus epulone? Quāto canis præſtantior? Omnes certè animantes, qui rationis expertes ſunt, cum bibunt, aut comedunt vltra quam ſatis eſt, etiam ſi mille homines cogerent, nunquam elabuntur: peiores igitur iſtis canibus, & aſinis eſtis, qui inebriamini.

Idem in quadam homilia ait. Quid ebrietate miſerabilius? Mortuus eſt animatus ebrius, Dæmō eſt voluntarius morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri opprobrium.

Beatus Auguſtinus in quodam ſermone inquit. Corpora noſtra terrena ſunt. Quomodo pluuia nimium grandis, & diuturna, ſi fuerit terra confunditur, & in lutum reſoluitur, vt nulla cultura poſſit in ea fieri: ſic & caro noſtra, quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec ſpiritalem culturam accipere, nec fructus animę neceſſarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes homines ſufficientem pluuiam in agris ſuis accipere deſiderant, vt & culturam valeant exercere, & de fructuum vbertate gaudere: ita & in agro corporis tantum deberent bibere, quantum oportet ne per nimiam ebrietatem ipſa corporis terra velut in paludem cōuerſa, magis vermes, & ſerpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum poſſit afferre. Omnes ebrioſitates ſunt quales paludes eſſe videtur; quod enim in paludibus naſcitur, fructū non habet. Naſcuntur ibi ſerpentes, & diuerſa vermium genera, quæ magis horrorem poſſunt generare, quam victū. Tales ſunt ebrioſi ad nullam vtilitatem apti, quia frequenter in ipſa ebrietate nec ipſos, nec alios recognoſcunt, nec ambulare, nec ſtare, dicere aliquid, quod ad rationem pertinet, non poſſunt. Ebrioſi deinde peiores ſunt animātibus: cum enim hæc amplius, quam eis opus eſt bibere, nolunt; iſti & duplum, & triplum, & vnde rrium, aut quatuor dierum potuerunt rationabilem refectionem habere, vno die eum grandi pecca to contendunt perdere, potius quam expendere.

Beatus Chryſoſtomus in quodā ſermone ait. Eum, qui viuit in delitijs, & ebrietatibus deditus eſt, & carnium vocarioni, & vini potatione diſrumpitur ſæpe & inuitus, & ſponte neceſſe eſt peccare. Nam ſicut nauis oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata ſubmergitur: ita anima & corporis noſtri natura ſi plures acceperit cibos, quā ferat ſua vis, impletur, & in pelagus perditionis demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos, qui in prora, & alios nauigantes, & ipſum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris, non ſcientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis ſtudium, & non anni pars tēpeſtiua non aliud quicquam naui, quę ſic in tempeſtate eſt, prodeſt: ita & delicatis euenit, nec cogitationum multitudo, nec eruditio, nec admonitio, nec

admonitiones, & conſilia, nec aliud quid, nec timor futurorum, nec pudor nec accuſatio præſentium, nec aliud quid ſaluare poteſt ſic periclitantē animam: ſed inualeſcit luxus, & amentia per omnia, & ſub aquas nolens uolens eum, qui ægrotat, deſert, & graue facit naufragium.

Idem ho. 45. ī Mat. Simile. Idem quadam homilia ait. Quemadmodum ſeruus, quando ſupra uires quicquam impoſitū eſt, Domino impudētius maledicit; ſic & uenter nimiū plenus mentem, & cogitationem plerumque corrumpit.

Idē concione de Lazaro. Idem in quadam concione inquit. An non vides iumenta iugum ferētia, poſtea quàm ad præſepem paſta ſunt, iter agere, onera geſtare, ſuum explere miniſterium? Tu uero ſublata mēſa ad omne opus inutilis num uitare poteris, quō minus uidearis aſinis deterior? Quamobrem? Quia tum maximè conuenit eſſe ſobrium: nam poſt menſam agendi gratias tempus eſt. Non decet autem agentem gratias ebrium eſſe. A menſa ergo ad deprecationem uertamur, non ad lectum, ne brutis animalibus ſimus magis bruti. Ideo ſumma moderatione & temperantia oportet nos cibis uti.

B. Auguſtinus ait. Cum anima ab eſu, & potu nimio fuerit liberata, tunc ſe melius cognoſcit: ſicut enim in ſpeculo ſordido non ſe talem homo aſpicit, qualis eſt. Ita eſca & crapula, ſi quis fuerit grauatus, alterum ſe ſentit, quàm eſt. Caſſianus in collationibus ait. Perfectus monachus proprie aquilæ ſimilitudine deſignatur, quæ cum excellentiſſimo uolatu ultra nubium fuerit altitudinem ſublimata, ſeſeque ab oculis cunctorum mortalium, ac à facie terræ totius abſconderit, rurſus ad uallium ima ſubmittit, & ad terrena deſcendere, ac morticinis cadaueribus implicari uentris neceſſitate compellitur. Quibus manifeſtiſſime comprobatur, cibi appetitum nequaquam poſſe ut cætera uitia reſecari, uel per omnia ſimiliter extingui, ſed aculeos eius, uirtute animi retundi tantum ac cohiberi.

Idem collatione. 5. c. 21. Idem eadem collatione inquit. Iam gulæ naturam quidam ſenum cū Philoſophis diſputans, qui eum pro ſimplicitate Chriſtianā uelut ruſticum eſſe derent fatigandum, ſub hoc problematis colore figurans, eleganter expreſſit. Multis, īquit, creditoribus pater meus me dereliquit obnoxium cæteris ad integrum ſoluens ab omni conuentionis eorum moleſtia liberatus ſum, uni ſatisfacere quotidie ſoluendo non poſſum. Cumque illi ignorantes uim propoſitæ quæſtionis abſolutionem eius pretario poſtularent. Multis, ait, uitijs ſui naturali conditione conſtrictus ſed inſpirante Domino deſiderium libertatis cunctis illis tanquam moleſtiſſimis creditoribus renuntians huic mundo, & omnem ſubſtantiam, quę mihi ſucceſſione patris obuenerat, à me penitus abijciens ſatisfeci, atque ab eis omninoſum abſolutus: appetitui uero ciborum nullo modo carere præualui. Nec enim, quamuis eum in paruū modum, uiliſſimumque redigerem, uim quotidianæ compulſionis euado. Sed neceſſe eſt, me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam ſolutionem iugi functione dependere, atque inexplebile inferre uectigal.

B. Climacus oratione. 2. Simile. Beatus Ioannes Climacus ait. Qui uentrem cibis replet, & ſe caſte uicturum profitetur, ei ſimilis eſt, qui dicit in ſtupula ſe flammæ impetum cohibiturum. Quemadmodum enim flamma ignis in ſtipula coerceri non poteſt ita luxuriæ uis in corpore cibis diſtento percurrens retineri nequit.

Petrus Chryſogolus ſermone. 41. de ieiunio & eleemoſyna. Petrus Chryſogolus ſermone quodam inquit. Bella gentium legimus ſuperaſſe quàm plurima, quos tamen pugnas carnis legimus non uiciſſe, & audiuimus eos delictis dediſſe pectora, qui dorſa hoſtibus non dederūt. Proh dolor? Victores gentium uitiorū fuiſſe captiuos, nationum Dominos turpi ſeruitute criminibus ſeruijſſe inter

ſæuientes gladios ſtetiſſe & inter eneruata latrocinea corruiſſe, regnis fuiſſe terrori, ludibrio fuiſſe peccatis, aduerſas acies contriuiſſe ieiunos, & crapulatos ſuarum caſtra diſſoluiſſe virtutum, iacuiſſe effuſo vino, qui iacere effuſo ſanguine neſcierunt; Vnde hæc? Quia quoties ciborum crudelitas vitalia deijcit, infirmat ſtomachum, corrũpit ſanguinem, viciat humores, ſuccendit coleram, extremum febris gignit incendium. Tum medici ſtudio parant abſtinentiæ rẽ ſtudio ſubuenire, vt ſanet abſtinentia, quod uoracitas ſauciarat, & ſi pro temporali cura ægri medicis obediunt, ſeruant arduam parcitatem: Quare pro ſempiterna ſalute, ſit durum Chriſtiano moderatis obedire ieiunijs, gubernare corpus menſura. Sicut terræ nubes caliginant cælum: ſic obſcurant animas intemperata conuiuia. Sicut ventorum turbines elementa confundunt; ſic fercula congeſta ſtomachum perturbant.

Simile.

Simile.

Vt nauem fluctus, corpus ebrietas ſic demergit, hominem dat in profundum lucra vitæ aufert, morti facit ſubire naufragium.

Gula maxime deteſtanda eſt.

QVod autem à nobis maximè deteſtãda ſit gula, probatur hac ratione. Cũ homo ſit ex Spiritu, & corpore conſtitutus atque is heroicus, diuinusque uir iudicetur, qui utramque hanc partem habet bene compoſitam, ut ſcilicet ſpiritus imperet, craſſa vero corporis pars petulans, ſuaque origine uitiata, ſit illi morigera, vtrique huic parti confert plurimum, & utramque curat, obſtinentia. Spiritum quidem in ſuo iure conſeruat, liberum, alacrẽque reddit ne glutino corporeæ uoluptatis illectus, percipiendis euangelicæ philoſophiæ documentis degrauatus euadat, & ineptus. Vt enim ui ſco illitã auis nequit euolare in ſublime: non aliter animus repetita, continuaque ſaturitare oppreſſus, ad ſupernas, ſaluti ſe raſque cogitationes nequaquam, ſe ſe poteſt eleuare.

Simile.

Vnde refert Tullius Platonem quamuis rogatum Siracuſanis leges, inſtitutaque Philoſophiæ dare recuſaſſe, quod bis in die ſaturari uellent, & noctu ſoli cubare nollent: Agrigentinis autem itidem poſtulantibus reſpondere. Conuiuamini, ut cras morituri: ædificate, ut ſemper victuri. Significãs homines ſic inſtitutos ut prorſus ineptos, repellendos eſſe ab abditis philoſophiæ. Hanc autem abſtinẽtiam maximè prodeſſe hoc exemplo docemur. Nam ut ferox equus bis paſtus, & ſaturatus, ſi addatur & otiũ, ſe frænari non patitur, & nonnunquã ſeſſorem ſuum, ſeſeque pariter in ſaltus, in præcipitia deuoluit: non ſecus corpora pro ſua auiditate eſcis, potuque crebro ſatiata, non modo animum obſcœnis libidinibus fœdant, uerum etiam & ſe ipſa lædunt, corrumpunt, accelerantque ſibi ſenium, & interitum.

Tull. Tuſ. 5.

Gula fons eſt multorum malorum.

QVamuis de filijs Iob ſacer textus, dicat: Faciebant conuiuium ſingulis diebus, intelligendum eſſe puto non quòd omnibus diebus agitarẽt cõuiuia: hæc enim eſſent uimię delitiæ, & ingentis gulæ indicia, indignumq; eſſet tam ſancto patre natos, alijs honeſtis ſtudijs prætermiſſis, ita ſe voluptatibus dare & genio indulgere, nec pater egregia virtute præditus id ullo modo pateretur. Idcirco intelligendum eſt (vt nonnulli Hebræi exponunt) eos ſingulis annis per continuos ſeptem dies has epulas inijſſe. Qua in re fratrum cõcordia animaduertenda eſt, & laudanda, cum prouerbij locum obtineat. Concordia fratrum rata eſt, ac multis in locis narrat ſacra ſcriptura triſtes, & acerbos luctus parẽtum honeſtiſſimorum propter filiorum diſſidias, atque diſcordiam,

dian:,vt filij Iacob adeò iniquo animo Ioſeph fratrem ſuum fuerunt, vt eum Madianitis vendiderint. Quamobrem ſanctus Iacob eum maximè eſt lamentatus, Dauidis etiam domus quas clades non pertulit, quę funera non vidit propter filiorum ſuorum diſſenſiones, & odia crudeliſſima? Qua de cauſa commendanda eſt tanta filiorum Iob concordia, quam feciſſe putandum eſt ſolertiſſimam, & honeſtiſſimam parentis educationē. Nec ſilentio prætereūda eſt caſtitas, & temperantia quæ huiuſmodi conuiuia præſeferunt dum non alienas mulieres, ſed ſorores ſuas ad epulas inuitarent, in quarum conſpectu omnia honeſte fieri par erat. Cumvero ſanctus Iob ſciret, filios ſuos in magno fuiſſe peccandi periculo in illis epulis (nam bene paſti homines procliuiores ad ſcelera fiunt, quod eorum libido maiores concitatioresque motus molliatur) idcirco offerebat holocauſta (inquit ſacer textus) per ſingulos dies dicebat enim. Ne forte peccauerint filij mei & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. Vbi ſeptuaginta interpretes trāſtulerunt. Ne forte fili mei mali quicquam in Deum cogitauerint. Cumque ſanctus Iob timuerit, ne in huiuſmodi crimē filij ſui epulantes inciderent ideo offerebat holocauſta. Quare cum multis eſcis, & corporis voluptate incitata, & elata libido Deo iraſcatur, eo quòd ipſius libidinis prohibeat voluptates, hinc forte eſt, qđ de diuite epulone Chriſtus Redēptor noſter apud D. Lucam narrat, eius videlicet linguam magno apud inferos ardore cruciari, ita ut Abraham anxiè po-
Luc. 1.

ſtularet, vt eam refrigeraret fortaſſe ꝑ maledicta, & conuitia, quę in Deū conijciebat & ad quæ delicijs aſſiduis inflāmabatur. Propterea Salomō in Prouerbijs monuit, dicens. Quando ſederis, vt comedas cum principe diligenter attēde, quæ poſita ſunt ante faciem tuā, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ideſt, cohibe linguam tuam, & uide ne profuſo cibo quidpiam petulanter, & effrænatè loquaris. Quod autem dicit; Sic faciebat Iob cunctis diebus vitæ ſuæ, intelligendum eſt cunctis diebus, quibus filij in conuiuijs fuerant, vt cohæreat cum eo, quod antea dixerat.
Prou. 23.

De diuite epulone dicitur apud Matthæum, quod epulabatur quotidie ſplēdidè. De diſcipulis verò Domini ſcriptum eſt, quod eſuriētes cœperunt uellere ſpicas, cum maxima premerentur fame. Vbi tu, qui epulentis, varijsq; ciborum generibus uteris, maximo deberes pudore ſuffundi, & diſcere horum exemplo carnis delicias, & multitudinem ciborum contemnere. Cæterum cum carnem tuam ita delicatè, & tantis ciborum generibus paſcis, conſiderare debes, quod eam ſeruas, & ſaginas vt eſca ſit, & cibus immundis vermibus. Qua certè in re ualde ei ſimilis es, qui amicis ſuis uolens parare conuinium, multis retro diebus anſeres ſaginat, ut in diem conuiuij ualde pingues ſint: ita nimirum tu, qui tam delicatè, tanta cura, & ſolicitudine carnem tuam paſcis, uermibus eam ſeruas, quaſi uel nobiles aliqui ſint uiri, uel familiares tui, pluſquam inſanus es, ſi eam in hac uita in continuoſis bello, in medio inimicorum ambules inimicis tuis arma tribuis, ut ab eis uincaris. Nonne uides, quod carnem tuam ita paſcis, & ei multos tradens cibos tribuis illi uires, ac robur quibus aduerſus te inſurgat, & ipſa ſibi ſpiritum ſubijciat. His armis caro Holophernem truncauit, & Amnon filium Dauid interfecit. Tolle inimico arma, ſi ſpiritum uis uiuere: ab abſtinēte porrò, & ſobrio procul fugit dæmō. Vnde beatus Petrus admonet dicens: ſobrij eſtote, & uigilate, &c. Et beatus Paulus ait. Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c.
Mat. 15. *Simile.* *Iud. 13.* *2. Reg. 13.* *1. Pet. 5.*

Gula virtutum ſubuertrix eſt.

NEque ſolum varia uitia accendit in gluuies, ſed omnium quoque uir-

ſirtutum ſtudia eneruat, & ad omnia ſpiritualia exercitia gradem, & ineptũ hominem reddit. Ad quod probandũ beatus Hieronymus Galenum medicũ teſtem citat, his uerbis Galenus uel doctiſſimus Galeni interpres ait, eos, quorum vita, & ars ſagina eſt, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe, animasque ita nimio ſanguine & dapibus quaſi luto inuolutus, nihil tenue, nihil cęleſte, ſed ſemper carnalia eructare, & uentris in gluuiem cogitare. Vnde & diuinus, ac cœleſtis magiſter Ieſus Chriſtus dixit. Attendite, ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate.

Luc.21.

B.Chr.homi.49 ſuper Mat.

Beatus Chryſoſtomus in quadã homilia, ait. Multis certè rapinis mundi conuiuia plena eſſe ſolent. Quod ſi illa non fuerint rapta, neque tamen ſic opipare comparatæ cœnæ delictis carent. Audi qualiter propheta hoc accuſat dicens. Væ qui bibitis uinum colatum, & unguentis pretioſis ungimini. Vides qualiter hic delicatam uitam reprehendit, & tu quidem immoderatè deuoras cum Chriſtus eſuriat: tu pretioſiſſimas epulas habes Chriſtus vero nec aridum quidem fruſtum panis. Tu vina bibis Phalerna, Chriſto uerò nec calicem frigidæ aquæ ſitienti dediſti. Tu in tenerrimo lecto, atque perornato dormis cũ Chriſtus frigore laboret. Cum autem Chriſti diuitias acceperis, non putas fruſtra illas conſumendo, pœnas te ali quando daturum? Hæc non de his dico, qui ſcorta nutriunt, non enim magis ad illos mihi ſermo eſt, quam ad canes: nec de auaris, atque rapacibus, nec de his, qui tam ſuo quàm aliorum uentri diligentiſſime ſtudent: nihil .n. mihi commune cum ipſis eſt, quemadmodum neque cum porcis, aut cum lupis, ſed de his dico, qui abunde rebus ſuis potiuntur nihil alijs præbẽtes, qui paterna bona otioſè conſumunt: q: omnes grauiter accuſandi ſunt. Cur enim iure non accuſaberis, cum ad uenationes tibi caues pleno uentre aſſiſtant: Chriſtus uerò indignus, qui tibi adſit, videatur? Cum hyſtrio ad riſum te mouendo abundet, delicate cibum abs te ſumat: Chriſtus vero cœlorum regnum offerendo, nec minimam eius partem accipit? & ille, ſi facetè aliquid dixerit, plenus abit. Chriſtus autem, qui ea docuit, quæ niſi ſciremus, nihil canibus præſtantiores profecto eſſemus, nec tantum quidem, quantum ille conſequitur. Horreſcis hæc audiendo? horreſce, quæſo, non uerbo ſed opere. quod ſi menſæ tuæ Chriſtum in pauperibus communicaueris, ipſe etiam tecum nutritis erit, cum te iudicet. Solet enim valde menſam venerari nec iniuria, cum eam etiam latrones venerentur, quanto magis Dominus? Veniat quæſo tibi in mentem meretricis illius, quæ à menſa ita manſuetum Chriſtum reddidit, ut Simonem increparet dicens. Oſculum non dediſti mihi &c. quod ſi hæc de negligente, Chriſtus, quid tibi retribuet faſtidienti? Nec inopem faſtidias, quoniam ſordidus, atque pannoſus accedit: ſed recordare, quia Chriſtus Dominus per illum tuam domum ingreditur, & derelinquas aliquando verborum acrimoniam, quibus ſemper confundis accedentes importunos, otioſos cæteraque huiuſmodi in clamando. Hęc omnia beatus Chryſoſtomus.

Amos 5.

Luc.7.

HYPOCRITA.

NVnquid virere poteſt ſcirpus abſque humore, aut creſcere carectum ſine aqua cum adhuc ſit in flore, ac carpatur manu ante omnes herbas areſcit. Sic viæ omnium, qui obliuiſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit: inquit Baldath vnus ex amicis ſancti Iob, (*Iob.8.c.*) Eruendi ſunt & inueſtigandi arcani ſenſus, & adducta iunci, & caricis ſimilitudo magna animi contẽtione explicanda. Solet ſcriptura ſacra uarijs herbarum, arbuſtorum, & arborum ſimilitudinibus piorum, atque impiorum mores, & ingenia exprimere, ob eamque rem nunc iuſtos palmæ, cedro, pomis &c. (*Simile.*) impios uero arboribus, & herbis infrugiferis, ut quercubus, ilicibus, nonunquam etiam pungentibus ſpinis aſſimilare conſueuit, ad explicandam non ſolum eorum atrocitatem, qui alienis ſemper incommodis paſcuntur, ſed ignauiam, & inutiles eorum mores. Sunt enim uelut iners pondus terræ. Ad quem modum Baldath impios homines iunco, & carici aſſimilat. Primo quòd ſolo ſe virore commendent hæ plantulæ, eum nullus penè earum ſit uſus, aut vtilitas. Sic homines impij, & hypocritæ externo tantum cæremoniarum, & operum ornari, ad omnia pietatis officia inutiles ſunt prorſus, atque inualidi. Secũdo iſtiuſmodi herbæ externo tantum virore commendari poſſunt, ut impij, & hypocritæ externas tãtum laudes ab hominibus quærunt. Et ut iuncus, & & carex omni deſtituũtur fructu: ita etiam impij, & hypocritæ. Tertio egent iuncus, & carex magna aquarum, & humiditatis abundantia: nam ſine his nec naſci poſſunt, nec ſuſtentari, ut inquit Baldath. Sic etiam & externus hypocritarum uiror bonorum operum, exterior illa pietatis imago, quæ uiſceribus minimè hæret, magna diuinorũ beneficiorum copia, hoc eſt, diuitiarum, honoris ac celebritatis proprij nominis fulcienda eſt. Huc enim ſpectant impiorum, & hypocritarum conſilia, ſtudia, cogitatus, ut vtilitatis aliquid eis ſemper accreſcat. At vero humoris ratione deficiente, euaneſcit ſubito externus ille viror. Illud præterea iuncus habet, & carex, quod vix manu carpi poſſunt, armãtur enim in ſummitate acutiſſimis vnguibus, quibus pungunt iterdum, & lacerant manus. Tale eſt impiorum ingenium, qui alienis ſemper incommodis ſtudent, & alieno ſemper viuunt cruore, inhumani, intractabiles &c. Suo ergo inſtituto adductum exemplum Baldath acommodãs inquit. Iuncus, atque carex cum maximè uideantur virere, atque floreſcere, atque extra omne periculum poſiti areſcunt & pereunt. Hoc enim ſignificare voluit, cum dixit. Cum adhuc in flore ſit, ne carpatur manu, ante omnes herbas areſcit. Gemina enim ex cauſa areſcere poſſet iuncus, aut carex, videlicet, aut neceſſariæ humectationis defectu, aut externa aliqua uiolentia. Vtrumq; ergo excludit Baldath. Nec enim eget humore iuncus aut carex, cum uireſcũt & florent, nec uiolẽtia aliqua eas attingit, cum nõ carpantur humana manu. His autẽ procul remotis ante reliquas herbas areſcunt quemadmodum experimentum docet. Sic ſunt omnes ſtatus uiæ, cogitatus, & ſtudia hypocritarum, atque eorum omnium qui obliuiſcuntur Deum. Nam cum maximè florere videntur, diuitijſque, & opibus ualent, tum diuina prouidentia ita ferente ſubito exareſcent, & tota illorum euaneſcit fœlicitas.

Deinde uero proſequitur prudens uir explicare hypocritarum, & impiorum

rum natura, dicens. Non ei placebit ue-cordia ſua, & ſicut tela araneарum fiducia eius: enitetur ſuper domum ſuā, & non conſurget. Sunt qui arbitrantur id quod ſequitur, uidelicet non ei placebit uecordia ſua, Deo tribuendum eſſe, cui ſtultitia hypocritarū minimè probatur. Sunt etiam qui uelint de hypocritis hoc dictum eſſe. Hypocritis enim non placebit extremis temporibus uecordia ſua accedente, uidelicet diuina caſtigatione, aut exemplo aliquo diuinæ iuſtitiæ, uel accedente morte & interitu. Ad exaggerandam autem uecordiam impij hominis, & hypocritæ, & irridendam illius ſpem, & fiduciam, atque irridendas expectationes, alterā de telis aranearum adducit appoſitiſſimā ſimilitudinem. Sicut tela, inquit, aranearum fiducia eius. Principio nemo ignorat, quanta diſcretione aranea ſuā telam conficiat, quam ſubtiliter ſubtiliſſimas telas contexat, quæ aciem oculorum effugiunt. Quæ omnia mirum eſt quàm eleganter explicent ſtudia hypocritarum, & conſilia, denique telas, quas per totam uitam ordiuntur prudenter quidem deſcribuntur. Plurimū enim habent hæc omnia humanæ ſapientiæ: ſic hypocritæ affectant imperium, honores ambiunt, aſpirant ad dignitates. Sed ut leuis quicunque flatus aranei telas diſſipat: ſic & hypocritarū ſtudia flante fortuna ruunt, & labefactantur. Secundo texit araneus inutiles telas incredibili labore, atque proprij corporis euiſceratione ad irretienda infirmiora animalcula. Subito tamen diſſipantur ab eo, qui domum uerrit, & araneus ipſe interdum cum telis inuoluitur, deijcitur, & proculcatur. Quæ ſi hypocritis uelis accommodare, & impijs hominibus facillimè facies. Attende quid Pharaoni, quid Sauli, quid Iudæorum populo in Chriſtum ſæuienti profuerunt tegnæ, conſilia adeò excogitata. Lege hiſtoriam ſacram, uidebis impios ſuis telis conuolutos, & implicatos, in necem & interitum traditos. Concludit tandem, ut exemplo adducto ſupremam manum imponat, dicens. Enitetur ſuper domum ſuam, & non ſtabit, fulciet eam, & non conſurget. Suam fiduciam collocabit hypocrita in amicis, cognatis, longa diuitiarum ſupellectile more araneæ: ſed domus ipſa (nam hæc omnia domum appellat) non ſtabit, cito corruet, ſtultumque hypocritam deſtituet. Fulciet eam domum, inquit, & non conſurget, hoc eſt, cogitauit, dum uiuit, incredibili ſtudio, uarijs artibus promouere, atque amplificare ſuas fortunas, congerere opes, amicos lucrari, cæteraque id genus: ſed ſtultus erit, & inanis hic labor, ut de araneo diximus, & nihil ſtabile, aut firmum efficere poterit, ſubito enim omni gloria, ac decore expoliabitur.

Hypocrita.

SEmel aſſumptam metaphoram proſequitur Baldath, dicens. Humectus uidetur antequàm ueniat Sol, & in ortu ſuo germen eius egredietur. Super aceruum petrarum radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur. Duabus de cauſis de iunco haberi fiducia poteſt, prima, de propria illius uirtute, atque genuina, quæ tamen exoriente Sole abſumpto terræ humore, cito deficit, ob eamque rem inquit. Humectus quidem uidetur, antequàm ueniat Sol, & in ortu ſuo germen eius egredietur. Creſcere enim, ac proprium fructum facere uidetur. Reliquæ herbę prius de terra erumpunt, aura tanguntur, & æſtibus, nutriuntur pluuijs, atque ita demum germina ſui ſeminis proferunt: ſcirpus uero inter herbas cū flore, & germine naſcitur. Nam ſancti, & iuſti homines, cum circa uirtutis cultum, & pietatis ſtudium creſcere incipiunt, æſtu tanguntur, & ſuperne deiectis pluuijs diuinæ gratiæ ſenſim creſcunt, paulatimque in uirtute magnos faciunt profectus. Hypocritæ uero, *Iob 8.c.*

atque impij mox inter ipſa virtutũ initia humanas laudes ſtudioſe captant: quaſi dicas. Germẽ, aut præmiũ illud, quod poſtremo expectãdum eſt in virtute magno cum ſtudio cupiunt. Itaq; animo nondum per humiditatem confirmato, quemadmodum nouæ plantulæ ſolent; ad ſolis aſpectum facile areſcunt. Vt nouus murus leuiter cadit militari pulſatus ariete. Itaque præmium virtutis hic quærere, eſt cum germine naſci. Nam ſancti nullam hic expectãt mercedem virtutis. Vt ergo hypocrita deficit in internis bonis: ita & in externis: nam frequeuter ſibi uihil tale expectanti eripiuntur fortunæ. Videtur enim, inquit, humectus antequam veniat ſol hoc eſt, in principio ortus, & antequam ad iuſtam perueniat ſtaturã, antequam tempus iniquitatis impleatur, pulchre, & in ſuo virore creſcere, & adoleſcere videtur, nihil ſuſpicans aduerſi, quouſque tandem ad cumulum, & ſupra menſuram erumpente malitia eum deſuper diuina vindicta cõficiat. Secundò de iunco poſſit aliqua haberi fiducia ex adiunctis ſibi, vel multitudine ſcirporum ſibi adhærentium, vel loci ſoliditate, in quo creſcit, dum naſcitur, præſertim ſi locus ſaxoſus ſit atque de ea re dicit. Super aceruum petrarum radices eius &c. ut multitudinem ſcirporum, & radicum intelligas, tum petroſa loca. Hypocrita itaque omnis, aut de ſeipſo habere fiduciam poteſt, aut omnem collocare ſpem in amicis, conſanguineis, domeſticis, regni potẽtia, aut ciuitatis optima gubernatione: ſed hæc omnis illius fiducia facile deficit, & inter oculos mirantium, atque plaudentium euaneſcit ſubito, vt de iunco diximus, aut ſi mauis ſuper aceruum petrarum radices eius denſabũtur, & inter lapides commorabitur, ac ſi dicat. Cum incipit iuncus terram petroſam attingere, ſterilem, & humoris expertem, iam non vltra radices profundius mittere ualet, ob eamq; rem radices ita denſantur, inuoluuntur, & implicantur, vt nequeat iuncus pulchre

Simile.

incepto augmento, & virore procedere. Vnde quaſi concluſus, atque conſtrictus inter lapides manet ipſe, & omnis eius pulchritudo, & incrementum. Sic hypocrita cum ſterili, atque petroſo loco, proprio videlicet amore fiduciam omnem, & expectationem plantauerit, humore deficiente, illius fiducia diuturna eſſe non poteſt.

Hypocrita contrarius eſt ſimplicitati iuſtorum.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum, inquit Sponſus in Canticis. Solet ſacra ſcriptura totius hominis iudicium ex ipſis oculis facere. Vnde apud Prophetam Iſaiam, aliosque ſacros vates multa eſt de oculis mentio, vt ſi aduerſus carnis factum, & arrogãtiam detonandum ſit Dei verbo, comprimenda ſtultorum hominum ſuperbia, de ſublimitate oculorum diſputant illico dicentes. Oculos ſublimes humiliabit. Idem etiam ſi de alijs affectibus utpotè de cupiditate, de ambitione, auaritia, iuſtitia, triſtitia, gaudio, alijſque ſimilibus. Quamobrem Chriſtus Redemptor noſter apud Matthæum totius hominis etiam iudicium ab oculis ſumebat dicens. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi ſponſa plures habuiſſet amatores, petulantique oculo, & impudico alios conſpexiſſet, non commendaretur ab ſponſo ab oculis columbinis: quia vero ſponſum appellauit botrum Cypri, faſciculum myrrhæ inter ubera repoſitum, quibus vnicum ſe habere ſponſum teſtatur, audit ab ſponſo. Oculi tui columbarum. Nam columba vno marito contenta, fidem, pudicitiamque violare neſcit. Huc ſpectant hæc ſponſi uerba. Oculi tui columbarum: Vt ſancta anima quæcunque ſponſum habeat unum, quem a-

Cant. 1.
Iſa. 16.
Matth. 6.

gnet,

met, diligat, veneretur, colat, ita ut cũ Sãcto rege Dauid, rebus alijs omnibus exploratis dicat. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Sunt quibus ſponſi, & mariti probẽtur, ſunt quibus honores, ſunt quibus carnis oblectamenta, ſunt quibus opes & diuitiæ cordi ſint: mihi vero (omniũ ingenio, & natura exploratis) bonũ uidetur uni ſponſo adhærere, reliquis omnibus rebus contemptis & repudiatis. Accedit ad hæc, quod qui alios amatores ſectãtur, ut omittamus illud, quod oculos colũbinos non habent, quia debitã fidelitatẽ, & neceſſariã pudicitiam nõ ſeruant, ſed nec oculos colũbinos habent, quoniã & ingenia, & mores, & ſtudia, ac proinde oculos vulpiũ, luporũ, vulturum, aliarumque rapacium auium imitantur. Nã illico, ut ab ſponſo deficiunt, & aliorum maritorũ cupiditate tenentur, fit neceſſitate quadã, ut oculos habeant plenos luxuria, hypocriſi, inuidia, atque alijs huiuſmodi peſtibus. Nam inter animãtia ipſa (quemadmodum eſt annotatũ ab his, qui arcana naturæ iugi meditatione penetrarunt) quædam oculos habent gyrouagos, inconſtantes, aut duplices, aut ſimulatos, ſicut vulpes, quæ, cum videantur huc reſpicere, illuc aciẽ oculorum dirigunt, vel cum inferius ſpectare, ex obliquo ſurſum, vel in latus lumina uertunt, prædam circunſpectando, quã rapiant. Hos oculos imitãtur animæ illæ, quæ ab ſponſo ſemel defecerũt, uidentur enim, ſi eorũ oculos, totumq; uultum contempleris, ſponſum fragranti deſiderio quærere, ſed alio ſpectat illorũ animus, alio acies oculorũ tendit, nempe in pingue aliquod beneficium in epiſcopatum, in fauorẽ principũ, deniq; aliquid quærunt aucupari, aliquid uenari: nam ſponſum ſimulate, non uere aut ſolide diligunt. Oculi autem columbæ (vt multis literis proditum eſt) in rẽ unã ita defiguntur, tam fortiterq; eam aſpiciũt, ut manifeſte uideri poſſit, quorſum viſus aciẽ dirigat. Quoniã igitur ſponſa, quæ unũ ſponſum quærit, illumq; dũtaxat intuetur, ſimplices habet oculos, fideles, pudicos, non duplices non obliquos, iure ab oculis laudatur columbinis.

HYPOCRISIS.

PICTORES, cũ aliquam ex diuerſis coloribus volunt imaginẽ formare, de interioribus nullam curã habent, quomodo formetur cor, pulmo, iecurque locentur, aut qua ſerie inteſtina, cæteraque interiora, quæ non uidentur diſponantur, ſed duntaxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora, & gratioſiora reddantur. O hypocrita ſimulate, atque diaboli pictor, qui tantum curas de illis, quæ exterius apparent, & in omnibus uis hominibus placere: uirtutis tamen interioris, & de illis, quæ Deo apparent, nec minimam curam habes: vt quid imaginem animæ diuerſis colorũ uirtutibus non depingis ò Dæmonis pictor, ſolum exteriora, & quæ hominibus placent, componis? Laua à malitia tua cor tuum Hieruſalem, aiebat Dominus per Hieremiam Prophetam. *Hie. 4.* Non inquit, faciem exteriorem, aut ueſtes, ſed cor, & conſcientiam tuam, & non alienam iudicando laua. Et adiecit ſtatim. Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Videte qualiter de cogitationibus agat, quæ in corde morantur, & quæ ſi noxiæ ſunt, cor ipſum nimis polluunt. Non ſic Sanctus ille Ezechias, *Iſai. 38.* ſiquidem plorans dicebat. Memento Domine, quomodo ambulauerim co-

ram te in veritate, & corde perfecto. Vbi B. Hieronymus inquit. Fœlix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. Quidnam eſt bonum? dicebat Cato. Mens, quæ ſibi conſcia recti. Et quid erit in hac vita vltimum malorum? Conſcientia praua.

Leuit. 21. In Leuitico, vbi nos legimus id, qđ Deus iubebat ſacerdotibus, ne barbam raderent, ſeptuaginta interpretes tranſtulerunt. Ne corrumpatis faciẽ barbę, hoc eſt, figuram barbę. Barba ſymbolum eſt, & ſignificatio fortitudinis, atque perfectionis: atque ita interrogatus Diogenes, quare prolixam barbam aleret? Reſpondit. Vt in memoriam reuocem me eſſe virum, & opera viri me facere debere. Cum igitur barba ſit ſignificatio virtutis, & cum Deus iuſſerit, ne barba raderetur, perinde fuit, ac ſi nobis prohiberet, ne virtutis pulchritudinem peruerſa intentione corrumperemus. *Simile.* Sæpe ſtannens diſcus adeo ſplendet, vt argenti nitorem imitari uideatur; quid tamen illud ſit ignis declarat, ſtannum ſi quidem in igne ſtatim liqueſcit, argẽtum vero magis reſiſtit. In hunc modum falſa iuſtitia veram imitatur: tribulationis tamen ignis declarat, quæ vera, & quæ falſa ſit.

His noſtris temporibus parum eſt, quòd aduerſus hypocritas pręedicemus; rari enim ſunt in mundo, tum autem plurimi erant, cum virtus maximè ęſtimabatur, & vt illam æſtimationem, & honorem multi, qui virtutem non habebant, conſequerentur, ipſam virtutem fingebant. Nunc vero iam virtus in pretio non habetur, vitia autem laudantur, & magnifiunt. Hoc vſque peruenit hominum corruptio. O tempora ingrata, & infœlicitate plena? Hæc ſunt ea tempora, quæ viſio illa, quam B. Ioannes in Apocalypſi vidit ſignificabat, vbi ſic ait. *Apo. 12. c* Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata. Hoc nunc adimpletur: nam beſtia illa eſt malitia, quæ habet ſeptem capita videlicet ſeptem peccata mortalia, & in his capitibus decem cornua etenim ex adimpletione ſeptem peccatorũ mortalium, reſultant deſideria, & opera, quibus decem præcepta diuinæ legis confringuntur. Hæc autem peccata coronas in mundo, honorem, ac laudes habent; cum enim aliquis alicui ſibi ſimili peccatum aliquod, vel ſcelus nefarium, quod commiſit, refert ei dicere ſolet. Pręclarum quidem facinus & ex omnibus, quę homines unquam perpetrarunt excellentius commiſiſti. Econtra vero bona opera, quæ fiunt, & uirtutes, quæ in proximos exercentur, nequaquam laudantur; quin potius eos, qui illa faciunt, fugiunt, & contemnunt, de ipſiſque detrahunt. Idcirco ſatis inſipiens eſt ille, qui hypocrita eſt, ut honorem conſequatur. At ſi aliqui fuerint adeo inſipientes, qui hypocritæ eſſe velint, non conceditur tibi ò frater licentia, ut iudices illos eſſe tales. In Deuteronomio ſic iubebat Deus. *Deut. 24.* Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam dedit tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas; ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Nolebat Deus, vt proximus ingrederetur domum alterius vt peculiaria & ſecreta domus eius videret, ſed contentus eſſet duntaxat, vt foris debitum ſibi redderetur, miniſtri tamen iuſtitiæ ingredi poterant. Sic nunc quilibet Chriſtianus ex obligatione tenetur pignus extra ianuam auferre, hoc eſt, quilibet Chriſtianus obligatur bonum de ſe exemplum præbere, & quod publicè ſciatur ipſum miſſam audire, & legem Domini obſeruare, & cum hoc id, quod proximis ſuis debet, adimplet. Nemini autem datur facultas ingrediendi intra cor proximi ſui, temerariè iudicando illum per hypocriſim ea opera facere [*quede ſe a la puerta, y contente ſe con que alli le den lo que ſe le deue, que es el buen*] exem-

exemplo exterior.) Solus autem iudex vniuerſalis, qui eſt Deus, licentiam habet ad intus ingrediendum, & ad cor hominis ſcrutandum. Idem B. Paulus inquit. Nolite ante tempus iudicare, quouſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tūc laus erit vnicuique à Deo.

1. Cor. 4.

Hypocriſis nimis fugienda.

QVàm fugienda ſit hypocriſis, verba Chriſti Redemptoris noſtri inſinuant, qui apud D. Marcum inquit Cauete à fermento Phariſæorū, quod eſt hypocriſis. Comparatur hypocriſis fermento quod ad ſe totam maſſam attrahit, efficitque, vt ſibi ſubijciatur, ſuumque ſaporem accipiat. Hoc facit ambitioſus hypocriſi coniunctus, qui omnes decipit, aut decipere cupit, & ad ſe, atque ad ſuam ſubiectionem attrahere. Comparatur etiam hypocriſis fermento omnem maſſam corrumpenti, quoniam hypocriſis omnia bona opera corrumpit. Michol illa Regis Saulis filia ſtatuam quandam ſeu hominē paleum veſtibus Dauidis induit: eumque in lectulo ipſius Dauidis poſuit: cum autem ſerui Saul ingreſſi fuerunt domum eius, & Dauid quærentes interrogauerunt, vbi eſſet? ipſa eis ſtatuam illam, quæ in lectulo iacebat, oſtendit. O eccleſia ſancta Dei, quæ lectulum es, in quo ipſe quieſcit: quot homines palei in te ſunt induti veſtibus ſanctis, qui externa duntaxat apparentia ſunt contenti, & cum maximè peccatores ſint, iuſti apparere volunt. Sunt hypocritæ velut oua nimis alba, quæ intus ſunt vrina, id eſt, [*ſon como hueuos, que de fuera ſon blancos, y de dentro gueros, vel ſunt tanquam pilula aurata, quæ ſi guſtatur, amaritudinem ſuam oſtendit.* *Los hypocritas vſan con los que los miran, de lo que vſan los gitanos quando juegan a la corribuela, los quales dan muchas bueltas con un cordel a vna vara, o a vn palo, y preguntan, eſta dentro, o eſta fuera? y por los muchos doblezes del cordel pienſan todos que la aun eſta dentro, y tirando por el cordel hallan que eſta fuera. Anſi los hypocritas con ſus doblezes y artificios, y hypocreſias dan a entender que eſtan dentro de la verdadera virtud, y que tienen a Dios dentro de ſu coraçon, y al mundo fuera de ſu amor. Y es al reues, porque tiran do por ellos, y toc ando les en algo, luego mueſtran como eſtan fuera de Dios y de ſu gracia.*

Marci. 8.

Simile.

1. Reg. 19.

Simile.

Diuites mercatores, & nugiuendi (hoc eſt, Ioyeros) ad ianuas ſuas quaſdam pelles raſas, aliaque paruiponderis, & valoris appēdunt, intus vero mercimonias, ac res pretioſas obſeruant: at viles mercatores, hoc eſt, Los bohoneros, omnes ſuas merces, & ſupellectilia ad pectus pendentia portant. Hoc eſt diſcrimen inter iuſtos & hypocritas, quòd iuſti, licet procurent bonū exemplum de ſe proximis exterius præbere, id omne parum eſt, ſi cum pretioſis uirtutibus, quæ in interiori cordis habēt; & cum ſanctis exercitijs, in quibus ſecretò ſe exercent, comparetur. Verum hypocritæ tanquam pauperes mercatores, como bohoneros, omnes ſuas merces coram omnibus appendentes in pectoribus portant: hominibus enim ſolummodo placere ſtudent, & coram ipſis duntaxat æſtimari volunt. Ergo (vt inquit B. Gregorius) valde caueudum eſt, ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuetur.

Simile.

Hypocriſis ſacris doctoribus teſtatur.

BEatus Gregorius Nazianzenus de quodam viro defuncto agens, inquit. Quis magis ſuperbiam caſtiganit, aut humilitatem dilexit nequaquam fictè, aut ſuperficialiter, quemadmodum nunc multi ſe philoſophari ſimulant, ac præſtantes videntur nō ſecus ac mulierculæ inſipiētiſſimæ, quę cum

Grego. Nazian. orat. in funere patris.

virtutis imagine deliteſcit. Nam magno mari pernicioſiores ſunt ſcopuli, qui breui operti aqua, triſtem, ac cęcum, & miſerabilem non obſeruantibus inferunt interitum, quam rupes eminentes, quas nautæ facilè vitare poſſunt: ſic hypocritæ, qui in animi receſſibus, & latebris malitiam retinentes, ſpeciem pietatis foris oſtendunt, tetriores ſunt, & capitaliores improbis illis, qui ſunt ab omni virtutis ſimulatione alieni, quoniam horum peſtem facilè poteris fugere, illos autem non facile. Vnde B. Aug. ait. Simulata æquitas, nō eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas eſt, & ſimulatio.

Hypocriſis.

ATtendite à fermento Phariſæorū, quod eſt hypocriſis: inquit verus mundi Saluator. Homo hypocriſi labe factus eſt ad inſtar adulterinæ pecuniæ quæ apparentiam tantùm quandā habet, cum tamen reipſa vera pecunia nō ſit, Talis miſerabilis Chriſtianus Chriſto Domino exteriora tantùm dat, cū tamen Deus dicat. Fili præbe mihi cor tuum. Cum ergo tam fallaces, & impoſteres ſint hypocritę, propterea nos monet diuinus magiſter, vt ab illis diligenter nobis caueamus. In mari nanque peiores ſunt ſcopuli qui aqua cooperti triſtem nauigantibus interitum parāt, quam rupes eminentes quas nautæ facile vitare poſſuut: vt in pharmacopolæ officina ſunt aliqua vaſa literis deſignātibus aliquod medicamentum ſalubrè ibi eſſe incluſum, cum tamen re vera nihil, niſi toxicum contineant. Sic hypocritæ foris fingunt, ſe virtute eſſe præditos, cùm interius nefarijs ſceleribus ſint imbuti. Sunt etiam inſtar ſyluarū quarundam, quæ exterius pulcherrimæ apparent; cum tamen interius plenæ ſint ſcorpionibus & venenoſis animalibus. Sed de his per Nahum Prophetā inquit Dòminus. Reuelabo pudenda tua. Vtinam hęc verba ſecum aſſiduè voluerēt, qui ſecretè peccantes illa ſecum dicunt quis me videt? Tenebræ circundāt me. O ſtulti, ſtulti, ille, qui vos iudicaturus eſt vos videt: & ipſe inquit etiā per Oſeam Prophetam: Reuelabo ſtultitiā eius in medio amatorum eius.

Quemadmodum rapaciſſimus miluus quamuis alta petat, nunquam tamen ad ſublimia, ſed ad terreſtria oculos ſuos dirigit, at cōtorquet, vt videat, num prædam aliquam poſſit abripere: nō ſecus profectò hypocritæ & ficti homines videntur quidem ſublimem cōtemplationem, ac ſanctitatem contingere, cum tamen in terrenam aurā omnino inſpiciant, & eo inſtituto omnia faciant, vt rumuſculos aucupentur populares. Aeſchylus quidē Philoſophus ſententiam illam verè ſingularem, & egregiam ad totius poſteritatis diſciplinam, ac memoriam pronunciauit, qua videtur omnino execrari hoc fraudulētum hominum genus, dicens. Non videri tātum, ſed eſſe vir optimus ſtudet. Et Anianus inquit. Quod non es, non te eſſe ſimules: non doctum, cum ſis indoctus: non diuitem, non nobilem cū ſis pauper, & ignobilis te iactes: vero. n. comperto ridcberis. Cur, quæſo, hypocrita tuas exerces actiones, vt hominibus tantum placeas? An non vides, qđ ſi id ipſi ſcirent, te merito deriderent, ac ſubſanarent? Quantum porrò cupis, vt id ipſis manifeſtum non fiat? Multo illud igitur peius tibi, & pernitioſius futurum eſt cum apud Deum, & omniū hominum congregationem, hæc tua peruerſa intentio manifeſta fiet. Quare ſi tantopere popularem auram quæris, noli iam cōſectari hæc media, quin potius alia præſtantiora, nempe vt Deo primum placeas, & hinc & apud homines eandem gloriam promereberis immortalem. B. Chryſoſtomus de hac materia agens in quadam homilia inquit. Neque nos non oſtentari ſolùmmodo ſed etiam dare operam vt lateamus pręcipit Dominus, quod fecit & ſupra. Nā de eleemoſyna quidem loquens, non ſimpliciter hæc poſuit; ſed cū dixiſſet; Attendite ne faciatis coram hominibus,

bus, addidit, vt videamini ab eis. In oratione vero atque ieiunio, nihil tale ſignauit. Quare iſtud? Quia eleemoſynā quidem impoſſibile eſt omnino latere, orationem vero atque ieiuuium ſecretum eſſe poſſibile eſt. Sicut enim cum dixiſſet. Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, nō de manibus id dixit, ſed ſtudium, quo celari oportet expreſſit. Dumque cubiculum ingredi iuſſit, nō omnino nec principaliter tantummodo iuſſit iſtic orare, ſed id ipſum rurſus innuit. Ita quoq; cum vngi iuſſerit in die ieiunij, non vt ungamur omnino præcepit, ſed vt ſemper omni cum diligentia hominum hunc theſaurum ſtudeamus occultare. Atque illorum nos eſſe imitatores volēs, qui in Olympio agone decertant: qui tanto certè populo conſidente, tantisque principibus, vni placere feſtinant, victoriam ſcilicet eorum brauijs ſplendentibus honorāti.

B. Greg. 3. Paſto. ad mo. 36. B. Gregorius in Paſtorali ait. Quid eſt quod opus noſtrum & ita faciendū eſt, ne videatur, & tamen vt debeat videri præcipitur, niſi quòd ea, quę agimus & occultanda ſunt, ne ipſi laudemur, & tamen oſtendenda ſunt, vt laudē cœleſtis patris augeamus? Qualiter igitur videnda eſſent, uel qualiter non uidenda, ex ſententiarum fine monſtrauit, quatenus operari mens opus ſuum propter ſe uideri non quæreret, & tamen hoc propter cœleſtis patris gloriam nō celaret. Vnde fit plerunque, vt bonum opus, & in occulto fit, cum fit publicè: & rurſus in publico, cum agitur occulte. Qui in ſecreto ſuo bono opere deprehendi, ac laudari concupiſcit, & nullus fortaſſe vidit, quod exhibuit: tamē hoc coram hominibus fecit, quia tot teſtes in bono opere ſecū duxit, quot humanas laudes in corde quæſiuit.

Mat. 6. Gen. 3. Apoc. 3. Contempta omni fœlicitate terrena in ſuperioribus, & tutiſſimis locis ea, quæ facimus, docuit Dominus collocari. Neque voluit nos laborare in vacuū, neque noſtros caſſos eſſe labores, dicens. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terrā. Maledicta fuit terra in operibus Adæ, & in Apocalypſi ſcriptum eſt. Væ, væ, væ, habitantibus in terra. Et Deus fundauit terram ſuper aquas ſuper fluxibile elementum, quaſi nihil ſtabile ſit in terra, maximè illorum, quæ ab hominibus vehementer ibi appetuntur. Quare noſtra bona non ſunt reponenda, immo nec quęrenda in terra, ſed in cælo. Vnde Petrus Chryſogolus inquit. Quid tam paternum? Quid ſic ueniens de amore? Quòd tam prouidum de charitate conſilium? Nihil tibi perire uult clementiſſimus pater, qui tua in theſauris cæleſtibus uult reponi. Quam ſecurus dormit, qui Deum meretur habere cuſtodem? Qui ergo uult auaritiam uincere, & hypocriſim, diuitias eroget propter Deum. Prætermittamus fratres theſauros noſtros in cælum: ſunt uectores pauperes, qui poſſunt ſinu ſuo, quæ noſtra ſunt, ad ſuperna portare. Nemo de fraude dubitet baiulorum: tuta eſt ita tranſuectio, per quam noſtra ad Deum, Deo fideiuſſore portantur. *Petr. Chr. ſer. 2.*

B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Quid deſideras? Nonne eſſe aliquos operum expectatores tuorum? Ecce igitur habes non Angelos, atque Archangelos tantum, ſed etiam Deum ipſum, quod ſi habere etiam homines expectatores concupiſcis, ne hac quidem, quam præcipuè cupis, mercede priuaberis. Sed cum oportunum tamen tempus aduenerit, quando certe cum maximo tibi hoc cumulo præſtabitur, quod requiris. Nam modo quidem ſi te oſtentaueris decem, uel uiginti, aut centum tātum modo hominibus, oſtētare te poteris. Si uero nunc latere, curaueris: tunc ipſe te prædicabit Deus, toto prorſus orbe præſente. Itaque ſi opera tua maximè ab hominibus uideri cupis, nunc illa occulta diligenter, ut eadem tunc omnes ad maiorem tuum uideant honorem: Deo ea faciente manifeſta, & ea referente, coramque omnibus prædicante. *B. Chr. ho. 19. ſuper Mat. 1. 2.*

HO-

HOMINIS FRAgilitas & impotentia.

ODOR oris tui ſicut odor malorũ: guttur tuum ſicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potãdum, labijſque illius ad ruminãdum: dicitur in Canticis. Verba hæc ſunt deprecantis potius, quam denuntiatis, aut imperantis. Nam Hebræi frequenter imperatiuis modis utuntur pro optatiuis. Eſt igitur ſenſus. Eſt odor tuus ſicut odor malorum, & guttur tuum, &c. Odor non ſolum nominis celebritatem & famam ſignificat, ſed etiam quæcunque opera egregia, quibus celebre, & immortale nomen comparamus. Deinde aduertendum eſt, humanam naturam duabus plagis propter primum ſcelus percuſſã eſſe, altera eſt fœtor, & corruptio malorum operum, & cogitationum: altera frigus, & torpor ad bene operandũ. Vtrumque autem vulnus nititur ſponſus præſenti carmine curare. Et aduerſus vero frigus, & torporem circa bona opera opponit vinum. Etenim vino optimo (vt eſt obſeruatum à viris doctiſſimis) coaleſcit corpus, aluntur vires, iuuantur nerui, recreatur ſtomachus, incitantur appetentia ciborum, habetantur curæ, ac denique triſtitiæ algor expellitur. Sponſa itaque per primum peccatum primò fœtorem incurrit malorum operum, quamuis enim hæc opera, quæ cum noſtra ſunt natura coniuncta ut loqui, tacere, ſedere. ambulare, agros colere, uineas plantare in negotio eſſe, atque in otio, hæc inquam prẽſtare poteſt humanus animus quandoque, ita ut peccatum admittat, nec opera ipſa meriti ſubeant rationem: ſemper tamen hæc opera citra ſceleris maculam efficere, & ſine peccati fœtore, & corruptione non poteſt propter confractas vires, & debilitatas per anti quum peccatum, ut omittamus, quod præcepta fidei, & ſacramẽtorum, quę comitem habent gratiam nullo pacto implere poteſt. Vnde & D. Thomas inquit, hominem, quamuis in ſtatu naturæ integræ potuiſſet omnia ſeruare mandata, ipſa tamen natura iam ſaucia, id minimè præſtare poſſe, nec diu durare quin decidat in luctũ & cænum peccati. Idque experimento abundè comprobatur, homines à diuina gratia, & beneuolentia alienos frequenter peccati corruptione infici, nec aduerſus aſtutiam dæmonis, ac tentationis eſſe validos, Nec argumentum illud aliquid habet conſequentiæ. Poteſt homo vnam, aut alteram incurſionem ſuſtinere, vnam aut alteram peccati corruptionem fugere: ergo poteſt omnes. Contrarium nanque comprobat experimentum in homine languente, & valetudinario, qui quamuis poſſit paſſus aliquot rectè ire, non tamen longius progredi. Vnde B. Auguſtinus inquit, Ad hæreſim pertinet Pelagiorũ, vt credant ſine gratia hominem poſſe facere omnia diuina mandata. Eodem pertinet ſanctus Canon Conſil. Mileuit. quo ſic anathema pronuntiatur. *B. Aug. li. de hæreſ.* *Conc. Mileuit. can. 4.* Qticunque dixerit ideo gratiam iuſtificationis nobis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius per gratiam poſſimus implere: quaſi ſi diuina gratia deeſſet, implere omnia diuina mandata poſſemus, & tabem omnem peccati, & corruptionem fugere. Ob eamque rem aduerſus Pelagiũ non ſolum damnatum eſt, poſſe hominem implere omnia diuina mandata pro-

prijs uiribus meritoriè, ſed & quod poſſit implere omnia, omnemque ſceleris corruptionem ſugere citra diuinam opem. Igitur plagam iſtam natura noſtra per peccatum accepit, ut omnē peccati corruptionem ſugere non poſſit ſine peculiari Dei gratia, & auxilio. Quāuis enim interdum peccatū operis poſſimus ſugere, ſed corruptionem oris, ne ſcilicet uerbo labamur, lędamus aut dignitatem noſtri animi, uel proximi famam, aut maieſtatem ſponſi difficillimum eſt. Qui enim non offenderit uerbo (inquit B. Iacobus) hic perfectus eſt uir. Et lingua membrum lubricum laborioſè intra rationis metas à nobis poteſt contineri. Quemadmodum ergo corruptus homo per peccatum fœtorem operis, & oris fugere non poteſt: ita etiam ſi adſit diuina gratia, quamuis bonus odor ipſis ſētiatur operibus, frequentius tamen ſentitur uerbis oris, & gutturis: ſtatim enim ſequitur confeſſio delicti, gratiarum actio pro accepris beneficijs, laus & encomium diuinæ bonitatis: Quæ omnia optimum odorem pomorum ſponſus præſenti carmine appellat. Nam ſicut ex abundantia cordis erūpunt boni odoris opera: ita etiam & bonus odor ſermonis. Quę omnia aduerſus corruptionem, & malam olentiam peccati depugnant. Sed quemadmodum neceſſarius eſt bonus odor aduerſus priorem plagam noſtræ naturæ inflictam, ita etiam & uinū præſtantiſſimum, ſiue muſtum ex botris expreſſum quod nos faciat idoneos dilecto, ſiue (ut alij uertunt) amoribus. Sic enim uertunt quidam. Sit palatum tuum uelut madens uino præſtantiſſimo, quod meis amoribus redeat idoneum ad ea, quæ rectiſſima ſunt. Diximus alteram plagam nobis per peccatū inflictam eſſe frigus, & algorem, unde cōtrahitur torpor, ut minus ſimus ſufficientes, minuſque idonei ad præſtanda dilectionis, & amoris debita. Vt igitur gratiſſimus odor depellit malā olētiam peccati, ita etiam & calor uini uires reſtituit, & calorem, ut diuinis amoribus, diuinæque charitati idonei efficiamur. Quo circa D. Thomas quærit, an poſſit homo proprijs uiribus Deū ſuper omnia diligere, & reſpondet potuiſſe quidem hominem id efficere in ſtatu naturæ integræ ſola iuſtitia originali præditum citra gratiam, & auxiliū aliud peculiare. Nam cum nulla adeſſet peccandi cauſa, nec facultates naturales fractæ eſſent, & debilitatæ per peccatū, & ſe & ſua omnia in Deum referre potuiſſet, ut Deus finis erat ſuę rationi cōſentaneus, poſt peccatum vero id præſtare nō poteſt, nec enim diu durare poteſt ſine peculiari gratia, & auxilio, qn in facinus aliquod prolabatur, cū quo ſtare non poteſt dilectio Dei naturalis ſuper omnia. Sed hæc omnia pręternuittamus Theologis diſputanda publicis in conflictionibus. Si autem de diuina charitate, & dilectione loquamur quemadmodum exigitur ab Sponſa qualis predicatur in euangelio, celebratur à B. Paulo, vt ſponſus diligatur à nobis tanquam qui ſolus poteſt nos efficere beatos, & fœlices. Nuſquam pręſtare poteſt homo ſine peculiari Dei gratiā, hoc ē, ſine pręſtantiſſimo vino noſtros animos caleſaciente, reficiente vires, & membra interioris hominis ad rē exequendam refocillante. Vnde B. Auguſtinus in epiſtola ad Vitalem ait. Liberum arbitrium ad diligendum Deū peccati grauitate perdidimus. Et libro de gratia, & libro arbitrio eos damnat omninò tanquam Pelagiano, qui aſſerunt, dilectionem Dei non eſſe illius donum, & adducit verba B. Ioannis dicentis. Chariſſimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt. Primum, inquit B. Auguſtinus, diligamus inuicem, ſcilicet, lex eſt: quod autem ſubditur, dilectio à Deo eſt, gratia eſt. Hæc eadem in Concil. Mileuitano, & Conci. Arauſicano decreta ſunt.

Iac. 3.

D. Tho. 2. 2. q. 109. art. 3.

2. ad Cor. 13.

B. Aug. ep. ad vitalē, & libr. de gratia, & li. ar. c. 18 Cōc. Mile. can. 4. & cōc. Arau. can. 25.

Hominis fragilitas & impotentia.

B. Macha. hom 31. Simile. Beatus Macharius in quadam homilia inquit. Veluti uolucris unã habens alam hac ſola volare non poteſt: ſic etiam natura humana ſi nuda per ſe maneat, & non miſceatur, ac particeps ſit naturæ cœleſtis nihil præclarum efficit, ſed nuda manet in ſua natura, & ſordibus multis reprehenſioni obnoxia.

B.Hiero li. 3. aduer. Pelag. Simile. B.Hieronymus aduerſus Pelagianos ait. Dicemus, poſſe hominem non peccare, ſi velit pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea quandiu intentus eſt animus, quandiu chorda nullo vitio taxatur in cythara. Quod ſi paululum ſe remiſerit, quomodo qui aduerſo flumine cimbam trahit, ſi remiſſerit manus, ſtatim retro labitur, & fluentibus aquis, quo non uult, ducitur. Sic humana conditio ſi paulatim ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit.

Philo. de mun opifi. Simile. Philo inquit. Quemadmodum in magnete qui ferreis anulis ipſum tangit, hæret tenaciſſimè, qui uero hũc deinceps, minus: pendent tamen & tertius à ſecundo, & quartus à tertio, & quintus à quarto, & alij ab alijs per longam ſeriem, una ui trahente, continenterq;, ſed nõ eodem modo, ſemper enim quo longius abſunt à principio laxantur, eo quod remittatur uis attractoria, ne iam pariter aſtringere valeat. Ita quoque humano generi accidiſſe videtur, per ſingula tempora ſuccedentibus exilioribus & corporis, & animæ viribus, ac qualitatibus.

Beatus Anſelmus inquit. Humana natura tam facile per uitia, quàm per planum profunditur aqua. Sic ergo agere debet, qui eam reſtringere appetit. Velut qui aquam currentem retinere contendit. Sicut enim ille, qui aquam concludit in ſtagnum aquæ coercet: ſic iſte naturam humanam vagam infra regulam aliquam cohibere debet: vtque ille procurat, ne qua parte dirumpatur ſtagnum, qua effluat aqua. Ita & iuſtum præuidere condecet, ne ſuam in aliquo violet regulam quò ad peccatum proruat. Sic enim reſtringi carnis appetitus poſſunt, quod eſt, quandam pacem facere inter ipſam carnem, & ſpiritum, quam quidem pacem nemo melius habere poterit, quã qui diſtrictioni ordinis monaſtici ſemetipſum ſubiugare ſtuduerit. Ipſa etenim eſt, quaſi quædam clauſura, vel ſtagnum viuarij. Quoniam quidem ſicut piſces decurrente aqua viuarij moriuntur: ſi clauſuræ ipſius minutatim, ac ſæpe crepent, nec reficiuntur, ita omnis religio monaſtici ordinis funditus perit, ſi cuſtodia eius per modicarum culparum contemptum paulatim à feruore tepeſcit. *B. Anſ. li. de ſimil. c. 122. Simile. Simile.*

HONOR DEBITVS parentibus.

HONORA (inquit Eccleſiaſtic.) patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo manet, hoc eſt, vt maxima cum abundantia ſuper te dona Dei veniant, id enim inſinuat illud. Benedictio ſuperueniat tibi. Vbi illud verbum, benedictio, ſignificat dona ſpiritualia & corporalia gratiam, miſericordiam, charitatem, patientiam, ſalutem, vitam, atque diuitias. Et adiecit: Benedictio illius in nouiſſimo manet: nam diuina dona de ſe hominem conſeruant, eique fauent, vt in Dei amore vſque ad finem perſeueret. Atque ita loquens idem Eccleſiaſticus inferius de filijs peſſimis, & inobedientibus ait. Non credas uitæ illorum. Vbi alia litera habet. Ne fidas uitæ illorum. Ideſt. quamuis eos videas ætate, & viribus florere, valetudine proſpera, ac robore & pinguedine rutilantes, ne fidas vitæ illorũ, quoniam Deus eos quam citiſſimè de terræ ſuperficie radet. Et addit amplius. Ne reſpicias in labores eorum, hoc eſt, in diuitias, quas maximo cum labore comparauerint: paruo enim temporis ſpatio eis potientur. Ergo ò fratres qui hactenus in ſcelera huiuſmodi cecidiſtis, de illis pœnitentiam agite, & poſt hac parentes veſtros honorare, eisq; obedire, ac benefacere incipite, vt Deus vobis præterita crimina condonet, & ſententiam, quam aduerſus vos tulerat reuocet. Circa hoc maximum myſterium in Sacra ſcriptura reperietis. Cũ enim Patriarcha Iacob filium ſuũ Ruben malediceret, dicens. Effuſus es ſicut aqua: non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius: poſtea cum ſanctus Moyſes morti eſſet propinquus eidem Ruben hanc benedictionem deprecatur, dicens. Viuat Ruben, & non moriatur. Quodnam myſterium hoc eſt? Patriarcha Iacob, inquit. Non creſcas: Moyſes vero ait, viuat. Et quod magis admirationem auget eſt, quod vterque ſpiritu Dei prophetice loquebatur. Ad hoc reſpondet Heliodorus, quod quia Rubẽ eo tempore, quo alij fratres innocentem Ioſeph interficere voluerunt, ipſe eis perſuaſit, ne eum uita priuarẽt quin potiùs in veterem ciſternam proijcerent, eo animo, & intentione, vt poſtea eum extraheret, & à mortis periculo eriperet, & vt eum (ſicuti facer textus inquit) patri ſuo redderet: at poſtquã vidit fratrem ſuum in ciſterna nõ eſſe, ſciſſis veſtibus ait. Puer non comparet, & ego quò ibo? Hoc eſt, quomodò coram oculis patris mei comparebo, eique adeò triſtiſſima nuntia referam? Et quoniam reſpexit ad patris ſui conſolationem, voluit immenſus Deus, ut maledictio ei, in benedictionẽ verteretur.

Eccl. 16. *Gen. 49.* *Deut. 33.*

Circa hanc etiam materiam narrat Ariſtoteles rem quãdam notatu dignã ſuo philoſophiæ compendio, vbi ait, montem Aethnam ex ſe magnam ignis copiam certo quodam tempore emiſiſſe, ita ut vicina loca combuſerit, cumque omnes tantum incendium aufugerent, & uiderent aliqui filij parentes ſuos retro manere, vtpotè quia ſenes erant, & præ laſſitudine ambulare non poterant, ad ipſos reuertebantur, eoſque humeris vehebant, & cum aliqui progredi non poſſent, quippecum ab onere parentum, quos portabant, impediebantur, factum eſt, ut ignis ad eos accederet, nec ipſos tangebat, ſed vlte-

vlterius progrediebatur, omneſque preter filios, qui parentum vicem doleates, ipſos patres humeris vehebaat, cóburebāt. O rem prodigioſam, & omni admiratione dignam. Etiam in illis ethenicis, & fide carentibus voluit altiſſimus Deus oſtendere, quantum valeat filios parentibus ſubuenire, & benefacere.

Honor debitus parentibus.

Eccl 7. HOnor a patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliſcaris: memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi, inquit Eccleſiaſticus. Iuxta quod obſeruandum eſt, filios debere parentes ſuos honorare, illis in omnib. licitis & honeſtis obediēdo, eoſque in neceſſitate conſtitutos, ſi filij habeant vnde illis neceſſaria tribuant, alere teneri. Et hoc adeò verum eſt, ut non ſolum ante nuptias patrem filius alere iuſto labore teneatur, verum etiam poſtquam uxorem accepit, ſi pater in graui neceſſitate fuerit conſtitutus. Quod ſi vnicus filius tuus indigeat, & pater etiam in neceſſitate parētis prouidere teneris, filio aut vxore ſame, vel morte relictis. Hæc concluſio communiter cum B. Thoma tenetur. Primo enim Deus eſt diligendus, ſecundo parentes, deinde filij, poſtea domeſtici.

D.Tho. 2. 2.q.26.articulo.9.ad 3 & q 31.articulo.3. ad 4.

Igitur & hoc ordine ſunt honorādi. Vnde in extrema neceſſitate parentes filijs ſunt præferendi, quod etiam ex Ariſtotele patet, qui ait. Rationabiliter facit filius ſi fame moriatur, ut uitam parentis conſeruet, quia illi ſuum eſſe, & vitam debet. Ergo multo potius tenebitur filium ſuū in extremis relinquere, vt patrem conſeruet. Præterea quia primum debitum lege diuina, & humana tenemur antea ſoluere, quam ſecundum & tertium. Sed debitum erga parentes habitum eſt prius contractum, quam erga filios: ergo prius ſoluēdum eſt. Item cui plus debemus antea illi tenemur ſuccurrere, quam illis, qui potius nobis ſunt deuincti: parentibus autem multa debemus, filij vero à nobis beneficia receperunt: igitur plus, & antea debemus benefactori parenti ſubuenire, quam filijs à nobis beneficiatis.

Ariſt li.9. Ethic c.2.

Gen.37. Volens ſanctus Moyſes hiſtoriā ſancti Ioſeph incipere, & cum de eo peculiariter, & ſolummodò agere uellet, inquit. Hæ ſunt generationes Iacob. Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum, &c. Quamuis Patriarcha Iacob duodecim filios habuerit, in ſolo Ioſeph aliquomodo ſuam effudit generationem, id eſt, omnem ſimilitudinem pulchritudinis paternalis, & ideò hunc Propheta Moyſes appellat dumtaxat omnes Patriarchæ Iacob generationes, ac ſi hic ſolus fuiſſet ille, de quo ſe gloriabatur, eo quod talis, tamque virtute præditus eſſet, ac ſui parentis honorator, & ita de eo dicit, quod erat cum filijs Bale, & Zelphe vxorum patris ſui.

Gen.43. Mittens Patriarcha Iacob filios ſuos in Aegyptum, ei dixit. Reuertimini, & emite nobis pauxillum eſcarū: Quibus verbis cum reliquis quæ ibi ſequuntur, apertè oſtenditur, quod quamuis filij Iacob plurimi erant, & ipſi etiam filios nepotes Patriarchæ Iacob habebāt omnes tamen ſub ipſius Iacob obedientia erant & ipſe eos regebat, & moderabatur. Colligitur etiam ex illo capite, eos omnem diuitiarum ſubſtantiam ſimul & in communi habere: ex quo eorum fraternitas, & concordia apparet & nos etiam docemur, quam parcè viuebant, ſiquidem eis ſanctus Patriarcha dixit, Emite nobis pauxillū eſcarum, illud videlicet, ſine quo uitā propagare non poterant, non antē maximam ciborum abundantiam & ſuperflua. Quam pauci hodie in mundo filij ijs ſimiles reperiantur, aut ſicut ſanctus Ioſeph. Quod & apertè ſignificauit Eccleſiaſticus dicens. Deus enim honorauit patrem in filijs, & iudiciū matris exquirens firmauit in filios: & ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Si igitur Deus inquirit eum, qui matri ſuæ bene facit, hoc *Eccl.3.*

forſan eſt, quia paucos reperit, qui hãc
obligationem adimpleant: Illa enim
quę difficile inueniuntur inquirere ſo
lemus. In eo etiam, quod ait, eum qui
matrem ſuam honorificat, theſaurum
magnum acquirere, ſignificat, per pau
cos, qui hoc faciant, in mundo eſſe re-
Simile. periendos, ſiquidem eos tãto lucro ad
hoc attrahit, & inuitat. [*El que deſſea*
que le pongan ſu renta, ſube los prometi-
dos. Por ningun mandamiento particular-
mente pone Dios prometidos, ſino por eſte,
luego ſeñal es que quiere mucho que ſe
guarde, pues promete theſoro por ſu
guarda.

Nunquam filij parentum ſuorum
obliuiſci debent, quamtumuis pluri-
rimos labores patiantur. Quãdo ſan-
ctus Dauid ſe ab impio Saule vexatũ,
& oppreſſum uidit, in medio ſuorum
laborum curam habuit parentes ſuos
protegendi, atque ita in Maſpha ſe con
tulit, & (ut ſacer textus refert) Regi
1.Reg.21. Moab dixit. Maneat, oro, pater meus,
& mater mea uobiſcum, donec ſciant,
quid faciat mihi Deus, & reliquit eos
ante faciem Regis Moab.

Maximè etiam timenda eſt parentũ
Eccl.3. maledictio, ſiquidem in Eccleſiaſtico
dicitur. Benedictio patris firmat do-
mos filiorum: maledictio autem ma-
tris eradicat fundamenta. Non imme
rito antiqui illi, ac ſancti uiri tam ſoli-
citi erant, vt parentes ſui ipſos benedi-
cerent. Quam ſolicitus fuit Iacob, vt
pater ſuus Iſaac ipſum benediceret: tan
ti fecit illam benedictionem, ut ſe ad il
lam obtinendam mortis periculo ex-
Gen.27. poſuerit. Quam curam ſanctus Ioſeph
habuit afferendi filios ſuos Ephraim, &
Manaſſem coram patre ſuo Iacob, ut
eos benediceret. Non eſt etiam ſilen-
tio prætereundum, immo maximè ob-
ſeruandum, quantam reuerentiam ip-
ſe ſanctus Ioſeph habuerit patris ſui be
nedictioni: nam cum gubernator eſſet
Ægypti, & Iacob pater ſuus paſtor q-
Geneſ.48. dam ſenex, ac cæcus, ipſe ſe coram illo
proſtrauit, & (ut ait ſacer textus) pro-
nus adorauit in terram. Heu quot ho-
die filij in dignitatibus ſunt conſtituti,
qui proprios parentes contemnunt, &
recognoſcere nolunt.

Ezech. 4. In Ezechiele Propheta dicitur. Pa-
tres comedent filios ſuos in medio tui
Hieruſalem, & filij comedent patres
ſuos. Hoc ad literam ſic euenit in obſi-
dione urbis Hieruſalem, quando eam
Chaldæi uallarunt & euerterunt: verũ
hoc etiam nunc de plurimis parẽtibus,
ac de plurimis filiis dici poteſt, quando
uidelicet parentes in prophanitatibus
conſumunt ea, quibus filij eorum ſuſtẽ
tandi erant, aut quando filij turpiter,
& iniuſtè diſſipant bona, quibus paren
tibus ſuis ſuccurrere debebant: & tunc
patres filios ſuos comedunt, & filij pa-
rentes. Quamuis autem omnes filij
parentes ſuos maximè colere debent, ip
ſos tamen maiori cum ratione, & iu-
ſtiori titulo oportet honorare, quando
iuſti ſunt, ac ſancti. Nam propter pa-
rentes ſanctos ſolet Deus magna bene-
ficia filijs conferre. Tres illi uiri, quos
Deus tanti fecit, & quorum amicitia
ſe ita honorauit, ut Deus Abraham,
Deus Iſaac, & Deus Iacob appellari uo
luerit: hi, inquam, tres uiri habebant in
ſuis nominibus primam literam, a, uo-
calem duplicatam, ſcilicet Abraham,
Iſaac, Iacob. Quod profectò myſterio
non uacat: nam, a, prima litera eſt, &
principium totius alphabeti, & elemen
torum, ex quibus dictiones formãtur,
& hanc non ſimplicem, ſed duplicatam
habebant quoniam litera, a, ſignificat
fidem, quę ianua eſt, & principium om
nium uirtutum: hanc autem fidem ſan
cti illi uiri non ſimplicem, ſed duplica-
tam & uiuam per charitatem habue-
runt, & quia illi in fide uiua, & charita
tiua adeo perfecti extiterunt, idcirco
in cunctis benedictionibus, quas Deus
in lege Hebræis impertiebat, dicebatur
Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Ia
cob. Vt per hoc inſinuaret, quod ſi eis
beneficia conferebat, non propter meri
ta ipſorũ id faciebat, ſed quia filij erant
tam ſanctorum Patrum quales Abra-
ham, Iſaac, & Iacob fuerunt. Erant

Iudæi in ſuperbiam, & præſumptionē maximè propenſi, vt autem Deus ſubmitteret eorum elationem, ac ſuperbũ animum, quem ipſi habere poterant, videntesq; quanta ſolicitudine Deus ipſorum curam haberet, eisque auxiliũ, & fauorem in omnibus præſtaret, idcirco in benedictionibus, & in collatione beneficiorũ eis dicebat. Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob. Quaſi diceret. Ne ſuperbiatis, & efferamini, eo quòd ego in vos tot beneficia conferã, nõ enim illa facio propter vos, ſed propter parentes veſtros, idcirco eis & non vobis hoc tribuendum eſt, & in gratiã referendam.

HONOR PROXI-mis debitus.

MAXIMA Crux, & tormentũ fuit Chriſto Redemptori noſtro, impium atque execrandum Iudam, cum in peccato mortali eſſet, vltimo die cœnæ communicare. Quare ergo Domine ei tuum ſanctiſſimũ corpus ſumendum tribuis, ſiquidem anima eius peruerſa corruptione ſcatebat? Vt honorem eius obſeruem, nolo.n. vt ſocij, & cõmilitones eius intelligãt, eũ proditorem eſſe, quouſque ipſe ſe manifeſtet. Animaduertite quanti faciat Dominus impij Iudæ honorẽ, & qualiter velit potius crucem illam pati, quã ipſum communicatione priuare, ne videlicet execrandus Iudas honorẽ amitteret, per quatuor horarum ſpatium. Et aliqui ſunt adeò deprauatæ conſciẽtiæ, qui facillime proximos ſuos per totum vitæ tempus honore priuãt, quod profecto nefarium ſcelus eſt.

Iſidorus Clarius oratione de humilitate, tomo.1. Simile.

Homines etiam honorare non propter uirtutem, ſed propter temporalia bona, quæ poſſident, crimine non uacat. Vnde Iſidorus Clarius in quadam oratione inquit. Cætera ex ipſorum natura æſtimamus, & non ex adiunctis, ut ſi generoſum equum emere in animo eſt, nudum illum cernere uolumus. Quod ſi quis illum auro, aut gemmis opertum aduehat, ornamenta illa omnia auferri iubemus, dicimusq; illa eſſe impedimẽto, quominus integrè equi naturã ĩtueamur. Vbi vero de cuiuſpiã honore, & dignitate cogitamus, externa in primis, & quæ circa illum ſunt, tanquam equi phaleras obſeruamus, ac reueremur. Magnus, inquit, ille eſt. Quare? Princeps eſt, maximas habet opes: ſtipatores quam plurimos paſcit; curribus, & equis, & pretioſis ueſtibus honeſtatur, & has ob res, & his ſimiles in admiratione cæteris eſt, etiam ſi non ſolum virtute omni deſtituatur, ſed ẽt vitijs omnibus ſordidus ſit? O ingens ſtultitia, in qua (ut inquit beatus Chryſoſtomus) inſipiẽtiores pueris ſumus: ecce enim (inquit ſanctus Doctor) ſi puer uiderit hominem, nihil aliud uidet in eo, niſi hoc ſolũ quia homo eſt, non dignitatem eius intelligit, non cõſiderat veſtem illius; vir autem perfectæ ætatis cum hominem uiderit, nõ aſpicit, quia homo eſt, ſed ſtatim cogitat de dignitate illius, & æſtimat ueſtimenta ipſius; Vides ergo quia ſapientior eſt imperfectus puer, quam perfectus vir? Vir enim non hominem aſpicit, quem fecit Dominus, ſed ornatum, quem Diabolus adinuenit: puer autem non ornatum aſpicit, quem Diabolus adinuenit, ſed hominem, quem Deus creauit.

B. Chryſo. homil. 32. ope. imper. Simile.

HOSPITALITAS.

HOſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio recepti, inquit beatus Paulus ad Hebræos ſcribẽs. *Ad Hebr. 13.* Loquitur ſanctus Apoſtolus cum illis Hebræis, quibus paulo ante dixerat. Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis. Et quamuis illi in paupertate, & egeſtate eſſent, eò quod opibus, & diuitijs ſuis à latronibus ſpoliati eſſent, eis tamẽ ſanctus Apoſtolus hoſpitalitem commendat, quaſi dicat. Quanquam nunc pauperem vitam agatis, veſtriſq; bonis priuati ſitis, ego tamẽ uos ò fratres mei obſecro, ut ex his bonis licet paucis, quæ uobis remanſerũt peregrinis, & aduenis aliquid impartiamini. Plurimos enim legimus Deo placuiſſe, eo quod ſe in ſancta hoſpitalitatis uirtute exercuerunt. Ex quorũ numero Patriarcha Abraham, & ſanctus Lot fuere, qui ſanctos angelos humana *Gene. 18. & 19. ca.* figura uenientes gratiſſimo hoſpitio receperunt. Si ergo Diuus Paulus hoſpitalitatis virtutem pauperibus commẽdat, quantò magis diuitibus, & rerum abundantia affluentibus commendanda eſt? Hæc uirtus recipiendi hoſpitio peregrinos in uarijs ſacræ ſcripturæ locis magnopere laudatur, fuitque olim à uiris diuitiarum copia potentibus ualde exercitata, quorum domus velut pauperum, & peregrinorum hoſpi- *Iob. 31.* talia quædam erant. Sanctus Iob quid domi ſuæ faciebat, fatetur dicens. Foris non manſit peregrinus, & oſtium meũ uiatori patuit. Nec hi ſancti uiri contenti erant in domos ſuas aduenas, & uiatores hoſpitio recipere qui ad ſe diuertebant: ſed ipſos ad ianuas ciuitatum, & ad exitus viarum expectantes, *Gen. 19.* & quærentes ad ſe trahebant. De eodẽ ſancto Loth ſacra refert ſcriptura, quod ſedente in foribus ciuitatis venerunt duo angeli, ipſe autem ignorans vtrum angeli eſſent, ſed reputans eos peregrinos iuit (ait ſacer textus) obuiã eis, adorauitque pronus in terra, & dixit. Obſecro Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi, lauate pedes ueſtros, & manè proficiſcemini in uiam veſtram. Id ipſum Patriarcha Abraham feciſſe refertur, qui ad ianuam domus ſuæ uiatores expectans, ut eos ad hoſpitium inuitaret, meruit videre angelos tranſeuntes, quos ipſe exiſtimans homines eſſe, importunis precibus deprecabatur, ut domi ſuæ manerent. Itaque domus Principum, qualis erat domus Iob, Abrahã & Loth erant olim hoſpitalia, in quæ ſe pauperes recipiebant, ipſi autem ſancti uiri *Gen. 18.* erant hoſpitatores, vxores vero eorum hoſpitatrices, quæ ipſis pauperibus maxima cum humilitate, & reuerentia miniſtrabant. Nunc proh dolor hæc hoſpitalitatis uirtus iam cecidit: nam hoſpitalia ſunt illæ domus, quæ pauperiores ſunt, & quę ruinam minari uidentur, & quæ pauperrima ſupellectilia habent, & ſindones temporis diuturnitatẽ conſumptos, lectuli eorum ſunt aridæ paleæ, domicilia, & cameræ abſque tecto; cibus denique ferè nullus eſt. Et ſi hoſpitalis aliquot redditus recipiuntur, omnes in mercede miniſtorum inſumuntur: cuius rei inculpa ſunt rerum publicarum moderatores; & maximè eccleſiaſtici, quorũ magni intereſt pauperum rebus ſubuenire. Aduerſus iſtos abhinc mille quingentos & octuaginta annis ſententia promulgata eſt per os ipſiuſmet Dei humanati. Tũc (ait ſanctus Matthæus) dicet Dominus ijs, qui à ſiniſtris erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius. O Chriſte fons miſericordiæ infinitę quæ

re

re Domine tam rigidam, & ſeuerã ſententiam aduerſus iſtos prolaturus es? Num quia homicidæ fuerunt, aut quia latrones, aut graſſatores, vel conuentores, aut adulteri fuerunt? Licet hæc crimina non fuerint perpetrati, in eis tamen hæc ſententia executioni mandabitur, & ipſe Dominus cauſam eius manifeſtabit dicens. Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Si ergo in domos veſtras me nõ recepiſti, nec ego vos in meam recipio, ite maledicti in ignem ęternũ. Per veſtram igitur ſalutem fratres mei vos oro, atque obſecro vt miſericordiã erga proximos veſtros habeatis, iuxta id, quod poteritis, & prout poſſibilitas veſtra expoſcerit in domos veſtras recipiatis, vt & vos Dominus in ſua æterna domicilia recipiat. Diſcite ab illis ſanctis antiquis patribus, qui tam efficaciter peregrinos deprecabantur, vt apud ſe hoſpitarentur ſicut videre eſt in ſancto Loth, qui eos hoſpites, qui fingebant ſe apud eum non poſſe ſiſtere, ſed vlterius progreſſuros, compulit oppido, hoc eſt, maxima cũ efficacia, vt diuerterent ad eum. De illis etiam diſcipulis, qui in caſtellum Emaus ibãt, ait ſacer euangeliſta Lucas, quod cum Dominus eis in forma peregrini apparuiſſet, fingeretq; ſe lõgius ire, ipſi coegerunt illum dicentes. Mane nobiſcum quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Vnde beatus Gregorius in homilia illius euangelij inquit. Ex quo exemplo colligitur, quòd peregrini ad hoſpitium non ſolum inuitandi ſunt, ſed etiam trahendi. *Luc. 24.*

HVMILITAS.

Iob 9. c. Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquẽti: inquit ſanctus Iob. Satis profecto indicat huius ſancti viri hiſtoria, ac rerũ ordo, qualia fuerint ſtudia eius. Nam diluculo ſurgens pro ſingulis filijs offerebat holocauſta, & liberorum peccata diligenter expiabat, non tantum externa, uerum etiam & ipſos mentis cogitatus: dicebat enim. Ne forte benedixerint Deo filij mei in cordibus ſuis, pro male dixerint. *Iob 1.* Proximi charitatem, & veram amicitiæ rationem ità coluit, ut ipſe dicat. Flebam ſuper eum, qui afflictus erat. Nec defuit ſummũ pietatis ſtudium, qui dixit. Oculus fui cæco, & pes claudo. Multa de ſumma continentia, de humilitate potuiſſem dicere, de ſumma in pauperes liberalitate, de iudicis officio, magiſtratus munere rectè adminiſtrato, quæ omnia, ut decebant virũ ſanctum, ſuo loco & tpe beatus Iob eſt executus. Quid ergo eſt (inquit beatus Gregor.) quod ſanctus vir, qui egregiè adeo pietatis opera ſẽper fuit executus, dicat. Verebar omnia opera mea? Docemur ergo (inquit ſanctiſſimus Doctor) vt ſi placere Deo ueraciter cupimus, poſtquam peruerſa opera procul abegimus, ipſa etiam rectè geſta, humilitate ſcilicet, timeamus. Ac deinde oſtẽdit diuinus præſul, quid ſingulis actionibus iuſtis hominibus ſit pertimeſcendum. *B Greg. ſuper hunc locum.* Timenda eſt, inquit, deſidia, timendaque fraus. Nam cũ hominem maledictum exiſtimat Hieremias, qui opus Domini & deſidioſè facit, & fraudulenter. Naſcitur vero deſidia à torpore, fraus vero à priuato amore cuiuſque noſtrum: at de fraude propriam ſententiam explicans B. Greg. inquit in hunc modum. Fraus committitur, cum noſtris operibus, aut tacitam humani cordis gratiam, aut popularẽ auram, aut rem quamlibet exteriorem deſideramus. Vnde per Prophetam de iuſto homine dicitur. Beatus uir, qui excutit manus ſuas ab omni munere. Is ergo in bonis operibus fraudem non facit, qui uirtutis ſplendore delectatus,

& incitatus Dei amore, ſola uirtute cōtentus in ſtudia pietatis cum maxima humilitate incitatur. Concludit tandē B.Greg. hęc eſſe verba cuiuſpiam humilis confeſſionis, ac ſi dicat S.Iob. Quid apertè egerim uideo, ſed quid latenter pertulerim, ignoro. Obſeruandum eſt tamen, non dixiſſe ſanctum Iob; Sciens quia non parceres ei, qui aliquando deliquit, ſed delinquenti actualiter, & non pœnitenti. Inquit autem ulterius ſanctus Iob, verba humilitatis plena. Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea. Locus iſte difficilis eſt, atque loci difficultatem vehementer auget doctrina beati Gregorij ſuper hunc locum, inquit enim. Interim quod pœna corruptionis aſtringitur, quantumlibet rectis operibus inſudemus, veram mũditiam nequaquam apprehendimus, ſed imitamur. Hinc argumentum oritur. Si nemo ſanctorum veram munditiam, & exactam in operibus aſſequitur, ſed tantum ea refert, & imitatur, nulla ergo actio à iuſto homine procedit, quæ nō aliquo ueneno ſceleris ſit infecta. Ad explicandam B.Gregorij ſententiam illud aduertendū eſt, quod comprehenſorum manus appellat mundiſſimas, hoc eſt, beatorum opera, & ueram munditiam appellat eā, quæ inter cœleſtes illos ſpiritus, atque fœlices inuenitur. Sanctorum vero opera, interim, quod in terris verſantur, ſimillima quidem eſſe beatorum actionibus, non tamen poſſe peruenire in hac vita ad illud puritatis faſtigium. Ob eam rem fortaſſe Iob non dixit. Et fuerint mundiſſimæ manus meæ, ſed ſi fuerint velut mundiſſimæ. Quod ergo dixit B.Greg. Non apprehendimus ueram iuſtitiam, ſed imitamur, perinde eſt ac ſi dixerit. Ad illam fœlicium mentium puritatem nōdum pertingimus, tum propter carnis corruptionem, tū propter fœdas, & nefarias appetitiones, quæ humanam mentē uehementer perturbant. Vnde B.Greg. poſt multa concludit. Dicat ergo vir iuſtus cū S.Iob. Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint tanquā mundiſſimæ manus meę: ſordibus tamen intinges me, & abominabuntur me ueſtimenta mea. Quia quantumlibet in compunctione contemplationis ad ſummam conſcenderit, quamuis ad pietatis opera exequenda magno ſtudio ſe accinxerit, indignum tamen aliquid adhuc de corpore mortis ſentit, & ſe abominabilem conſiderat in multis, quæ de pondere corruptionis portat. Beatus ergo Gregorius in his uerbis nunquam docet eadem opera iuſti hominis, & bona eſſe, & mala. Sunt qui velint, ſanctum Iob geminam his verbis puritatem ſignificare voluiſſe, quarum altera pœnitudine conſtat, altera uero cum ſumma innocentia coniuncta eſt. Priorem puritatis partem puritatis partem ſignificauit, cum dixit. Si lotus fuero aquis niuis; nam aquæ niuis, aut quæ ex ſolutis niuibus gignuntur, peculiarem habent uirtutem expurgandi: poſteriorem uero puritatis partem expreſſit, cum dixit. Et fulſerint uelut mundiſſimæ manus meæ. Appellatione autem manus actionem ſignificat more ſanctarum Scriptuarum. Igitur ſi utrāque puritatis partem nactus fuero, ſordibus tamen intinges me. Quæ ſunt ad iuſtitiam humanam cum diuina comparatam referenda. Vt enim ſol fulgentiſſimum aſtrū res puriſſimas quaſque ſuo ſplendore, & luce impuras, atque fœdas eſſe oſtendit: ſic & diuina iuſtitia, & innocentia humanæ comparata. Idem inquit, ſanctus Iob. Sordibus intinges me. Omnis enim humana ſapientia, ignorantia eſt, ſi eam velis ad diuinam ſapientiam exigere. Idem dicitur de innocētia, & puritate; tunc enim ſatis deprehenditur quanta ſit inconſtantia humani cordis, quanta ignorantia, & rationis debilitas, quam peruerſæ affectiones mortalium, cum mentis aciem in diuinam ſapientiam, atq; immutabilitatem defiximus. Et ad rem exaggerandam ſubiecit. Abominabuntur

B.Greg ſuper hunc locum.

Simile.

tur me ueſtimenta mea. Venuſte profecto dictum ad ſignificandam, quam habet homo munditiæ defectionem, & impuritatem. Inquit ergo. Cum me puriorem exiſtimo, & ab omni labe prorſus alienum, ſi ante conſpectum tuum venire contigerit, tum maximè immundum, & deprehendo & agnoſco, ita ut uel me iudicante, & ſententiam ferente iure veſtes meæ meum ornare, aut contegere corpus dedignentur. Nanque videntur indumenta mea veluti in iudicium aduerſum me inſurgere, ac dicere ſingula. Quid tam immundum operimus corpus, cuius victu, & coniunctione nihil aliud, quam meras ſordes nobis comparabimus?

Humilitas comparatione augetur.

Cant. 1. AVdiens Sponſa in Canticis ſponſum dicentem ſibi. Ecce tu pulchra es amica mea, eiſdem verbis ſponſo reſpondet, dicens. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Quibus verbis & ſponſo tribuit veram rationem pulchritudinis, & à ſeipſa pulchritudinem & venuſtatem, aut venuſtatis appellationem depellit, nō quod ipſa pulcherrima non ſit, sed quod ſponſi comparatione turpis ſibi ipſi uideatur. Quemadmodum Simile. igniculus lucernæ profunda noctis caligine utilis quidem eſt, exorto tamen ſole prope nihil eſſe videtur. Ad eundem modum ſpōſa ſciebat quidem, ſe pulchram eſſe, uerum tamen cū ſuam pulchritudinē ad ſponſi pulchritudinem referebat, turpis ſibi videbatur, & indecora, ideoque tanquam ſeipſam abijciens, atque proſternens in hæc verba prorupit. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Quaſi dicat. Tu me pulchram, tu uenuſtam appellas: ego vero ſi meam venuſtatem cum tua pulchritudine compono, te pulchrum, te decorum iudico: in me vero nullā penè uenuſtatis rationem deprehendo: nam obſcuratur ſcintilla iſta coram tāto ſplendore. Eſt huius rei conſideratio Chriſtiano animo vehementer neceſſaria, vt ſcilicet res ſuas omnes, quantumuis magnas, & amplas ſemper cum ſpōſo componat, aut cum ſponſi rebus cōferat, illaſque exigat ad illius maieſtatem, & amplitudinem. Res enim vna eſt, quæ maximè poteſt carnis impetus coercere, & inanes motus, & cuneus reprimere. Sapiens tibi videris, conferas, ſi libet, ſapiētiam iſtam cum ſapientia ſponſi. Iuſtus tibi videris, iuſtitiā iſtā, & æquitatem omnem cum ſumma, & admirabili iuſtitia ſponſi componas. Potens, diues, nobilis, pulcher tibi videris, hoc omnes titulos exigas ad potentiam illam, ad nobilitatem ad pulchritudinem ſponſi dicens ſanè cum ſponſa. Ecce tu pulcher, decorus, ſapiens, potens, diues, nobilis. Hinc, vt arbitror, ſanctorum inſignis illa humilitas proficiſcebatur, vt ſeipſos peccatores, ſceleſtos, flagitioſos appellarent: id quod B. Paulus non uno tantum in loco facit libenter, pietatem ſuam, & animi cādorem, & integritatem uitæ non cum hominibus conferebat, ſed cum Deo; ob eamque cauſam humiliter adeò, atque demiſſè de ſe ipſis ſentiebant, ſponſo tribuentes omnes iuſtitiæ, & integritatis partes. Nos uero in crimen ſuperbiæ, & arrogantiæ frequenter incurrimus, eo quod res noſtras non cum ſpōſo, ſed cum ſtultis hominibus conferimus. Quia autem Deus humilibus dat gratiam, & diuinos ſuos fauores communicat, poſt hunc ſponſæ profundę humilitatis actum ſtatim ipſa adiecit. Lectulus noſter floridus. Vbi græcus interpres tranſtulit. Lectulus noſter condenſus. Quæ ad eandem rem videntur pertinere. Nam floridus lectulus dicitur paſtorico modo, quaſi lectus ipſe florenti arbore, & nimium opaca fuiſſet opertus. Collaudat proinde ſtratū, ſiue lectulum, primo quod ſit floridus, deinde vero (vt vtramque complectamur translationē) quod ſit vmbroſus. Non enim poterat ſponſæ talis lectulus nō eſſe gratiſſimus, quæ ſolis ardorib.

(ut

(vt ſuperius ipſa dixerat) & æſtibus; vrgentiſſimis fuerat vexata; ſiam vi nearum cuſtodia illi fuerat delegata, ob eã que rem varias cœli iniurias, magi ſtam que interperiem perpeſſa. Quo fit, ut præſenti carmine lectulum ſponſi mirificè commendet, vbi omnia florida, opaca, vmbroſo, & ab iniurijs temporum tutiſſima eſſe videbat: quæ omni- conſolationes ſpirituales, quæ à diuino ſponſo humilibus mentibus communicantur, ſignificant. Etiam ſæpiſſime contingit, vt animæ, quæ ardoribus ſolis, carnis æſtibus, & in tempe rantia mundi, dæmonisque aſtutia deceptæ, aliorumque hoſtium iniurijs fuerunt expoſitæ: cum denuo ad uirtu tem faciunt regreſſum, ſemelque expe riuntur fœlicitatem huius lectuli ſponſi Chriſti Ieſu, damnatis, & repudiatis prioribus maritis, contemptis eorum lectulis, reiecta anteacta vita de ſolo ſponſi lectulo cogitant, illum etiam ſummis laudibus celebrãt. Habet enim hic mundus, habuitque ſemper ab initio conditi orbis ſuos lectulos, habuit ſua cubicula, ſed lectulos duriſſimos, plenos ſpinis, ardorib, ſolis expoſitos, in quibus nũquam licet quieſcere, aut tranquillè agere. Vide quod habeant peccatores homines perditi, & profligati lectulum: Abundent diuitijs, & opibus, ſi uelis, uoluptatibus carnis, & oblectamentis ſint immerſi, ad apicem, & culmen dignitatis, & honoris, ad ipſum etiam faſtigium imperij ſua induſtria, ſolertia, & artibus, & ſtudio ſint euecti: quid uero niſi ſponſum amant, & diligunt: quamuis is lectulus gratiſſimus aliquando ab illis iudicetur? Accede tamen propius, illos inter roga, ipſi teſtes agant, & iudices, illorum expecta iudicium, ferant ſententiam, quid de lectulo iſto ſentiant. Re ſpondebunt ſanè. Lectulus noſter durus, aſper, ſpinoſus, ardoribus, & æſti bus expoſitus, non licet in illo uel ad breuiſſimum temporis momentum cõ quieſcere, omnia ſunt in illo plena ſolicitudinibus, anxietatibus, curis, timoribus, quę omnia inſtar ſpinarum nos diſcerpunt, & pungunt, & inſtar vrgentiſſimi ardoris, & caloris nos diuexant, & excruciant. Hinc urget conſcientia delicti, pudor ſceleris, timor ſupplicij: illinc uero ipſæ calamitates, labores, & ſudores, quibus ſcelera ipſa, & peccata parantur. Itaque floridus le ctulus, & vmbroſus una in domo inuenitur, in ædibus ſcilicet ſponſi ab humili ſponſa. Nam lectulus alius, de quo diximus, quamuis talis ſit, qualis depingitur à Salomone, cum mulier adultera iuuenem uecordem ad ſuos amplexus inuitabat, ſed nihil habet dulce, nihil gratum. Texui, inquit, funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloes, & cinnamomo. Ac deinde ſubiunxit: Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. Inter hæc omnia conſcientiæ ſtimulus vexat, & excruciat. *Prou. 7.*

Humilitas uirtus acquiſita eſſe ſolet multoties.

HVmilitas uirtus eſt, quæ acquiri poteſt humanis viribus, ſicut aliæ virtutes acquiſitæ, & naturales, vt docet B. Thom. licet non fuerit à Philoſophis cognita, quia (ut ait B. Paul. ad Roma. ſcribens.) Errauerunt in cogitationibus ſuis, &c. & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Nam uani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, ut dicitur in libro Sapientiæ. Quare nihil de humilitate dixerunt. Licet autem, vt diximus, humilitas virtus acquiſita dicatur, ratio tamen humilitatis potior eſt in humilitate infuſa: nam proprium principium humilitatis eſt, ſe cognoſcere, & Deo ſe ſubijcere, ſed p ſolum gratiæ munus cognoſcere poſſumus defectus noſtros, & gratiam, ac celſitudinem diuinam, ſecundum illud B. Pauli. Nos autem non ſpiritũ huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata

ſunt

ſunt nobis. Hæc uirtus vocatur à viris ſanctis fundamentum omnium virtutum, non quod alijs omnibus ſit præferenda: ſed vocatur fundamentũ, quoniam aufert impedimenta ſpiritualis ędificij. Sicut quando in ędificio fundamenta aperiuntur, extrahuntur ea, quę impedire poſſunt. Sic quia humilitas aufert ſuperbiam, quæ maximè impedit ſpiritualem ſtructuram, quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, ideo dicitur fundamentum. Super hoc fundamentum ſua dona altiſſimus iactat, vt ſanctus Iſaias his verbis manifeſtat. Hęc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem, & cum contrito, & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, vt viuificet ſpiritum contritorum. Quia vero hæc uirtus, acquiſita eſt, ſcire debet homo quomodo acquiratur, quæ tot commoda affert. Et dico, quod licet virtutes potiſſime ſedem habeāt in potentijs interioribus, tamen pręcipuũ negotium eſt adhibendum circa exteriora. Nam conſentaneum eſt, hominē per ſenſibilia ad interiora deduci, propterea uolenti parare habitum abſtinētiæ exteriora neceſſaria ſunt, nempè ieiunia, ſobrietates &c. & hoc potiſſimè in humilitate neceſſarium eſt, non tantum quia à facilioribus eſt inchoandum, ſed quia per exercitium humilitatis paulatim abſcinditur verecundia ſeruandi ea, quæ coram hominibus deſpectibilia apparent, & ideo qui vult acquirere humilitatem ab exterioribus debet incipere. Vnde inſtituta ſunt huiuſmodi exercitia in religionibus. Hæc docet B. Thomas.

1. ad Cor. 2. *Iacob. 4.* *Iſai. 57.* *D. Thom. 2. 2. q. 161 art. 6. ad 2.*

Humilitas quomodo probatur.

Vera humilitas in exaltatione probatur, ita enim de Chriſto Ieſu Redẽptore noſtro dicitur in Pſalmo. Exaltatus autem humiliatus ſum. O ſtupendum exemplum, & his diebus ualde neceſſarium. Quis noſtrum dicere poteſt. Exaltatus autem humiliatus ſum? Vbi nota quod Propheta Sanctus non intendit ſignificare inuoluntariā humiliationem, cum inquit; humiliatus ſum, ſcilicet ab alio, quia verè humiliauit ſemetipſum Dominus Ieſus factus obediens vſque ad mortē, mortē autem Crucis ut inquit B. Paulus. Hūc ergo cæleſtem magiſtrum ſequi in omnibus debemus, maximè vero in humilitate. Tanta autem eſt humilitatis excellentia, ut iuſtos permittat Deus perſequi, tribulari, & tentari propter eius conſeruationem: Cum enim familiarius cum ipſo conuerſantur, ad humilitatis doctrinam, quæ conceſſa dona cōſeruat, in varias incidunt tentationes, per quas exercentur, roborantur, & humiliantur, & in ſolo Deo omnē fiduciam ſuam ponere docentur, nihilque de ſua virtute pręſumere, ſed à Deo omne auxilium eſſe quærendum. Hæc omnia deſiderat Dominus in tribulationibus iuſtorum, vt conſumentur. In quibus beatus Paulus primatum tenuiſſe uidetur: ad cuius comprobationem ſufficiat locus ille. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam viuere, ſed ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitauit mortuos, qui de tātis periculis nos eripuit, & eruit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet adiuuantibus, & uobis in oratione pro nobis, ut ex multarum perſonis facietum &c. Ob ſerua quanta preſſura hæc doceat B. Paulus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo. Ecce uetam humilitatem, ecce ſpem pro futuris calamitatibus, Adiuuantibus vobis. Vide quantum Apoſtolus fidelium erigit orationes. Non ſolum uero propter humilitatem permittit Deus iuſtos perſequi, ſed B. Auguſtinus ſuper Matthęum inquit. Audeo dicere. Superbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipſo, in quo ſe extollunt, humilientur: quid enim prodeſt cui eſt continentia

Pſal. 87. *Ad Phi. 4* *B. Aug. ſuper Matt.*

tia ſi dominetur eum ſuperbia. Vnde B. Gregorius ait, Nihil ualet apud Deum, aut ſuperba caſtitas, aut humilitas inquinata. *B. Grego. lib. 21. moral. c. 2.*

Humilitas conuerſis maximè neceſſaria.

DOcendi ſunt pœnitentes, ut humilitatem poſt remiſſionem criminum maximè colant: hoc enim uniuerſa ſcriptura docet. Sed locum illum accipe à beatiſſimo Paulo, qui cum in aures omnium hominum perpetuo canenda crimina ſua deſcriberet, ad Timothæum inquit. *1. ad Ti. 1.* Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quia Chriſtus Ieſus uenit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorũ primus ego ſum. Hic primus idem eſt, quod maior, uel excellens, ſicut exponit B. Auguſtinus. Primus ſum, inquit. Quid hoc ſibi uult? quare ſic loqueris o beate Paule? Nonne plenus Spiritu ſancto tu es? Nõne confirmatus in gratia? Nonne gentium Apoſtolus per Deum? Certè ſic. Quare ergo dicis ſum? Quare non dicis. Quorum primus fui? Attende qualiter ſeruat humilitatem B. Apoſtolus, docet illam, etiam ſi ad culmen uirtutum, & ad tertium cœlum aſcenderit. Certum eſt quod remittens Deus peccata gratiam donat, & diuitias donorum ſuorum, non tamen facit quod aliquando nõ peccauerimus, hoc enim ſolo priuatur Deus, ſcilicet ingenita facere, quæ facta ſunt, nec condonans peccata facit, quod nunquam peccauerimus, quia hoc factibile non eſt. Hoc conſiderans ſanctus Apoſtolus de præſenti loquitur, nec reſpicit, quod per diuinam gratiam eſt, ſed quod fuit, & qđ certe eſſet in æternum, niſi Dei gratia illum præueniſſet. Primus ſum, inquit, omnium peccatorum, quos Dominus Ieſus uocauit. Accipe ergo & tu gratiam, quam tibi concedit altiſſimus, & miſericordiam ad humilitatem, & ad concelebrandum diuinas laudes, & ad glorificandum Deum in miſerationibus ſuis multis; & attende, quod fuiſti, ut humilieris. Ad quod maximè conducit, quod B. Grego. in quadã homilia docet dicens. *B. Gregor.* In cunctis, quæ agitis, radicem boni operis humilitatem tenete, ne quibus iam ſuperiores, ſed quibus adhuc inferiores eſtis, aſpicite, ut dum meliora uobis exempla proponitis, ad maiora ſemper aſcendere ex humilitate ualeatis. Quando id, quod ſcribitur recens eſt, ne deleatur, puluere cõſpergi ſolet: *Simile.* ſic animæ quæ recenter à pœnitentia exierunt, & ſcriptæ ſunt nouis uirtutibus, [*y con maravillosos matizes del*] Spiritu ſancto, ne à mundo deleantur, & polluantur, opus eſt, ut puluere cooperiantur, uidelicet conſideratione ſuę infirmitatis, & miſerrimi ſtatus, in quo erant, & à quo Deus eas eripuit, ut ſic gratas ſe exhibentes in bono perſeuerent. Attende tamen, multos eſſe, qui ſe peccatores uocant, quod tamẽ ab aliis audire nolunt, iſti profecto uere humiles non ſunt, indicia enim veræ confeſſionis (ut ait B. Gregorius) ſunt ſi cum quis ſe peccatorem dicit, id de ſe etiam alteri dicenti non contradicit. *B. Gregor. lib. 22. moral. c. 24.*

Humilitas neceſſaria omnibus.

BEatus Auguſtinus in epiſtola ad Dioſcorũ ait. *B. Auguſ. epiſ. 36. ad Dioſcorũ tomo. 1.* Sicut rhetor ille (uidelicet Demoſtenes, quem hic ſanctus Doctor intelligit) cum interrogatus eſſet, quid ei primum uideretur in eloquentiæ præceptis obſeruari oportere, pronuntiationem dicitur reſpondiſſe. Cum quæreretur, quid ſecundo, eandem pronuntiationem, quid tertio nihil aliud quam pronuntiationem dixiſſe. Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem putes. Eſſe autem ueram, & falſam humilitatem oſtendit Eccleſiaſticus his uerbis. *Eccl. 19.* Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo: & eſt iuſtus, qui ſe nimium ſub-

ſubmittit à multa humilitate. Hac falſa humilitate nonnulli opes ſuas relinquunt, eas in pauperes conferendo, hoc tamen efficiunt, ut alias multo ampliores obtineant. Vt enim falco accipitrũ uelociſſimus arripere cupiens ardeam auem altè uolantem, non ſtatim cum primum eam uidet, ad eam rectò tendit uolatu, ſed potius primo curſu, & anfractu uidetur eam relinquere, & cõtemnere, & ab ea fugere, & ſeparari; ardea tamen licet eum uideat quaſi fugiẽtem, uociferat, & clamat miſerabiliter, quia nouit eum ex induſtria hoc facere, & ita ſecundo uolatu, aut tertio ad eam admirabili tendit impetu, & incredibili uelocitate, ut illam unguibus rapiat in aeris altitudine. Sic ficti & falſi humiles primo anfractu uidentur aliquando mundi opes, & dignitates relinquere, & aſpernari, ſed hoc fingunt, ut eas altiores aucupẽtur cum illuſtriori nominis amplitudine, & celſitudine; ſecundo enim aut tertio uolatu mira celeritate, & induſtria eas arripere conantur. Nihil eſt illis magis corde, nihil magis in optatis, quam ea conſequi, quæ deſpicere uidentur. Verè autem humiles non hæc quærunt, ſed ſolum ſummum bonum, quod uera humilitate comparantur. O mira humilitatis potentia, quæ, dum ſe proſternit, altiſſimum ſuperat. Sicut fulmen dura, & ſibi obſiſtentia diruit, blanda uero, & ſponte cedentia non lædit. Sic Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Hinc illud Iſaiæ. Hæc dicit ſublimis, & excelſus habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius, & cum humili, & contrito ſpiritu, ut uiuificet ſpiritum, & uiuificet cor contritorum. Quod ſi quæras cur tam grata hæc virtus Deo ſit, ac tantopere in ſacris literis commendetur? Multæ cauſæ reddi poſſunt, ſed illa in primis, quod humilitas mentem hominis tractabilem, & ad omnem uirtutis formam maximẽ idoneam facit. Vnde quemadmodum prima cura eius, qui vel ceram, vel ferrum in figuras varias transformare cupit, in eo ponitur, ut hanc materiam emolliat. Ita qui cunq; mores ſuos ad euangelicæ uitæ normã formare cupit, hoc primum curare debet, vt animum ſuum humilitatis virtute molliat, quo ita facilè ſe Deo, ac maioribus ſuis ſubijcere, & in omnem virtutis habitum transformare valeat. Hæc omnia cęleſtis ille ſponſus in lib. Canticorum inſinuat, ſeipſum lilium conuallium, & non montium, aut collium appellans, quoniam is ſuperbas à ſe mentes repellens, in cordibus humilium tanquam in ima valle naſcitur. Vocatur autem lilium eo quòd puritatis ſuæ candore, & odore mirè horum mentes afficit. Humilem denique ſeruitutem Deo gratiſſimam eſſe declarat ſponſus, cum ait, deſcendiſſe ſe in hortum nucum, vt uideret poma conuallium. Vbi pomorum nomine, bona opera: conuallium vero humilitatem deſignari notiſſimum eſt. Hæc ergo pietatis opera in conualle humilitatis orta non dubium eſt, quin Deo gratiſſima exiſtant.

Simile. *Simile.* *Iſai. 57.* *Cant. 2.* *Cant. 6.*

Humilitas.

AD humilitatem conſequendam maximè conducit propria ſui cognitio ad quam poſſunt adduci omnia, quę ſupra diximus in titulo, cognitio ſui ipſius ſub litera C.

Humilitas quomodo requiritur.

QVemadmodum eſt infallibilis veritas ea, quam Chriſtus Redemptor noſter apud Diuum Lucam protulit, ſcilicet. Nemo bonus, niſi ſolus Deus: ſic vnus duntaxat fons bonitatis eſt, atque ita vbicunque bonitatem cõſpexerimus, eam ab illo vberrimo fonte, qui eſt Deus, naſci, & emanare credere debemus. Sicut ſi vnus ſolummodo fons aquæ dulcis in toto terrarum orbe eſſet, vbicunque aquam dulcem reperi-

periremus,abſq; dubio eam ab illo fon te promanare diceremus. Ita ſiquidem vnus bonitatis ſolus fons eſt, videlicet Deus, ubicunque bonitatẽ uiderimus, ei proculdubio tribuenda eſt, cumque in nobis aliquid boni ſenſerimus, liberaliſſimum illum,ac boniſſimum Dominum collaudemus, & glorificemus, cui placuit eam nobis donare, ex qua nos commodum elicere oportet. Atq; ita poſſumus aliquo modo dicere. Nemo humilis,niſi Chriſtus Ieſus. Tunc enim aliquis humiliari dicitur, quando à ſe, & ab authoritate, & dignitate uſa aliquid aufert. Veluti ſi Epiſcopus relicto ſedili epiſcopali, aliud eligeret inferius:at quãdo aliquis adeò infimę, & abiectæ conditionis eſt,vt inferior eſſe nequeat, hic humiliari non poteſt, quoniam inferiorẽ locum, in quo collocetur,non habet. Sic cũ locus humani generis ſit nihil(de nihilo enim con diti ſumus)cúm nos nihili reputamûs, nequaquam nos humiliamus, ac ſubmittimus: noſtrum enim ſumimus ꝓprium locum:& qui locum,qui ei com petit capit, humiliare ſe minimè dicitur. Cum ergo omnes peccauerimus, licet nos paruifaciamus & minus quã nihili reputemus,non ideo tũc nos humiliamus: is enim proprius noſter locus eſt:nam qui peccat minus eſt,ac peius quam nihil, ſiquidem nihil Deum non offendit. Licet uero nos minus, quam nihil reputemus, non ideo humiles ſumus,ſed Deus propter bonitatem ſuam reputat,& acceptat humilitatem noſtram, quando nos uilem, & abiectum locum noſtrum cognoſcimus exiſtimamusque nos alio altiori mini mè dignos eſſe.Solus itaque IeſusChriſtus verus mundi Saluator veram, atq; perfectam habuit humilitatem. Nam (ut ait D.Paulus) cum in forma Dei eſſet,non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe ęqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo,humiliauit ſemetipſum &c. Et non tãtum hic diuinus Reparator eſt ſolus,ac uerus humilis, uerum etiam fons humilitatis. Ab eo igitur illã humiliter expoſcere debemus, ſicut beatus Auguſtinus in ſuis meditationibus faciebat,cum ait. Redemptor meus expelle à me ſpiritum ſuperbiæ, & concede propitius theſaurum humilitatis tuæ. Hanc ſolam uirtutem ſanctus Doctor (cum alias plurimas ibi à Deo poſtulet, ac de aliis plurimis ibi agat) theſaurum humilitatis appellat: illa enim mentem ditat, eam ad alias uirtutes, & ad diuinorum donorum theſaurum diſponens. O utinam hunc cæleſtem theſaurum conſequeremur, & humilitatem illam adipiſceremur, quam ſanctus Rex Dauid habuit, cum dicebat. Domine non eſt exaltatũ cor meum,nec elati ſunt oculi mei,nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me. Sicut ablactatus ſuper matrẽ ſuam,ita retributio in anima mea. Pro quo alii uerterunt. Qualis ablactatus erga matrem ſuam, talis in me anima mea. O admirabilem ſancti uiri humilitatem? Sicut infans,qui nec pedibus, nec manibus, nec induſtria aliqua ſibi remedium aliquod pręſtare,uel ſubuenire poteſt, ſed totus à matris ſuæ charitate pendet,& in ea omnem ſpem ſuã fixam habet: ſic hic humilis Rex in nulla re huius mundi fidebat, quin potius omnem fiduciam ſuã humiliter in Deo collocabat. Rectè hic ſanctus vir ſeruabat dictum illud B.Chryſoſtomi, ſcilicet. Hoc verè magnum,& mirabile eſt quia is,qui verè magnus eſt, nihil de ſe magnum ſentit, aut loquitur, ſed omnium ſe vltimum iudicat,&ſalutem de ſola miſericordia Dei ſperat.

Ad Phi.2 · *B.Aug. li. medit.c.1.* · *Pſ.130.* · *B.Chry.de compunct.*

Humilitas dæmones ſuperat.

IN vitis Sanctorum patrum legitur diabolus B.Antonio Abbati apparuiſſe,& cum eo concertaſſe,& contendiſſe, dicens. Quid de te ò Antoni cogitas? Quanto meliorem,quam me te ipſum reputas? Quid plus, quam ego facis?

eis? Si tu ieiunas, ego nunquam comedo: ſi tu vigilas, ego nunquam dormio: ſi continens es, ego carnis paſſionis nũquam ſenſi: ſi tu pauper es, ego nunquã rem aliquam huius mundi poſſedi. vna dumtaxat re me excellis videlicet humilitate, qua te ipſum ad gratiam Dei, & dona ipſius humiliter diſponis: ego autem me nequaquam humiliare poſſum, & ſic ſola humilitate me ſuperas. Heu quot imitatores in hoc diabolus habet, qui licet plurimis uirtutib. præſtent, in ſola humilitate deficiunt. Vnde B. Ambroſius ſuper Lucam ait. Qui paupertate contentus eſt, non eſt contentus iniuria: & qui poteſt ferre uerbe rorum pœnas, exagitatur uerbo contumeliæ & qui poteſt adminiſtrationes contemnere, dolet aliquem ſibi honorificentia eſſe prælatum. Grande eſt in hominibus tenere humilitatis menſuram. Ex quibus uerbis conſtat humilitatem eſſe ualde certum diuinæ gratiæ ſignum. Quando aliquis ultimum pene ſpiritum efflauit, & experiri uolumus an omnino ſit mortuus, nec ne, plumam leuiſſimam ad os eius apponimus, quam ſi halitu ſuo nõ mouet, certiſſimum ſignum eſt, illum animam exhalaſſe, quod ſi eam licet tanti ſper à ſe expellit, & remouere facit, ſignum eſt illum adhuc uiuere. Per plumam uanitates huius mundi ſignificantur, pluma enim ſi forſan ſimul cum epulis, quas ſumimus, à nobis mãducetur digeſtionem impedit: efficit enim, ut id, quod manducatum eſt, & in ſtomacho erat, foras expellatur. Talis eſt vanitas, quæ profectionem animæ impedit, omnes enim cibi ſpirituales, quales ſunt orationes, vigiliæ, ieiunia, eleemoſynæ, ſi præcipuè propter uanitatem fiant, ſunt epulæ quæ ſimul cum pluma comedũtur, & quæ nullam animæ ſuſtentationem afferunt. Cum ergo hęc pluma nõ expellitur, ſignum eſt, hominem iã eſſe mortuum. At cum uanitates mundi, pompæ, ac magiſtratus contemnũtur, & abijciuntur, ſignum eſt, hominẽ adhuc in diuina gratia uiuere, & uerũ eſ-

Simile.

Simile.

se imitatorẽ cęleſtis magiſtri Ieſu Chriſti, de quo D. Ioannes ait. Cum cognouiſſet Ieſus, quòd uenturi erant, ut facerent eum Regem, fugit in deſertum. O rem ſtupendam, & admirandã? Cum ſanctiſſimus Ieſus in cuna eſſet dixerũt Magi. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Et in die palmarum dixerunt pueri. Benedictus, qui venit Rex Iſrael. Et ipſe ſupernus Dominus nihil contradixit, quando eum Regem vocabant, non tamen conſenſit, vt eum Regem facerent. Super quod B. Hilarius inquit. Dum ſupernus Dominus conſentit vocari Rex, & nõ vult in Regem conſtitui, inſinuat, quod ſtatum Regium, & omnes huius mundi honores uolebat iuſtè mereri, & etiam uolebat eos contemnere. In quo apertiſſimè docuit, debere nos eo modo uiuere ut omnibus mundi dignitatibus, & honoribus digniſſimus, uera tamen humilitate eos contemnamus, fugiamus, & pro nihilo faciamus? O quam procul ab hoc ſunt illi, qui dignitates, & honores, atque humanas laudes non ſolum concupiſcunt, verum etiam volũt propter bona opera humiles ab omnibus reputari, & laudibus efferri: de quibus B. Bernardus inquit. Appetere de humilitate laudem, humilitatis nõ eſt uirtus, ſed ſubuerſio. Verus humilis uilis uult reputari, non humilis prædicari, gaudet contemptu ſui.

Ioan. 6.

Humilitas quomodo conſeruatur.

VT Deus in ſeruis ſuis humilitatẽ conſeruaret, dona ſua illis diuerſis modis communicauit. Et ſic alijs quædam, alijs uero alia, & non omnia uni ſimul largitus eſt. Atque ita ubi nos legimus apud D. Paulum. Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, loco illius particulæ, multiſque modis, alia translatio habet, multi partite, & ita facit hunc ſenſum, ſicut Adamus expli-

cat. Deus olim in Prophetas ſuas parti tus eſt reuelationes, nec eas omnes uni ſoli communicauit, ſed quaſdam Prophetæ Iſaiæ aperuit, quas ſancto Hieremiæ occultauit: & econtra. Voluit autem hoc facere, uidelicet omnia ſua beneficia atque reuelationes uni dumtaxat non communicare, ſed in plures impartiri, ut nunſquiſque intelligens, & cognoſcens neceſſitatem, quam de fratre ſuo habet, ſe humiliet, & ſubmittat. Hoc etiam nos alibi docens S. Apoſtolus, inquit. Deus quoſdam conſtituit Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Doctores, & Paſtores. Noluit, ut ſibi inter homines contingeret illud, quod inter angelos olim contigerat, nam quia in improbo, ac nefario angelo Lucifero omnes angelicas perfectioner poſuit, ipſe ob malitiam ſuã inde occaſionem ſumpſit ſe ſe contra Deum erigendi, & eleuandi, atque id, quod futurum erat, ſummæ obedientiæ cauſa (eo quòd à ſummo Deo tot beneficia acceperat) ei ſeparationis, & apoſtaſiæ cauſa fuit, nunquam enim impius Lucifer ſe à Deo auerteret, ſi in ſuperbiam elatus non fuiſſet, & nunquam in tantam ſuperbiam incidiſſet, niſi recognoſceret ſuam naturam, & ſuum eſſe longe alijs ſpiritibus antecelle re. Niſit Dominus Moyſem, & fratrem eius Aaron, ut populum Iſraeliticum à Pharaonis ſeruitute, & impia Aegyptiorum captiuitate educeret: uoluitque in ſancto Moyſe uirtutem faciendorum miraculorum, in Aaron uero donum eloquentiæ ponere: cumque omnia ſimul uni dare potuiſſet, noluit id facere, ut occaſionem ab eis ſuperbiæ auferret, in ſuo duntaxat unigenito filio tanquam fideli perſona, (id eſt, [*como en perſona ſegura, y de qui en ſe podia confiar*) omnes perfectiones cumulauit, iuxta id, quod idem Apoſtolus de ipſo loquens, ait. In quo ſunt abconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Ex hac ſingulari doctrina remanet damnata plurimorum nepharia ambitio, qui officia, & beneficia publica vſurpant, & eo per manus ſuas, in quos ſibi placet, diſtribuunt. Hinc etiam damnatur auaritia eorum, qui ſibi ſolis applicant omnes diuitias, & facultates, quæ in plurimos diuidendæ erant, quos ſanctus Iſaias grauiter increpat, dicens. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, nunquid uos ſoli habitatis in terra? Non ait. Væ uobis quia prædamini, uel quia opes aliena rapitis, ſed quia coniungitis domum ad domum. *Iſa. 5.* Vbi apertè ſanctus Propheta docet, nõ ſolum eſſe peccatum diuitias álienas rapere, uerum etiam id, quod in plures diſtribuendum erat, in uno duntaxat accumulare.

Humilitas à ſacris Doctoribus commendatur.

BEatus Macharius in quadam homilia inquit. Quem ad modum ſi Rex apud quendam egenum theſaurũ ſuum deponit, is qui accipit cuſtodiendum, non reputat illum ut ſuum. Sed ubique fatetur inopiam ſuam, nec audet diſpergere quidpiam ex alieno theſauro, ſemper hoc habens in animo, quòd nõ ſolum theſaurus eſt alienus, ſed quòd Rex & uir ſummæ potentiæ depoſuit illum apud me, qui quando uoluerit à me repetet. Eiuſdem debent eſſe ſententiæ, qui gratiam Dei ſunt adepti, nempe, ut humiliter de ſe ſentiãt & mendicitatem ſuam confiteantur. Quemadmodum enim mendicus qui theſaurum à Rege depoſitum accepit, ſi de alieno theſauro confidens, tanquã de proprijs operibus extollatur, & ſuperbiam cor eius concipiat, auferet ab eo Rex theſaurum ſuum, & qui loco depoſiti illum acceperat, talis manebit, qualis erat antea, nempe mendicus. Ita qui gratia Dei ſunt præditi, ſi efferãtur & ſuperbiam eorum corda concipiãt, tollat ab eis Dominus gratiam ſuam, & tunc remanent ij, qui prius erant antequàm à Domino gratiã accepiſſent.

Idem

Idem alia homilia inquit. Vt putre marſupium margaritis plenũ: ita Chriſtiani quoad hominem exteriorem humiles eſſe debent,& contemptibiles, intus uero in homine interiori pretioſas margaritas obtinentes.

Beatus Ambroſius inquit, Si munera diuina ſuperfluere in te, & redundare cognoueris, tuam metire uirtutem, & gratiam humiliter Deo redde contẽplans corpus tuum uelut nauem in medio maris onuſtam, orans ne fluctibus iactantiæ pereat. Apes iſta ſapiens cum aeris motus ſuſpectos habeat lapillis ſępè ſublatis per inania ſe librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra uentorum. Paulus,& Barnabas putauerunt, ſe grauari, cum cernerent ſe adorari. Et tu caue illius apiculæ modo, ne alarum tuarum uolatum aura mundi huius extollat.

Beatus Cyprianus,ait. Acrius diuitibus,quàm pauperibus inuidetur,& nõ inopes,ſed locupletes inquietat infeſtatio ſæua latronum. Plus duces,& principes,quàm milites ab hoſtibus appetũtur in pugna: & uiolentius propulſantur uentis, & turbinibus culmina quæcunque ſunt altiora. Ita magis,magiſque quo plus cæteris unuſquiſque poteſt,ſciat eſſe ſibi metuendum, ne in aliquo minoretur.

Beatus Hierony.ait. Hæc ſicut inter multas gemmas, pretioſiſſima micat, & iubar ſolis paruos igniculos ſtellarũ obruit,& obſcurat: ita cunctorum uirtutes,& potentias ſua humilitate ſuperauit,minimeque fuit inter omnes, ut omnium maior eſſet,& quanto plus ſe deijciebat,tanto magis à Chriſto ſublevabatur: latebat,& non latebat: fugiendo gloriam merebatur, quæ uirtutem quaſi umbra ſequitur, & appetitiores ſui deferens,appetit contemptores.

B.Chry.in quadam homilia inquit. Sicut quanto accuratius uiderimus, tãto magis diſcimus, quàm longè à cœli regione diſtamus.Sic etiam quanto ſuperius ad uirtutis aſcẽdimus excelſum, tanto amplius docemur,quàm ſit inter nos,& Deum grande diſcrimen.

Idem alia homilia ait. Sicut cacumen arborum in excelſo poſitarũ, etiã ſi lenis aura flauerit admouetur. Sic & ſublimes homines in culmine dignitatis exiſtentes, etiam leuis fama conturbat: humiles autem ſicut in conualle plerunque in tranquillitate conſiſtũt.

Cæſarius in quadã homilia inquit. Sicut de fonte terreno, & de corporali fluuio non poteſt aliquis bibere, niſi uoluerit ſe inclinare: ita & de uiuo fonte Chriſto Ieſu,& Sancti ſpiritus fluuio nemo aquam uiuam haurire poteſt, niſi ſe humiliter inclinare uoluerit,propter illud,quod ſcriptum eſt. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Humilitas.

IN Prouer.dicitur. Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu recipiet gloria. In hoc loco humilitas ſignificat abiectionem, opprobrium, ac deriſionem. Ait itaque Spiritus ſanctus,eum,qui honorem quærit,opprobrium,plerunque inuenire: eum uero, qui honorem fugit,ab ipſo honore recipi. Non ſolum autem inquit, quòd ſuperbum inuenit dedecus, & ignominia, ſed quòd ipſa ignominia ſuperbũ quærit, & perſequitur, nec deficiſcit, quouſque illum reperit: honor uero humilem quærit,eumque inueniens recipit. O cœleſtem doctrinam omnibus filijs Adæ,& quàm utilis & fructuoſa eſſet illis,& à quot,quantiſque peccatis, et laboribus ipſi liberarentur,ſi eam ſequi,& ab ea commodum elicere uellẽt? *Prou. 29.*

Humilitas Deo omnia bona tribuit.

IN libro Numerorum legitur, quòd poſtquàm milites exercitus Iſrael euerterunt, & ſolo æquarunt Madianitas, adduxerunt ſecum diuerſa genera rerum, quas in urbibus expugnatis cœ *Num. 31.*

perunt, uidelicet iumenta, ueſtes, aurũ, & argentum, &c. Obtuleruntq; Deo illa tantummodo, quæ aurea erant, [*reconoſciendo a Dios, y empleando en ſu ſeruicio el mejor metal que traxeron de aquel deſpojo, tomando para ſi lo menos bueno.*] Inter filios adoptiuos Dei, & inter filios perditionis hoc diſcrimen eſt, quod illi tribuunt Deo quidquid boni habent, ſibi uero tribuunt malum: offerũt aurum Deo, & reſeruant ſibi metallũ: at filij perditionis offerunt ſibi aurum, Deo autem plumbum: hoc eſt attribuunt ſibi uirtutes, ſi quas habent, Deo uero culpas. Iuſti ſatis benè intelligunt, id, quod apud Oſeam ſcriptum eſt.
Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum, hoc eſt, fons tuæ perditionis ex te naſcitur, bonum uero quod habes oritur ex fauore quem à me recipis. Hanc cognitionem habentes iuſti omnia bona opera, quæ faciebant, & quidquid boni in ſe uidebant, Deo & non propriæ uirtuti ipſorum tribuebant dicentes. Non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Idem faciebant in operibus virtutum moralium: etenim ſic caſtitatem, ſi pacem, ſi iuſtitiam cum proximo, ſi bonum habebant ſucceſſum aduerſus paganos in Reipublicæ Chriſtianæ defenſionem, omnia hæc Deo tribuebant dicentes. Non nobi, ſed nomini tuo da gloriam. [*Y en algun caſo particular teniam neceſſidad de contar ſus proezas, o para tapar la boca a ſus enemigos, o para informar de ſu iuſticia, hazian lo con una ſalua atribuendo lo todo primero a la gracia de Dios:* ſicut faciebat D. Paulus, qui ut ſe defenderet à calumnia aduerſariorum di-
1. ad Co. 15 cebat. Abundantius illis omnibus laboraui, non ego ſed gratia Dei mecum, gratia autem Dei ſum. Quidquid erat aurum Deo: at uero propriæ ſuæ uirtuti lutum tribuebat, [*y a eſto ſolo llamaua ſuo, que eran las culpas, y peccados,*] atque ita dicebat. Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus uocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei. Non ſic impij non ſic, ſed è contra facientes ſibi tribuunt quidquid ab aliqua uirtute procedit, id uero, quod malum eſt, Deo attribuunt. Per Oſeam Prophetam Dominus conqueritur de Hebræis dicens. Oſeæ 2. Dedi eis argentum, & aurum, quæ fecerunt Baal. Nunc etiam idem Dominus conqueritur de plurimis Chriſtianis, quibus plurimam ſcientiam, & eloquentiam, atque alia plurima dona largitus eſt, quæ cum ipſi diuinæ maieſtati offerre deberent, impio Baal impiè offerunt: conuertunt enim illa in honorem eius, & non in altiſſimi Dei honorem. Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? dicebat D. Paulus. Propter hunc abuſum Deus ſæpenumero permittit, ut plurimi literati, & ſapientes uiri in plurimos incidant errores, quibus perpetuæ ignominiæ notentur. 1. ad Co. 4. De Philoſophis antiquis ait D. Paulus in plurimos ac magnos errores incidiſſe, quoniam notitiam, quam de Deo habuerunt in uanitatem conuertere, atque ita tanquam iniuſti poſſeſſores fuerunt à uera Dei cognitione priuati, ac tandem in idolatriam inciderunt. Ad Ro. 1. Fingunt Poetæ omnes aues ſub ſanaſſe inſolentiam cornicis, quoniam cum omnes plumæ, quas habebat non ſuæ, ſed alienæ eſſent (eas enim ab alijs auibus mutuauerat) omnes alias aues pulchritudine ſuperare contendebat: at illæ pactum inter ſe fecerũt promittentes, quam libet earum ab ea plumam quam mutuauerat euulſuram, atque ita miſera cornix implumis, & contempta, ac paruifacta ab omnibus remanſit. Hæc fabula adduci ſolet contra illos, qui alienis bonis honorem captare intendunt, hoc enim Deus facere ſolet cum illis, qui dona ad honorem Dei, & bonum ſanctæ eccleſiæ accepta, in propriam uanitatem conuertunt, eos Deus in pœnam arrogantiæ ſcientia, & eloquentia priuat, & ſic in errores incidunt, propter quos anima, atque honore priuantur. Huic malo remedium adhibebis ſi Deo id, quod me-

lius

lius eſt, offeras intẽdens honorem eius, & nõ proprium in omnibus literarũ exercitijs, & illi tribuens, quidquid boni habes ad exemplum eorum: qui Madiam expugnantes Deo vaſa aurea, & argentea obtulerunt: ſibi autem, quod non tam pretioſum erat reſeruauerũt.

Cicer. li. 2. officiorum Quoniam plurimi ſunt qui acceptis beneficijs ſuperbiunt: Tullius adducit carmẽ ex Ennio Poeta, quòd ſic ait. Bene facta male collata, maleſacta arbitrãtur. [*No ſe pueden llamar buenas obras ſi no malas, las hechas a los hombres indignos porque ſon malas para el que las recibe, pues vſa mal dellas.*

Humilitatis exemplum.

Pſal. 130. VEre humilis fuit vates Regius ſiquidẽ ipſe de ſe inquit. Si nõ humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animã meã. Ille non humiliter ſentit, qui non recognoſcit beneficia à Deo ſibi collata, ſed magis exaltat animam ſuam in illis, ſcilicet illa ſibi attribuendo, in illiſque ſe gloriando. Sicut qui ſanitatẽ corporis habet, & non Deo, ſed ſibi attribuit dicens. Meritis meis ſanitate fruor, quia debitè, & temperatè viuo. Diues ſibi attribuit diuitias, quia eſt ſolicitus: Sic doctor ſcientiam, quia eſt ſtudioſus, &c. Tales enim non ſunt humiles ſed ſuperbi, quia non humiliter ſentiunt Dei beneficia, ſed in illis ſeipſos exaltant. Vis autem uidere, quia ſanitas nõ eſt ex debito viuere tuo, nec diuitiæ ex ſolicitudine tua, nec ſcientia ex ſtudio, & ſic de alijs, ſed iſta à Deo poſſides? Conſidera quàm multi, ſicut tu, debite viuunt, parce comedendo, & potando, à noxijs abſtinendo, qui tamen corporis infirmitate grauantur. Quàm multi ęquè ſolicitantur, vt tu, tamen ſemper inopes manent. Quàm multi ſicut ſtudio ſunt intenti, & ramẽ in ſcientia non poſſunt proficere. Vnde ergo iſta diuerſitas, niſi quia iſta ſunt dona Dei, quæ quibus vult ad libitum diſtribuit? Ergo illa debes humiliter ſentire, & recognoſcere à Deo, & non in illis te exaltare. Ita planè ſe humiliabat Dauid, ideoque aiebat. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animã meam, ſicut ablactatus eſt ſuper matrẽ ſuã, ita retributio in anima mea. Hoc eſt, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non humiliter ſentiebam. His verbis ſanctus vir ſatis affirmat, ſe humiliter ſentire.

Ex applicatione perpẽdiculi cognoſcit artifex operis bonitatem, uel malitiam. Sic ſi opera noſtra cum Chriſti reparatoris noſtri vita, & cum regula ſuorum mandatorum librata fuerint pannus menſtruatæ uidebuntur. Vnde ſanctiſſimus Iob domino inquit. Oculus meus uidit te, idcircò ego me reprehendo, & pœnitentiam ago in cinere, & fauilla. *Iob. 42.*

Humilitatis opera.

QVemadmodum aſtra in octaua defixa ſphæra quamuis grandia ſint, minima tamen apparent nobis, quod tantopere hinc diſtent ac ſeparentur: ita etiam humilitatis opera cum grandia ſint in cœlo apud Deum, hic in mundo hominibus mundanis, & his, qui de cœleſtibus guſtum omnem amiſerunt, exigua videntur, vilia, atq; abiecta ſicut de humilitate illa ducis cuiuſdã Gallicani, qui vt auctor eſt Marulus, poſt eximias partas uictorias, hoſteſque innumerabiles deuictos, pauperibus diligenter miniſtrabat, atque pedes eorum abluebat, tunc etiam in monaſterio ſimilia humilitatis officia monachis ipſe præſtabat. De humilitate, in quam, illa mundani homines, & qui de rebus cœleſtibus minus ſentiebant, perperam iudicabant. *Simile.* *Marulus li. 1. Exemplorum.*

Sicut fauus eo plenior melle eſſe ſolet, quo in immo magis alueario reſederit, & quanto excelſior eſt, tanto etiã ferè inanior conſpicitur: ita humilis virtutum melle, & dulcedine magis exornatur atque excolitur, quàm ſuper- *Simile.*

bus,& arrogans, qui virtutis dulcedinẽ à ſe reijcit, atque repellit.

Oportet nos humiles eſſe cognoſcẽtes ſcelera noſtra more Publicani, qui non audebat oculos ad cœlum leuare, ſed tundebat pectus ſuum dicens Deus propitius eſto mihi peccatori. Debemus etiam Magdalenam imitari, quæ non audebat ſe oculis clementiſſimi Ieſu præſentare, ſed metu anxia, & pudore uerecunda ſtabat retro ſecus pedes eius. Quantum valeat humilitas, oſtendit propheta regius, cum dixit. Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor. Hyſſopi enim nomine, (vt beatus Auguſtinus docet libro de doctrina Chriſtiana) humilitatis virtutem deſignat: nec enim hyſſopus, aut vllum aliud herbarum genus conceptas animo ſordes eleuare poteſt, à quibus mundari ſanctus ille Rex poſtulabat. Eſt enim hyſſopus herbula quædam exigua, tamen ad pulmonis tumorem purgandum maximè ſalutaris eſt, cuius radices duriſſimos etiam lapides penetrãt, quæ omnia maximè humilitati conueniunt. Primum enim uerè humilis par uulus eſt in oculis ſuis, qui etiam, (vt Beatus Bernardus ait) non vult apparere humilis, ſed vilis. Et ſicut hyſſopus radicibus ſuis duriſſimos lapides penetrat, & frangit: ſic humilitas omnipotẽtis Dei iram in lenitatem vertit, & ad miſericordiam flectit. Et quamuis multa bona opera feceris, non debes propterea ſuperbire, ſed humiliari. Vide Salomonẽ, qui humilians ſe, poſtquã templum ædificauerat, dicebat. Si cælum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Sicut ergo qui diues eſt, & auro, atque argento abundat, uehementer timet cum circa theſaurorũ ſuorum apothecas fures circumcurſare videt: ita verè humilis non minus trepidat, cum laudes ſuas audit, quas humilitatis, hoc eſt, maximi, & incomparabilis theſauri fures eſſe cognoſcit. Et quemadmodum precioſæ margaritæ in paruis conchilijs reperiuntur: & ſuauiſſimum balſamum humiles arbuſculæ producunt, non autem proceriſſimæ cedri, ſic planè non in ſuperbis reperitur humilitatis laus, ſed in eis, qui quidem de ſe modeſte ſentiunt, & in peccatoribus ſe ad Deum conuertentibus, veluti ex viperis ſalutaris etiam medicina fieri conſueuit. Vt enim vaſa cum replentur liquore, aerem expellunt: ſic qui in virtute proficiunt, præſertimque in humilitate deijciunt vanitatem, omneque ſuperbiæ genus deteſtantur. Contra verò quemadmodum uaſa cum euacuantur liquore, implentur aere: ſic multi deſtituti virtute, implentur ſuperbia arrogantia, & tumore. Beatus Ambroſius ſuper illa verba Redemptoris noſtri: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cęlorum, inquit. Vnde intelligimus, quod humilitate peruenitur ad regnum, ſimplicitate penetratur ad cœlum. Quiſquis ergo cupit diuina tenere, & ſublimia faſtigia, humilitatis ima ſectetur. Quicunque vult fratrem præuenire regnãdo, prius præueniat obſequendo, ſicut ait Apoſtolus. Honorem inuicem præuenientes, uincat eum officijs, ut poſſit vincere ſanctitate. Si enim te non læſit, magis obſequium meretur, vt diligas. Quod ſi forſitan læſit, magis obſequiũ meretur, vt vincas. Hæc enim noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, vt amantibus viciſſitudinem lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam ipſam, ignominiam, contumeliam, atque etiam opprobrium, non rependens viciſſim cõtumelias, iniurias, & opprobria fratri potentior conſtituetur in regno. Non enim ad imperium cœlorum peruenitur ſuperbia, diuitijs, præfectura: ſed humilitate, paupertie, & leuitate. Arcta enim, & anguſta uia eſt, quæ ducit ad regnum. Quiſquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri theſauris dilatatus, tanquam onuſtum, & impeditum animal per anguſtum regni iter tranſire non poterit. Simul etiam vt ſe exiſtimat

Luc. 7.

Pſal. 50.

B. Auguſt. lib. 2. de doct. Chri.

Simile.

Simile.

B. Ambro. ſup. Matt. Matt. 18.

mat perueniſſe, ſarcinam eius exigua porta non capiens, repercuſſo limine retrorſum redire cogit. Tam enim anguſta eſt diuiti porta cœleſtis, quã eſt camelo acus foramen exiguum. Nam ideo nudi in ſæculo naſcimur, nudi ẽt accedimus ad lauacrum, ut nudi quoque, & expediti ad cœli ianuam properemus.

Beatus Chryſoſtomus homilia quinquageſimanona in Matthæum inquit. Nihil certè arrogantia, atque ſuperbia peius, quæ mentis quoque uires natura hominibus conceſſas ita deijcit, ut amentes ex prudentia, ac animo extollitos efficere quidem videatur: etenim quemadmodum ſi quis cum ſtatura cubitus ſit, inſtar montium ipſorum, immo etiam altiorem ſe putet, & exiſtimet, ac ideò ſeipſum quaſi montes erigat, nullum aliud inſaniæ ſignum ſuæ quæremus: ſic cum inflatum uideris hominem, qui meliorem ſe cæteris hominibus exiſtimet, nullũ jam aliud ſignũ vecordiæ ſuæ exquiras. Tanto quippe ridiculoſior his eſt, qui natura inſanit, quanto ipſe ſponte hunc ſibi modum iniecit. Nam in tantam amentiam plerumque impelluntur, vt perſuaſi eſſe uideantur liberis quoque, ac uxoribus, & parentibus, & maioribus ſuis ſe eſſe multo meliores.

IACOBI APOSTOLI laudes.

INSIGNIS Philoſophi Platonis ſententia fuit, homines non poſſe Deo, parentibus, & magiſtris parẽ gratiam referre. Debitum autem diſcipuli erga magiſtrum tantum, tamque magnum eſt vt Alexander illud ꝑ maiori, quam debitum parentis reputauerit, atque ita interrogatus, cui plus deberet, an patri ſuo Philippo, an præceptori ſuo Ariſtoteli, reſpõdit ſe maiori obligatione aſtrictum eſſe Ariſtoteli magiſtro ſuo: nã pater ei dedit, id quo viueret, magiſter autẽ id, quo benè uiueret. Sententia profectò digna tãto Imperatore. Quod autem debitum hoc à plurimis magni habitum fuerit, oſtendunt magna, & pretioſa munera, quæ plurimi magiſtris ſuis donarunt. Regina Saba (vt ſacra refert ſcriptura) ingentia dona Regi Salomoni obtulit, eo qđ ipſum habuiſſet in præceptorem. Nabuchodonoſor plurima beneficia Danieli Prophetæ contulit, eo quod ſpiritu prophetico cœleſtem ei tribuit doctrinam, ac ſigna quædam filij Dei, per quæ ipſum in fornace Babylonis cognouit. Eliſeus pallium magiſtri ſui Heliæ magni fecit. Apoſtolus Paulus maximè æſtimabat, ſe ad pedes Gamalielis ſediſſe, quod iuxta phraſim ſacræ ſcripturæ perinde eſt, ac ſi diceret, ſe ab eo edoctum fuiſſe. Denique longum eſſet recenſere dona, quæ humanæ hiſtoriæ referunt plurimos diſcipulos magiſtris ſuis largitos fuiſſe. Cũ igitur hoc debitum tam grande ſit, quale eſt id, quod Hiſpani a noſtra glorioſo patrono ſuo Iacobo Apoſtolo debet, ſiquidẽ primus magiſter fuit, qui eam docuit, qui eam ab idolatriæ tenebris eripuit, qui eam luce ſacroſancti euangelij illuminauit, qui eam denique, non ſolum dum uiueret ſanctiſſimis præceptis erudiuit, uerum etiam poſt mortem uehementiſſima eius amoris ſigna demonſtrauit. Is.n. poſtquã Hiſpaniæ prouinciã peragrauit, in terrã Iudææ ſe contulit, & bi bens ibi calicem Domini (dum

ſacroſanctum caput impijſſimi tyranni gladio obtulit) diſcipulis ſuis commendatum reliquit, vt corpus ſuum in fauorem, ſolatium, aſilum, & protectionem totius Hiſpaniæ in eam aſportarent, quod & ipſi fecerunt. Vt autem de eo non diceretur id, quod in prouerbio Hiſpanico eſt, [*a muertos, y a y dos no ay amigos, poſt mortem, ò*] Hiſpania, tui recordatus eſt, & ſingularem theſaurum ſãctæ reliquiæ ſui corporis ad te miſit, & cum iam ad cæleſtem patriam conuolaſſet hunc eximium erga te amorem apertiſſimè oſtendit, te ab infidelibus, & Chriſtiani nominis infeſtiſſimis hoſtibus protegens, & in prælijs ad protectionem tuam multoties apparens. Qua igitur re tantum debitum perſoluemus? Hoc profectò aliquomodo faciemus, ſi ſolemnitatem eius in ſpiritu, & veritate celebramus, eumque omnibus viribus in præclaris eius virtutibus tãquam filij tam ſingularem parentem diligentes imitamur. De primo parente noſtro Adamo refert ſacra ſcriptura, quòd genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, uocauitque nomen eius Seth. In quibus verbis ſignificatur, hunc ſanctum Seth fuiſſe maximum ſui parentis imitatorem, quod, & apertius litera Hebræa explicat, cum ait. Genuit filium ad ſimilitudinem, & imaginem ſuam. Et ſic etiam eſt in translatione Syriaca, & in paraphraſi Chaldaica, & in contextu Græco. Nam dũ ſimilitudinem (quæ refertur ad imitationẽ virtutis) prius poſuit, quàm imaginem, quæ ad naturam refertur, ſignificatum fuit, qualiter hic filius patrem ſuum in virtute vehementer imitatus fuerit. Hoc ſanctiſſimus Hiſpaniæ Patriarcha D. Iacobus ſua ſacra prædicatione, ac uitæ vuangelicæ perfectione intendit, quod ſcilicet, Hiſpani omnes legitimi eius filij ſingularium virtutum imitatione fuiſſemus, & maximè in præclara patientia, qua Domini calicem bibit, ſicut ei à ſumma veritate Chriſto Redemptore noſtro conceſſum fuit, qui ei ac fratri eius D. Ioanni dixit. Calicem quidem meum bibetis. Pro quorum verborum intellectu operæpretiũ erit prius explicare, qualiter hoc verbum, calix, metaphoricum eſt; & communiter ſignificat labores, ſupplicium, & amaram, atque acerbam mortem. Et ita ſanctus Dauid ait. Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorũ. *Pſal. 10.* Vbi, ut erudite animaduertit Valerius, hæc metaphora ſumitur à conſuetudine, & more Athenienſium, qui ſententia mortis damnatos vaſe veneno pleno vita priuabant, ut videre eſt in vaſe illo ueneno ſo, quo in carcere Socrates interfectus eſt. Atque ita in commune prouerbium uenit, quod cum ſignificare uolumus, nos, de aliquo ultionem eſſe ſumpturos, [*y que nos la há de pagar, dezimos, yo ſe la dare a bebera a huano.*] Cum igitur diuinæ literæ ad rudem noſtrum loquendi modum ſe accomodent, hinc eſt, quòd Chriſtus Redemptor noſter hoc nomine, calix, uſus eſt ad modum, & conſuetudinem, qua omnes eo utebantur. Atque ita dũ hos duos fratres interrogat. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Perinde eſt, ac ſi ab eis quæreret, utrũ ſi quidem dignitates, & prælaturas poſcebant, pro ouibus ſuis mori poſſent, ſicut ipſe pro ſuis moriturus erat? Nec mirari debemus, quòd in ſanctis illis uiris id ambitionis veſtigium inueniretur. Nam (ut ait Diuus Auguſtinus) *B. Aug. de eccl. dog.* nullus ſanctus, & iuſtus caret peccato: nec tamen ex hoc deſinit eſſe iuſtus, uel ſanctus, cum affectu teneat ſanctitatem.

IEIVNIVM QVADRAGEſIMALE, & de antiqua eius inſtitutione.

B. Hiero. in epiſt. ad Marcell.

BEATVS Hieronymus in epiſtola ad Marcellam inquit. Nos unā quadrageſimā ex traditione Apoſtolorum ex toto anni tempore nobis congruo ieiunamus. Et Origenes, qui fuit à natiuitate Domini anno ducenteſimo, & trigeſimo in Leuitico ſic ait. Habemus quadrageſimæ dies ieiunijs conſecratos: habemus quartam, & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolemniter ieiunamus. Eſt certè libertas Chriſtiano per omne tempus ieiunandi, nō obſeruantiæ ſuperſtitione, ſed virtute continentiæ. Dignum etiam eſt, quod omnes pariter audiamus illum martyrem Senem, & Antiochenum Epiſcopū Ignatium S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, & ad Deiparam virginem epiſtolas ſcribentem, & Romæ martyrium obtinentem anno ſeptuageſimoquinto poſt Chriſti paſſionem, dicentem in quadam epiſtola, ſe accepiſſe hanc quadrageſimalem ordinationem, à ſuo ſancto magiſtro Ioanne euangeliſta. Et in epiſtola, quæ eſt ad Philippenſes quarta, inquit. Dies feſtos nolite inhonorare: quadrageſimam vero nolite pro nihilo habere, ipſa enim imitationē continet Dei conuerſationis: hebdomadā etiam paſſionis nolite deſpicere. Quomodo autem ſanctus uir quadrageſimam non aſpernendam eſſe admonuiſſet, niſi eo tempore, quo adhuc Apoſtolica floruerunt tempora, fuiſſet eius obſeruatio inſtituta? Audite quoque magnum Baſilium de laudibus ieiunij in quadam homilia dicentem. Etſi ieiunium per omne quidem tempus utile eſt his, qui illud ſponte ſuſcipiunt, nec enim aſſultus dæmonum aliquid audet aduerſus ieiunantem, & vitę noſtrę cuſtodes nempe Angeli diligentius adſunt ieiunantibus, quia purgatam ieiunio habent animam, & aſſimilantur angelis quodam modo ieiunantes, ſed multo magis hoc quadrageſimæ tempore, quando per vniuerſam eccleſiam vndique denunciatur ieiunij præconiū nec vlla eſt inſula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, nō extremus mundi angulus ubi non ſit hodie auditum ieiunij edictum. O Baſili ſancte fœliciſſima tua tempora, fœliciſſimus, & ipſe, qui omnem mundum ieiunij eccleſiaſtici edicto ſubditum uidere meruiſti. Heu, heu, & millies heu, ſi in noſtris calamitoſis apparuiſſes tēporibus, uidiſſes unum orbis angulum fide orthodoxa inſignitum, & ex illo multos ieiunia contemnentes.

D. Igna. in epiſt. 4. ad Philip.

B. Baſi. ho. 2. de ieiu.

Idem B. Baſilius de laudibus ieiunij, ſic ait. Vt ſemel omnia dicam, reperies quot quot fuere ſancti, omnes per ieiunium ad vitam Deo dicatam fuiſſe inſtitutos.

Ieiunij effectus.

ET B. Cyprianus ſermone de pœnitentia inquit. Nunquam audiui ſanctum in cœlis eleuatum, quin ieiunijs hoc obtinuiſſet. Ideo B. Paulus ad Corinthios ſcribens inquit. In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs. Vas vacuū melius ſonat, quàm plenum, & corpus ieiunium dulciores emittit ſonos, quā cibis plenum. Cytharam, ut quid audis tam ſuauem ſonum à ſe emittere? Quia vacua eſt; imple illam terra, & uidebis, quam melodiam faciet.

B. Cyp. ſer. de pœn.

2. ad Co. 6.

Simile.

Sic

Sic (ait B. Bonauentura) niſi homo vacuus ſit per abſtinentiã, & ieiunium non reddet ſonoram diuinę laudis melodiam. Per ieiunium multi iiã Dei placauerunt, ita legimus in Apoſtolicis actis. Quotquot in naui vna cum Paulo Romam deportabantur per integros dies quatuordecim, quibus perſeuerauit tempeſtas nec ſole nec ſideribus vllis micantibus omnino ieiunos perſtitiſſe: ait enim ſacer textus. Et cum multa ieiunatio fuiſſet, &c. Nonne Daniel innocentia candidus, ſacrorumq; deſideriorum æſtu ſuccenſus cum populi ſui peccata, captiuitatemque defleret, teſtatur, ſe trium hebdomadarum diebus ſic fuiſſe abſtractum, vt nec panem deſiderabilem comederet, nec caro aut vinum introierint in os eius?

B. Bon. dieta ſalutis de ieiunio tit. 1. c. 6.

Act. 27.

Daniel. 9. & 10. c.

De Niniuitis vero B. Chryſoſtomus inquit. Si gentibus vix vnius diei ſcientiam aſſecutis hic pęnitentiæ dicatus numerus tantum adiumenti contulit, quantum prodeſſe cenſendus eſt Chriſtianum nomen gerentibus in irę Dei placatione, plagarumque, quas aſſiduè peccando merentur inflictione, cum pro reſipiſcenti animo ſuſcipitur hęc caſtigatio? Si alienigenis tantum præſidij attulit, vt ab interitu eos eriperet, quanto magis filijs ad cœleſtem patrem, quem ſuis offenſis irritatum ſentiunt, placandum ſuccurret ſpontanea hæc, humilisque correctio? Super omnia ad hoc nos mouere debet ſacratiſſimum exemplum Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri, nam quadrageſimalis abſtinentię, quæ toto Chriſtiano orbe ſeruatur, autorem fuiſſe ipſummet Redemptorem, vel hoc indicatur argumẽto, quod baptizatus à Ioanne hunc ieiuniorum ordinem impleuit, dedicauitque, ſuoque ſanctiſſimo exemplo ab his, qui baptiſmi gratiam ſuſceperunt, victoriamque de tentatore conſequi cupiunt, ſignificauit obſeruandum. Nam quemadmodum baptiſmo voluit ablui Chriſtus Dominus, non quod eo indigeret, ſed, ut baptiſmi lauacrum ad ſalutem neceſſarium indicaret, ſuoque exemplo omnes ad illud ſuſcipiendum prouocaret (pij medici gerens perſonam, qui licet ſanus calicem amarum præbibit, vt infirmũ ad illius hauſtum animet, quod eſt pellendo morbo accommodum) non aliter noſtrę ſalutis cupidiſſimus Chriſtus baptiſmum ſuſcepit, ieiunio hunc ordinem compleuit, non ſuæ, ſed noſtræ neceſſitatis cauſa, ut nos ſcilicet inſtrueret huius ſacri ieiunij hanc eſſe virtutem, quæ baptiſmalem gratiam conſeruare, à telis Satanæ protegere, detrimentaque gratiæ, quæ perperam agendo contigerunt, corporali hac caſtigatione poſſit reficere. Vndè creditur huius quadrageſimalis ſanctam obſeruationem à Chriſto Ieſu autore, iureque diuino inſtitutam eſſe, quam ſancti Apoſtoli primo ſeruauerunt. Nolim tamen exiſtimari, me hac ſententia imbutum, ut credam ſanctam eccleſiam non tanta autoritate pollere, ut quæ nec Chriſtus Ieſus, nec ſancti Apoſtoli ſtatuerunt, non ualeat ipſa præſcribere, ut eſto non foret à Chriſto Ieſu hic ieiuniorum ordo traditus, nihilominus potuiſſet ab ipſa conſtitui, atque præcipi: fruſtra enim ſponſę, matris, Reginæ nomine fulgeret eccleſia, fruſtra claues regni cœlorum illi collatæ forent, ſi conſtituendi, aut prohibendi in domo ſponſi omni poteſtate vacaret. Quid quod inſignis eccleſiæ magiſter Paulus ſolam eccleſię tanti fecit conſuetudinem, vt ad omnes dirimendas contentiones ſolam eccleſiæ conſuetudinem ſatis eſſe iudicauerit. Si quis, inquit, videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei, ſed iſtud euincere volui aduerſus ſanctæ quadrageſimæ contemptores, hanc ieiuniorum diſciplinam licet in albo ſcripturarum non inueniatur deſcripta, eſſe nihilominus amplectendam, obſeruandamque perpetuo: quod nobiliſſima ſcribendi forma digito Dei in corde eccleſiæ deſcriptam demonſtrat

B. Chryſoſ. ho. 99. ſup Matthæũ.

B. Ambro. ſerm. 37.

1. ad Cor. 11.

ipſius

ipſius eccleſiæ, omniumque piorũ per totum orbem diffuſorum unanimis, perſeueransque in eius obſeruatione.

Ieiunij comes eſt oratio.

Beatus Auguſtinus in quodam ſermone inquit. Oratio refectio eſt ieiunorum, duritiam cordis emollit, auſteritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim ſine potu non eſt plena refectio: ſic, & ieiunium ſine refectione orationis non poteſt animam perfectè nutrire. Et B. Hieronymus ſuper Marcum ait. Ieiunio paſſiones corporis, oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis. Et B. Chryſoſtomus ſuper Matthæum. Sicut nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite: ſic nec oratio ſine ieiunio, nec ieiunium ſine oratione. Quod autem paſſiones corporis per ieiunium ſanentur, uerba B. Pauli inſinuant: ait enim ad Corinthios ſcribens. Licet is, qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt renouatur de die in diem, hoc eſt, paulatim, & non ſubito. Vt inimici in obſidione ſe dedunt hoſtibus, ſi illis alimẽta auferantur: ita caro, & ſenſualitas hoſtes animæ ablatis epulis, ſe tradunt ipſi animæ, & ieiunio inutilia deſideria coercentur. Ideo idem ſanctus Apoſtolus ad Romanos inquit. Si ſecundũ carnem uixeritis, moriemini: Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Viuere ſecundum carnem, eſt eius imperio ſubeſſe, eius legibus obtemperare, eius deſiderijs duci. Sed dices. Forſan ſi ieiunijs multis macero, genua mea, & genæ infirmatæ erunt, & in pallorẽ verſæ ſicut Dauid ait. Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum: & cum ſim pulchra puella, deformis facta ero: vnde ieiunare nolo. Falleris certè nam cum anima tua ieiunio pulchrior ſatis erit, etiam color faciei, venuſtior apparebit, & honeſtior. Audi exemplum huius veritatis in ſacra hiſtoria Danielis. Rex Nabuchodonoſor iuſſit præpoſito Eunuchorum, vt pueros decoros forma, & in quibus nulla eſſet macula, introduceret in palatium ſuum, & conſtituit eis Rex annonã per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino, vnde bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis poſtea ſtarẽt in conſpectu eius. Multi pueri Hebræorum comedebant de cibis Regis, Daniel autem dixit præpoſito. Ne des cibos iſtos mihi, & tribus pueris ſocijs meis, ne contaminemur. Cui reſpondit præpoſitus. Timeo ego Dominum meum Regem, qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præcæteris adoleſcentibus coæuis veſtris; condemnabitis caput meum Regi; cui Daniel. Tenta nos, obſecro, dies decem, & detur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibẽdum, & videbis vultus noſtros meliores, pulchriores, & corpulentiores; quod ita factum eſt. Vnde B. Chryſoſtomus inquit. Quid de Daniele, & tribus pueris dicimus, qui in tanta abſtinentia inter tot adoleſcentes, qui cibis regalibus paſcebãtur, ſoli vultu cæteris gratiores inuenti ſunt? Frater mi iuuenis, & tu puella decora ſcitote Nabuchodonoſorem diabolum eſſe, qui vult capere ſibi peccati captiuitate animas pulchras, & decoras ſine macula exiſtentes & non ex turchis: aut paganis, quia iam illas poſſidet ob infidelitatem, ſed ex Chriſtianis, & filijs Iſrael, vultq; hamo gulæ vos capere, iubetque præpoſito veſtro, ſcilicet patri, aut matri, vt vobis ieiunium diſſuadeat dicens. Eritis deformes, & macilentæ puellæ, vt ſic ieiunium frangentes dæmoni ſeruiatis. Quid vultis eligere iuuenes, ac puellæ. Ieiunium frangere, & diabolo obedire, an ieiunare cum Daniele, & leguminibus veſci, & aquam bibere, & Deo ſeruire? Quomodo erimus pulchriores? Certè ſi ieiunium frangatis valde deformes coram dæmone apparebitis; ſi tamen ieiunium eligitis pulchriores eritis ipſis guloſis, & ieiuniorum fractoribus, ſi non corpore, abſque dubio erit mente. Non ſolum autem pulchrio-

B Chry ho. 9. in Mat.

res eritis cum Daniele, & ſocijs eius, verum & alia mirabilia facietis cum ipſis. Nam (ut ait Origenes,) ſic illi tres pueri delirioſam contemnentes menſam fornacis flãmam virtute fidei cincti extinxerunt. Deſideras ò homo fornacem ignis, & concupiſcentiæ tuæ extinguere, ita vt nõ plus animam tuam comburat, quàm ille ignis ſanctos pueros? Ieiunijs vaca, leguminibus vtere; cibis vitiorum, quibus anima contaminatur, ne veſcaris; & ora ut illi pueri: & ſic omnem claſſem malignam retrorſum abire coges, & deſideria mala fugabis.

Orig. ho. 4.

Notandum nero eſt, quòd cum omnia extrema ſint vitioſa etiam nimium ieiunium, & notabile damnum corpori, & ſaluti inducens carpendum eſt, licet de hoc parum ſit neceſſe dicere, cũ adeò raros inueniamus, qui hoc extremo laborent. Si quis tamen huiuſmodi ſunt, audiant D. Bernardum in modo bene viuendi ad ſororem, cui ait. Soror dilecta ſic debes nutrire corpus tuum, vt non ſuperbiat; ſic debes reprimere, vt non cadat; ſic debes reficere carnẽ tuam, vt ſpiritui ſeruiat; ſic eam debes caſtigare per abſtinentiam, vt non pereat. Nam ſi carnem tuam ſupra modum affligis, ciuem tuum occidis, & ſi eam pluſquàm oportet reficis, inimicum tuum nutris. Igitur in omni abſtinentia hoc ſerua, vt non occidas carnem tuam, ſed vitia, non nutrias eam vermibus, ſed ita manduces, vt ſemper eſurias. Crede mihi ſoror mea, quia tentationes non poteris ſuperare, niſi corpus tuum per abſtinentiam caſtigaueris.

D. Ber ſer. 24.

Ieiunija à ſacris Doctoribus commendantur.

B. Chry. homil. 1 1. in Gene. Simile.

Beatus Chryſoſtomus de ieiunio quadrageſimali loquens, ait. Quemadmodum in vijs publicis ſunt ſtationes, & diuerticula, in quibus feſſi viatores & reſpirant, & quieſcunt, vt alacrius poſtea iter ſuum conficiant. Et ſicut in mari littora ſunt, & portus, vt in eos ſe nauigantes recipiant, & expectent, donec ventorum impetus conquieſcant, & ſic iterum nauigare incipiant. Ita & nunc his, qui in hac quadrageſima ieiunij curſum ſuſceperunt quaſi ſtationes, & diuerticula, & littora, & portus per Dominicas dies Dominus quietem largitus eſt, vt & corpori aliquantulum ieiunij labores remittantur, & animam ipſi ieiunantes refocillent, & exactis diebus illis in reliquos, qui ſuperſunt cœpto itinere alacriter pergant.

Tranſacta vero quadrageſima poterit concionator auditoribus dicere, quòd B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit his verbis. Ne lætemur, quòd ieiunij prolixitatem expediuimus, nihil enim magnum hoc eſt, ſed lætemur, quando cum profectibus ipſum exegerimus, vt etiam ipſo tranſacto fructus eius fulgeat. Etenim hyemis lucrum tum maximè demonſtratur, cum illa præterierit; nanque vernantes ſegetes, & folijs, ac fructu affluentes arbores per ipſum aſpectum clamant utilitatem ſibi ex hyeme factam. Hoc & in nobis pariter fiat. Etenim pluuijs continuis, & crebris in hyeme per ieiunij tempus potiti ſumus continuam haurientes doctrinam, & ſemina ſuſcepimus ſpiritualia, & delitiarũ ſpinas abiecimus.

Idem ho. 18. ad popu. Antio.

Simile.

In principio quadrageſimæ poterit concionator dicere, quòd B. Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Quemadmodum præterità hyeme, & æſtate apparente nauta quidem nauigium deducit, miles vero arma detergit equumque ad bellum parat, & agricola acuit falcem, & viator fiduciæ plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil expoliatur, ſeque denudat. Sic & nos ieiunio tanquam æſtate quadam ſpirituali apparente, & arma, tanquam milites, abſtergamus, & falcem acuamus, tanquam agricolæ, & tanquam nautæ contra vndas, contra abſur-

ſurdarum cupiditatum cogitationes opponamur, & tanquam viatores rectum in cœlum iter apprehendamus, & tanquam pugiles ad certamina expoliemur. Et ibidem inquit Sanctus Doctor. Tria vobis præcepta commendare volo, quæ in ieiunio mihi præſtetis, ut nemini detrahatis, inimicum habeatis neminem, & omnem prorſus malam ex ore iurandi conſuetudinem expellatis. Et ſicut cum tributum imperatum audimus abiens quiſque domum, & vxorem vocans, & filios, & ſeruos conſiderat cum illis vnde tributum illud eroget. Sic & in mandatis faciamus ſpiritualibus: domum quiſque regreſſus vxorem, & filios vocet, & dicat. Quod tributum ſpiritale hodie impoſitum eſt? Tributum, per quod erit horũ malorum ſolutio, tributum quod conſerens non pauperes, ſed ditiores facit?

Simile.

B. Gregor. Niſſen. in oratione de pauperibus amãdis.

B. Gregorius Niſſenus in quadã oratione ait. Quid confert ieiunium corporis, niſi mens pura mundaque ſit? Nihil enim prodeſt currum validum, ac ſtrenuis quadrigis inſtructum eſſe, ſi auriga inſaniat. Nulla enim bene fabricatæ nauis utilitas ſi ebrius ſit ipſe gubernator? Ieiunium virtutis fundamentum eſt. Quemadmodum autem nauium carinę, & fundamẽta domus, licet ingentia ſubijcias, inutilia, & uana ſunt niſi reliquas etiam partes peritè, ac ſcienter ędificaueris. Sic huius abſtinentiæ nullum erit emolumentum, niſi aliæ iuſtitię partes acceſſerint. Timor Dei erudiat linguam ea, quę decet loqui, tacere contraria, temporis occaſionem animaduertere, modum obſeruare, modeſtè dicere, aptè reſpondere, ne verborum vi veluti grandine colloquentes obruat.

Climacus de diſcretione gradu. 16. Simile.

B. Ioannes Climacus inquit. Sicut impoſſibile eſt, ut ſerpens vetuſtatem exuat, niſi anguſtam rimam prius ingrediatur: Ita nos quoque anticipationes veteres, & vetuſtatem animæ, veteriſque hominis non expellemus niſi per anguſtam, & arctam ieiunij, & ignominiæ viam tranſeamus. Ibidemq; ait. Ex ſiccatum lutum iam non porcis vlui eſſe poteſt, vbi ſe volutent. Ita & caro per abſtinentiam marcida effecta. Dæmonibus vltra non præbebit in ſe quieſcẽdi locum. Rurſus ait. Sicut terra ſi moderatè ſit irrigata, ſemẽ ſparſum, quod excipit cum multa fertilitate effundit, multis vero imbribus madefacta ſpinas tantum, & tribulos fert: ſic terra cordis ſi moderato vtamur victu ſemina ſibi innata, atque inſita pura edit: & illa quæ ſunt ab Spiritu ſancto ſignata, cũ multa fructuum viriditate, atque vbertate profert: ſi vero potu madeat ex omnibus cogitationibus ſuis ſpinas, & tribulos procreat.

Idem ibid. c. 48. Simile.

Petrus Chryſogo. de ieiunio & eleemoſyna ſermone. 8. Simile.

Petrus Chryſogolus in ſermone de ieiunio inquit. Gubernator prudens à littore nauim cum ſoluit mare tranſiturus intrat fluctus, domus, patriæ, coniugis, ac pignorum curas deponit, & ita totus mente, corpore, ſenſu, nauticis laboribus occupatur, vt fluctuũ poſſit ſuperare diſcrimina, & ſtationem lucroſi portus periculi victor intrare: ſic nos fratres ingreſſi iter abſtinentiæ, ieiunij pelagus, quadrageſimæ viã, vim corporis noſtri ſoluamus à littore mũdano, ſęcularis patrię renuntiemus curis, in crucis arbore tota mentis uela tẽdamus, uirtutum funibus, ſapientię remis, gubernaculis diſciplinæ nauigij noſtri muniamus inceſſum, & ſubducti terris ſpeculemur cœlum, vt ducatu ſignorum cœleſtium inter liquidos calles latentis vitæ in offenſum tramitem tenere poſſimus, ac ſic gubernãte Chriſto, flante Spiritu ſancto, euictis voluptatum ſpinis, ſuperatis vitiorum fluctibus, decurſis criminum procellis, tranſuectis ſcopulis peccatorum atque omnium delictorum naufragijs euitatis Paſchæ portum, lucrum vitæ, gaudia reſurrectionis intremus. Et inferius inquit. Eſt quidem ieiunium uitiorum mors, uita uirtutum: eſt ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Eſt ieiunium robur mentium, uigor animarum. Eſt ieiunium caſtitatis murus, pudicitiæ pro-

propugnaculum, ciuitas ſanctitatis. Eſt ieiunium ſchola meritorum, magiſterij magiſterium, diſciplinarum diſciplina. Eſt ieiunium eccleſiaſticæ vitæ viaticum ſingulare. Miſericordia, & pietas ieiunij ſunt alæ per quas extollitur, & ad cœlum fertur, ſine quibus iacet, & volutatur in terra. Ieiunium ſine miſericordia ſimulachrum famis eſt, & imago nullius ſanctitatis: ſine pietate ieiuniū, occaſio eſt auaritiæ, & ſine miſericordia non eſt veritas, ſed figura: nā vbi miſericordia ibi, & veritas dicente ſcriptura. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.

Cęſarius in quadam homilia inquit. Talia ſunt ieiunia ſine charitate, qualis ſine olio lucerna, fumigare poteſt, fœtorem, vel putorem reddere poteſt, lucem vero habere non poteſt.

IMITATIO Chriſti.

CReaturæ perfectio eſt principio ſuo coniungi, illique, quatenus liceat, aſſimilari: quo .n. fuerit illi ſimilior eo erit & perfectior. Quiſquis autem ad hanc diuinam ſimilitudinē, & imitationem aſpirat, oportet, vt vires omnes animæ ſuæ, ac præcipuè intellectum, & voluntatem (quibus potiſſimū Deum attingimus) ad ipſum ſemper, quatenus liceat, erectas, atq; parentes habeat, vt ita diuinis deſuper ſplendoribus irradietur, & perfundatur, & (ſi ita loqui fas eſt) quodāmodo deificetur, videlicet implens, quod B. Paulus ad Corinrhios ſcribens ait.

2. ad Co.3 Nos aūt reuelata facie gloriā Domini ſpeculantes, hoc eſt, in anima noſtra velut in puro quodā ſpeculo diuinæ lucis claritatem recipientes in eandem imaginem transformamur. Ex quo quidē munere ipſa etiam externi hominis ſpecies, vultus, ſermo, & habitus diuinum quiddā ſpirare videnē, vt appareat in eo, qui ſic affectus eſt, magis gratia, quàm natura.

Cant.2. De ſponſi ſanctitatis præſtantia Spōſa in Canticis ait. Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Solus .n. ille malo cōparatur, cuius fructus gratiſſimus eſt, cæteri vero mortales ſyluarū ligna ſunt, quę, aut nullū, aut acerbiſſimū fructū ferunt, quo non homines ſed porci paſcūtur. Quo igitur conſilio ab hac iniuria reuocabimur? Nimirū ſi in illū inſeramur, ſic .n. ſylueſtres, & ſteriles arbores in multū frugiferas commutantur. Decerpamus igitur à Chriſto Ieſu vita noſtra ſpiritū eius, & amputatis cupiditatū noſtrarū ſylueſtribus ramis, mēbribus illum noſtris per afflictionē, & imitationē inſeramus, & ſic fructus, & vbertatis eius cōſortes erimus. Hoc aūt modo charitas nos vnit, & inſerit Chriſto Ieſu Dño noſtrò, & pinguedinis eius, atq; ubertatis participes facit. Summa fœlicitatis noſtræ, ut diximus, eſt diuinæ ſimilitudinis participatio, ad quam perueniemus, cū Deū facie ad faciē intuebimur. Si ergo ſimilis Deo fieri cupis videndo Deū ſicuti eſt, da operam, (vt inquit B. Bernar.) vt ſimilis ei fias videndo eū ſicuti pro te factus eſt, ac ita per imitationē ſacrę humanitatis ad ſimilitudinem venies ſummæ diuinitatis. Verū ex præcipuis, ad quod filius Dei venit in mūdū eſt hoc, vt ex verbis Sponſæ in Canticis patet. Cant.5. Vbi pro eo qđ nos legimus; Dilectus meus cādidus, & rubicūdus, electꝰ ex millibꝰ, alij verterūt. Sub ſignis hīs exercitū decē milliū. Alij vero. Vexilla-

xillarius ĩ decẽ millibus. Et qdẽ dilecti cãdoreius puritatẽ, ruber aũt color eius paſſiones, mirabilemque patientiã deſignat. Harum uirtutum gerit Chriſtus Ieſus uexillum inter decem millia hoc eſt, inter fideles, ut in illum omnes aſpiciant, illum ſequantur, illum imitentur: illum enim pater poſuit non ſolum propitiatorem, ſed etiam ducem, & Chriſtiani populi uexilliferum. Vexillum autem crux eius eſt, cuius uirtute, & imitatione electi omnes ſalutẽ cõſequuntur. Quiſquis igitur in delicijs vitam agit, hoc uexillum minimè ſequi conuincitur: a quo quidem non recedunt: qui carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs, & concupiſcentijs, quod faciebat ille, qui dicebat. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne, cũ alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiat. Et ideo dicebat alio loco. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Hãc etiam imitationem uerba illa ſpõſæ in Canticis ſignificant. Vbi, poſtquàm ipſa dixerat. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis (quo uerbo labores, & perſecutiones, quas propter ſponſum ſuerat perpeſſa, indicauit) huius rei cauſam protinus ſubdit, dicens. Nolite mirari, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol. Videlicet, ſol iuſtitiæ ſponſus, cuius uita laboribus plena fuit, cuius omnis doctrina uix quidquã aliud, quàm laborum tolerantiam ſonat, cuius erga nos charitas, & beneficia tãta ſunt, ut me nullo modo potuerim continere, quin propter illius gloriam tam multis me doloribus, atque moleſtijs obiecerim. Charitas enim Chriſti vrget nos, ut Apoſtolus ait, nempè ut quoad licet illum imitari, & uni illi obſequi ſtudeamus. Omnium quippe ſanctorum eſt illa uox. Propter te mortificamur tota die, hoc eſt. Noſtra erga te Domine dilectio huius afflictionis cauſa eſt. Quidam ex ſanctis patribus Biſarion nomine (ut Palladius in ſua narrat hiſtoria) mortuum quendam nudũ conſpicatus, ſe ſuper humerali exuens, & illum operuit, & ſepeliuit, poſtea uero mendicum quendam nudum obuiã excipiens, reliqua ſe veſte exuit, & nudus ipſe remanſit, quò nudum in paupere Chriſtum tegeret. Cum igitur nudus in quodam angulo iaceret à principe quodam ciuitatis eidem noto rogatus, quis eum ita nudaſſet? Is prolato euangeliorum codice, qui ei reliquus erat, hic, inquit, nudauit me. Hoc autem perinde eſt, ac ſi diceret, ſol me decolorauit. Deſiderium imitationis Ieſu Chriſti Domini mei, quæ in hoc euangelio docetur, me fecit veſtes deponere, & nudum remanere. Fœlices illi, qui ſic Dominum imitantur: ſiquidem ex hac uita fœlicem, ac beatam uitam uiuere incipiunt. Atq; ita vbi nos legimus: Satiabor, cum apparuerit gloria tua: alia translatio habet. Satiabor, cum apparuerit ſimilitudo tua. Hoc eſt *Pſal. 16.* ſingulari voluptate, & quadam ueluti ſacietate potiar, & fruar, quando in me Domine ſimilitudinem tuam uidero, & quando uidero me, te ipſum imitantem.

Imitatio Chriſti diuerſimodè exercetur.

SIcut portauimus imaginem terreni Adam, portemus & imaginem cœleſtis, inquit B. Apoſt. ad Cor. ſcribens. *1. ad Cor. 15.* Portare imaginem terreni Adami, eſt ipſum inobedientia, & ingratitudine imitari: portare autem cœleſtis Reparatoris Ieſu Chriſti imaginem, eſt, ſanctiſſimæ vitæ eius nos veros, & exactiſſimos eſſe imitatores. *Simile.* Solent aliqui in galero imaginem quandam portare, ſicut faciunt D. Iacobi peregrini: alij vero in pectoribus eã portant, quales ſunt commendatarij: alij in manibus eã portant, quales ſunt eleemoſynarum quæſtores, qui præ manibus ſanctorũ imagines, quibus ad erogandã eleemoſynã Chriſtiani incitentur, portare ſolẽt. Sic aliquot Chriſtiani imaginem Chriſti, hoc eſt, vitam Ieſu Chriſti Reparatoris

lat. Sicut lilium, inquit, inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Hieruſalem. Id ſponſus à condito orbe ingenti ſtudio, magnaque ſedulitate curauit, ut ſponſam chariſſimam ſibi efficeret ſimillimam; ut quemadmodum ille flos, & lilium, ita etiam gratuito beneficio ſpōſa illius imitaretur imaginem. Sed quoniam ſponſus extra omne peccati periculū poſitus eſt, ſe appellat florem, & liliū, non tamen inter ſpinas. At quoniā inter penè infinita pericula ſponſa ſemper agit, lilium inter ſpinas iure appellatur ab ſpōſo. Nam quod eam lilium inter ſpinas uocat, duo (ut arbitror) uoluit ſignificare: alterum eſt teneritudinem floris: alterum eſt periculū, quod ex ſpinis imminet. Nam ſponſa, quia flos eſt, & liliū perforatur, & conuellitur, & quia inter ſpinas agit perpetuo illi imminet diſcrimen hoc grauiſſimū & periculum. Cum ergo illam florem appellat, & inter ſpinas erumpentem; ſolicitudinem commendat, uigilantiā, & timorem. Atque ob eam rem à rege
Pſal. 2. uate dictum exiſtimo, ſeruiendum eſſe
Ad Ph. 2 Domino in timore, & à D. Paulo cum timore, & tremore comparandam eſſe noſtram ſalutem. Quis ambigat ſponſam inter ſpinas agere, quando ipſæ, & in terra ſunt, & in aere ſunt, & in carne noſtra ſunt, & in intimis etiam animi receſſibus? In terra, quoniam mundus ſponſam trahit ad peccatum, allicit, &
Ad Eph. 6 inuitat. In aere ſunt ſpinæ, quoniam, ut B. Paulus inquit, perpetua nobis dimicatio propoſita eſt, cum Principibus aeris huius, quæ ſanè periculoſiſſima conflictatio eſt. Poſtremo circunferimus nobiſcum domeſticum hoſtem, carnem ſcilicet infectam, & corruptā.

Imitatio Chriſti ubi eximiè docetur.

AD hoc filius Dei factus eſt homo, vt homines ab eo diſcerent homines eſſe, & omni corde ad ipſum imitādum incitarentur: atque ita D. Paul. de eo ad Hebræos ſcribens inquit. Vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari, *Ad Heb. 2*
vt miſericors fieret. Quaſi dicat. Ex eo quia Chriſtus Reparator noſter factus eſt homo in remedium hominis; ex eo, inquam, ortum eſt, ut conueniens eſſet & oporteret, ipſum per omnia hominibus aſſimilari, non quidem in peccato, ſed in pœnalitatibus, quæ ex peccato promanarunt; ut uidelicet paſſionibus corporalibus, hoc eſt, frigori, calori, ſiti, fami, triſtitię, anguſtiæ, perſecutionibus inimicorum, tormentis, morti denique, atque alijs miſerijs ex peccato ꝓcedentibus ſubiectus eſſet: in quibus omnibus ſimilis fuit fratribus ſuis filijs Adæ. Hæ autē paſſiones in eo otioſæ non extiterunt, aut inutiles, quin potius materia ſummi boni fuerunt; nam manente ſacratiſſima Chriſti humanitate paſionibus noſtris ſubiecta, inde reſultauit, ut miſericors fieret. Quid ais ò Doctor gentium, uas Dei electū, ut portes nomen eius coram gentibus, quid, obſecro, ais? Explica nobis hoc arcanum. Nunquid Deus antequàm homo fieret, non erat miſericors? Eſt ne aliquid in diuinis literis adeò celebratū ſicut Dei miſericordia? Nunquid Propheta Dauid nō ait? Miſerationes eius ſuper omnia opera eius, quaſi dicat. [*De ningun attributo de Dios tenemos tanta experiencia, como de ſu miſericordia.*]
Et S. Iſaias peccatores exhortans inquit. Derelinquat impius uiam ſuam, *Iſai. 55.*
& uir iniquus cogitationes ſuas, quoniam multus eſt Deus ad ignoſcendū. Hoc eſt, maximè propenſus eſt ad condonandum, & parcēdum inimicis ſuis, & ad hoc infinitam habet miſericordiam. Si igitur Deus ante incarnationem miſericors erat, quare o ſancte Apoſtole ais: Filius Dei debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret: Quis dubitat Sacroſanctum Apoſtolum rectiſſimè dixiſſe? Nam oportet uos ſcire o fratres mei, certum eſſe genus miſericordię, quam Deus in ſua deitate exequi non poſſet, niſi noſtram humanitatē ſumeret. Inter opera miſe-

ricordiæ unum ex præcipuis eſt captiuum à graui ſeruitute redimere, ſoluẽdo ipſius redemptionis pretiũ. Si Deus humanitatem noſtram non aſſumeret optimè quidem poſſet, nos gratis redimere, non tamen poſſet pro nobis ſoluere, & noſtram nobis mereri redemptionem. Quæro modo qualiter poſſet, qui immortalis erat, mori, & qui impaſſibilis, pati? Quomodo etiam poſſet alapis cædi, ſpinis coronari, flagellari, & crucifigi ille, qui ſummæ maieſtatis Deus eſt, niſi paſſibile corpus aſſumeret, in quo patienter tot pateretur tormenta, per quæ in toto rigore iuſtitiæ iuſtificationem, & gloriã meruit prædeſtinatis? Hæc fuit o fratres miſericordia, quam filius Dei de nouo exercuit, uidelicet, noſtram humanam naturam aſſumere, ut ingentem poſſet copiam habere meritorum, hoc eſt, (*para poder tener caudal de merecimientos,*) quibus pretium redemptionis noſtræ perſolueret, quod quidem facere non poſſet, ſicut ab æterno conſtitutum erat, niſi ſimul cum humanitate noſtras pœnalitates aſſumeret, & ideo ait ſanctus Apoſtolus, quod debuit per omniá fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, hoc eſt, ut, cum paſſibilis eſſet ſicut, & cœteri poſſet hanc ſpeciem miſericordiæ exercere, videlicet, ſatisfacere ſuis paſſionibus pro nobis æterno Patri. Eſt etiam, & alia miſericordiæ ſpecies, ſcilicet, ignorantem docere non ſolum doctrina, ſed etiam bonæ vitæ exemplo. Hoc genus miſericordiæ exercuit filius Dei in carne humana, quod exercere non poſſet, niſi homo paſſibilis fieret, non enim poſſet aliter homines ad cœleſtem uiam non tantum doctrina, ſed etiam vitæ exemplo docere, ſi (vt dictum eſt) pœnalitates noſtras non aſſumeret. Hanc doctrinã nos beatus Auguſtinus in quodam ſermone docet inquiens. Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri nõ poterat, ut homo haberet, quem ſequeretur. factus eſt homo, hoc eſt, indigebat homo magiſtro, qui eum non ſolum opere, ſed etiam exemplo perfectionem doceret. Non habebat homo, quem ſequeretur, nam homo alium hominem non oportebat ſequi, omnes enim homines imperfecti ſunt, idcirco ſecurus erat Deum, quem oculis corporeis non uidebat. Vt ergo haberet aliquem in uirtute imitandum, oportebat, ut Deus homo fieret paſſibilis: etenim niſi paſſibilis fieret Deus, quomodo poſſet diſcipulis ſuis dicere? Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis: ſum etenim, ſi ego Dominus, & Magiſter laui pedes veſtros, vos debetis inuicem alter alterius lauare pedes, exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Et ſi homo paſſibilis non eſſet factus, qualiter poſſet diſcipulos ſuos ad martyrium incitare, & incendere dicens. Non eſt maior ſeruus Domino ſuo: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Quomodo denique poſſet eos exemplo uitæ humilitatem, patientiam, mãſuetudinem, ac cæteras uirtutes docere? Hęc Diuus Petrus in ſua epiſtola nos docet inquiens. Chriſtus pro nobis paſſus eſt, uobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius.

IMITATIO SANctorum.

VBI nos legimus. Legem pone mihi Domine uiã mandatorum tuorũ, *Pſ. 118.* & exquiram eam ſemper ſ In Hebræo, loco huius aduerbij, ſemper, ponitur dictio Ereb, quę uariè redditur: nam beatus Hieronymus uertit. Cuſtodiam eam per ueſtigium, ſcilicet Sanctorum patrum, qui per eam ambulauerunt. *Simile.* De uulpe legitur, quod nunquam per uiam regiam, & tritam incedit, ne per veſtigia deprehendatur, ſed ſemper per deuios, & incultos tramites ambulat, nec recto itinere pergit, ſed modo huc, modo illuc, ut ſic inſidiantium oculos confundat, ne, quò ierit, deprehendant. In ſacris literis per vulpes intelliguntur peccatores, & ſic loquens Chriſtus Redemptor noſter. De Herode ait. Dicite uulpi illi; Ecce eijcio *Lucæ. 9.* Dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſumor. Sic peccatores, ut uulpes, non per uiam Dei ambulant, nec ſequuntur ueſtigia ſanctorum. Vel proprius dicuntur uulpes hęretici, de quibus in Canticis inquit ſpõ*Cant. 2.* ſa. Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. Hi nunquam uia regia incedunt, ſed nouitatibus ſtudẽt, & ferè in omnibus à communi uia, qua patres noſtri tranſierunt, declinare contendunt.

Vnde B. Cyrillus in quadam epiſto*B. Cyrillus in epiſt. ad Neſtoriũ.* la ait. Nouitas eſt hæreſis ſeminarium, nec nouitatibus inſiſtendum, ſed recta via patrũ deberemus incedere. Vnde B. *1. ad Tim. 6. c.* Paulus ad Timotheũ magna cũ emphaſi, ac energia dicit. O Timothee depoſitum cuſtodi deuitans prophanas uocũ nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Ecce quomodo nouitas uocum fidei excidium eſſe ſoleat. Ne ſimus ergo uulpes nec uno, nec altero modo, ſed corde ſincero legem Dei per ueſtigium Sanctorũ cuſtodiamus. Fœlix uero uertit. Vſque in calcem, id eſt, uſque ad finem. Quod ſeptuaginta interpretes tranſtulerunt, ſemper. Nam qui perſeuerauerit uſque in finem hic ſaluus erit. Pro hac etiam imitatione Sanctorum faciunt illa uerba Sponſi in Canticis dicentis. Si ignoras te opulcherrima inter mulieres egre *Can. 1.* dere, & ubi poſt veſtigia gregum tuorũ & paſce hędos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Quæ uerba Chaldæus Paraphraſis dixit, Deum ad Moyſen dixiſſe cũ ab illo cõtenderet extorquere optimã gubernandi rationẽ. Cupis, inquit, ut anima mea te diligat? Ambula in uijs iuſtorũ, & ordina rationem eius in ore perfectiorũ, ſiue maiorũ illius &c. Nã antiquitatẽ repetere maiorũ, & illorum geſta ſæpius animo euoluere certiſſima quædam eſt inſtructio ad bene, beateq; uiuendũ. Hinc illud Regij uatis. Cogitaui dies antiquos, & annos ęternos in mẽte habui, & meditatus ſũ *Pſ. 72.* nocte cũ corde meo, & exercitabã circa eã rẽ ſpiritum meũ. Nã ſiue relaxandus ſit animus, ſiue pellenda mœſtitia, ſiue fiducia cõcipienda de diuina miſericordia, ſiue iuſtitia enixus inueſtigãda, excitãdus amor, concipiẽdus timor recogitandi ſunt ſemper dies antiqui, & anni æterni, maiorumq; ueſtigijs ſemper inhęrendũ eſt. B. Paulus ſæpe Chriſtũ Redemptorẽ noſtrũ, ſæpe, ac frequẽter ſanctos patres, & antiquos præſertim in epiſtola, quæ eſt ad Hebræos, propo-

nit imitandos. Illud aũt põt aliquis in dubiũ vertere, quare ſponſus, cũ ſponſam commonefaceret, ſignãter hædos paſcendos dixit? Paſce, inquit, hædos tuos. Id quidã de educatione filiorũ interpretantur; quod mihi non videtur nimium à ratione alienũ, nam hoc frequenter multis in locis, multisq; uerbis commendabat ſponſus Deus per Moyſen, vt ingenti cura populus Dei huic negocio incumberet educandorũ filiorum: id vero iuxta maiorum inſtituta leges, rationesq; uiuendi. Nam diuinas leges uoluit, optimosque mores à pueris, & infantibus iam à teneris annis altius imbibi, eo quòd eſſet Rex ad tuendam reipublicæ vtilitatem, & ad propagandam religionem apprime neceſſariam. Diuerſa habentur teſtimonia huius rei, quam ſolicitè Deus id Hebræo populo iuſſerit. Si attentis oculis animaduertere volumus, vix in mũdo quempiam uidebimus, cui non inſit aliquid, in quo eum imitari poſſimus. Nam ſi, & improbi quidpiam habent, ex quo vtilitatẽ elicere poſſumus, multo profecto melius, & exactius hoc in bonis, ac virtute præditis reperietur. Nos non latet, Dominum dixiſſe apud D. Lucam. Filij huius ſæculi prudẽtiores ſunt filijs lucis in generatione ſua. In hoc ergo illos imitari debemus, quod in bono adeò ſolicitos, & aſtutos nos eſſe oportet, ſicut ipſi in malo ſunt: & hoc modo etiam improbos, & ſceleratos pro magiſtris habebimus. Quando viderimus aliquem multum temporis ſpatium conſumentem in compoſitione ſui corporis, ut hominibus duntaxat maxima cura, & ſolicitudine placeat, nos ipſos confundamus, eo quòd non tot horarum ſpatium inſumamus in noſtris, ad placendum Deo, animis componendis.

Imitatio ſanctorum maxime neceſſaria prælatis.

IN libro Numerorũ iuſſit Dominus ſancto Moyſi, vt poſt quam ſacerdotalibus ueſtibus Aaronem exueret, eas Eleazaro filio eius præberet, in ſignum quod ſucceſſurus erat patri ſuo in ſacerdotis officio, & (ſicut ait Beatus Auguſtinus) ut exequias eidem parẽti ſuo tanquam ſacerdos faceret. [*Veamos ſeñor ſi por uentura Eleazaro no era de la miſma eſtatura que ſu padre, como le auian de aſſentar y quadrar las meſmas veſtiduras ſacerdotales, porque ſi era menor el cuerpo vernan le largas, y ſi mayor vernan le cortas, mejor fuera hazerle otras aſu medida? Venganle como quiera que le vinierẽ, o cortas, o largas, ninguna otra le pondras (dize Dios à Moyſen) ſino las meſmas de ſu padre Aaron. Nolo auia Dios por las veſtiduras, ſino por la ſignificacion dellas.*] Fuerat ſacerdos Aaron optimus miniſter, & in officio ſacerdotali rectiſſimè ſeruierat, atque ita ad ſignificandũ, quod in uita, & moribus deberet Eleazarus hunc virum patrem ſuum imitari, ideo precipit Dominus, ut Eleazarus eiſdẽ veſtibus ſacerdotalibus, quibus pater eius induebatur, uteretur, licet ad proportionem corporis eius non conuenirent. Omnis perditio Reipublicæ Chriſtianæ ex eo oritur, quia noui prælati ueſtibus antiquorum prẹlatorum primitiuæ Eccleſiæ non induuntur, nec Chriſtiani modo ſanctis antiquorum Chriſtianorum moribus ſe induunt, & exornant. Quis enim his miſeris tempo ribus animum habet ad reſiſtendũ Regibus, ſicut Beatus Ambroſius habuit, qui Theodoſium Imperatorem ab Eccleſia propter homicidium expulit? cũque ipſe peccatum ſuum excuſare uellet exemplo Dauidis, qui adulter, & homicida fuit, reſpondit Beatus Ambroſius. Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem: & ſic Imperator ſe pœniten- Num. 2.

tentiæ quam ei ſanctus prælatus impoſuit, ſubmittere voluit. Quis modo tam acerrimus fidei propugnator extat, ſicut Beatus Auguſtinus, qui malleus hæreticorum appellatur? Quis nunc tam inimicus honorum, & dignitatum exiſtit, ſicut Beatus Gregorius, qui poſtquam in ſummum Pōtificem electus eſt, habitum mutauit (id eſt ſe disfracos) & in figura hominis pauperis in ſpelunca delituit, donec Spiritu ſancto demonſtrante columna ignis in loco, ubi deliteſcebat, viſibiliter apparuit? Quis hodie eo zelo animarū indutus eſt, quo Beatus Chriſoſtomus induebatur, qui (ut hiſtoriæ referunt) in exilio exiſtens Incredibile eſt, quanta mala fuerit perpeſſus, & quam multos ad Ieſu Chriſti fidem conuerterit? Et quis eſt Pontificibus, qui ſit pater pauperum, ſicut Alexander Sextus, qui ex ordine Minorum in Pontificatum aſſumptus eſt? Cuius erga egenos tanta pietas erat, ut omnia, quæ habebat, eis libenter elargiretur: atque ita dicere ſolebat. Ego fui Epiſcopus diues, Cardinalis, pauper, & Papa mendicus. Non creſcebant in eo cum dignitate diuitiæ, quin potius minuebantur: quanto enim plus habebat, eo plus pauperibus elargiebatur. Singulariſſima ergo reformatio eſſet ſacroſanctæ Eccleſiæ, vt Eleazarus proprias veſtes parentis ſui Aaron indueret, hoc eſt, ut prælati omnes oculos in prædeceſſoribus ſuis, qui laudabiliter vixerunt, figerent, eoſque imitarentur: & omnes Chriſtiani huius temporis antiquos Chriſtianos, qui tot labores pro fidei conſeruatione, & augmento omni ſtudio æmularentur.

Beatus Ioannes Baptiſta venit, vt diſponeret Synagogam (quæ tunc erat eccleſia Catholica) ad ſanctiſſimum aduentum filij Dei, & ut ipſum tanquam verum Meſſiā reciperent: in prædicatione autem eius præcipua intentio fuit, vt filij ſuorum parentum, quos Deus in miniſtros elegerat, veſtigia ſequerentur. Atque ita angelus inter alias excellētias, quas de eo patri ſuo Zachariæ reuelauit vna ex præcipuis fuit, quod ipſe tanquam præcurſor Domini prædicaturus erat filium Dei, & vnus ex finibus prædicationis eius futurus erat, vt conuertat corda patrum in filios: id eſt unus ex præcipuis fructibus, quos prædicatio huius præcurſoris factura eſt, erit transformare, & imprimere in filijs corda ſuorum patrum, q. d. In eis fidem, pietatem, obedientiam, zelum honoris Dei, qui antiquis parentibus ſicut in Abraham, Iſaac, & Iacob atque alijs iuſtis regnabat, imprimet & plantabit, [*y hara que aunque ſe va cayendo todo, y eſta ya caſi ſeco, ſe torne todo a reuerdecer en los coraçones de ſus ijos.*] Et hæc eſt præcipua reformatio, quæ in omnibus ſtatibus, tam ſæcularibus, quàm eccleſiaſticis, & regularibus fieri debet, vt videlicet omnes, qui nūc ſunt, omni ſtudio curent mores ſuorum fundatorum in ſe ipſos diligentiſſimè trāſformare.

Imitatio ſanctorum quomodo paleſtris aſſimilatur.

IN Græcia erant quædam loca, & cāpi dicti, paleſtra, vbi ſe iuuenes in lucta exercebant. In his campis erant aliquot ſtatuæ aliquorum fortiſſimorū virorum, qui maximi luctatores fuerant, vt ſic luctantes iuuenes oculos in eis figerent, & vires, atque animum ad præmium in lucta comparandum conciperent. Lucta vocatur Chriſtiana uita: atque ita D. Paulus inquit. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, cōtra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, id eſt, propter regna cœleſtia. O terribiles hoſtes humani generis, qui quoniam tam potentes, & crudeles ſunt, cum in hac vita aduerſus carnem & ſanguinem tam magnum bellum habeamus, inquit ſanctus Apoſtolus quod non eſt nobis col- *Ad Eph. 6*

luctatio aduerſus carnem,& ſanguinẽ, quia in comparatione acerrimæ luctæ, quam aduerſus dęmones habemus,vix appellari poteſt lucta illa,qua aduerſus carnem pugnamus. In hac ergo paleſtra, videlicet in hac vita, nobis ſacroſancta eccleſia plurimas ſtatuas excellẽtiſſimorum luctatorũ ante oculos proponit,qui maximas victorias aduerſus crudeles hoſtes compararunt,vt eas videntes animum, ac vires ad victoriã in hac ſpirituali lucta adipiſcendum concipiamus. Hæ autem ſtatuæ ſunt vita, & exempla ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum, & præcipuè præclara vita, & inſignia exempla illius potentiſſimi luctatoris Ieſu Chriſti filij Dei, qui tã admirabilem victoriam aduerſus nequiſſimas inferni poteſtates reportauit. Quando ergo,ò fratres,vobis ſanctorum exempla prædicatur,aut quando vos in hiſtorijs eorum vitas legitis, animo concipite,vobis ante oculos has ſtatuas proponi,vt ad tentationes,quæ ſe obtulerint,ſuperandas, & ad difficultates,quæ ſecum virtutis exercitia afferunt, penitus vincendas animemini. Hoc vtebatur D.Hiero.quando animo euoluens S.Hilàrionis pęnitentiam, & auſteritatem vitæ eius,eum appellabat. Meus paleſtrita. Et B. Chry. miſericordiam vocabat oleum paleſtrarum. In quo docebat homines debere miſericordia ſe vngere, vt diabolus eos in lucta tenere, ſeu apprehendere, aut ſupplantare non poſſet. Itaque fratres mei ſi hoſtes ſuperare vultis, non debetis in luctam auaritia,cupiditate, ſed miſericordia, & elementa in pauperes ornati ingredi.

Simile. Sicut inſignis quidam pictor olim (cuius meminerunt hiſtorię)cũ Deam Iunonem miro artificio depingere inſtituiſſet, quinque puellas ex innumeris, pulchritudine præſtantiores delegit,atque quod in ſingulis excellentius erat contemplatus eſt perattente,vt inde tandem ſingulari quadam Idæa animo concepta picturam ſuam omnibus numeris abſolutam ſpectabilem proponeret:ita certè quiſquis uitæ emendandæ per ſtudioſus eſt,vitas ſanctorũ, ſancta exercitia, & operationes eorũ ſumma animi attentione perpendere debet & ex eiſdem decerpere quæque magis iuuantia ſunt ad id,quod cupit,conſequendum.

Exempla ſtupenda. Non ſolum ſanctos plenos ſpiritu ſancto imitari debemus, ſed ad noſtram maiorem confuſionem oculos noſtros in philoſophorum vitas infigere vtile erit. Philoſophi enim illi Pythagorici olim ſtudioſiſſimi fuerunt, fugientes omnem ſtrepitum, atque tumultum. Quin & Platonici, & Stoici ſeſe in templa recipiebant, vt ibi commodius, & attentius contemplandis cœleſtibus intenderent. Plato etiam,contemptis ſuis omnibus diuitijs,atque urbis delitijs in oppidolum quoddam ſe recepit,neque ſatis ſalubre, ſed peſtilentia etiam infectum,quo tum ſolitudine, tum laborum oppreſſione magis, magiſque, & virtuti, & contemplationi vacaret. Denique vſque adeò plurimi philoſophi ſolitudinis extitere amatores, & ſtrepitum omnem fugientes, ut ſibi oculos eruerent,quoà conſpectu harum rerum fluxarum ſemoti eſſent, & eorũ mens facilius interius cœleſtibus contemplandis inuigilaret. *B. Hieron. li. 2. aduerſus Iouen. tom. 2.*

INCARNATIO
Verbi Diuini.

TANTO deſiderio flagrabat filius Dei humanã aſſumendi naturam, ut iam ab initio, eius ſimilitudinem ſumpſerit, quaſi exercens ſe ipſum, antequam verè, & realiter eam aſſumeret. Veluti qui armatus proceſſurus eſt ad bellum, prius in ludicris bellis ſe exercet, quæ effigiem aliquam, & ſimilitudinem verorum præ ſe ferant. Vnde licet pleriq; Doctores dicant, hominem conditum fuiſſe ad imaginem Dei, eſſe ſecundum animam, quæ ſecundum tres potentias, quas habet, intellectum, voluntatem, & memoriam, Trinitatis ſummę imaginem refert: tamen non deſunt Doctores, qui affirment, quod homo ſecundum corpus eſt ad imaginem Dei factus, & ſecundum animam ad ſimilitudinem. Inter quos eſt Tertullianus, Gregorius Nazianzenus, B. Ambroſius, & B. Baſilius: ſed cum ſubſtãtia Dei corpus non habeat, non rectè intelligitur, quomodo ad imaginem Dei ſit factus homo, ſecundum corpus, niſi finxeris, quod Tertullianus dixit, nimirum, quod ipſum verbum Dei à principio conditionis humanæ aëreũ corpus ſumpſit, ad cuius imaginem corpus Adam formatum eſt. Quod ſi hoc forſan tibi nouum, & incredibile uiſum, fuerit memineris oportet, quod multi ſancti Doctores affirmant apparitiones illlas, quas Deus faciebat veteris Teſtamenti patribus, factas fuiſſe in perſona ipſius verbi, hoc eſt, quod ipſe filius Dei in corporibus illis aëreis apparebat eis. Imo in Concilio Sirmienſi de regulis fidei, regula quarta decima ſic diffinitur. Si quis contra Iacob non filium tanquam hominem luctatum eſſe, ſed ingenitum Deum, ac patrem eius dixerit, anathema ſit. Et beatus Auguſtinus quæſtionibus de nouo teſtamento inquit. Colluctans Iacob cũm ſaluatore quem Deum intellexit, quem ſpecie corporis videbat. Sicut filius Regis priuſquam ſponſam principem accipiat ad ſe, & det ei manus, abit incognitus ad itinera, quibus ipſa venit, & inſinuat ſe illi uarijs modis, nũc ſuper pulcherrimum equum, nunc ſicut peregrinus pedes, nunc tanquam uenator uiridi ueſtitus colore, quouſque eam in ſuam accipiat poteſtatem. Sic nimirum uerbum, ac filius Dei humanam naturam ſponſam ſibi aſſumere cupiens eius amore captus, antequã ſponſalia fierent, uarijs modis ſe illi inſinuabat, nunc tanquam luctator fortis, ut apparuit Iacob: nunc uelut peregrinus & hoſpes, ut apparuit Abrahæ; nonunquam confabulando, ſimul, & edeudo cum homine, quouſque manũ ei perpetui coniugij daret, cum uerbũ caro ex Maria uirgine ſacratiſſima fieret. Aduertendum tamen eſt, quod ſi formam tunc accepit humanam (ut cõcilium uidetur diffinire ac ita patres ſentire) non fuit in unitate ſuppoſiti, ſed ſicut Spiritus ſanctus accepit colũbam, hoc eſt, ſpeciem columbæ, ut expreſſit Euangeliſta ſacer dicens. Spiritus ſanctus uiſus eſt ſicut columba ſuper eum, hoc eſt, in ſimilitudine, & effigie columbæ. Et tunc opus fuit totius Trinitatis, licet ſecundum appropriationem dicatur illud opus filij.

Simile.

Tert. li. de reſur.
Gre. Naz. ſer. de epi.
B. Amb. li. de fi. orthodoxa c. 8.
B. Baſi. aduer. Emmonium li. 2.
Conc. Sirmienſe.

B. Aug. de noui teſta mẽ. q̃onib.

Incarnatio amoris diuini fuit admirabilis manifeſtatio.

AVerte oculos tuos à me, quia ipſi me euolare fecerunt, inquit. Sponſus loquens cum ſponſa in Canticis. Referunt præſtantes Philoſophi Platonici maximè, & Pythagorici, qui amoris naturam, & proprietates inter cæteros exactius inueſtigarūt, nullum eſſe inter cæteros ſenſus, aut inter reliquas corporis partes, ſiue ad excipiendam amoris vim, ſiue ad infundēdam, qui cum oculorum acie poſſit conferri. Oculis enim homines, quemadmodum aliorum animos, & corpora conſauciant, ita etiam, & grauiſſima, & periculoſa amoris excipiunt vulnera: ob eamq; rem oculorum cuſtodiam uehementer neceſſariam affirmant, qui uelit amoris ægritudines nunquam incurrere, & teterrimum morbum, & peſtilentem effugere rabiem. Spōſus proinde, ſi naturam rerum obſerues, nihil ad res amatorias explicandas potuit dicere vel elegantius, vel accommodatius, quam: Auerte oculos tuos à me ò chariſſima ſponſa. Nam pertinent hæc verba ad amoris magnitudinem, & exceſſum, & miro explicant artificio, quę ſit amoris natura, & proprietas, & quibus corporis partibus ægritudinē iſtā homines hauriant, & accipiant uulnera, & cæteris infligant. Auerte, inquit, oculos tuos à me: ipſi enim me auolare fecerunt. Ita nanque à natura comparatum eſt, vt qui verè amant, amati aſpectus, & oculorum acies pertimeſcant, magnopereque uenerentur. Quod & fortibus hominibus, & ſapientibus accidit, vt timores, & terrores coram inferioribus, quos uehementer amant, patiantur. Nō enim humanum eſt, quod eos frangit, quod occupat (nam humana vis in inferioribus, ſapientioribusq; ſemper eſt excellentior) ſed effigies illa diuinæ uenuſtatis cuius ſcintilla emicat in formoſis, quaſi Dei ſimulachrū: quo fit, vt amantes obſtupeſcant, cōtremiſcant, & res amatas uenerentur, & timeant, licet inferiores. Sponſus itaque quaſi homo aliquis eſſet, qui ſponſæ chariſſimæ amore deperiret, rogat eam quaſi grauí timore compulſus, ut auertat ab ipſo oculos: quoniā ipſi, inquit, me fecerunt auolare. Quo uerbo expreſſit nimiam uim, & efficaciam amoris, ut ſit ſenſus. Eadem ipſe patior, quæ ſolent amantes, non ſum mei compos, totus ſum extra meipſum, tuis oculis mē mihi ſubripis perpetuò, ſuſpiro, gaudeo. Sic enim ſolent amantes, calent nanque aliquando, & uiciſſim frigent inſtar eorum, quos tertiana febris inuadit, timidi ſunt audaces, nam frigiditatem timor; calíditatem audacia ſequitur. Quod igitur, inquit. Ipſi me fecerunt auolare, pertinet maximè ad exprimendas perturbationes amantium: Dum uero dixit; Auerte oculos tuos à me, ſatis oſtendit, quæ ſit origo primuſque amoris fons. Quanta ergo ſit uis amoris ſatis oſtenditur quando ſpōſus Deus omnipotens præmagnitudine amoris inquit. Auerte oculos tuos, &c. Amor enim adeò potens eſt, ut non ſolum de homine, uerum etiam, & quod amplius eſt, de Deo triumphauit: nam ad amoris magnitudinem, & exceſſum pertinet, quod oculi ſpōnſæ ſponſum extra ſe rapiant, & efficiant, ita ut humano more loquendi, ſui ſit impos. Quales ſint ſponſæ oculi ſæpè audiſtis: nam ſiue ſit ipſa ſpiritualis hominis prudentia, quæ inter cæteras virtutes cardinales principem agit, ſiue ſit ipſa operis intentio, qua una in fines aliquos res omnes diriguntur, omneſque actiones in finem aliquem deſtinantur partum refert: ſed & de oculis fidei locus poteſt intelligi. Nam quemadmodum prudentia cæteris virtutibus moralibus, ita etiam, & fides omnibus virtutibus inſpiratis lucem infundit, & claritatem, & ſe ducem præbet, & uiam munit, & aperit. Quod igitur inquit ſponſus. Auerte oculos tuos à me: non ita eſt intelligendum, quaſi prudentia ſpiritualis hominis, aut fides ipſa, qua una diuina

Cant. 6.

uiſa intuemur,& contemplamur, ſint
penitus è noſtris pectoribus diuellen-
dæ: aut penitus profligandæ; quaſi vir-
tutes iſtas prudentiæ, ſiue fidei ſponſus,
aut faſtidiat, aut odio proſequatur, q̃
potius ad exprimendam amoris ma-
gnitudinem dictum exiſtimemus, vt
ſponſa auertat oculos ab ſponſo, quòd
illum uehementer conſauciant. Nec mi
rum eſt, ſi his oculis nempe fidei, & Chri-
ſtianæ prudentiæ ſponſa ſponſum uul-
nerat, ita ut ſponſus extra ſe auolet. Nã
una fuit ſemper uirtus fidei à condito
orbe, quæ ſponſum Deum grauiſſimo
amoris morbo ueluti uulnerabat, & ex-
tra ſe ipſum rapiebat. Vide quæ con-
ceſſerit beneficia fidei ſanctorũ Patriar
Ad Hebr. 11. chatum antiquitus. Diligenter conſi-
dera, quæ B. Paulus ad Hebræos ſcripſit
quo loco fidem multis præconijs cele-
brat, dicens. Sancti per fidem uicerunt
regna, operati ſunt iuſtitiã, adepti ſunt
repromiſſiones, &c. Inuenies neminẽ
potuiſſe tam ampla, tamque magnifi-
ca beneficia ſponſæ contuliſſe, niſi qui
morbo, & ægritudine amoris, & graui
morbo corriperetur. Sed ſunt hæc, quæ
diximus, ueluti imago quædam, ac te-
nuis umbra earum rerum, quas, & ma-
gnifice, & liberaliter fecit ſponſus po-
ſtremis temporibus ſponſæ oculis con-
ſauciatus. Nullum ſanè potuit eſſe me-
ritum incarnationis diuini uerbi, quẽ-
admodum ſacri Doctores prodiderũt:
nã ſtultum eſſet credere opus aliquod
humanum, ita egregium fuiſſe, atque
diuinum, ut ad magnitudinem, & am-
plitudinem tãti beneficij potuerit per-
tinere. Vincuntur enim omnia huma-
na opera, iacẽt humana merita, ſi cum
ſtupendo illo opere incarnationis diui
ni uerbi conferantur. Itaque cum alia
ſit meritorum ſeries; alia uero diuinæ
bonitatis, & indulgẽtiæ, opus illud ma
gnificum ea ſerie conſtruendum eſt, q̃
ad bonitatem ſponſi, & liberalitatẽ per
tinet. Eſt itaque opus illud extra meri-
tum omne: & tamen ſi quiſpiam à me
poſtulet, aut exigat, quid potuit eſſe ca
uſæ, quod ſponſus extra ſe auolans in
noſtram deſcenderet infirmitatẽ? Aut
quonam morbo laborabat, cum à tan-
ta maieſtate non detractauerit in nõ-
ſtram utilitatem deſcendere? laborabat
quidem amore, & ueluti dilectione æ-
grotabat. Nam opus illud eſſe dilectio- Ioan. 3.
nis ingentis docet inter cæteros B. Ioã.
Euan. Cũ inquit. Sic Deus dilexit mun
dum, ut filium ſuum unigenitũ daret?
Quibus autẽ oculis ſponſa ab orbe cõ-
dito ſponſum uulnerauit, ita vt ea quo
dãmodo pateretur, quæ ſolent amãtes;
crediderim ſanè oculis fidei potiſſimè
illũ vulneraſſe, non qđ meritũ fidei ad
magnitudinem beneficij potuiſſet ac-
cedere ſed quod tanti ſemper fecerit
ſponſus oculos iſtos ſponſæ, vt inter
cæteras virtutes fidei ſponſæ potiſſimũ
ſe ipſum donauerit, fidei nobiles illas
pollicitationes; & promiſſiones fecit
de venturo iſto beneficio: fidei dona-
uit oracula, & vaticina de futura iſta
fœlicitate. Sed ſponſum oculis iſtis
ſponſæ, & faſcinatum fuiſſe, & extra
ſe quodammodo cõſtitutum, aut auo
laſſe (ut ipſe inquit) ſatis intelliget,
qui verba illa B. Pauli altiori mente
pertractauerit: Non rapinam arbitra-
tus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſeme
tipſum exinaniuit formam ſerui acci-
piens, &c. Ideo enim exinanitus cenſen
dus eſt, quia eo videtur carere, quod
ſibi natura competat. Quemadmodum
nucem dicimus exinanitam, quæ caret
nucleo: Eadem opera, & tituli illu-
ſtres diuinitatis Chriſto Ieſu propter
diuinitatis naturam congruebant, &
tamen ipſo incarnationis opere adeò
extra ſeipſum euolauit, ut fuerit quo-
dammodo exinanitus: titulos enim di
uinitatis natura ſibi debitos licet non
amiſſit, occultauit, ut iam homo ap-
pellaretur mortalis, paſſibilis. Quibus
omnibus nullus eſt adeò ſtupidus, qui
non intelligat ſponſum extra ſe auo-
laſſe, oculis ſponſæ, & aciebus fidei,
quodammodo conſauciatum.

Incarnatio maximam in hominibus generauit fiduciam.

POſt incarnationem diuini uerbi, ampliſſimam ſponſa concepit fiduciam, adeò vt multa poſtulet, quæ potuiſſent ſtulta uideri, niſi meritis, & miſericordia incarnati verbi inniteretur: fecit enim illi ãpliſſimos animos, videbat Dei filium eam in tantam euexiſſe dignitatem, vt in vnitatem perſonæ humanam naturam aſſumeret. Fuit enim incarnationis opus ſummæ gratiæ, ſummęque beneuolentiæ, que madmodum eſt annotatum à B. Augu ſtino in libris de ciuitate Dei, quo loco inquit. Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipſe unicus Dei filius in ſe incommutabiliter manens indueret humanitatem, & ſpem dilectionis ſuæ daret hominibus. Eſſe autem hoc opus ſummæ gratiæ hinc facile lice colligere, quod nullum meritum humanum ad tãtum potuit pertingere beneficium: primo quia nullũ meritum ſine gratia poteſt conſtare, ut Theologi docent: Chriſtus autem omnibus primam gratiàm promeruit, ob eamque rem neceſſarium eſt, opus incarnationis eſſe extra omne meritum, etiam Chriſti Ieſu ex ſententia D. Auguſtini dicentis, nec Chriſtum Ieſum ſibi promeruiſſe incarnationem. Ob eamque rem aſſerit Scotus, in operibus diuinis uix aliud opus eẽ ſupremę gratię pręter incarnationẽ verbi. Nam & B. Virgo, cuius merita fuerunt ampliſſima, tantum hoc beneficium ſuis meritis non attigit, quanuis ut quidã arbitrantur, huius beneficij accelerationem potuit mereri. Deinde ſponſa erat inimica: opus autem quod ab inimico, & hoſte proficiſcitur ſuapte natura dignum non eſt, quod acceptetur, ſaltem loquendo de merito iuxta propriam meriti rationem, quam Theologi de cõdigno appellant. Omne enim meritum ab orbe conditio meritis uenturi Chriſti, & incarnationis opus pręcederet omnia merita. Cum ergo ſponſa fuit hoc liberale beneficium, & eximium extra gratiam omnem aſſecuta diuina beneuolentia ampliſſios animos concepit, ita ut auſa ſit diuino ſponſo dicere in Canticis. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, hoc eſt, ut ſigillum. Fieri non potuit (ut mihi uidetur) ut alia eſſet poſtulatio maiori cum audacia coniuncta, quam ſit iſta, petere ab ſponſo diuino, ut in corde illam excipiat, & imprimat tanquam ſigillum, ſiue ſignaculum. Deinde uero, ut nullũ prætermitteret dilectionis, & amoris indicium, petit ab ſponſo, ut ſuper brachium illam tanquam ſignaculum portet, ſumpta metaphora ab amatoribus, qui quanuis rei amatæ altius ſuis animis impreſſam habeant imaginem, ſolent tamen interdum dilectionis, & amoris, & brachijs, & dignitas quædam deferre, & veluti monimenta, quæ illos ſemper hortentur, & excitent ad amandum. Hæc uero ſi ad Deum referantur petit ſponſa, ut nõ ſolum animo ab ſponſo diligatur, ſed & externo opere probet ipſam dilectionem. Nam in teſtimonium dilectionis ipſa operis exhibitio debet ſemper adduci. Animum itaque ſponſi ſponſa occupare uehementer cupit, cũ inquit. Pone me ſicut ſignaculum, ſiue ſigillum ſuper cor tuum. Cum uero nominat brachium, quoniam Dei manus, & digiti, & brachium, diuinas operationes ſolent exprimere, petit, ut, & animo, & externo etiam opere dilectionem erga illam teſtetur. Et ut paucis dicamus, orat, ut eam recipiat in ſuam ſingulariſſimam curam. Ex hoc intelliget fidelis anima, quo animo, & qua fiducia ad Deum in ſuis neceſſitatibus accedere debet.

B. Aug. li. 10. de ciu. Dei.

Incarnatio verbi diuini nimis fru-ctifera fuit.

CHriſtus Redemptor noſter germē (hoc eſt, pimpollo) in ſacra ſcriptura uocatur. Sic eum appellat Iſaias Iſa.4. propheta dicens. In die illa erit germē Domini ī magnificētia, & gloria & fructus terrę ſublimis, & exultatio his, qui ſaluati fuerint de Iſrael. Et Propheta Hieremias inquit. Ecce dies ueuiunt dicit Dominus, & ſuſcitabo uerbum bonum, quod locutus ſum ad domum Iſrael, & ad domum Iuda. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciā Dauid germen iuſtitię, & faciet iudiciū & iuſtitiam in terra. Quamuis autē ibi S. Propheta de incarnatione, & de natiuitate Chriſti reparatoris noſtri loquatur, tanquam de germine, quod in campo naſcitur, non tamen facit mentionē de aratro, ligone, aut agricultura aliqua, ſed ſolum in capite quadrageſimo quinto mentionem facit de cœlo, terra, ac de nubibus dicens. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Et re uera, qui hæc uerba comparauerit cum illis, quæ angelus ad ſacratiſſimam virginem Mariam dixit, uidebit quaſi eadem eſſe, nullo alio diſcrimine, aut differentia interpoſita, quam quod Archāgelus proprijs uerbis locutus eſt, eo ꝙ de re præſenti agebat: at uero Propheta Iſaias idem negotium uerbis metaphoricis, & figuratiuis iuxta Prophetarum ſtilum tractauit. Ibi angelus dixit. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: hic S. Iſaias ait. Rorate cœli. Ibi angelus dixit. Virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Hic S. Propheta ait. Nubes pluant iuſtum. Ibi angelus dixit. Quod naſcetur ex te ſanctum uocabitur filius Dei. Hic prophetam dicit. Aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Et omnem nobis dubitationem aufert id, quod ſtatim adiecit dicens. Et iuſtitia oriatur ſimul, ego Dominus creaui eum, non enim ait. Ego Dominus creaui eam, ſcilicet iuſtitiam, ſed. Ego Dominus creaui eum, ſcilicet, Saluatorem, hoc eſt, Ieſum: nam Ieſus ponitur ibi in originali. Et inquit. Ego creaui eum: ubi creationem, & natiuitatem huius beatiſſimæ ſalutis ſibi tribuit, [*y preciaſe della como de hecho ſingular, y admirable.*] Et ait. Ego Dominus, ac ſi diceret. Ego ſolus, & non alius mecum, non enim ad hoc altiſſimum opus uir aliquis, ſed ſolus Deus interuenit. Ad hoc propoſitum extat ſingularis locus pſalmi aliquantulum tamen obſcurus, iuxta noſtram editionem, licet ſecundum originalem literam nimis apertus, adeò ut antiqui Doctores, qui ante aduentum Ieſu Chriſti reparatoris noſtri floruerunt, inde cognouerint, & ita ſcriptum reliquerint ſacroſanctam matrem ueri Meſſiæ concepturam eſſe virtute Dei, Pſal.109. & ſine opere uiri. Nam locus ille. Ex vtero ante luciferum genui te, ſi ad literam ex Hebræo uertatur, hoc modo inquit. In ſplendoribus ſanctitatis ex vtero, & ex aurora tecum ros natiuitatis tuæ. In quibus uerbis non ſolum in uno, ſed in omnibus hoc myſteriū oſtenditur, nam in primis certum eſt, S. Prophetā in hoc pſalmo cum Chriſto ſaluatore mundi loqui. Deinde etiam certum eſt, eundē Prophetam in hoc uerſiculo de conceptione, ac natiuitate eius agere, & quod Deus abſque miniſterio hominis actor huius diuini, & noui operis in uirginali, & puriſſimo uentre ſacratiſſimę uirginis extiterit. Primum conſpicitur apertè in illis uerbis. In ſplendoribus ſanctitatis. Quod perinde eſt, ac ſi diceret, ſanctiſſimum Redēptorem noſtrum concipiendum forè non impudicis carnis, aut ſanguinis ardoribus, ſed ſanctis ſplendoribus cœli. Quod & apertius oſtendunt uerba ſequentia, uidelicet. Ex aurora ante Luciferum, & ex rore. Vbi eleganti ſtilo idem exponitur, nam quædam appoſitiſſima ibi latet ſimilitudo, quæ ſi eam manifeſtamus, ita ſonabit. In ventre, ſcilicet matris tuæ genitus eris, tanquā in

Hiere. 33

In auroꝛa,hoc eſt,[*como la que en aquella ſazon de tiempo y ſe engendra enel campo con ſolo el rocio, que entonces deſciende del cielo,*]& non irrigatione aliqua,aut humano ſudore. Et adiecit. Tecum ros natiuitatis tuæ, quoniam cum uĕtrem puriſſimum ſacratiſſimæ matris, auroræ comparauiſſet, & quia ſub auroꝛa è cœlo ros cadit, quo terra fœcundatur, proſequens, & perſiſtens in ſimilitudine uirtutem generationis eius uocauit etiam ros, & ait. Tecum,eo quòd verbum diuinum, quod incarnatum eſt, idem cum patre, & Spiritu ſancto formauit ibi corpus, & naturam hominis qua ipſum verbum ſe induit, & ad hoc faciendum virtutem infinitam, ac poteſtatem habuit.Sed quæro,quare cum omnes tres perſonæ ad hoc cœleſte opus concurrerint, angelus peculiariter perſonam Spiritus ſancti pluſquam patris,& filij ſignificauerit,dicens. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te? Reſpondeo hoc eſſe profundiſſimum myſteriū pro cuius intelligentia obſeruandū eſt quod inter opera Dei, q̄ ad intra Theologi uocāt, unū ex maximè admirādis eſt,qualiter pater filiū generat, & quomodo pater, & filius producūt Spiritū ſanctum: & in hoc admirando opere Spiritus ſanctus nō facit ſicut aliæ duæ perſonæ faciunt, non enim generat ſicut Pater,nec ſpirat,& producit ſicut filius,& pater. At non ideo aliquis cogitare debet, Spiritum ſanctum propter hoc minoris potentiæ eſſe,quàm Patrē & Filium: hoc enim eſſet error notabiliſſimus. Ideo ſic à diuina ſapiētia hoc inſtitutum eſt, quod perſona illa, quæ in myſterio Trino non nominatur, in myſterio humano,ac diuino nominaretur,& hæc eſt perſona Spiritu ſancti, qui non dicitur generare, & ſpirare in illa generatione æterna, in opere uero infinito incaruationis de ipſo ſolū particularis mentio fiat,ut ex hoc manifeſtiſſime oſtendatur,Spiritum ſanctum æqualis,& infinitę potentiæ eſſe, ſicut Patrem,& Filium.Peculiaris etiam mētio fit de Spiritu ſancto quoniam hoc inſigne opus eſt opus amoris, clementiæ,& pietatis,quod ei attribuitur, Et eſt ualde notādum,quod ante incarnationem uerbi diuini uix in ſacra ſcriptura reperitur ſpiritum Dei, uocari Spiritum ſanctum uſque ad tempus diuinæ incarnationis: antea .n. ferè ſemper ſpiritus Dei, & ſpiritus Domini, uel ſpiritus oris eius uocabatur: quod ex multis diuinarum literarum locis apertiſſimè conſtat.Si autem dicitis,Prophetam regium dixiſſe. Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Ad hoc reſpondeo,illum loqui de ſpiritu prophetię,quam Dominus ei communicauerat. Portò quando in aliquibus locis ſacræ ſcripturę (qui perpauci ſunt) dicitur Spiritus ſanctus, ſæpius de ſpiritu ſapientiæ,aut de ſpiritu prophetiæ, & nō de tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis intelligitur. Ratio uero quare ſpiritus Dei tunc Spiritus ſanctus non uocabatur,modo autem ſic,ea eſt,quia uidelicet non tāta eo tempore occaſio fuit ſicut nunc, nam Spiritus ſanctus ſignificat ſpiritum ſanctificatorē,at vſq; ad tempus noſtræ redemptionis, & ſanctificationis(quod in ſacroſancto incarnationis myſterio incœpit) Spiritus ſanctus pauciſſimos ſanctificabat reſpectu plurimorum,quos poſtea ſanctificauit, & uſque ad finem ſæculi ſanctificauit. Atque ita Chriſtus Redemptor noſter loquens apud D.Ioannem cum æterno Patre inquit. Pro eis ego ſanctifico me ipſum,ut ſint ipſi ſanctificati in ueritate. Licet autem Chriſtus reparator noſter inquantum homo nobis(ut ipſe hoc loco fatetur) ſanctificationem meruit,eam tamē Spiritus ſanctus cum patre, & eodē filio operatur, ſed Spiritui ſancto peculiariter attribuitur,quia opus pietatis, & gratiæ & miſericordiæ eſt.

Incarnatio verbi diuini conuenientiſſima fuit.

RES quidem cōuenientiſſima fuit, ut Deus homini in maxima neceſſi-

ceſſitate conſtituto ſubueniret, ſiquidē Deus ipſe uel minimis terræ uermibus ſua diuina prouidentia nō deficit, quare ergo excellentiori creaturæ ex omnibus huius mundi in maiori omnium neceſſitate deficeret? Sed forſan dices non fuiſſe conueniens gloriæ Dei, ſe ita ſubmittere, & humiliare, ut homo fieri dignaretur. Hæc obiectio ex eo oritur, quia hominem conſpicimus, & cōtemplamur, ſicut modo eſt, uidelicet, cum omnibus uilitatibus, & inordinationibus, quæ ei poſtea per peccatum euenerunt. Quòd ſi cogitas, filium Dei hæc omnia ſuper ſe ſumpſiſſe, falleris profecto, nam ex his nihil potentiſſimus Dominus ſumpſit: ipſe etenim naturam ſeparauit à culpa, hoc eſt, ſeparauit id, quod Deus fecit ab eo quod homo fecit, & ſumens duntaxat id, quod Deus fecit, reliquit quod homo fecerat. Præſeruans igitur naturam ab omnibus defectibus eam ſupra id, quod amplificari poteſt, tanta diuitiarum ſpiritualium, necnon gratiarum abūdantia adornauit, & nobilitauit, ut non fuerit dedecus eius, quin potius maximus honor, & gloria, ſe talem facere hominem, qualem ſe fecit. *Simile.* Non cederet in dedecus, & ignominiā Regis, [*ſe uili ueſte de ſayal, o de picote induere, ſi prætioſis auri ornamentis, & lapillis eſſet ornata, hoc eſt, ſi eſtuuieſſe aquella veſtidura toda guarnecida de franjas de oro, y broſſada de piedras precioſas.*] Nam uilitas, quam ex parte materiæ habebat, pretioſis illis ornatibus operiretur. Hoc idē filius Dei fecit, licet enim pannus ueſtis, qua ſe induit, uilis eſſet, & abiectus; ipſe tamen eum tantis diuitijs gratijs, ac donis ſpiritualibus adornare ſciuit, ut non eſſet dedecus, & ignominia ſua, illo ſe induere. Verū eſt (ut D. Thomas docet) quòd conueniens fuit, filium Dei ſumpſiſſe naturam humanam paſſibilem, & mortalem; ut ſuis paſſionibus pro toto humano genere ſatisfaceret, & ut nobis patientiæ, & mā ſuetudinis exemplum præberet. Atque ita de quo propheta Amos ait: Leo rugit, quis non timebit? De eodem poſtquàm homo factus eſt glorioſus Baptiſta dixit. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vnde obſecro, ortum eſt, ut ſeueritas Dei in tantam dulcedinem, & manſuetudinem verteretur? Experientia patet, quòd aqua maris, cum ſalſa, & inſipida ſit, ſi per uas ceræ uirginis diſtillet, dulcis, ac ſapida uertitur. Hic igitur fuit modus, quo rigor, & ſeueritas iuſtitiæ Dei uerſus eſt in dulcedinem. Factum eſt vas ceræ virginalis uidelicet ſacratiſſima uirgo Maria tota dulcis, & ſuauis, ſicut eccleſia canit dicens. Vita dulcedo: cum autem per poros ſacratiſſimi, ac puriſſimi ventris eius ingreſſa, & egreſſa eſt aqua illa, de qua Iſaias inquit. Sicut aqua maris operientis, ita dulcis, & ſapida remanſit, uaſe ipſo tam ſano, & integro, ſicut antea, manente. Vnde Euſeb. Emiſ. in quadam homi. inquit. Quando audis, Deū ex homine natum eſſe, & maieſtatem ſub fragilitate latuiſſe, uirginem prole ditatam, nec tamen uirginitatem fuiſſe ſolutam: nō ſe obijciat ſenſibus tuis nouitas operis, nec dicas, illud fieri non poſſe, quia qui te magna credere iuſſit omnipotens eſt. Diuinis rebus admiratio adhibenda eſt, non credulitas abneganda. In omnipotente te credere affirmas: ſed ſi de factis eius dubitas, imbecillitatem omnipotentis accuſas.

D. Tho. 3. p. q. 44. ar 2. *Amos. 1.* *Ioan. 1.* *Simile.* *Iſai. 11.* *Euſe. Emi. hom. 2. de ſymbolo.*

Incarnatio verbi diuini pura gratia fuit.

TAntum fuit incarnationis uerbi diuini beneficium, ut non potuerit ſub meritis alicuius eſſe, ſed ſolummodo ab infinita Dei miſericordia, ac ſumma eius liberalitate proceſſit. Atq; ita B. Iacobus, poſtquàm dixerat: omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, ſtatim adiecit. Voluntariè enim genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ eius. Perpendite, obſecro, qualiter S. Apoſtolus hic generationem ſpiritualem, (quæ

Iacob.

(quæ per uerbũ incarnatum facta eſt) diuinæ uoluntati attribuat, ut tanto beneficio incitati nouæ creaturæ eius ereptæ à peccato, & diuina gratia renouatæ inciperemus eſſe. Atque ita loquens nobiſcum tanquam obligatis tanto beneficio, ſtatim inferius addidit. Propter quod abijcientes omnem immunditiã & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum uerbum, quod poteſt ſaluare animas ueſtras. Inſitum uerbum appellatur, eo quod inſertum fuit amaro oleaſtro humanitatis noſtræ quæ antea fructum non ferebat, nunc autem quando diuinum uerbum ei inſertum eſt, uberrimos ſingularium meritorum fructus præbet. Comparatur etiam incarnatio uiti, hoc eſt, [*al ſarmiento que ſin cortarlo el labrador de la cepa lo cubre de tierra, y da fructo por ſi quedando ſiempre en la cepa. Aſsi el uerbo diuino, como uid de la cepa, que es el padre, el meſmo padre, que es agricola lo cubrio de la tierra de nueſtra humanidad, quedandoſe enel meſmo padre.*] Atque ita fructus uberrimos redemptionis præbuit humano generi. Et hoc ẽ qđ D. Pau. ad Philippenſes ſcribens inquit. In ſimilitudinem hominũ factus, & habitu inuentus ut homo. [*Los habitos, y ropas de los grandes ſeñores muchas uezes ſon mas ricas por el afforro que por la parte de fuera, porque muchas uezes el afforro ſuele ſer de brocado, y de fuera es un paño groſſero Tal es la forma de eſta ropa, que es la humanidad, que lo de fuera que es el cuerpo es groſſero de la tierra.* Quia: formauit Deus hominẽ de limo terrę *Y luego puſo le el afforo, que fue el alma.*] Et ſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ. [*Fue golpeada eſta ropa con cinco ſentidos, para que por eſtos golpes ſenſuales ſe manifeſtaſſen, y deſcubrieſſen las potencias ſpirituales, que ſon memoria, entendimiento, y uoluntad. Y de aqui uinieron los Philoſophos a conocer el hombre tener otra coſa mas que lo de fuera, que es el alma tan capaz que aunque al dar ſea eſcaſa, quanto al recebir es infinitamente largas porque tiene capacidad paſſiua infinita.*] Hoc igitur habitu, & hac veſte indutus eſt filius Dei recipiens corpus mortale, & animam immortalem. Atque (ut omnes Theologi fatentur) anima illa ſacratiſſima ab inſtanti ſuæ creationis glorioſa fuit. Quod irrefragabiliter probatur ex illis regij Prophetæ uerbis, quæ D. Petrus in Actibus Apoſtolorum citat, & quæ dicta fuerunt in nomine illius animæ ſacratiſſimæ. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Ergo ſemper anima illa ſanctiſſima ab inſtãti ſui primi eſſe Deum uidit. Verbum igitur diuinum diuino hoc habitu indutum dedit mundo æternæ redemptionis fructum.

Simile. *Simile.* *Ad Ph. 2.* *Simile.* *Gen. 1.* *Act. 2.* *Pſ. 15.*

Anuntians angelus puriſſimæ Virgini hoc ineffabile myſterium quæſiuit ab eo. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum nõ cognoſco? Super, Miſſus eſt, ſcribens beatus Bernardus hæc uerba ponderat dicens. O uirgo prudens, o uirgo deuota, quis te docuit Deo placere uirginitatem? Quæ lex, quæ iuſtitia, quæ pagina ueteris teſtamenti, uel præcipit, uel conſulit, uel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris angelicam ducere uitam? Vbi legeras beata Virgo. Sapientia carnis mors eſt, & curam carnis ne perfeceritis in deſideratio? Vbi legeras de uirginibus, qui cantant canticum nouum, quod nemo alius cãtare pooteſt, & ſequuntur immaculatum agnum, quocunque ierit? ubi legeras. In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus: Et qui matrimonio iungit uirginem ſuam benefacit, & qui non iungit melius facit? Vbi audieras: de uirginibus autem præceptum Domini non habeo conſilium autem do? Tu uero non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum uideras, niſi quod unctio docebatte de omnibus, ac ſermo Dei uiuus, & efficax, ante tibi factus eſt magiſter, quam filius, prius inſtruxit mentem, quam induerit carnem.

B. Ber. ho. 3. ſup. Miſſus eſt. *Ad Ro. 8.* *Ad Ro. 13.*

Antiqui Prophetæ hoc tantum myſterium non ignorauerunt: Moyſi ſiqui-

quidem, Heliæ, Eliſæo, Dauidi, Iſaiæ, Hieremiæ, Ezechieli, Danieli, cæteriſq; Prophetis hoc mirabile myſterium Deus reuelauit. Cum ergo eis reuelatum eſſet, incredibili quodam deſiderio tenebatur natura humana tantum a Deo beneficium accipiendi: itaque dicebat, quod ſpõſa in Canticis. Oſculetur me oſculo oris ſui, quaſi diceret: veni iam ſponſe mi, & deſiderate cunctis gentibus, mutuoque ſtemus. Iuuabant prę terea Patriarchæ, & Prophetæ ſuis vocibus, & clamoribus poſtulantes, vt Dei aduentus accelerarетur. Et ſicut qui delicatiſſima, & fragrantia poma nauibus pertrahunt, & tranſuehunt in remotas regiones, odore dũtaxat delectantur illorum pomorum paleis opertorum, verum alij, ad quos poma tranſmittũtur, ſapore etiam, & guſtu eorum reficiuntur: ſic planè accidit antiquis Patriarchis, & Prophetis, vt ſcilicet fragrantiã quandam, & odorem ſenſerint tãti fructus ventris ſacratiſſimæ Mariæ: at vero nos illum accepimus fructum, manibus noſtris contrectauimus, non autẽ ſolo odore contenti fuimus. Illi inter paleas, hoc eſt cæremonias quaſdam, hunc fructum inuolutum adferebant, nos vero dimiſſis paleis tãto fructu potiti ſumus. Ex illis robuſtis viris qui botrum adferebant ex terra promiſſionis, ille, qui præcedebat, non poterat videre ipſum botrum: at verò qui ſequebatur, & videre poterat, & fructus ſuauitatem deguſtare: ſic planè patres veteris teſtamenti, & antiqui Patriarchæ Chriſtum non meruerunt videre, at verò nos vidimus eum, & eius fructum deguſtauimus. Vnde ipſe Dominus Ieſus Apoſtolis ſuis, cæteriſque Chriſtianis ipſis ſuccedentibus dixit. Alij quidem laborauerunt, & vos in eorum meſſem, & labores introiſtis.

Cant. 1.

Simile.

Hic tamen aduertere nos oportet, quod hæc vua nõ ſolum grana habeat matura, verum etiam omphacium, & acida grana; debemus autem non ſolũ dulcedinem huius vuæ, ſed etiam amaritudinem ipſam deguſtare, hoc eſt, pœnitentiam agere, & labores ipſos, atque afflictiones patiẽter tolerare, ſicut Chriſtus Dominus tormẽta ipſa pro nobis pertulit, & ſuſtinuit: ſi enim nos delectat dulcẽdo ipſa, nos etiam delectare debent & amara ſi volumus dulcedine ipſa frui in gloria, & beatitudine æterna.

Beatus Cyprianus in Symbolum Apoſtolorum inquit. Quid mirum videatur, ſi virgo conceperit, cum orientis auem, quam phœnicem vocãt, in tãtum ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, vt ſemper & vna ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo vel renaſcendo ſuccedat? Apes certè neſcire coniugia, nec fœtus ſexibus edere palam eſt. Sed & alia nõnulla deprehenduntur in huiuſmodi ſorte naſcendi. Hoc ergo incredibile videbitur diuina uirtute ad totius mundi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur.

Incarnationis Domini notabilis ſermo.

Vt de hoc altiſſimo Incarnationis verbi diuini myſterio tractetur, oportet, vt adſint auditores non hebeti ingenio, ſed ſubtili intellectu præditi, aut ſaltem bonis, atque ſinceris voluntatibus affecti. Nam ipſemet Deus ad agendum de eodem myſterio, maximã attentionem, grauiſſimamque audientiam poſtulauit. Vidit enim Zacharias Propheta ęternum Patrem cum ſacerdote magno Ieſu loquentem, eique dicentem. Audi Ieſus ſacerdos magne tu, & amici tui, qui habitãt coram te: quia viri portendentes ſunt, hoc eſt portentoſi, & prophetici. Ecce enim ego adducam ſeruum meum Orientem. Ex his dictis, velut digito oſtẽdit lapidẽ quendam, ſuper quo erant ſeptem oculi, & dixit. Ecce lapis, quem dedi coram Ieſu, ſuper lapidem vnum ſeptem oculi. Quaſi diceret. O vos viri Prophetici animaduertite, & conſiderate hunc lapidem,

Zach. 3.

pidem, quem coram ſacerdote Ieſu po-
ſui, ſuper quem ſeptem ſunt oculi. Cũ
autem eſſet res tam mirabilis, & quæ vi
res naturæ humanæ longè ſuperat, cõ-
iungere ſeptem viuos, & lucidos ocu-
los cum duro, atque aſpero lapide, di-
xit omnipotens Dominus. Deponite,
deponite admirationem: nam ego cela
bo ſculpturam eius: ego, inquam, cu-
ius potentiæ nihil y.alet reſiſtere, futu-
rus ſum huius operis artifex, [*io tengo
de ſer el que puede con primor encaxar eſ
ſos ojos en la piedra.*] Hęc fuit ſancti Pro
phetæ viſio: nunc autem myſteriũ, qđ
intus latet, intelligere contendamus.
Hoc totum de promiſſione, quã Deus
mundo fecit, mittendi in mundum fi-
lium ſuum, intelligitur: ſicut omnis ſa
crorum doctorum chorus teſtatur. At-
que paraphraſis Chaldaicus, vbi nos le
gimus, Orientem, apertè trãſtulit, Meſ
ſiam. Voluit ergo Deus de altiſſima fi-
lij ſui incarnatione agere, [*y para eſto
llama por auditorio al gran ſacerdote, y a
los varones alumbrados con el ſpiritu pro-
phetico:*] non enim omnes ſunt ad hãc
materiam apti auditores: oportet igi-
tur & literas & ſpiritum habeãt, vt me-
lius poſſit tam occultum ſacramẽtum
eorum memoriæ adhærere. [*Con ſeme-
iança diuina ſe lo declaro, que era vna pie-
dra con ſiete ojos encima.*] Per lapidem
in ſacra ſcriptura ſacratiſſima Redem-
ptoris noſtri humanitas intelligitur.
Lapis abſciſſus de monte ſine manibus
Dan. 2. à Propheta Daniele vocatur: ab Iſaia
Iſa. 28. lapis pretioſus in fundamentis: à Rege
Pſal. 117. Dauide lapis, qui factus eſt in caput an
Mat. 21. guli. Et apud Matthęum Euangeliſtã
lapis offenſionis, & petra ſcandali nun
cupatur. Per ſeptem autem oculos Diu
us Gregorius diuinam ſapiẽtiam, quæ
eſt uerbum æternum, merito, ac ueriſ-
ſimè intelligit: etenim non ſolum in
ſacris literis (ut optimè Cyrillus Ale-
xandrinus aduerſus Iulianum Apoſta-
tam diſputans teſtatur) ſed etiam apud
Aegyptios, ut Apullæus aſſerit, ſem-
per oculus habitus fuit ad ſignifican-
dam diuinitatem, cuius aſpectui nihil
opertum eſt, quin potius omnia ſunt
nuda & aperta oculis eius: ſicuti D. Pau
lus ad Hebræos ſcribens fatetur. Nume
rus etiam ſeptenarius, quia perfectiſſi-
mus eſt, ſemper (ut docet Philolæus)
fuit ſignificatio Dei, qui in ſe ſummè
perfectus eſt. Quia uero hic numerus
Deo erat conſecratus, multoties illo
ſancti in miraculoſis operibus uteban-
tur. Septies enim Propheta Helias mi-
ſit ſeruum ſuum, ut uideret, an pluere
inciperet, quando à Domino petebat,
ut in tãta ſiccitate, de aqua prouideret.
Septies iuſſit Eliſęus Naaman Syro, ut
ſe in Iordane flumine ad ſanitatem ex
lepra recipiendam lauaret. Qui ſancti
uiri in hoc ſeptenario numero fateban
tur hæc miracula uirtute Dei fieri. *Iunta
pues Dios ſiete ojos, que ſignifican ſu diui
ni d.ad, con una piedra que es ſignificacion
de la humanida l, ſignificando la vnion ad-
mirable de las dos naturalezas, diuina y hu
mana: y para hazer creyble tal marauilla,
dize que el ſera el autor della.*] Ego cela
bo ſculturam eius. [*O myſterio diuino y
ſoberano que es meneſter que lo declare el
miſmo Dios, y que lo oyan ſacerdotes, y pro-
phetas. Pues eſte miſmo es el que yo tene-
mos entre manos, y ya que no ſeamos Pro-
phetas, procuremos de ſer todos muy afficio
nados a el, y principalmente el diuino fa-
uor, hara que entendamos lo que del ſe nos
dixere.*

Omnis Theolorum ſchola ſimul cũ
beato Dionyſio fatetur, quòd natura
boni eſt eſſe cõmunicabile alijs rebus,
& illas participes ſuæ bonitatis effice-
re. Huius ueritatis umbra quædam re-
peritur in luce, & claritate ſolis, qui
liberaliſſimè radios ſuos, claritatem-
que cælis, ac terris communicat, ita ut
nihil ſit in orbe terrarum, quod à calo
re eius abſcondatur. Quòd ſi hoc in
paruo bonitatis riuulo reperitur, quid
erit in uberrimo infinitæ bonitatis
fonte, uidelicet altiſſimo Deo? Nam
(ut ait beatus Dionyſius) Deus eſt ſub
ſtantiale bonum in omnibus. Si autem
de natura boni eſt, ſe omnibus com-
municare; apertiſſima res eſt, quòd
quanto

quanto melius, & excellentius fuerit aliquod bonum tanto magis communicabile. Cum igitur omnes ingenuè fateamur, altiſſimum Deum noſtrum eſſe infinitum bonum, rationi conſentaneum eſt, vt ſignemus aliquam cõmunicationem magnitudini, atque immẽſitati eius æqualem. Hæc autem eſt, quam Pater æternus facit, ſeipſum infinite unigenito filio ſuo communicãs, & filius, atque idem pater eadem plenitudine Spiritui ſancto ſe communicantes. [*Pero como dize S. Maximo ſcholiaſtes del diuino Dionyſio, no ceſſo aquila corriente del diuino amor.*] Nam tota Trinitas ſuperſubſtantialis, quæ eſt amor, dulcedo, & deſiderium, non ſinit eam in ſeipſa ſine fœcunditate manere, ſed potius mouet ſeipſam ad faciendum, & creandum omnia inuiſibilia, & viſibilia, quæ ſunt. Quid cogitatis eſſe omnes has creaturas, quæ tanta pulchritudine hanc mundi machinam componũt, & adornant, niſi quoſdam illius infiniti ſolis clariſſimos radios? [*Pero aun con mas ſingularidad ſe quiſo communicar eſta ſumma bondad a las criaturas racionales, con que ſe leuantaſſe ſu naturaleza a ſer participante (como dize San Pedro) de la de Dios, y poderſe llamar hijos ſuyos, porque no quedaſſe algo en Dios por communicarſe.*] Nunquid erat aliquid in Deo, quod non ſe communicauerit? Ita planè, videlicet perſona diuina, quę in beatiſſima Trinitate ſe communicare non poterat, ſicut diuina eſſentia ſe communicat. Nam ſi perſona æqualiter cum diuina eſſentia communicaretur, nulla prorſus eſſet in ſanctiſſima Triade perſonarum diſtinctio. [*Porque ſi la razon de no auer alli tres naturalezas, ſino ſola vna, es communicarſe la naturaleza, ſi ſe communicara la perſona, ſola vna perſona vuiera, y nos: y aſſi la perſona tre diuina en la ſanctiſſima Trinidad de todo punto es incommunicable. Pues que corte, y traça ſe podia dar para que no quedaſſe nada en aquella diuina bondad por communicar? Abra ſe camino para eſto, y no ſe puede hallar otro, ſino que el criador communique ſu perſona a la criatura, pues no la puede communicar al criador: para que eſtando la naturaleza diuina communicada en Dios, y la perſona diuina communicada en los hombres, no quede nada en aquella diuina bondad por communicar. O ſummas y ineffabiles communicationes. En la primera ſe halla una eſſencia en tres perſonas: y en la ſegunda ſe halla vna perſona en tres eſſencias, que ſon diuinidad, alma, y cuerpo. En la primera que daſſe Dios en ſi y en la ſegunda ſale Dios de ſi por amor de peccadores.*] Ad hoc ſpectant, immo & optimè quadrant verba illa ſapientiſſimi Dionyſij. Audendum eſt & hoc pro veritate dicere, quod Deus ex vi charitatis extaſim paſſus eſt: hoc eſt, extra ſe ipſum fit. Effectus ardentiſſimi amoris eſt extaſis: [*vn ſacar de ſi, al que verdaderamente ama. Vereys vna timida gallina hazerſe aguila por ſus pollos, y una flaca yegua tornarſe onca por ſu hijo, y una manſa oueja bolverſe vna braua leona, por defender ſu corderillo del lobo. Quien cauſo eſto ſino la fuerca del amor, que ſaca de ſi a eſtos animales, dando al temor oſadia, y a la flaqueza fortaleza, y a la manſedumbre fuerca? Pues qui en uiere al infinito, y immenſo enclauado en vna Cruz, al impaſſible derramar ſangre, al immortal eſpirar y morir, y a la ſumma bondad aparecer en figura de peccador, no dira con mucha uerdad que en alguna manera por amor ſalio de ſi? O amor exceſſiuo de nueſtro Dios? Por beuer del uino de la viña que planto eſte celeſtial Noe embriagado del amor ſalio de ſi Tal le deſſeaua la eſpoſa quando dezia*] Quis mihi det te fratrem meum ſugentẽ vbera matris meę, & inueniam te ſolum foris, deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat. Solum foris dize, hoc eſt [*que te vieſſe ya fuera de ti, hecho hombre por el amor que me tienes.*] Hodie igitur o ſacroſancta eccleſia, & benedicta ſpõſa adimpleta ſunt deſideria tua, quia hodie Deus efficitur frater tuus, hodie carnẽ ſumit ex puriſſimis ſacratiſſimæ Virginis Mariæ viſceribus, hodie denique

Deus pro amore tuo extra ſe quodammodo exit: & ad hoc miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.[*Y con ſu nombre baxa predicando el myſterio a que uiene. Llamaſſe Gabriel, que ſignifica Dios hombre.*]

Miraculoſa quidem, & admiratione digna eſt hiſtoria illa, quæ ad hoc propoſitum in ſecunda Nicæna ſynodo in quarta actione refertur ab Stephano Diacono citante librum martyrij Diui Procopij, uidelicet quòd cũ vir quidam, cuius nomen Mearia, Crucẽ quãdam gentili cuidam qui Marcus dicebatur facere iuſſiſſet, poſtquàm eam fecit, ſubitò ac repente ibi apparuerunt tres figuræ, videlicet una in medio crucifixa, & cum quibuſdam literis, quæ dicebant. Emanuel; & in latere crucis alia, quæ alijs literis ſignabatur dicens Michael. Porrò ab alio latere tertia apparuit, quę dicebatur Gabriel. Cum autem exculptor Marcus in manibus ſumeret ferramentum ad auferendas illas figuras, ſtatim areſactę ſunt eius manus. Grande profectò miraculum, ſed grandis etiam, ac diuina eius ſignificatio. Voluit nanque Deus ethnico illi ac cæteris perſuadere, crucem ſuam nõ eſſe inſaniam (ſicut ipſi exiſtimabant) nec ſolum eſſe hominem eum, qui in ea poſitus fuit, ſed etiam Deum. *Y parece en ella con un nombre de Manuel, que ſignifica Dios con noſotros, y a un lado ſant Miguel (cuyo nombre quiere dezir quien como Dios) ſignificando, que aunque parece flaco en el palo de la Cruz, es tan fuerte que en uirtud de ſu ſangre derramada uencieron los Angeles a los demonios. Y al otro lado parecio el Angel ſant Gabriel moſtrando con ſu nombre, que el que en la Cruz ſe puſo, aunque ſolo parecia hombre, era juntamente hombre y Dios. Pues con diuino acuerdo es eſcogido Gabriel para menſagero deſta ineffable obra. Porque ſi los Embaxadores de los Gentiles acoſtumbrauan lleuar por diuiſas, para ſer conoſcidos, las armas de ſu nacion, los Romanos Aguilas, los Scitas un rayo, los Perſas arcos y ſaetas &c. eſte diuino Embaxador trae por mueſtra de ſu embaxada ſu proprio nombre, y llamaſe Gabriel, que ſignifica Dios y hombre.*

Miſſus eſt ergo angelus Gabriel à Deo &c. vſque ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Ieſum. O nuntium ex omnibus quæ in hoc ſæculo fuerunt optatiſſimũ. Quid, obſecro, ſentiret angelus ille, quãdo ad ſanctiſſimam uirginem reſpiciens hæc uerba protulit? In memoriam, quæſo, reuocate factum illud egregium Patriarchæ Abrahæ, quando uidelicet famulum ſuum Eliacer uocauit, & mittens illum ad quærendã filio ſuo Iſaac ſponſam, ei dixit. Pone manum tuam ſubter fœmur meũ, ut adiurem te per Deum cœli, & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum. Admiratur glorioſus pater D. Fulgentius hũc iurandi modum in fœmore Patriarchæ Abrahæ. Nunquid non ſolent homines alios iureiurandò aſtringere, manus imponendo ſuper aliquam rem ſacram, uidelicet ſuper arã aut ſuper altare? Quare ergo Patriarcha Abraham famulum ſuum ſub fœmore iureiurando aſtringit? Nũquid fœmur Abrahæ erat aliquid conſecratum? Ita planè: reſpondet B. Fulgentius. Nam caro illa, unde verbum diuinum carnem ſumpturum erat, talis poteſt reputari, & in ea ſicut in ara iurari poteſt. Hoc autem myſterium apertius oſtendit paraphraſis Chaldaica: etenim ubi nos legimus: Per Deum cœli, & terræ, Chaldaicus paraphraſtes tranſtulit: Adiurauit eum per uerbum Dei, Domini cœli, & terræ. Quaſi diceret. Adiuro te per uerbum, quod ex hac carne, ſub quam iuras, carnem ſumpturum eſt. Quis, o fratres mei, dubitat, quòd cum ueneranndus ſenex, & Sãctus Patriarcha hæc verba protulit, taliter ea dixit, ut anima eius præ deuotione tantum myſterium contemplans liquefacta fuerit, & quòd per oculos eius duo uberrimi lachrymarum fontes effluxerunt. Inſuper ego ſuſpicor, quòd cum famulus ille ſanctiſſimi Patriarchæ ſacroſanctum nomen Meſſiæ audiret, & quod uerbum

Pa-

Patris carnem humanam ſumpturum erat, conſiderans ſe manum poſitam habere in ea carne, unde Deus factus homo naſciturus erat, totus eſſet contremiſcens, & maximo reſpectu, ac reuerẽtiali timore plenus. [*Y ſi eſto ſuccedia en la ſombra, (porque como dize Sant Bernardo, toda eſta hyſtoria fue vn retrato de baxar el Angel Gabriel a buſcar eſpoſa para el diuino Iſaac) que ſentiria eſte celeſtial Paranimpho Gabriel quando vieſſe a la ſacratiſſima Virgen, y conoſciendo que de ſu puriſſima carne auia Dios de tomar carne le dixo. Ecce concipies in utero, & paries filium? Eſto es hermanos mios lo que en alguna manera ſe puede contemplar: pero en ningun modo ſe puede con palabras declarar.*

At uero cœleſtis, ac ſacratiſſima uirgo tandem reſpondit quædam uerba, quæ uel etiam à peccatrice lingua mea recitata cœlum, & terram lætificare uidentur. Ecce, inquit, ancilla Domini: fiat mihi ſecundum uerbum tuum. O uerba diuina? o uerba plena fide uiua, & ardenti charitate, ineffabili prudentia, ac profunda humilitate referta? Fiat mihi ſecundum uerbum tuum. [*O que, fiat, tan poderoſo? o que, fiat, tan efficaz: fiat ſobre todo fiat. Dos, fiat, hallo en las diuinas letras myſterioſos. Vno de Dios, y otro de la ſanctiſſima Virgen. Con el, fiat, de Dios ſe hizo el mundo: Fiat lux & facta eſt lux: y con el, fiat, de la precioſiſſima Virgen ſe reparo el mundo. De grande myſterio es el, fiat, de la creacion, y tambien es muy myſterioſo el, fiat, de la Redempcion. Con el, fiat, de Dios ſe hizieron cielo y tierra: pero con el, fiat, deſta puriſſima donzella ſe obraron coſas, que exceden el cielo, y la tierra, porque al punto que las pronuncio luego Verbum caro factum eſt.*

Fructus autem, quos nobis hæc diuina incarnatio protulit, quis ſatis erit ad narrandum? Sed eorum aliquot audite, de quibus Propheta Oſeas mentionem facit, quando introducit Deum, ad literam de hoc fœliciſſimo legis gratiæ tempore loquentem in hunc modum. Ecce ego lactabo eam. Quod perinde eſt ac ſi diceret. [*Haziendome hombre yo, que ſoy dios, ſere ama de la Igleſia, yo le daré de mi pecho y de mi dulce leche. Quãdo vos quereys ſignificar, que vno es vueſtro diſcipulo, que ſabe vueſtra doctrina, y que eſta echo a vueſtras condiciones, ſoleys dezir que lo aueys criado a vueſtros pechos. Eſto prometio Dios que haziendoſe hombre auia decriar a los hombres a ſus pechos, que auia de hazerlos ſus diſcipulos ſpirituales, y hartarlos con ſu doctrina endioſando los con ſu gracia, de tal ſuerte que uiendo a un buen Chriſtiano dixeſſen todos. Bien ayan los pechos que mamaſte. Quien no ſabe que con la leche ſe maman las buenas, o malas coſtumbres? Imperator Titus nimis ſemper ægram uitam, & multis ægritudinibus plenam duxit.*] Rationem autem huius rei aſſignat Marcellianus, quia uidelicet à nutrice ęgra lactatus fuit. Tiberius etiam aliquando ſe inebriare ſolebat, quam conſuetudinem, & inclinationẽ accepit à nutrice ſua, quæ multoties à vino capiebatur. Calligula tantopere ſanguine delectabatur, vt ſi quando enſem ſanguine infectum videret, lubenter lingeret. Cauſa huius fuit (vt ait Dionyſius Caſſiodorus) quia nutrix quædam eius barbata, & immanis extremitates vberum, quando ipſum paruulum lactare volebat, ſanguine delinire ſolita erat. Ecce ego lactabo eam ait Dominus. [*Yo le dare el pecho al alma: yo la hare a mis coſtumbres con la leche de mi doctrina euangelica, y la hare toda euangelica, toda celeſtial, toda diuina: yo hare que toda me parezca a mi, y tenga mis mañas, y condiciones.*] Sed non eſt ſilentio prætereunda, immo maximè notanda huius loci ſeptuaginta interpretum trãslatio, quæ ſic ait. Ecce ego ſeducam eã.

[*En haziendo me hombre, dize Dios, yo engañare al hombre.*] Quæ nam ſunt hæ fraudes ò dulciſſime Ieſu iuſtorum gloria? [*Engaños de Dios deſengaños del alma ſe pueden llamar*] Vult Deus loquí cum filijs Iſrael in monte Sinai: ipſi uero dicunt, ſe non poſſe Deum ferre,

quod ſi aliquid ab eis vult, loquatur ipſis per hominem, uidelicet per Prophetam Moyſem. Loquere (inquiunt ad Moyſem) tu nobis: non loquatur nobis
Exodi 20. Dominus, ne forte moriamur. O gens cæca, & cæcutiens, quæ Deum audire nolebat, ut hominem mortalem audiret. Nos autem Deo adeò miſericordẽ habemus, [*que por tratar con noſotros, haze un diuino engaño, ſi aſſi ſe puede dezir, viſte ſe de nueſtra humanidad haziendoſe hombre, para que yendo el hombre a buſcarle como a hombre, le halle tambien como a Dios.*] Habemus ad hoc appoſitiſ-
Simile. ſimũ exemplum ab ipſa natura miniſtratum. Refert Elianus quendam piſcem: (qui dicitur Sardus) tanto amore caprarum teneri, & flagrare, ut, cum primum umbram earum videt, celeriter ſuper aquas exeat præ ſe ferens lætitiã, & hilaritatem, quam ex illis animantibus capit: è contra vero hominem naturali odio proſequitur, ita ut ipſum uidens, aufugiat. At ſagax, & aſtutus piſcator, ut piſcem capiat, pelle vnius capræ ſe contegit, & ad oram fluminis ex pectat, donec ueniat Sardus, qui videns umbram, & cogitans eam eſſe capram incidit in manus hominis & ab eo facillimè capitur. In hunc modum antequam Deus homo factus eſſet, [*eſpantana ſe la peſca, huyan los hombres, porque como carnales amauan la carne, & eſpantauan ſe del ſpiritu, y para que no ſe eſpantaſſen cubrio ſe Dios de carne para con ella cenarnos, y coger nos para ſi.*] Et hæc eſt ratio Diui Bernardi cum dixit. Propter hoc uerbum carne ueſtiri voluit, vt homines, qui nihil, niſi carnalia ſapiebãt, miras in carne delitias inuenirent: & hoc eſt promittere Deum, quod factus homo, decepturus erat hominem.

Addit Sanctus Propheta ſecundam utilitatem, quam homo ex uerbi diuini incarnatione percepturus erat, & ait. Educam eam in ſolitudinem: hoc eſt, educam homines ex inquietudine miſerandi ſæculi, & faciam illos amicos ſolitudinis, & contemplationis: [*hare los finalmente que dexen el trato de los hombres, y guſten de la conuerſacion de Dios.*] O quam innumeri homines aliorum hominum tumultus, ac cœtus abhorrentes ſe ſe in abditiſſimas ſolitudines receperunt, ut ſic melius cõtemplationi uacarent, & huius altiſſimi Dei conuerſatione fruerentur. Prope Alexandriam in AEgypto inquit Philon, innumerabiles viros ſanctos maximæ contemplationi deditos uitam penè cœleſtem deguiſſe. Quod Iſaias Propheta uaticinatus fuerat dicens. In die Iſaie. 19.
illa erit altare Domini in medio terræ AEgypti, & titulus Domini iuxta terminos eius: hoc eſt, cum Deus factus fuerit homo, per totam AEgypti regionem altaria in eius reuerentia erigentur, & in omnibus triuijs itinerum cruces collocabũtur. Vbi alia litera habet: & ſtatio iuxta terminum ipſi [*Ieona: hoc eſt, aura mucha gente de guarda, que guarde aquellos altares. Que gente de guarnicion es aquella?*] Sanctus Doctor Auguſtinus locum illum exponit de Sanctis monachis, qui tempore primitiuæ Eccleſiæ in Lybiæ, Thebaidæ, atque Alexandriæ ſolitudinibus uitam aſperrimam degebant: qui quidem ieiunijs, orationibus, mortificationibus, ac denique religionis Chriſtianæ profeſſione Ieſum Chriſtum, atque eius ſanctiſſimam crucem acerrime defenderunt, & propugnarunt.

Loquar ad cor eius. Tertius fructus eſt, quod non per Prophetas, & Patriarchas, non per umbras, & figuras eos alloquar, ſed ego ero eorum prędicator, [*yo ſere ſu predicador de mi boca a la ſuya.*] O ſingulare beneficium. O fœlix ille, qui hoc fœliciſſimo tempore uiuit, & ad quem Deus tanta familiaritate tam dulcia, ac ſuauia uerba ad cor eius loquitur.

INCONSTANTIA.

B. Greg. ſuper Eccleſ. BEATVS Gregorius ſuper Eccleſ. inquit. Sicut qui à fide recedit apoſtata eſt: ita qui ad peruerſum opus, quod deſeruerat, reddit, ab omnipotenti Deo abſque vlla dubietate apoſtata iudicatur, etiam ſi fidem tenere videatur. *Exo. 32.* Quis indagando conſequi poterit, cur Dominus oratione Moyſis placatus fuit, cum Iudæi uitulum conflatilem adorauerũt (quod maximum nefas erat) cum uero de expugnãda terra Chananæorum, diffiſi ſunt, tamen quadraginta eos annis per deſerrũ circumducens diutiſſimum de ipſis ſupplicium ſumpſit? Cæterum quamuis hoc loco cum ſancto Apoſtolo liceat exclamare. O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius; ſcripturæ tamẽ uerba huius tantæ ſeueritatis cauſam ſubindicant, ait enim Dominus. *Num. 14.* Veruntamen omnes, qui uiderunt maieſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Aegypto, & tentauerunt me, iam per decem uices non ingredientur terram pro qua iuraui patribus eorum. Toties ergo erraſſe, & toties erratorum ueniam obtinuiſſe in cauſa fuit, ut huius errati pœna nulla Moyſis oratione relaxaretur. Cur igitur adeò ſecuri degunt, qui poſt impetratam quotannis in cõfeſſione peccatorum veniam, ſtatim à confeſſione in eadem flagitia relabuntur? *Eccl. 26.* O ſtulti, ſtulti, quis vos ita dementauit, vt tam grande hoc malum nõ perſentiatis? In Eccleſiaſtico dicitur. In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens præ inopia, & uir ſenſatus contemptus: & qui tranſgreditur à iuſtitia ad iniquitatem, Deus parauit illum ad romphæam. Ex his verbis apparet poſtremum hoc tãtum malum eſſe, vt inter reprobationis indicia hoc in loco numeretur, ſiquidem Deus parat eum perpetrantem ad romphæam, ideſt ad mortem æternam.

Inconſtantia maximum malum.

Hiere. 2. QVam uilis facta es iterãs vias tuas inquit Propheta Hieremias. His verbis diuinus Vates incõſtantiã Iſraelitici populi reprehendit, qui licet aliquando bene operari inciperẽt, ſtatim ab incepto deficiebant, & ad præterita ſcelera reuertebantur, ſicut modo plurimi Chriſtiani faciunt, quibus euenit illud, quod euenire ſolet illis, qui hyberno tempore veſtes duplices, & quæ frigoris iniuriã expellere poſſint, induũt, *Simile.* verè autem appropinquante eas ita à ſe expellunt, ac ſi nũquam amplius ipſas induturi eſſent, & ſe bõbycinis, aut ſericis veſtibus, ſeu alterius leuiſſimæ materiæ exornant: rurſus uero tempore hyberno appropinquante protinus maxima ſolicitudine ueſtes, quas prius vilipenderant, & multo melius præparatas induunt. Sic plurimis euenit, qui cum in frigore peccati ſint contecti malitia ſua, cupiditate, luxuria, atque alijs plurimis ſceleribus (ſicut ille, qui veſtes ſuper ueſtes induit) tacti calore diuini amoris inflammatis eorũ cordibus maxima cum diligeutia uitia illa depellũt & illis omnibus ſceleribus ſe diligentiſſimè exuunt, & per ueram pœnitentiã diuina induuntur gratia, ac ſanctis plurimarum uirtutum exercitijs ſe ſe exornant. Illis autem feruoribus diuini amoris præteritis iterum refrigeſcere incipiunt, & ſancta illa exercitia deponũt ac magna confuſione ſua ad uitia præterita impudentiſſimè redeunt. Qua-

propter unicuique eorum dici poteſt. Quam uilis factus es iterans vias tuas. Ex his oritur non parum difficilis quæſtio, uidelicet utrum ſit maius peccatũ gratiam innocentiæ amittere, an gratiã pœnitentiæ? Exempli gratia. Peccarũt duo alter innocenx, qui nunquã mortal iter deliquerat, alter vero, qui cũ iã peccaſſet, ſui ſceleris pęnitentiam egit, & tamen iterum peccauit, utrum horũ peccatorum ſit maius? Venit in hanc vrbem adoleſcens quidam optimis moribus imbutus, ac ſingulari virtute præditus aſſociatur alteri iuueni peruerſo, corrupto, & omni ſcelerum genere deprauato, qui alium miſerum adoleſcentem ex angelo uertit in dæmonem. Peccat igitur vterque horum: licet hic corruptus antea pœnitentiam egerat, quæro, vter eorum maius committat peccatum? Idem exemplum poteſt opponi de puella quæ omni virtutum genere adornata in domo alicuius nobilis ad ſeruiendum ei virgo intacta reponitur tũc anula dæmoniaca, & Satanæ inſtrumentum ei veſtem, thoracem, & alios muliebres ornatus affert, quibus miſera puella cogitur innocentiam, & integritatem amittere. Interrogo vtra harum plus peccat?

Hugo de ſacr. lib. 2.

Hugo de ſancto Victore ad quæſtionem reſpondens, inquit, peccatum illius, qui cum peccauit, pœnitentia ductus eſt, & rurſus peccare non erubuit eſſe maius, quam peccatum innocentis. Verum eſt tamen (ait hic venerabilis Doctor) quod nunquam peccaſſe mortaliter, vel Deũ non offendiſſe eſt donum innocentiæ pretioſiſſimũ, [*y vna joya mas rica, y de mas valor y precio, y tanto mas peligroſa de perderſe.*] Nam poſtquam hoc donum amiſſum eſt, amplius recuperari non poteſt. Idcirco aſſerit hic egregius Doctor maius eſſe detrimentum, & iacturam, gratiam innocentiæ amittere, quã gratiam pœnitentiæ. Veruntamen quod attinet ad hunc peccatorem, cui cum peccaſſet Deus veniam condonauit, cũ ipſe uenia indignus eſſet, quin potius gehennalem pœnam merebatur, Deus autem infinitam miſericordiam ſuam, & non huius peccatoris ſcelus reſpiciẽs ei pepercit, & veniam præſtauit, ſuamque gratiam largitus eſt, & in amicum eum recepit, atque omnia merita, quæ amiſerat ei reſtituit, & denuo priuilegium, ac iuſtum titulum ad cœleſtem beatitudinem conceſſit. Quibus omnibus non obſtantibus hic miſerabilis iterum peccauit; & liberaliſſimo Domino, à quo tot bona acceperat ingratus extitit; idcirco culpa eius maior eſt, & niſi conuertatur ad Dominum, atq; in meliorem frugem ſe recipiat, pœna eius longe maior erit. Et ita loquens Chriſtus Redemptor noſter de huiuſmodi miſerrimo homine apud D. Lucam dixit. Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

Luc. 11.
Theologi in 4. d. 22.

Vtrum autem peccata, quæ antea peccator commiſerat et Deus ei condonauerat propter inconſtantiam ipſius peccatoris, & quia ad peccata redierat, utrum, inquam, ei imputentur & redeãt quæſtio eſt Theologorum non parua, qui tandem aſſetunt, peccata condonata propter peccatum ſuperueniens aliquo modo redire, non quidem in ſubſtantia, ideſt inquãtum ad culpam, nec inquantum ad pœnam (id enim quod Deus ſemel remittit, & parcit non iterum repetit) ſed dicunt redire peccata in quantum ad circunſtantiam ingratitudinis, atque hoc modo intelligitur illud, quod Dominus apud Diuum Matthæum ait. Tradidit eum tortoribus, quoad uſque redderet uniuerſum debitum.

Matt. 18.

Hinc etiam oritur alia quæſtio, ſcilicet an neceſſarium ſit hanc circunſtantiam confiteri? Et communiter tenetur eſſe quædã peccata, qualia ſunt carnalia in infirmo & intricata in ſcrupuloſo, quæ repetere non oportet. Secundo dico eſſe aliqua peccata, quæ cõfiteri ſæpe vtile eſt, nam humilitas confeſſionis uires præbet aduerſus recidiuationem. Tertio dico non opus eſſe te explicare numero, aut ſpecie peccata, quæ ſemel confeſſus es, licet in ea iterum incidas. Quarto dico, quod quando confeſſor de nouo te

confitentem audit, & conſcientiam tuã ignorat bonum eſſe, ut ei generaliter dicas, te iterum hoc peccatum perpetraſſe, ut ſic aduerſus ruinam tuam remedium tibi poſſit adhibere. Denique dico oportere, ut dicas, te ingratum Deo extitiſſe, eo quòd cum ipſe, aliàs ſæpenumero hæc & alia peccata tibi remiſerit, tu i n ea iterum incidiſti. Hæc ſententia eſt Doctoris Altiſidiorenſis, & B. Thomæ, & Scoti in materia de pœnitentia.

Oſeæ 6. De hac inconſtantia conquerebatur Deus per Oſeam Prophetam dicens. Quid tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens, Nubes matutina, & ros, dum primum ſol oritur, ſtatim breuiſſime conſumuntur. Sic erat virtus illorum Hebræorum, & eſt modo plurimorum Chriſtianorum, quæ quidem breuiſſime deficit. O quot quantaque nobis aduenirent dona, ſi conſtantes fuiſſemus, & procul à nobis inconſtantiam in bonum fugaremus. Aque diuturno temporis vſu lapides perforare ſolet. Quis hoc facit? Aſſiduitas, & conſtantia; atque ita quidam dixit. Gutta *Simile.* cauat lapidem non ui ſed ſæpe cadendo. Nullum cor eſt licet lapideum ſit, aut adamantinum, quod non emolliatur, & confringatur aſſidua bonorum exercitiorum conſtantia. Si enim vobis difficile efficitur peccata veſtra aſſiduè confiteri carceres, & hoſpitalia ad ſeruiendum infirmis inuiſere, atque alia huiuſmodi opera exercere, conſtãtiam in illis habete, & omnia uobis facillima reddentur. O utinam in omnium cordibus hæc virtus infigeretur. Profecto ingens eſſet bonum. Hanc vir*2. ad Co. 6.* tutẽ beatus Paulus ad Corinthios ſcribens admonet dicens. Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris per gloriam, & inobilitatem, per infamiam & bonam *Simile.* famam. Arma iuſtitiæ ſunt uirtutes, & quemadmodum exercitus armatus armis coruſcantibus hoſtes vehementer perterret: ſic virtutes perfectiſſimæ iuſtorum infeſtiſſimos dæmones deterrent. O qualiter dæmones humilitatẽ *Simile.* fratris Iuniperi laici religionis noſtræ fugebant. Dum igitur ſanctus Apoſtolus nos admonet, ut vndique armati incedamus perinde eſt, ac ſi nos cohortaretur, ut maxima conſtantia in omni tempore tam in aduerſitatibus, quam in proſperitatib⁹ bene operemur. Quid obſecro, prodeſſet militi armato & contecto in brachijs, pectore, ac pedibus aduerſam aciem ingredi, ſi tamen caput, quod præcipua corporis pars eſt, detectum, & omni periculo expoſitum portat? Quotieſcunque de homine loquimur à pedibus incipimus & dicere ſolemus. A planta pedis vſque ad uerticem capitis, ac ſi de imperfecto ad perfectius procederemus. Per pedes ſignificantur principia, per caput finis, qui in quolibet opere quid perfectius eſt. Quid ergo Chriſtiano prodeſſet bene viuere, & ſe initio vitæ ſuæ virtutibus potegere, ſi in fine ab illis bonis operibus deficiat, & male operetur, hoc enim, periude eſt, ac ſi pedes armis operiret caput autem detegeret. O infelix homo, qui quando melior futurus erat, propter inconſtantiam tuam deterior factus es: in te reuertere, & caput armare cura, vt ſic Diabolus te vndique paratum inueniat. Magna profecto confuſio eſt hæc inconſtantia in omnib. Chriſtianis, ſed proculdubio in eccleſiaſticis perſonis magis increpãda eſt, & reprehendenda. Videbitis ſacerdotes nouos, nimis deuotos, q deuote & magno cum ſpiritus feruore horas Canonicas recitant, eccleſias frequentãt, eccleſiaſtca officia celebrant, ac quotidie maxima quietudine rem ſacram faciunt: Sed paulatim refrigeſcunt, maxime ſi pingues præbendas obtinent, & magna pompa incedunt, iſti aliquãdo ad tantam miſeriam deueniunt, ut ſi antea mane ſurgebãt ad ſacra officia peragenda, iam hanc ſanctam conſuetudinem amiſerunt: quod ſi aliquando mane ſurgunt, ideo eſt, quia uenationi ſe præparant: & qui antea pro-

prijs pedibus humiliter in eccleſiam ibant, iam non ſuis ſed alienis pedibus, hoc eſt, pretioſis mulis ſedentes eo ſe conferunt, & qui antea canebant, & amboni humiliter aſſiſtebant, iam illùc accedere nolunt, ſed in ſedilibus cum alijs garrientes diuina officia magis impediunt, quam adimpleant munus ipſas horas canonicas recitandi.

Inconſtantia ex peccatis oritur.

Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt, ait Sanctus Ieremias. Ex his verbis infertur, Tren. 1.c. incõſtantiam in bono oriri ex peccatis præteritis, & ex deprauata conſuetudine. Atque ita poſtquam Sanctus Dauid loquens de iuſto, ac de perſeuerantia eius inquit: Diſperſit dedit pauperibus iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi cornu eius exaltabitur in gloria: Statim addit. Peccator uidebit & iraſcetur dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. Sæpenumero Pſal. 111. euenire ſolet, ut magnus peccator ſuorum peccatorum proponat emendam, polliceaturque ab illis ſceleribus ſe auertere, atque ita vno die ſe continet: verum iterum in alia incidit. Rurſus proponit ſe non eſſe amplius peccatorum, & in illa uoluntate ad plurimum perſiſtit per duorum dierum ſpatium, ſed ſtatim ſua praua conſuetudine incitatus ad peccata reuertitur, & uidens ex una parte inconſtantiam ſuam, & ex alia iuſtorum perſeuerantiam iraſcitur dentibus ſuis fremit, & tabeſcit, hoc eſt, ſtomachatur in ſe ipſum, & præ iracundia morſibus ſe vult dilacerare, eo quod ſe ita perditum, & corruptum, ac deprauatum videat: denique hac inconſtantia commotus perdit omnino bonum ſe corrigendi deſiderium, ac tandem in peccato perpetuo remanet miſerandus, & ob hanc cauſam adiecit Sanctus Propheta. Deſiderium peccatorum peribit. O rem ſtupendam, & omni admiratione dignã Quis eſt tam lapideus corde, qui hæc audiens non contremiſcat, ac totis uiribus contendat de prauatam conſuetudinem, quæ fons, & origo tanti mali eſt diligentiſſimè uitare.

Beatus Baſilius de inconſtantibus agens inquit. Horum uolucris animus continenter flabris ueluti quibuſdam pulſatur: horum conſilia ſimilia veſpertiliorum uolatibus ſunt, quippe qui in directum nunquam feruntur, ſed tortuoſo & incerto maximè uolatu huc, illucque temere pererrant, ac circunuagantur, hi multum ſerpunt, ſed nihil illis prodeſt. Etiam iumentis hi ſimiles ſunt, quæ ad malas deligata cum gradi continenter non ceſſent, eodem tamen uſque in ſpatio ſemper reperiuntur, & fracto laboribus corpore, ipſa tamen ultra exigui loci fines progreſſa non ſunt. Sic iſti quoque cum aſſiduè in corporis libidinibus intricẽtur, in hiſque depreſſi inhæreſcant, ad ſpiritus faſtigium nunquam euadunt: ſed in exhauſto curſu in orbem perpetuo incitati feruntur, nempe qui una cum corporis concupiſcentijs, uoluptatibuſque aſſiduè agitati, rotatique eodem, unde mouerant, denuo referãtur, & propter uoluntatis prauitatẽ ab iniqua, in qua ſunt, ſeruitute nunquam liberantur. Hæc ille. His ſimilitudinibus S. Doctor probat, eos, qui in uirtutibus inconſtantes ſunt, in iniquitatibus conſtantes eſſe,

B. Baſil. de conſti. monaſti. c. 9. — *Simile.*

Plinius inquit. Hypanis Scythicorũ fluuiorum princeps per ſe purus, & dulcis, circa Calipodas ex Anipeo fonte amaro inficitur, atque ita diſſimilis ſui in mare concluditur. De quo quidem eſt illud ſolemne elogium. Qui in principijs eum norunt, prædicant qui in fine experti ſunt, iniuria execrantur. Ita quidam initio blandi, & amici, poſtea longè diſſimiles ſibi reperiuntur.

Pli lib. 2. c. 10. — *Simile.*

Idem eodem libro ait. Vt Conchylia creſcente luna augeſcunt, decreſcente uero marceſcunt: ita ſtultus à fortuna pendens nunc magnus, nunc puſillus, nunc elatus, nunc ſupplex ad quẽcunque euentum mutatur.

Idem li. 2. c. 102. — *Simile.*

Idem

Idem li. 8. c. 18. Idem libro octauo ait. Vt Camelopardalis, ſiue Nabis, quæ fera quædam eſt (vulgo appellata Gyrafa) collo refert equum, pedibus, & crinibus bouem, capite Camelum, maculis tigrim aut pardum: ita quidam inæquales ſibi uarias hominum formas exprimunt, ſi cultū inſpicias, ſanctum aliquem exiſtimes: ſi orationem audias ſatrapam loqui putas, ſi uitam expendas, nebulonem inuenies, ſi ſcripta bubulcum.

Idē li. 31. c. 2. Idem etiam inquit. Apud Troglodytas lacus eſt, qui ter in die fit amarus, & ſalſus, ac rurſum dulcis, totieſque etiā nocte, unde & inſanus dictus. Sic quidam inæquales nunc aſperi, nunc blandi ſunt, aliquando profuſi, mox ſordidi, iam uehementer amant iam ſupra modum oderunt.

Caſſianus de uiro iuſto agēs inquit. Mens uiri iuſti non debet eſſe ſimilis ceræ, uel alterius cuiuſquam materiæ mollioris, quæ ſemper characteri ſignāti cedens, pro eius forma, & imagine figuratur, quam tandiu retinet, donec alio rurſus ſuper impreſſo ſignaculo reformetur, atque ita fiet, ut nunquam in ſua qualitate perſiſtens ad formam eorum, quæ imprimuntur ſe gerat; quin potius debet eſſe uelut quoddam adamantinum ſignatorium, ut inuiolabilem mens noſtra figuram, ſiue ſemper cuſtodiens characteris, uniuerſa, quæ incurrerint ſibi ad qualitatem ſui ſtatus ſignet, atque transformet, ipſa uero non ualeat, inſigniri ullis incurſibus, aut poſſit. *Caſſia. c. ol la. 6. c. 12. Simile.*

INFERNVS.

VNA ex cauſis, quare Deus permittit ut dæmon in dæmoniacum corpora ingrediatur, eoſque maximè torqueat, hæc eſt, ut uidelicet, per illa tormenta conſideremus, & animo euoluamus ingentes, atque horribiles inferni cruciatus. Refert Plutarchus Perſas, vt filios ſuos dum erant paruuli à uini potatione auerterent, & deterrerēt, hoc ſtilo, atque induſtria fuiſſe uſos, uidelicet ſeruum empititium inebriabant, & poſtquam ebrius erat, in cameram, in qua ipſi cum filijs ſuis erant, intromittebatur: qui tandem ui meri correptus, in terrā cadens ferociſſimas uultus diſtorſiones faciebat. Tunc parentes, ad filios dicebant. Videte ò filij mei, quid uinum efficiat. O admirabilem parentum prouidentiam, & efficaciſſimū docendi modum: [*porque la experiencia de la fealdad, que cauſa el vino fixada en la imaginacion de los tiernos niños era vn freno para abſtenerſe, y vn gran motiuo para aborrecer el vino, por eſſo los padres vſauan deſte ardid para apartar a ſus hijos, y quitarlos de beber vino,*] Sic clementiſſimus Deus, & pater miſericordiarum, ut nobis cum infernalibus pœnis metum, ac terrorem incuteret, permittit ut dæmones in hominum corpora ingrediantur: [*y que enſeñoreados dellos hagan viſajos eſpantoſos, caygan en tierra; y ſalgan de ujzio: y ſe hieran a ſi meſmos, y rompan ſu veſtiduras, y ſus proprias carnes, poniēdo eſpanto a todos con ſus aullidos.*] Quod perinde eſt, ac ſi Deus hominibus diceret filij mei oculos veſtros in his dæmoniacis ponite, atque ex tormentis, quæ ipſi patiuntur, colligite, qualia erunt, & quam grauia infernorum tormenta, & ex deformitate corporum eorum colligite etiam alicuius animæ deformitatem, ac denique ex illis breuibus doloribus, ſempiternos cruciatus, & nunquam finibiles dolores gehennæ conſiderate.

Infernus à ſanctis Prophetis ignis deuorans nuncupatur.

SAncti Prophetæ de inferno loquentes ignem eius deuorantem ignem appellant, & ita propheta Iſaias ait. Ignis hoſtes tuos deuoret. Et alibi: Flāma ignis deuorantis, qui ardebit in æternum. Dauid etiam Rex inquit. Deuorabit eos ignis. Et Ioel propheta dicit. Ante faciem eius ignis uorās. Quod deuoratur ex omni parte circundatur in uentre deuorantis, in quo cruciatus horribiles ab igne demōſtrantur, ſiquidem ignis deuorans appellatur. Quo te uertes, ò miſer peccator, qualem, & ubi requiem inuenies? Ad cuius refugium, & auxilium confugies? Totus intra deuorātem ignem eris, immo ignis intra uentrem tuum, & uiſcera tua erit, non dabitur ad hanc, uel illam partem declinare pro requie inuenienda, alligatus quidem igni eris. Bene ergo S. Iob in doctrinam noſtram, & exemplum ait. Semper Deum quaſi tumentes ſuper me fluctus timui, nec ferre potui pondus eius. Quaſi infirmam nauiculam in medijs fluctibus vehementibuſque ſe ad iram, & poteſtatem Dei conſiderabat ſanctus uir. Inter hæc quales orationes fundunt, & uota nautę? Quā humiles inueniuntur? Vide quid in Ionæ hiſtoria dicitur. Facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, & clamauerunt uiri ad Deum ſuum. Et Ionas deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui. Similia eueniunt nobis. Minatur Dominus ignem gehennæ, magnæque tempeſtatis procellam, inter quæ fugitiuus Propheta dormit. Nō attendit peccator quam proximus ſit æternæ damnationis igni, huic iure dici debet, quod nautæ Ionæ dixerunt. Quid tu ſomno deprimeris? Surge, & inuoca Deum tuum. Quia tamen ad hanc admonitionem multi peccatores non reſipiſcunt de unoquoque illorū Regius Propheta inquit. Peccator uidebit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet deſiderium peccatorum peribit. Nunc non uidet peccator, quia dormiens eſt, tunc uidebit damnum ſuum. Vel aliter. Nunc non ſe uidet peccator, nam ſeipſum ad tergum, alios coram ſe habet, tunc autem conuertet eum Deus, ut propria conſcientia conuictus uideat ſe. Arguam te & ſtatuam te contra faciem tuam, ait Dominus per eundem Regium Prophetam. Ponam te coram te, ut uideas te, & confundaris ex te. Et alibi. Conuertantur peccatores in infernum, conuertantur, & erubeſcant ualde uelociter. Antea erat auerſus à ſe, ut uideat ſe, & pudefiat de ſe. Videbit ergo tunc ſe, & iraſcetur. Cui magis quam ſibi iraſcetur. Ait Beatus Auguſtinus. Contra ſe ipſum arma conuertet, quoniam ipſum ſibi cauſam tanti ſupplicij eſſe uidebit. Dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſideriū peccatorum peribit. Quia æternaliter cruciabuntur. Et ita ubi nos legimus in pſalmo: Mors depaſcet eos, Beatus Auguſtinus legit. Mors paſtor eſt eorum, nimirum quia quia paſcit eos, hoc eſt, ipſa mors, quæ eos cruciat, ipſa paſcit, & ſuſtentat, ut in illis cruciatibus in æternum uiuant. Et paſcit eos paſcuis ſuis, ſcilicet triſtitia, afflictione, tormento, & anguſtia æterna. Quod ſi hominem moriturum; diu agonizantem uidemus, miſeremur ei, etiam quod cruciatus illi finem habeāt appetimus. Quod nam tam miſerabile ſpectaculum uideri poteſt, quam reproborum mors, quæ ſemper in cruciatibus unanimiter perſeuerat, nec deinde in æternum deſinet. Sed prodolor quam intepide iſta audimus, & loquimur tanquam ſi fabulæ eſſent.

Audi ò miſer peccator, quid Dominus per Prophetam Ezechielem dicat. Ecce ego ad te eijciam gladium meum de uagina ſua. In hac uita gladius iuſtitiæ Dei in uagina continetur miſericordiæ: quare non ita percutit nos, ut diſper-

Iſa. 26. & 29.
Pſal. 20.
Ioel. 2.
Iob 31.
Ionæ 1.
Pſal. 111.

ſperdat. Velute ſi quis cum gladio in uagina incluſo te percutiat, non enim uſque ad interitionem gladius deſæuiet, dum uiuimus. Quare non adeò ex perimur penetrantē gladium iræ ſuæ, tunc autem euaginabit gladium, uagi namque miſericordiæ proijciet. Vt tu cum congredi uis cum alio diſtricto gladio uaginam longè à te proijcis, quaſi tunc potius impedimētum, quā commodum præſtet. Sic Deus in iudicio, ideo dicit. Eijciam gladium meum de uagina ſua, quaſi à ſe remouere debeat miſericordiam, ad te, id eſt, contra te. Nunc ipſa miſericordia ſimul cum iuſtitia iudicat, ac uelut patronus noſter rigorem illius temperat, tunc autem iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam, ut inquit Beatus Iacobus. Et in libro Iob dicitur. Obliuiſcatur eius miſericordia. Væ. uę, & millies uæ illi, quem Dei miſericordia deſerit, eiuſque obliuiſcitur, non obliuiſcetur paſſerum, ut ipſe dixit apud Matthæum. Nonne duo paſſeres aſſe uæneunt, & vnus illorum non eſt in obliuione apud patrem ueſtrum? Et ille, qui nec paſſerculi quidē, qui diſpondio uenditur obliuiſcitur, reproborum tamen ad miſerendū non recordabitur. O infœlices illi, & nimium infœlices.

Simile.

Iacob. 2.
Iob. 4.
Matt. 10.

Infernus qualiter à ſanctis doctoribus deſcribitur.

Matth. 8.

Beatus Gregorius ſuper il lud Matthæi. Eijciētur in tenebras exteriores, inquit. In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, uermis immortalis fœtor incomportabilis, tenebræ palpabiles, flagella terribilia, horrida uiſio dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum. Erit enim miſeris mors ſine morte, defectus ſine defectu, quia mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit. Ideo B. Auguſtinus ait. Pœnæ nos terreant, ſi pręmia non inuitant, ut reſipiſcamus à peccatis noſtris, dum tempus habemus, quia ut etiam Euſebius Emiſſenus inquit. Ideò Regius Propheta dixit. Ne urgeat ſuper me puteus os ſuū, quia cum ſuſceperit eos, claudetur ſurſum, & aperietur deorſum in profundum, nullum ſpiramen nullus liber anhelitus, clauſtris deſuper urgentibus relinquetur. Væ autem eis, quibus hæc prius experienda ſunt, quam credēda: ideo chariſſimi hęc omnia, quæ illic fieri nō poterunt, hic redimi poſſunt per emendationem prioris uitæ, per lachrymas, per eleemoſynas, per humilitatem cordis, per corporis caſtitatem, per exercitia iuſtitiæ, ac miſericordiæ.

Euſe. Emi. homi. 1. ad Monachos
Pſ. 68.

B. Chryſoſtomus quoque de hac materia agēs in quadam homilia inquit. Intolerabilis res eſt gehenna, quis neſciat illud ſupplicium horribile? Tamē ſi aliquis mille ponat gehennas nihil eſt tale dicturus, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore propelli exoſum eſſe Chriſto, & audire ab illo. Non noui uos. Quis ergo hæc audiens animo nō contremiſcit, & toto cordis affectu, ut ab illis pœnis ſe eripiat, dum tempus opportunum eſt, & per ueram pœnitētiam non curat, cum firmiſſimè credat quod poſtquam puteus operuerit os ſuum, nullum remedium ſit habiturus.

B. Chryſoſ. hom. 28.

Per Hieremiam Prophetam ait Dominus. Immitam eis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio. Hoc autem explicauit idem Dominus cum alibi dixit. Ecce ego adducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt. Hoc proculdubio pleniſſimè improbi in gehenna experientur, ibi enim erunt ſerpentes illi, h oc eſt, tortores dæmones, qui nullo temporis momento à torquendo ceſſabunt. Eia fratres expergiſcimini a ſomno iſto peſſimo, & eripite uos à tantis malis dum opportunitas uobis adeſt. Lex olim fuit, ut domus, quę eſſet intra mœnia ciuitatis intra annum a uenditione redimi poſſet, ſi perceptum pretium emptori pro illa red-

Hiere. 8.

redderetur, anno uero tranſacto nulla redimendi facultas erat. Quid igitur hoc eſt? Nimirum quia in cœleſti illa Hieruſalem domus multæ ſunt, quas quidem pretio peccati uendimus, quia tunc de libro uitæ ſecundum præſentẽ iuſtitiam delemur. Has autem domos intra huius uitæ annum redimere poſſumus, tranſacto uero anno non poſſumus. Modo ergo, dũ tempus habemus, eas redimere curemus, aliter fruſtra conabimur. Sed heu, heu, & millies heu, quam intrepidi hæc dicimus, & audimus tanquam ſi ad nos hæc omnia minimè pertinerent. Mirabile dictu eſt, quia Achab Rex quamuis idolorũ cultor, ſanguinarius, & impiiſſimus eſſet, tamen auditis, quę illi Dominus per
3. Reg. 21 Eliam denuntiauerat, ita commotus eſt, ut de eo ſcriptum ſit. Cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit ueſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite, quorũ nos tamen fideles nihil facimus, cum grauiora quotidie audiamus.

Infernus quare calix nuncupatur.

Pſ. 10. VAE miſeris illis, qui Deo ſeruire nolunt, nam calicem illum bibẽt de quo Regius uates ait. Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Ac ſi dicat. Hæc erit eorum calamitas, hæc erit portio, quæ in eos conferetur. Metaphora eſt ſumpta a uetere conuiuorum conſuetudine, vbi præſes ſympoſij, ſeu conuiuij cuique ſuam portionem uini in calice impartiebatur. Sed aduerte, obſecro, & impiorum ſupplicia alta mente perpende. Dicens Regius Propheta. Pluet, ſignificat pœnarum multitudinem: Dicens, laqueos, oſtendit nullam eſſe ſpem declinandi illa ſupplicia, quæ a Deo exhibentur. Contra Deum enim non eſt ſpes. Nominans ignem, ſulphur et uentum procellarum, terribilem ſuppliciorum magnitudinem, & acerbitatem declarat.

Ignis tamen ille inferni miro modo illuminat, & obſcurat, quod ex diuite in Luc. 16.
flammis comprobatur: qui enim ad doloris ſui cumulum propinquorum abſentiũ meminit, conſtat proculdubio, quia eos ad augmentum ſupplicij paulò poſt potuit præſentes uidere. Quid autem mirum ſi ſecum quoq; reprobos ſocios aſpiciat eternari ad doloris ſui cumulũ? Qua ex re colligitur, quod eos, quos inordinatè nunc reprobi diligunt, miro ordine iudicij ſecum tunc in tormentis uidebunt, vt pœnam propriæ punitionis exaggeret illa actori propoſita carnalis cognitio. Ignis itaque, qui in obſcuritate cruciat, credendum eſt, quia lumen ad tormẽtum ſeruat. Secundo ſciendum eſt, quod vnus eſt quidem gehennæ ignis, ſed non omnes uno modo cruciat peccatores, vniuſcuiuſque etenim quantum exigit culpa, tanta illic ſentitur pœna. Nam ſicut in hoc mundo ſub vno ſole multi Simile.
conſiſtunt, nec tamen eiuſdem ſolis ardorem æqualiter ſentiunt, quia alius plus æſtuat, atque alius minus: ita illic in uno igne non eſt vnus modus incendij, vt diuerſitas peccatorum ignem nõ diſſimilem habeant, & tamen eoſdem ſingulos diſſimiliter exurat, ſicut vnuſquiſque accipiet ſecundum proprium laborem in retributione: ſic in ſupplicio vnuſquiſque ſecundum ſua cruciabitur peccata. Quomodo autem poſſunt corpora in uiſione eſſe perpetua docet Beatus Auguſtinus libro de B. Aug. li.
Ciuitate Dei. In Iſaia legimus. 21. de Ci.
Vermis eorum non moritur, & ignis Dei. c. 2. et
eorum non extinguitur. Duo mala 6.
ſunt ignis, & uermis, altero roditur cõ Iſai. 66.
ſcientia, altero concremantur corpora. Tertio additur deſperatio, quia in eo utique intelligitur, quod dicitur. Non morietur, & non extinguetur. Væ illis, qui talia audientes, & intelligentes adhuc non reſipiſcunt, ſignum quippe eſt eos ſeparatos eſſe in diem malum, & occiſionis vaſa

ſunt

Pſal. 7. ſunt mortis, aduerſus quæ Deus ſagittas ſuas ardentibus efficit. Quid eſt, Ardentibus efficit? Beatus Hieronymus vertit, ſagittas ſuas ad comburendum operatus eſt, ad comburendum & incēdendū igne æterno eos, in quos fuerit ſaggittas ſuas iaculatus. *Simile.* Quemadmodum milites, cum ſaggittas, quas intra ciuitates iacere volunt, rebus aptant ardentibus, ad comburendum procul dubio hoc faciunt. Cauete fratres, ne in id ipſum incidatis incredulitatis exemplum, timete comminatiōnem Dominum, quia certe uenient ſuper peccatores tormenta durißimæ vltionis in furore, & ira implacabili; quæ clementer prædixit, ut fugiant à facie arcus, & liberentur in perfecta reſipiſcentia cordis humiliati, & contriti: ſi enim perdere vellet, taceret, & opportunum inuenißet tempus, & locum, quia uero miſericors eſt, & clemens, & deſiderat ſalutem noſtram, manum eleuat, & flagellum oſtendit deſtructionem prædicens. Incipientes autem, & ſtulti homines, quos excæcauit concupiſcentia ſua, vbi non ſenſerint ſtatim flagellū, ipſi ſibi ipſis blandiuntur, & indulgēt, & credunt non tam grauia eſſe ipſorū crimina, & longe abeſt ab anima, eorum metus, & timor Domini, ſed cum dixerint. Pax & ſecuritas repentinus eis ſuperueniet interitus.

Apoc. 20. De inferno loquen Beatus Ioanne in Apocalypſi inquit. Et deſcēdit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris. Nunquid ignis inferni è cælo deſcendit? Ita planè deſcendit enim à potentia, & iuſtitia Dei, qui illum creauit. Et deuorauit eos, ſcilicet, impios. O tremendum, & horribile verbu: in quo ſignificatur, quam circundati ſint damnati ab illis infernalibus tormentis, & quam impotētes vt ex illis in æternum poſſint exire, tum quia illi ab omnipotentia Dei, quæ nunquam deficiet, procedūt, tum etiam propter debilitatem, & impotentiam eorum, nam vt ait Diuus Anſelmus. *B. Anſe. de ſimi.* In futuro ſic iuſtus fortis erit, vt etiam ſi velit, terram commouere poſſit, & ſic è conuerſo iniuſtus imbecillis, vt nec etiam vermem amouere queat ab oculis ſuis. Vocatur autem infernus hoc loco ſtagnum, eo quòd ibi labores continuo ſtantes ſunt & perſeuerātes labores huius uitæ ſunt uelut fluuius qui aliquando creſcit, aliquando decreſcit, aliquando uero omnino exſiccatur. Sic labores huius uitæ nunc magni, nunc parui, nunc autem omnino finiuntur, at vero labores, & calamitates inferni ſemper perſiſtunt, & in æternum abſque aliqua euacuatione permanent.

Vnde Beatus Chryſoſtomus de hac materia agens inquit. *B. Chry. ho. 10. in 2. ad Cor.* Si ingreßi in carcerem, & videntes alios pallidos, alios uero uinctos, & eſuriētes, alios vero in tenebris concluſos concutimur, horreſcimus, & omnia, ne illuc incidamus, facimus: quando adducti trahemur in gehennæ carceres, quales futuri erimus? *Simile.* Non enim uincula illa ex ferro, ſed ex igne ſunt nunquam extinguibili, nec qui præſunt nobis eiuſdem dignitatis ſunt, quos vnquam demulcere poterimus, ſed angeli, in quos nec reſpicere licet ualde iraeundi, propterea quod Dominum tanta contumelia affecimus.

Beatus Auguſtinus ſuper Pſalm. ait. *B. Aug. in Pſal. 6.* Sanè exteriores tenebræ intelligi poſſūt quædam malignitas odij, & uoluntatis quæ tunc excreſcet in mentibus reproborum, & quædam obliuio Dei, quia tormentorum interiorum, & exteriorū doloribus adeò afficientur, & turbabūtur, *Simile.* vt illis ad excogitādum aliquid de Deo uix, uel raro, uel nunquam in mētem reuocent. Vt qui nimio premuntur pondere, adeò ſtupeſcunt, & turbātur, vt non in aliam cogitationē ſe extēdant, ſed illuc tēdit impetus cogitationis, vbi ſentitur uis doloris.

Iſidorus Clarius in quadam oratione ait. *Iſido. Clar. ora. 12 extraor. 10.* Nihil mihi uidetur tam efficax ad auocandos animos ab iſtis caducis, quam hæc cogitatio. Quare mecum, quæſo, ſic attentißimè cogitate. Si mille

le annorum ultio intentaretur, deberẽt omnes ſanè exhorreſcere: nam qui in hac vita aliquot horarum ſpatio acerbius torquentur, miſerrimi exiſtimantur: at uero mille annis ignibus tradi aliquem cruciandum, quanto eſt acerbius? Multo uero magis, ſi decem, aut centum millibus annorum hæc pœna eſſet duratura. Quod tamen ſpatium breuiſſimum uideretur, & tanquã momentum, ſi dictum prius eſſet tot annorum millibns eſſe in igne commorandum, quot arenæ minutula grana in hoc templo concluderentur. Rurſus hoc etiam tantum ſpatium (quæ enim ſæcula arenam illam exhaurirent, ſi milleſimo quoque anno duntaxat granulum unum auferretur) pro nihilo putaretur, ſi in hanc pœnam ea commutaretur, qua tenerentur in ignẽ damnati tot annorum millibus in eo eſſe quantus arenæ numerus, toto hoc quod inter cœlum, & terram interiacet ſpatio comprehendi poſſet, & tamẽ cõparatione æternitatis (heu horrendam rerum faciem) hoc etiam penè infinitũ tempus pro re gratiſſima optaretur, & centies, ac millies etiam repetitum modo finis aliquis tandem aliquando inciperet apparere. Nam ſine vllo vnquã fine quempiam eſſe torquendum certe ſciunt. Quid enim grauius, quàm ſemper velle, quod nunquam erit, & ſemper nolle, quod nunquam non erit? In æternum peccator nõ aſſequetur, quod non vult: nihilominus in æternum cogetur pati.

Idem ibidem inquit. Animaduertitis horrendum ſpectaculum, quod ſi mente uti vultis nunquam à ueſtris oculis recedere patiamini. Si cui enim veſtrum teterrimum carcerem, & exquiſitas pœnas iudex aliquis eſſet interminatur, toto eo tempore quo id expectaretur, imago illa malorum etiam inuito animo obſeruaretur, quanquã illa cogitatio nihil minuere de intenta pœna poſſet, ſed addere potius præsẽtem mœrorem futuro dolori. Quid ſi ſperaretur ita cogitando dolor ille *Simile.* eſſe minuendus? Certè dies, noctesque in cogitatione immoraretur. At cum iſta æternarum pœnarum cõtemplatio maximè idonea ſit; efficere, & curare debemus, ut eas euadamus. Quæ eſt hæc hominum inſania, tam raro, aut fortaſſe nunquam rem tanti ponderis cui cætera, ſi comparentur, nihil nihil ſunt, in conſilium adhibere?

Beatus Chryſoſtomus in quadam homilia ait. Dum tempus eſt præoccupemus faciem eius in confeſſione, ut minacẽ illas virtutes effugiamus. Nonne videmus terrenos milites Principibus ſeruientes quomodo criminoſos trahunt, quomodo ligant, quomodo ad humeros trahunt, quomodo faces tormentis adhibent? Sed hæc omnia ludicra, & riſus ſunt ad illa ſupplicia: nam & temporaneæ ſunt hæ pœnæ, & paruæ; illic uero nec uermis moritur, nec ignis extinguitur. *B. Chry. homil. 49 ad pop. Anti.*

Ibidem idem ſanctus inquit. Non uelim exiſtimemus, ut hic fieri ſolet, ita & in futura uita contingere, ut ſcilicet ſolatium aliquod ferat, ſocios habere miſeriæ. Vnde id conſtat? Ex ſubiecto ſcilicet exemplo. Dic enim, quæſo, ſi quis damnatus ignibus filium quoque una intueatur, odoremque ex ipſius carne aſcendentem hauriat narib. nonne morietur? Nam ſi hi quoque, qui ſani ſunt dum hæc fieri uident, penè reſoluuntur, multo magis id paſſuri ſunt, qui ea clade uexantur. Quo pacto pater filium in eadem damnatione poſitum uidens ſolatium capiet? *Idem hom. 48. de ira.*

Infernus quare ſine ordine dicitur.

SVper illa uerba Iob: Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ait B. Greg. Mirum uero eſt ualde, quod dicitur, ubi nullus ordo, &c. Neque enim omnipotens Deus, qui mala bene punit, inordinata eſſe ullo modo, uel tormenta permittit: quia ipſa quo- *Iob 10.*

que

B.Greg. li. 9.mo.c.47 que ſupplicia, qui ex lance iuſtitiæ pro deunt, inferni ſine ordine nequaquam poſſunt. Quomodo nanque in ſupplicijs ordo non erit, dum damnatũ quęque iuxta modum criminis retributio ſequitur ultionis? Hinc quippe ſcriptum eſt. Potentes potenter tormenta patientur: & fortioribus fortior inſtat
Sap. 6. cruciatio. Hinc etiam in Babylonis dã
Apoc. 8. natione dicitur. Quantum exaltauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Si igitur iuxta modum culpæ pœna diſtinguitur, conſtat nimirum, quòd in ſupplicijs ordo ſeruatur. Et niſi tormentorum ſummam meritorum acta dirimerent, nequaquã iudex ueniens dicturum ſe meſſoribus eſſe perhiberet. Colligite primum zizania, & ligate ea in faſciculos ad comburendum. Si enim nullus in ſupplicio ordo ſeruatur, cur comburenda zizania in faſciculos ligantur? Sed nimirum faſciculos ad comburendum ligare eſt, hos, qui ęterno igni tradēdi ſunt, pares paribus ſociare: ut quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat: & qui nequaquam diſpari ini quitate polluti ſunt, nequaquam diſpari tormento crucietur, quatenus ſimul damnatio conterat, quos ſimul elatio ſubleuat. Quoſque non diſſimiliter dilatauit ambitio, non diſſimilis anguſtet afflictio. Et par cruciet flēma ſup plicij, quos in igne luxurię par ſuccendit flãma peccati. Sicut.n. in domo pa-
Ioan. 14. tris mãſiones multæ ſunt, ꝓ diuerſitate uirtutis, ſic dãnatos diuerſo ſupplicio gehennę ignibus ſubijcit diſparitas criminis. Quæ videlicet gehenna quãuis tuncctis vna ſit, nonamen cunctos eadem que qualitate ſuccendit. Nam ſicut vno ſole omnes tangimur, nec tamen ſub eo vno ordine omnes æſtuamus, quia iuxta qualitatem corporis ſentitur etiam pōdus caloris: ſic danna
Simile. tis vna eſt gehenna, quæ eos afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit, quia quod hic agit diſpar valitudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum. Quomodo ergo nullus ineſſe ordo ſupplicijs dicitur: inquibus profectò quiſque iuxta modũ culpæ cruciatur? Ad hanc quæſtionem B. Gregorijquam hucuſque propoſuit, reſpondere poteſt, locũ illum libri Iob non loqui de ordine ſuppliciorum dãnatorum, ſed de ordine charitatis. In damnatis enim nullus eſt ordo charitatis, non enim ibi compatiuntur patres filiorum, nec filij compatiuntur parentum ſuorum, quamuis eos uideant magnis tormentis concuti. Vnuſquiſque nanque tantum ſui ipſius compatitur, quia nullus eſt in eis ordo charitatis.

Inferni quæ pœna maior.

INter pęnas damnatorum maximam eſſe conſtat illius ſummæ, & infinitæ pulchritudinis conſpectu perpetuo abdicari. Hæc enim pœna bis infinita eſt, quòd ea uidelicet & infinito bono priuat, & per infinita tempora, hoc eſt per nũquam finienda ſpatia durat. Sed hanc tantam pœnam ſcelerati homines minus formidant, quia quale illud donum ſit ne cogitatione quidem attingere poſſunt. At vero cum ignis pęnam quotidie experiantur, qui fieri poteſt, ut æternum ignis incendium non exhorreant? Qualis uerò hæc pœna ſit hoc indicio coniecturam aliquã facere poteſtis. Adrianus Imperator ira, atque furore ebrius hoc crudeliſſimo martyrij genere beatũ Euſtachium (ut Nicephorus in Eccleſiaſtica hiſtoria refert) cruciari præcepit, iuſſit.n. & illum, & cōiugem, & duos ſimul filios in tauro æneo includi, & igne ſuppoſito ibidem concremari. Nunc expendite fratres eũ ſancti uiri in exiguo illo candētis ferri ſi nu, in horrendis illis tenebris in anguſtiſſimo ſpatio, vbi nullum eſſet corporibus voluendi, atque ſe girandi locus torquerentur: quando pius pa ter

ter coniugem, ac liberos, & hi rurſus patrem tam crudeli mortis genere torqueri cernerent, quo dolore afficerentur, quas voces, quos gemitus, quos clamores in horrendo illo tauri utero emitterent? Horret animus hæc meminiſſe, & cor ipſum, dum hæc recolit panet, ac contremiſcit. Quid autem hic adeò formidabilis cruciatus & umbra eſt? nam illo ſanctorum ſupplicio duo maxima illos ſolatia ſuſtētabant, alterum quod poſt breuem illā morulā momentanea pœna eſſet æterna fœlicitate commutanda. Neutrum autem horum eos, qui in gehenna cruciantur, neque enim ſpes vlla aut præmij percipiendi, aut doloris finiendi eorum tormenta leuare aliqua ratione poteſt, cū & pœna ſit æterna, & fruſtra ſine vllo emolumento ſubeunda. Hęc qui cum animo ſuo cogitat, etiam ſi innocentiam colat, quia tamen dum in hac vita eſt à uia deflectere poteſt non totus corde contremiſcat? Quomodo pre timoris magnitudine non totus obrigeat? Quod ſi innocentes hoc metu carere non debent, qui ſanctiſſimos ſæpè viros ſolicitabat, quātum, quęſo, ij formidare debent, qui in eo ſtatu manent, in quo ſecundum diuinæ iuſtitię leges ſi mors illos ſubito intercipiat, quod euenire non raro ſolet, fulmine ocius ad inferos exturbabuntur?

In inferno de quibus recordabuntur damnati.

DAmnati in inferno exiſtentes poſt diem iudicij memores erunt glorię ſanctorum, quam ante iudicium, & in iudicio viderunt, & ſic cognoſcent hos eſſe in maxima gloria, quamuis nō videant poſtea ipſos beatos, nec eorum gloriam, & ita inuidia torquebuntur, & ſic afflictio, quæ erit in eis tunc ex tali viſione manebit viſione ſublata, de quo etiam magis dolebunt, videntes ſe eſſe uiſione ſanctorum indignos reputatos, ut docet B. Thomas in quodlibeto quodam: & ita ſicut propter perfectam ſanctorū beatitudinem, nihil erit in beatis, quod non ſit gaudij materia: ita nihil erit in damnatis, quod non ſit eis materia & cauſa triſtitię, nec aliquid, quod ad triſtitiam pertinere poſſit, deerit, ut ſit eorum miſeria conſummata, ut docet idem B. Thomas lib. 4. Sentent. Beatus etiam Gregorius in quadam homilia inquit. Vt peccatores in ſupplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempſerunt, & de illorum etiam pœna torquētur, quos inutiliter amauerunt. Credēdum vero eſt, quod ante retributionē extremi iudicij iniuſti in requie quoſdam iuſtos conſpiciunt, ut eos uidentes in gaudio, non ſolum de ſuo ſupplicio ſed etiam de illorum bono crucientur. Iuſti uero in tormentis ſemper intuentur iniuſtos, vt hinc eorum gaudium creſcat, quia malum conſpiciunt quod miſericorditer euaſerunt, tantoque maiores redemptori ſuo gratias referunt, quanto vident in alijs, quod ipſi perpeti ſi eſſent relicti, potuerunt.

B. Thom. quol. 8. q. 7. ar. 16. ad. 2.

B Tho. li. 4 d. 50. q. 2. ar. 2. perto tum.

B Greg. homil. 40. in Euangelia.

In inferno vitia ſpiritualia vigent.

VItia ſpiritualia in damnatis conſummantur. quod ſignificatur in Ezechiel, ubi dicitur de impijs, quod cum armis ſuis ad infernum deſcendūt & ideo in eis perfecta inuidia eſt, ad quā pertinet dolere de bono alterius quod ipſe non habet, & ſic etiam uellet omnes pati malum, quod ipſe patitur. Liberari enim à malo, quoddam bonum eſt. Quę quidem inuidia in aliquibus etiam in hac vita tantum inualeſcit, ut ſuis propinquiſſimis etiam inuideant de bonis, quæ non habeant ipſi. Vnde de multo amplius damnati inuidia ſtimulante uellent ſuos propinquos cum omni-

Ezech 32.

B. Thom quo lib. 8 q. 7. ar. 17

omnibus alijs eſſe damnatos, & dolebunt ſi ſciant aliquos eſſe ſaluatos. Sed tamen ſi non omnes debent damnari, ſed aliqui ſaluari magis vellent ſuos propinquos, quam alios à damnatione liberari; & per hunc modum diues ille epulo damnatus nolebat ſuorum damnationem.

INGRATITVDO.

EX donis, & Dei beneficijs eliciunt ingrati occaſionem obdurationis ſuę, quod verba illa Dauidis manifeſtè declarant. Nã
Pſ. 118. pro eo, quod nos legimus. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus ſum. Caietanus ex Hebræo ſic legit. Impinguatum eſt velut adeps cor eorũ ego doctrina tua delectatus ſum. In quibus verbis diſcrimen inter iuſtos, & impios inſinuatur, peſſimi enim impinguantur ſicut adeps, hoc eſt, ex eo quod omnia proſperè, & ad nutum eis eueniunt, intumeſcunt ſuperbia, & indurantur: iuſti vero è contra afflictionibus oppreſſi proficiunt, & delitias reputant non vana mundi gaudia, ſed Dei obſecundare mandatis, atque pro eorũ obſeruatione affligi, ſicut de Moyſe in-
Ad He. 11 quit B. Paulus ad Hebræos ſcribens. Magis eligẽs affligi cum populo Dei, quã temporalis peccati habere iucunditatẽ maiores diuitias ęſtimans theſauro AEgyptiorum improperium Chriſti. Vnde & ſequenti verſu ſubdit. Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas, ideſt, hoc mihi emolumenti attulit afflictio, vt diſcerem, quo pacto ad iuſtitiam tuos erudias. Hæc eſt verſuum horum connexio, & non contemnenda Caietani interpretatio. Quod aũt praui homines proſperis intumeſcant, atq; in praua labantur
Ad Eph. 4 quotidiana experiẽtia conſtat. De quibus B. Paulus ſic ait. Qui deſperantes, vel (vt B. Hieronymus cẽſet potius trãſferendũ) indolẽtes, hoc eſt, abſq; dolore & remorſu peccãtes ſemetipſos tradiderunt impudicitię, & in operationẽ omnis immunditiæ. Cæterũ alij interpretes hoc carmen ſic intelligunt, quod quemadmodum lac in ſua natura purum eſt, & tractabile, ac dulce, ſed per coagulum (id eſt, quajo) areſcit, & induratur: ſic hominũ impiorũ corda mollia ex ſua prima conditione ſunt, atq; ad rectum, & bonum prona, ſed per peccatum tanquam per coagulum indurã-
Eccl. 7. tur, & coareſcunt. Nã (vt dicitur in Eccleſiaſtico) Deus fecit hominem rectũ, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. Hoc experientia comprobatur, nã homines qui alias pij, ac manſueti ſunt ſi in peccatum decidant, ſæuos poſtea truculentoſque videbis. Exemplo ſit nobis uel ille manſuetiſſimus Dauid, qui cum aliàs proprijs hoſtibus pepercitſſet, & cum in eius manus ſemel & iterũ inimicus ac perſecutor ſuus incidiſſet, cõtinuit ſe, nec manus miſit ĩ Chriſtum Domini, ita quod potuit ipſe mãſuetudinẽ ſuam Deo opponere, ut eum ad ſe flecteret dicens. Memento Domi-
1. Re. 26. & 27. ne Dauid, & omnis mãſuetudinis eius:
Pſ. 132. tamen cum poſtea in peccatum prolapſus eſt, alienam rapiens uxorem, adeò indurati, ac ſæuiſſimi cordis effectus ẽ, vt inſontem; immo & ſtrenuum militẽ Vriam Ethęum gladio filiorum Amõ crudeliter ſimul ac infideliter trucida-
Ad He. 3. uerit. Vnde & B. Paulus ad Hebræos ſcribens eos, & nos monet, ne obduretur quis fallacia peccati. Summum .n. genus ingratitudinis eſt nõ recordari accepti beneficij & tanquam ſi nõ fuiſſet acceptum obliuioni tradere. Homo autem inter cætera mala maximè obliuioſus eſt. Vnde apud Hebræos inter a-

lia vocabula, quibus homo nominatur, dici ut Enos, quod ſignificat hominem vilē, & obliuioſum à verbo naſco, quod ſignificat obliuiſci, & ita aiunt, quod in Pſalmo vbi nos legimus, Quid eſt homo, quòd memor es eius, in Hebræo habetur Enōs, ad maiorē emphaſim exprimendā, hoc eſt, Quid eſt hoc, *Pſ. 8.* quòd immemoris, & obliuioſi meminetis, & recordaris? Si aūt ſummum ingratitudinis genus eſt beneficiorum ſic obliuiſci, quid erit ipſis Dei beneficijs continuo indurari? O ſummam hominum peruerſitatem ſanguineis lachrymis deplorandam? Quamuis uero peſtis hæc nimis communis ſit, præcipuè apud magnates vigere cernitur, quod *1. Re. 16.* vel vno exemplo videre facile poteris. Narrat ſacra ſcriptura miſiſſe Saulem ad Iſai literas, quibus hæc continebantur. Stet Dauid in conſpectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus corripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul & leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Nunquid tale beneficium obliuione perpetua dignum erat? At poſt hæc, aliaq; beneficia ab illo exhibita poſt occiſionem illam Goliat interrogat Saul Dauidem. De qua progenie es o adole- *1. Re. 17.* ſcens? Omnium beneficiorum præteritorum penitus oblitus erat ingratiſſimus homo. O quot Saules ſunt hodie inter magnates huius ſæculi?

Ingratitudo beneficiorum maximè apud potentes verſatur.

ABundant tabernacula prædonū, & audacter prouocant Deum, cū ipſe dederit omnia in manus eorum, in- *Iob. 12.* quit ſanctiſſimus Iob. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Abundant tabernacula profligatiſſimorum hominum, & eorum, qui nihil ſacrū nihil religioſum putant, ſed cum templis, atque delubris bellū gerere videntur. Sicut Dionyſius ille Siracuſanus onuſtus Deorum ſpolijs in Siciliam rediens dixiſſe fertur. Videtis amici, quòd bona nauigatio ſacrilegis detur. Quibus uerbis non ſolū falſos illos gentium Deos, ſed etiam verum Deum deſpiciebat: cū nullum ipſe Deūm coleret, nullam diuinitatē obſeruaret, ſed quidquid ſacrum, & religioſum haberetur, negligeret. Audacter etiam Deum prouocabat ille, cum quo ita locutus eſt Propheta Iſaias. *Iſai. 37.* Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti uocem, & eleuaſti altitudinē oculorum tuorum? Ad ſanctū Iſrael. In manu ſeruorū tuorum exprobraſti Dominū. Res tamen, quas hic perfidus aggrediebatur valde fœliciter ei eueniebant, adeò vt diceret, ſicut ſtatim ſcribit Iſaias. In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem mōtium, iuga Libani &c. ego effodi, & bibi aquam, & exſiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum. Addit autem ſanctus Iob. Cum ipſe dederit omnia in manus eorum, Dei enim voluntate, & opera imperatores, & immanes tyranni tot prouincias, regnaque occuparunt, tot exercitus fuderunt, & res tantas geſſerunt. Ad illos nanq; expectat id, quod canit ſanctus Moyſes. Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia? Nonne ideo quia Deus ſuus vē- *Deut. 32.* didit eos, & Dominus concluſit illos? Eſtque grauis amplificatio Deum tantis eos fortunis augere, tot res permittere, tantam eis facere poteſtatem, qui nō ſolum bonorum auctorē minimè agnoſcunt, ſed etiam prouocant, atq; laceſſunt; vt intelligatur nihili eas res à Deo fieri, quas ampliſſimas homines eſſe cenſent, & auidiſſimè inueſtigant. Ex quo illud etiam conſtat ſcilicet non eſſe ex huiuſmodi rerum, vel iactura, vel compendio Dei amicitia, vel inimicitia erga homines ponderanda. Hæc omnia amplexus eſt etiam Propheta Abacuc vno loco, & quòd Deus tā amplas facultates perfidis hominibus lar- *Abacuc. 1.* giatur, & quòd ipſi verum Deum bene

ficio-

ficiorum autorem minimè moueri, ſed Deum manu factum colant, atque adorẽt. Et facies, inquit, homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem, totum in hamo ſubleuauit, traxit illum in ſagenam ſuam, & cõgregauit in rete ſuum; ſuper hoc lætabitur, & exultabit. Propterea immolabit reti ſuo quià in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus: propter hoc ſpandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat. Loquitur de Nabuchodonoſor, cui tamen Deus facultatem fecit homines in ſua poteſtate redigendi, ac ſi piſces eſſent maris, quos integrum vnicuiq; eſt impunè capere. Sagena vero cui ſacrificium faciebat, machina militaris erat, qua muris, & arcibus admota vrbes capiebat, cui res ſuas geſtas aſcribebat, & non Deo. O quot ſunt hodie, in quibus hæc ingratitudo maximè viget, quamuis Chriſtiani ſunt.

Ingratitudo hominis vnde euidentiſſime comprobatur.

Ad He. 1. Loquens Diuus Paulus de Chriſto Redemptore noſtro vnigenito filio Dei inquit. Portans omnia verbo virtutis ſuæ, hoc eſt, ſolo beneplacito ſuo, atque imperio omnes creaturæ, earumque operationes gubernantur, diſponuntur, & conſeruantur. Vel aliter, Portans omnia, ideſt, conſeruans omnia verbo virtutis ſuæ id eſt, ſeipſo qđ eſt verbum virtuoſum hoc eſt, potentiſſimum ad conſeruandum omnia in eſſe, quod habent, atque in eorum operationibus. *Pſ. 103.* Hoc ſignificauit regius Propheta, qui cũ Deo loquens ait. Aperiente te manum tuam omnia implebũtur bonitate, hoc eſt, volente te, atq; imperante omnia de bono in melius procedent, ac tandem omni bono plena erũt: Auertente autem te faciem tuam, turbabuntur, hoc eſt, te nolente illa conſeruare, ſine dubio in nihilum redigẽtur. Voluit Deus ſuo tantum beneplacito, vt tempore Danielis Prophetæ ignis non comburereret hoc eſt. [*no le eſtoruo a Dios en tiempo de Daniel que dexaſſe el fuego de quemar, mas de vn no querer que quemaſſe, y para aniquilar el mundo no le coſtara mas de vn no querer conſeruarle.*] Nam quemadmodum recedente ſole aer lumen ſuum, & claritatem amittit: ita ceſſante Deo à conſeruatione mundi, omnes creaturæ peribunt. *Simile.* Eſt autem maximè obſeruandum, omnia agentia naturalia ſeruare ſuũ eſſe, quod à mundi principio habuerunt, & omnia illa Deus ſuſtinet, & conſeruat verbo ſalutis ſuæ, ac ſolo beneplacito, & imperio voluntatis ſuæ abſque eo, quod ex parte eorum fit aliqua reſiſtentia, vt videre eſt in ſole, luna, cœlis, atque alijs elementis. Itaque poſtquàm Deus ab hinc ſex mille annis, & amplius, cœlos creauit, eiſque motus continuos tribuit, nunquam ipſi ab illis legibus, quas eis Dominus poſuit, in aliqua differentia tẽporum defecerunt, nam ſemper luceſcit, & ſemper nocteſcit: ſemper diluculum eſt, & veſpere, ſemper dies ſuã menſuram habent iuxta differẽtiam temporum veris, & hyberni, nunquam cœli à ſuo loco dimoti ſunt ſe ſe magis in vnam, quàm in aliam partem inclinantes: ſolus homo in ſuo eſſe gratuito, in quo creatus fuit, non permanet, ſicut Sapiens teſtatur dicens. *Eccleſiaſtes. 7. c.* Fecit Deus hominem rectum, vt videlicet ad cœlum, ad quod creatus fuit, aſpiceret: & in hoc ſicut etiam & alijs plurimis excellentijs differt homo à cæteris animantibus, quæ ad terram creatæ fuerunt & in ipſam prona dimiſſo capite incedũt ſicut quidam Poetarum dixit. *Oui. 1. Metam.pho.* Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terrã, Os homini ſublime dedit, cælumq; videre, Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. Si autem curioſus interrogeret, quare Deus verbo virtutis ſuæ hominem in illo eſſe gratuito, in quo eum creauit, non conſeruet, cum alia omnia in ſuo primo eſſe ſuſtentet? Ad hoc reſpondet ſtatim idem Sapiens dicens. Ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. Ipſe culpã

 habet,

habet, quia ipſe ſe plurimis irretionibus, ac quæſtionibus inuoluit. Quod perinde eſt, ac ſi dicat. Ipſe ſe quæſtionibus, & reſponſionibus cũ dæmone immiſcuit, & idcirco cecidit. In ſacra ſcriptura legitur ſerpentem interrogaſſe
Gen. 3. c. Euam dicens. Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis, ex omni ligno paradiſi? Si tunc Eua cum ſerpente ſe quæſtionibus, & reſponſionibus non inuolueret, ſed duntaxat reſponderet. Quia Deus ita præcepit, ideò non licet ex omni ligno comedere, & hoc ſufficit, ut ei obediamus, nũquam profectò caderet, & ſi ipſa non caderet, non fuiſſet cauſa ruinę totius mundi. In omnibus tentationibus oportet initio earum reſiſtere abſque eo, quod cum dæmone nos quęſtionibus, & reſponſionibus inuoluamus, nec prauas cogitationes creſcere permitramus; ſed ſtatim maxima cum efficacia illas oportet expellere, ſi enim initio eis non reſiſtimus, parum proderit remedium poſtea ad non incidendum quærere. Si ad finem tentationi-
Simile. bus reſiſtere expectatis, eritis velut medicus, qui ad periculoſæ ægritudinis finem remedium adhibere vult, quando nullum adhibitum medicamentũ proficit. Itaque ſi quæritis à me, quare ſolus homo in eſſe gratuito, in quo creatus fuit, non ſe conſeruauit, nec modo plurimi in gratia à Deo accepta ſe conſeruant? Reſpondeo, quia ſe quæſtionibus & reſponſionibus cum prauis cogitationibus inuoluunt: hoc autem eis prouenit ex libertate liberi arbitrij, quã ſi homo non haberet, nunquam peccaret, & per conſequens ab illo puriſſimo innocentiæ ſtatu nunquam decideret. Magna equidem eſt filiorum Adæ ingratitudo ſiquidem quod futurũ erat erga Deum obedientiæ materia, videlicet libertas, hoc rebellionis cauſa extitit. Longe maiora, ac multo plura beneficia à liberali Dei manu homo accepit, quam cæteræ aliæ corporales creaturæ, & ipſæ ſe ſinunt à Deo regi, hoc eſt, [*y ellas ſe dexan lleuar de Dios, y haze dellas como de coſa ſuya,*] ſolus autem homo ei pertinaciter reſiſtit. Quocirca Deus per Hieremiam Prophetam conqueritur dicens. Audi popule ſtulte, qui non habes cor, &c. qui poſui a-
Hierem. 5 renam terminum mari præceptũ ſempiternum, quod non præteribit. Montes aquarum ſe ſe ita erigũt, vt terram ipſam velle operire videantur, ſed non vltra arenam tranſeunt. Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans. Populus, in quem ego tot beneficia contuli, ſe aduerſum me erigit, & ſolus homo ex omnibus creaturis inferioribus mihi reſiſtit. O peruerſam ingratitudinem.

Ingratitudo hominem peiorem brutis facit.

INgrati homines deteriores ſunt brutis animantibus. Refert Bernardus Gidonis in ſua Chronica eo tempore, quo Godofredus terram ſanctam expugnaturus in Hieroſolymam ſe contulerat, militem quendam inueniſſe leonem ab horribili ſerpente circundatum, & oppreſſum, qui magnanimiter ſerpentem inuadens ipſum interfecit, & ſic ſolutus fuit leo, quem ſerpens nimis oppreſſum tenebat, qui cũ ſe à milite ita protectum fuiſſe, & à tanto periculo ereptum videret, eum ſtatim ſecutus eſt, & per longa temporũ ſpatia ſociũ habuit ac illũ venatione ſuſtẽtabat, & in prælijs ei adiumento erat: deniq; adeò domeſticus factus eſt, ac ſi canis mitis fuiſſet. Cum autem miles in patriã ſuã nauigãs ire vellet nautæ timore perterriti leonẽ in nauim intromittere noluerunt ipſe autem vidẽs nauim è portu diſcedere, quæ amicum ſuum, ac benefactorem portabat, aquis ſe natando commiſit, ac tandem ipſum inſequens defeſſus ſuffocatus eſt. O magnã beſtiæ gratitudinem, & ingentem hominũ ingratitudinẽ. Quare hæc audien-

tes

res vos non confunditis? De accipitre tanquam certiſſimum referunt naturales,quod auem quandam ſibi adhibet, quæ ei pedes noctu caleſaciat,mane autem ipſam propter beneficium caloris pedum,liberam abire permittit. Hoc non erga proximū ſuum ingratus homo facit, ſiquidem poſtquam à bonis eius commodum,& utilitatem eduxit, beneficijſque fruitus eſt,de eo detrahit, ipſumque contemnit. Huc ſpectat id, quod B.Baſilius inquit de hac materia ingratitudinis agens. *B Baſil homil.9.Exameron.* Memoria beneficiorum huiuſcemodi animantis(canis ſcilicet)quem ingratum,beneficiorumque immemorem non pudore, ac dedecore aſperſerit. Iam quidem & interfectis à latronibus in ſolitudine Dominis complures à cadaueribus canes nō receſſiſſe, ſed ibidem ſpiraſſe memoriæ traditur.Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuiſſe, qui latrones inquiſierunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quid hic iſti dixerint, qui nullo ſuum opificem,autoremque Deum proſequuntur amore, ſed vt amicis etiam,& neceſſarijs his utuntur, qui loquuntur aduerſus Deum iniquitatem,eiuſdem participes menſæ facti, & ad alimoniam ſumendam admiſſi aduerſus beneficum ſuum, altorem, & conſeruatorem blaſphemas uoces tolerant efferri?

Plutarchus in Moralibus ait.Serpentem alit, qui apud ingratum beneficiū collocat, neutri enim ſiue nulli collata illa gratia beneuolentiam conciliat. *Plutar. in moralibus*

Idem ibidem. Perinde facit qui ingrato beneficium confert,ac ſi cadauer pretioſo oblinat vnguento.

Ibidem quoque ait.Vt hędera adhærens arborum ramis ope aliena in altū erigitur: ſic obſcuri conſuetudine ſeu conſortio potentium creſcunt, deinde præfocant eos, à quibus ſunt euecti in altum.

INIVRIA.

QVOD non illatas iniurias patienter ſuſtineamus,id quidem arguit,quam minimum virtutis fundamentum iecerimus, & quā parum curemus nos ipſa hæc pati, & ſuſtinere propter Chriſtum. Vnde beatus Baſilius ait: *B. Baſil. in pſal. 61.* Impoſſibile enim eſt,eum,qui non ſibi perſuaſit ſe omnium opera indigere, omniumque eſſe nouiſſimum, poſſe aliquando,aut dum prouocatur cōuitio, peruincere iram, aut per longanimen prouocatur conuitio, peruincere iram aut per longanimen patientiam efficecere, vt vincat tentationes in afflictione poſitus. Qui enim ad ſummum venit veræ humilitatis,dum maledicitur per hoc, quod prius ſibi probe cōſcius fuit propriæ humilitatis & vilitatis nō iam animo commouebitur probroſis verbis ignominię laceſſitus. Quin potius ſi audierit paupertatē ſibi probro dari,is pauperem ſe mox agnoſcet,omniumque ſe eſſe indignum, immo domino ſuppeditante eſſe indignum, & inopem quotidiani viatici. Si ignobilem dici ſe perceperit, & ex obſcuræ familiæ viro prognatum, iam ante vertit, cordi vt perſuaderet ſuo, ſe ex luto genitum eſſe.

Beatus Chryſoſtomus in quadā homilia ait. *B. Chryſo. ho. 43. in Matthæū. Simile.* Quemadmodum nullus nos lædere poterit, niſi à nobis ipſis lædamur:ſic niſi nos ipſos vituperemus,nemo alius nos vnquam dedecorabit.Ponamus.n.mirabilem quendam, atq; inſignem eſſe uirum,quem omnes adulterum,furem, ſepulchrorum euaſorem, homicidam,latronemq; prædicent: ille vero nec irritetur,nec moleſtè ferat, nec alicuius huiuſcemodi rei ſibi conſcius ſit,qua igitur vituperatione lædetur? Nulla profectò. Quid inquies,ſi mul-

multi malam de ipſo habent opinionem? Nulla inquam omnino vituperatione læſus eſt, ſed illi ſe vituperarunt, qui alium, quàm decet virum talẽ exiſtiment. Dic, quæſo, ſi quis ſolem tenebrarum auctorem exiſtimet ſoli ne, an ſibi detraxit? Sibi videlicet ipſi, cum amentis, & inſanientis opinionem conſequatur. Eodẽ profectò modo qui bonos prauos eſſe putant, ſeipſos uituperant.

Idem ho. 88. in Matthæum.

Idem alia homilia inquit. Quemadmodũ cum iuſtè quiſpiam torquetur, ſi magno animo patitur iniuſte cruciari multis videbitur: ſic qui cum iniuria vexatur ſi non perfert, meritò puniri putabitur, ac deridebitur quaſi mancipium ab ira diſtractus, & animi nobilitatem furori ſubijciens.

B. Damaſ. in Pæralelis.

Beatus Damaſcenus in Pęralelis ait. Graue iniuriarum recordatio peccatũ eſt, & nephariũ; etenim reliqua peccata etſi mala ſint, tamen ad breue duntaxat tempus durant, & quæ vnius horæ momento peragantur. Stuprum perpetrauit quiſpiam vna hora, perpetrato hoc malo reliquas horas quieſcere poteſt. Furtum admiſit quiſpiam vna hora, hoc ſcelere admiſſo deinceps pœnitentiam fortaſſe agit. Cædis crimine ſeſe conſtrinxit aliquis, malũ eſt id quoque: cæterum vna hora commiſſo hoc facinore reliquis horis eum pœnitere teſt. At qui iniuriarum memor eſt, ſingulis horis peccat, ac vitium in pectore circunfert: etiam ſi templum ingrediatur; non tamen puras ad Deum preces mittere poteſt cum prauo & in feſto in proximum animo ſit. Animus iniuriarum memor nũquam à peccato purus eſt, nunquam eleemoſynam impertit. Nam qui charitatis expers eſt nec miſericordia commouetur, nec opitulatur.

B. Chryſo. hom. quod nemo lęditur niſi a ſe ipſo. Simile.

Beatus Chryſoſtomus in quadã homilia inquit. Fabrica, quæ ſuper arenã fundata eſt, etiam ſi flumina, aut venti non vrgeant, facilè ruit paulatim enim fluens inſtabilis arena ædificij crepidinem ſubruit, & euertit; nam arenę ſponte rumpuntur: adamas vero nec malleis cæſus infringitur. Ita ergo qui à ſe ipſo non læditur, etiam ſi tundatur ab alijs, non poteſt lædi: qui vero cum ſua ignauia proditur, etiam malo non perurgente defluit ſponte.

Seneca li. 2. de tran. cap. 10.

Seneca in libro de tranquillitate vitæ ad Serenum ait. Contumelia à contemptu dicta eſt, quia nemo ferè, niſi quem contempſit, tali iniuria afficit. Nemo ferè meliorem, maioremq; contemnit, etiam ſi faciat aliquid quod cõtemnentes ſolent. Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit lacerauitq; infans; nil tamen horũ contumeliam dicimus. Cur ita? Quia qui facit contemnere non poteſt. Itaq; fortes, ac magnanimi ea omnia contẽnunt, quæ vulgus contumelias appellat, neq; de his aliqua ratione ſolicitantur. Non enim ſe vſque adeò vili æſtimant, vt putent in ſe contumeliam cadere poſſe, cum ea omnia fugiant, propter quæ merito digni contumelia, & contemptu iudicari poſſunt. Perindeq; ſe gerunt (cum contumeliæ ab inſipiente aliquo inferuntur) atq; principes ipſi, quibus ab ſcurris in os varia contumelioſa iactantur verba, propter quę ne leuiter quidem commouentur, ſed potius ſueuerunt exhilarari, & ridere.

INTENTIO
bona.

COmmunes ſacrificiorũ leges erant. Prima quòd omnia pecora immaculata eſſe debebãt, deinde quòd igne cremanda. Quæ duo ſignificabant, omnia bonorum operum ſacrificia igne charitatis inflammanda, & offerenda eſſe. Deinde quòd nullum in eis vitium reperiretur, ſed ut iuſte, q̃d iuſtum eſt, exequeretur. Propter quod bona intẽtio in omnibus operibus noſtris maximè neceſſaria eſt. Sicut enim

B. Grego. in moral. fabrica columnis (vt ait beatus Gregorius in Moralibus) columnæ autem baſibus innituntur: ſic uita noſtra uirtutibus, virtutes autem in intentione ſubſiſtunt. Et quia (vt idem ſanctus Pontifex ibidem ait) bona, quæ omnibus innoteſcũt, ſine periculo eſſe uix poſſunt. Dixit ſummus Magiſter veritatis Chriſtus Redemptor noſter apud Diuum Matthæum. Te autem faciente elee-

Matth. 6. moſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Super quo Petrus Ra-

Petrus Rauen. ſerm. de eleemoſyna uẽnenſis ait. Putas quantum uelit Chriſtus neſcire alterum id quod te ipſum, qui facis, vult aliqua tui parte neſcire? Illud ſanẽ Deo eſt gratiſſimum opus, quod ſolis eius oculis conſpicuum eſt, ex quo nihil terrenũ, hoc eſt, nulla nec vtilitas, nec voluptas, nec honor acquiritur operanti. Sicut in quouis peccato duo illa reperiuntur, conuerſio ſcilicet, & auerſio (quorum auerſio, quę Deum reſpicit, multo grauior) ita econtra in bono opere, vt puta in eleemoſyna ſunt item alia duo, uidelicet alienæ miſeriæ ſubleuatio, & obedientia diuini præcepti uel conſilij. Hoc autem poſterius, quia Deum reſpicit, longè præſtantius eſt. Ideoque magna cura prouidendum eſt, vt quidquid facimus, propter Deum faciamus. Charitas enim, vita, forma, & decor omnium virtutum eſt. Decor enim ieiunij eſt, propter Deum miſereri. Reuera nimis Deo gratum, & iucundum eſt in omnibus operibus noſtris ad vnum illud intentionis oculum dirigere, illud ſolum attendere, videlicet, illi ſoli placere velle, ad rectè agendum nullo humano reſpectu atque intuitu, nec vlla aut neceſſitate, aut hominum metu, aut ſimili aliqua ratione, ſed ſolo eius amore impelli. Hoc autem ſe præſtare ſponſa teſtatur, cum ait. Omnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi dilecte mi. Quaſi dicat. Te vnum aſpicio, tibi vni placere geſtio, & quæcunque ſiue in me, ſiue extra me ſunt, tibi offero. Hoc autem ſtudium, hic animus lõgiſſimè ab illorum ſtudio diſtat, qui omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Quibus merito Propheticum illud Dominus improperare poterit. Cum ieiunatis, nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi?

Intentio bona paucis reperitur.

QVidam ſunt, qui bona opera faciunt, vt uideantur ab hominibus: alij vero tantummodo propter bonam à natura inſitam inclinationem: alij propter conſuetudinem bene operandi non reſpicientes ad charitatem uel amorem Dei. De his Propheta Oſeas inquit. Ephraim quaſi uitula docta diligere trituram.

Tribum Ephraim, & in eius nomine Deus populum Iſraeliticum reprehendit, aitque, illos eſſe velut vitulam, quæ ſola conſuetudine triturat. Vt in hoc inſinuet, Hebræum populum, & maximè ſacerdotes in ſacrificijs magis propter conſuetudinem, quam propter deuotionem ſeipſos exercere.

His plurimi Chriſtiani ſimiles ſunt, & præcipuè aliquot eccleſiaſtici, & religioſi, qui abſque deuotione, & abſq; eo, quod opera ſua in Deum dirigant, ſed vſu quodam, & conſuetudine ducti miſſas canunt, horas canonicas recitāt, & in cultu diuino ſe exercent. Iſti ſunt inſtar virginum fatuarum, quæ omne oleum in lampadibus habent, nullum autem ſecum portant: nam opera eorū virtutis retinent ſplendorem, ieiuniū etenim, oratio, cantus, ac denique omnia, quæ faciunt, quandam religionis apparentiam, & quendam ſanctitatis odorem habent. Qui autem hæc faciūt ſine deuotione, & abſque eo quod Dei recordentur, ſed tantummodo propter reſpectum humanum, aut conſuetudinem, oliurn charitatis minimè ſecum habent, & ex conſequenti opera eorum Deo nequaquam ſunt accepta. De his ſanctus Bernardus ait. Væ portantibus crucem, non ſicut ſaluator, ſuam, ſed ſicut Cyrineus alienam. Væ religioſis, & eccleſiaſticis, qui non propter charitatem, ſicut Ieſus Chriſtus Redemptor noſter, ſed propter temporalem mercedem redituum crucem baiulant. Tota die in choro ſunt, & non propter deuotionem eò ſe conferunt: quando veſtuarium lucraturi ſunt, tunc omnibus horis canonicis præ ſunt, licet maximus æſtus, vel frigus vigeat: die autem, quo minus lucrantur parua occaſione impediuntur. Iſti crucem Chriſti ſicut Cyrineus portant non propter Deum, ſed propter aliquem humanū reſpectum. Væ ſemel, & væ iterum pauperibus ſuperbis addit ſanctus vir. Loquitur hinc de plurimis religioſis, qui paupertatem Ieſu Chriſti promittunt, & exterius humilitatem oſtendunt, intus autem ſuperbiſſimi ſunt, & ſe de generis nobilitate, de literis, atque alijs impertinentibus iactant, & alios contēnunt: Væ, inquam, ſemel, & væ iterum portantibus crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum. Hi ſunt plurimi religioſi, qui vitam, ac labores Ieſu Chriſti in ieiunijs, vigilijs, & diſciplinis portant: humilitatem autem Ieſu Chriſti, & patientiam, & charitatem eius non ſequuntur. Iſti nimirum duplici contritione conteruntur, quando & hic pro temporali gloria temporaliter ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia ad ęterna ſupplicia petrahuntur. Denique (ait Diuus Bernardus) laborant cum Chriſto, ſed cum Chriſto non regnant, ſequuntur Chriſtum in paupertate ſua, ſed in gloria non ſequentur; De torrente in uia bibunt, ſed non exaltabunt caput in patria: lugent nunc, ſed tunc non conſolabuntur. Vultis o fratres ſtilum dæmonis ſcire, ecce dico uobis. Ille omnibus viribus contendit, & laborat, vt homines bona opera non faciant, cum autem hoc conſequi non poteſt, conatur, vt quandoquidem bene operentur aut illa opera humanis reſpectibus faciant, aut alijs improbis operibus inficiant.

B. Bern. in Apologia ad Guillelmum Abbatem.

Intentio bona in operatione plurimum bonis operibus confert.

SI ingrederis officinam alicuius pictoris, vbi aliqua ſit pulcherrima imago, quæ tamen aliquo ſigno, vel titulo, per quem oſtendatur cuius eſt, non ſit ſignata, ignorabis prorſus, cuius ſit illa imago: at ſi ei diadema ponatur abſque dubio imaginem alicuius ſancti illam eſſe iudicabis, cęterum ſi in pedibus vngues apponantur, dices illam eſſe dæmonis imaginē. Sic ieiuniū, diſciplina, eleemoſyna bona quidem opera ſunt, ſi eis bonæ intē-

tio-

tionis diadema adhibeatur, res quidem diuina, ac cœleſtis apparebit, ſed ſi eis uanam intentionem adiungas, procul-dubio opus diabolicum, & infernale ui debitur. Quapropter merito D. Greg. Nazian. dixit. Bonum non eſſe bonum niſi rectè fiat, hoc eſt, bona intentione, & alijs requiſitis circunſtantijs. In lege ueteri pręcipiebat Dominus, ut omnes primogeniti ei maxima cura, & ſolicitudine offerrentur, nec curabat, aut uolebat ſibi offerri ſecundum, uel tertium ſeu quartum filium. In quo apertè ſignificauit, ſibi offerendum eſſe primũ boni operis, uidelicet rectitudinem, atque intentionem ipſius. Inſuper obſeruandum eſt uoluiſſe Deum, ut quædã primogenita ſibi offerrentur, & in ipſius domo remanerent, hi autem erant primogeniti tribus leui; alios uolebat ſibi offerri, ſed redimendi erãt, & in domos eorum, qui eos offerebant reuertendi: alios denique uolebat occidi, & nec in domibus eſſe retinendos, nec in templo offerendos, & hæc erãt primogenita canis, & aſini. Quid, obſecro, Deum intererat, ut canes, & aſini interficerentur? In hoc inſinuare uoluit Dominus, quomodo nos in bonorum operum intentione gerere debemus: quædam. n. ſunt, quæ Deo offerri debent abſq; eo, quod ex illis nobis quidquam remaneat, [*dexemos las todas en la caſa de Dios, que no perderemos nada en ello*] Opera quæ in gloriam, & honorem Dei fiunt; ei offerenda ſunt penitus, & in eius domo relinquenda, nihil ex eis uobis ſumatis: ſi ieiunatis, ex illo ieiunio gloriam, uel honorem non expectetis; id. n. hypocritarum proprium eſt, ſed ieiunium ueſtrum propter Deum ſit tantummodo & hoc idẽ in alijs operibus quæ in ſe. ui tium eius facitis eſt obſeruandũ. Alia ſunt primogenita, quæ offerenda ſunt, & poſtea redimenda, hoc eſt, ſunt quædam opera, quæ nobis relinquẽda ſunt & nos ex illis commodum elicere debemus: qualia ſunt opera, quæ ad humanam facimus ſuſtentationem. Qui. n. literis operam dat, ex illo ſtudio rectè uiuere poteſt, & qui ſe in agricultura, aut in alia quauis arte męchanica exercet, optimè poteſt ex unaquaque earũ utilitatem educere, ac ſuſtentationẽ ad uitam propagandam, dummodo tamẽ primogenita illorum operum Deo offerantur: & qui literis ſtudet dicat. Domine hæc omnia ſtudia tibi offero, tu ſcis præcipuam intentionem meam in hoc eſſe, ut melius te ſciam diligere, & ut habeam aliquid, quo melius tibi ſeruire poſſim, atque hoc modo debet quicunque Chriſtianus in qualibet arte q̃ addiſcit, & in quolibet corporali, & humano exercitio ſe gerere. Sic D. Pau. ad Corint. ſcribens nos admonet dicens. Omnia in gloriam Dei facite. Quod ſi hæc omnia hoc modo Deo offerimus apud eum mereamur, & ipſa nihilominus utilitas quæ ex hoc educitur etiam apud nos remanet, & in domos noſtras reuertitur, ſicut Hebręi primogenita reducebant. Oportet tamen, ne in hoc negligentia aliqua oſtẽdatur, nam etiam hæc primogenita redimenda ſunt. [*Quiero dezir que deſtos vueſtros offi ios, de vueſtros contratos y negocios, ya que dellos os aprouechays, aueys de dar a Dios reſcate por ellos.*] Hinc oriuntur fructuũ decimæ, pauperum eleemoſynæ, atque alia pietatis opera, quibus huic obligationi ſatisfacimus. Alia ſunt primogenita, quæ interficienda quidem ſunt, & nec Deo ſunt danda, nec apud uos retinenda. Primogenita canis, & aſini ſunt principia prauarum intentionum, & malorum operum; & ſic hæc brutalia principia ſtatim, ut naſcuntur interficere debetis, illa enim nec Deo, nec uobis proſunt: nam Deo offenſiones ſunt, uobis autem mors, atque damnatio. Vnde regius Propheta inquit. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram.

1. ad Co. 10

IN-

INVESTIGATIO DEI

Cant.6.

QVO abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierũ, quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecũ? Hæc uerba dixerunt ſponſæ adoleſcentulæ in Canticis. Quibus ſponſa reſpondit. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum; ut paſcatur in hortis; & lilia colligat.

Hiere.23.

Loquens Hieremias Propheta nomine huius diuini ſponſi inquit. Cœlum, & terram ego impleo. Quæ cum ita ſint magnopere mirandum eſt, quòd ſponſa docet præſenti carmine, quia cũ ſpõſus omnia penetret, ubique ſit, omnia impleat: interdum tamen deſcendit in hortum ſuum ad areolas aromatum ut colligat lilia. In ſponſo quidem uiuimus, mouemur, & ſumus: ipſe tamen non omnes inhabitat, ſed illos tãtum,

1.Cor.6.

de quibus B. Paulus inquit. Neſcitis, quoniam corpora ueſtra templũ ſunt Spiritus ſancti? Vbique eſt ſponſus per diuinitatis præſentiam, ſed peculiariter in horto ſuo, uel in areolis aromatũ vbi lilia colligit, hoc eſt, pijs & ſanctis animis, qui optimis cogitatis, animiq; receſſibus hortum amœniſſimum ſpõſo conſerunt, & areolas efficiunt boni odoris per uirtutum opera, quæ etiam lilia flagrantiſſima appellantur. Quo fit, ut quoniam is propriè ſit ſponſi locus, quem ille libenter inhabitat, in oratione Dominica à Chriſto Ieſu Redẽ-

Mat.6.

ptore noſtro iſtructi, & docti dicamus. Pater noſter, qui es in cœlis. Nam licet ubique ſit, ſed eo, quòd eius inhabitatio in animabus per gratiam iuſtificantem, & charitatem fiat, oramus. Pater noſter, qui es in cœlis, hoc eſt, in mentibus iuſtorum. Nam ſanctorum animi templum ſunt ſponſi, & quaſi hortus amœniſſimus lilijs flagrans, & tanquam areola ſelectorum odoratorum. Quid vero cenſendum de cœleſtibus illis fœliciſſimis? Quid de ſpiritibus mole carne exutis? Itaq; ſponſi locus pius aĩus eſt, & intra pectus fidele ſemper ille eſt quærẽdus, & inueſtigãdus: intra nos ipſos quærendus eſt ille. Nã niſi in nobis ſit, niſi in noſtros animos, quaſi in hortum deſcendat, extra nos ipſos quærẽdus non eſt, nec alibi inueniri poteſt. Quo fit, ut quoniam ſponſa quodammodo ſentire iam redinte gratum amorem inter illam, & ſponſum probabilique coniectura arbitraretur ſponſum ſe habere intra pectus, aut de ſe ipſa, aut de quocunque pio animo iuſto, & ſanto inquit. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, &c. Quaſi is verè ſit locus ſponſi, hoc ſit proprium illius domicilium, quod ille libenter inhabitat. Fidelium autem pectora, & ſanctorum animos hortos appellat, & areola aromatum. Primo ut intelligas, quantopere oblectetur Sponſus locis iſtis, & iſto domicilio, in quo ſemper quærendus eſt ille, & inueſtigandus; nemo enim ignorat quàm libenter homines cauſa animum relaxandi in huiuſmodi loca deſcendant, ut oculos paſcant, & oblectent, & reficiant animos: quam libenter iſtis in locis commorentur. Non ſecus ſponſus fidelium virtutibus, pijs ſtudijs, pietatis operibus oblectatur, & quaſi animum paſcit, & recreat. Deſcendit autem, ut lilia colligat. Nam quemadmodum hi, qui locis amœniſſimis, & hortis varijs arborum generibus cõſitis lilijs, alijſque odoratis roſas decerpunt, & colligunt illarum odore delectati: eadem opera ſponſus iſtis in locis, ubi ille quærendus eſt, lilia colligit, & odoratorum flagrantia delectatur: colligit enim lilia, quia ſingula piorum animorum cogitata, ſanctos affectus, opera pietatis, tanquam lilia pretioſiſſima de-

decepit, ut naribus admoueat. Nullū eſt enim pietatis opus, nullus cogitatus noſtræ menti abſtruſus, & reconditus, nullum eſt lilium, nullus eſt flos tam exiguus, quem ille manibus non attrectet, quem oculis non conſpiciat, quem naribus non admoueat. Nam cum ſit ille futurus ſeuerus iudex noſtrorum operum, fit neceſſario, vt odorum cuiuſque floris, & lilij diligenter conſideret, expendatque, & probè teneat noſtrarū mentium occultiſſimos cogitatus, & qoæcunque opera ab hominibus fiunt, ſiue publica, ſiue priuata. Chriſtus magiſter vitæ quoniã ſponſus Deus magnopere delectatur in his locis, & ſingulos flores, & lilia pertentat, conſuluit aliquando cum aliquis noſtrum optimis operibus vacaret orationi, eleemoſynæ, ieiunio, hæc fierent in abſcondito, & in ſeceſſu. *Mat. 6.* Nã pater (inquit) tuus cum viderit in abſcōdito reddet tibi. Itaque ſingulos, ſingulaque lilia huius horti habet ſpōſus in numerato. Quis (ſi humano iudicio rem expenderet) arbitraretur potum aquæ opportunè ſitiēti proximo impenſum florem eſſe, ſiue lilium dignum, quòd ab ſponſo colligeretur, quòd admoueretur naribus? tamen ſponſus huic operi, exiguoque flori minutiſſimo lilio ampliſſimum pollicetur præmium, nempè fœlicitatem æternam, quæ nunquam ſit interitura? Concludimus ergo, ſponſum extra hortos iſtos inueſtigandum non eſſe. Nam ille vltra hoc, quod non diuagatur per ſyluas, & ſaxoſa, atque ſenticoſa loca corporeus non eſt, nec ſenſibus exterioribus quærendus: nullis enim circumſcribitur locis. Si inter nos ipſos non inueniatur, fruſtra extra nos illū inueſtigamus.

Inueſtigatio Dei multiplex.

MAximè obſeruandum eſt, nelle Deum optimum maximum, ut omnibus modis, ac uijs poſſibilibus in cœlum aſcendamus alij eum quærētes alij ipſum ementes: alij autem ipſum furantes Deum quærunt, & inueniunt per amorem illi, qui pœnitentes ſunt; alij uero ipſum inueniunt, non quærēdo, ſicut D. Paulus, & Samaritana fecerunt. Plurimi denique ſunt, [*que ſin penſar en Dios ſe les viene al penſamiento, y ſe conuierten*] Qui illum emunt ſunt pij, ac miſericordes ſuis eleemoſynis; qui uero ipſum furantur, ſunt uelut mulier illa, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, & omnes opes, ac diuitias ſuas mendicis diſtribuendo conſumpſerat, & intra ſe dicebat: Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius ſalua ero; & ſic furtim, ac ſenſim per illam multitudinem rumpens acceſſit ad Dominum quem tangens remedium ſuæ ægritudini comperiit. Alij per uim ad Deum pergunt, quales ſunt pauperes, & ægroti, quos ſæpenumero paupertas ipſa, & ægritudo bonos eſſe facit: per uim dico quoniam ſi ægritudo, aut paupertas non interueniſſet, ipſi in peccatis ſuis, ac ſceleribus permanerent.

INVIDIA.

Iob 5. PAruulum occidit inuidia, dicitur in libro Iob. Nõ potuit aut ſapiẽtius, aut elegantius inuidorum ingeniũ exprimi, quã paruuli appellatione: proprium enim eſt eorum, quibus adhuc non licet per rationis uſum maiori bus reſiſtere, cæteris paruulis inuidere tum ueſtes, tum calceos, tum ſtrigmata ipſa, & nuces, præterea quidquid ætate habetur pretioſiſſimum. Et ut hanc loquendi proprietatẽ magis explicemus, iure inuidus paruulus appellatur. Naſcitur enim hęc peſtis à quadam animi demiſſione, & pectoris anguſtia, & exiguitate: nam qui hoc uitio laborant cũ aliorum florentem fortunam conſpiciunt, quidquid fęlicitatis alijs accidit, ſibi adeptum putant, quod exigui animi eſt. Inuidus ergo ſibi teſtimonium præbet, minorem ſe eſſe eo, cuius inuidia torquetur. His inuidiæ faſcibus per- *Gen. 4.* motus, & quaſi furijs exagitatus Cain inuidebat fratri Abel Dei amicitiã declaratam igne cęlitus eiaculato. Ideoq; merito de inuidia inquit Salomon ſe- *Prou. 27.* cundùm originalem Hebræum. Crudelitas iræ, & inundantiſſima furoris, & quis ſtabit ante inuidiam? Ira crudelis eſt, rabidus furor, malitioſa inuidia. Ira eſt uelutifera famelica, furor tanquam inundatio magna: at inuidia eſt rerum publicarum euerſio, & mors totius pacis. De hac elegantiſſime ait Gregorius Nazian. eſſe peccatum iniuſtiſſimum, & iuſtiſſimum. Iniuſtiſſimum, quia aduerſus ſanctos, ac perfectos uiros bellum infert atrociſſimum: Iuſtiſſimum, quoniam magis torquet inui- *Simile.* dum, quam eum, cui inuidet, & de ipſo ultionem ſumit. Filij uiperarum corrodunt uiſcera matris ſuę, quæ ipſos genuit, & à uentre ipſius ilia rupentes exeunt in lucem. Sic inuidia uiſcera illius animæ, quæ ipſam concipit corrodit, & illam amaritudine, ac triſtitia implet, & contorquet. Vnde etiam B. Grego. in Mora. ait. Quamuis per omne uitium, quod perpetratur humano cordi antiqui hoſtis uirus infunditur: in hac tamen nequitia, ideſt inuidia tota ſua uiſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem uomit.

Inuidus ſignatur per Heli, de quo dicitur, non poſſe uidere lucernam Do- *1. Reg. 3.* mini, antequam extingueretur. Lucerna accenſa lucet, extincta uero fœtet. Per lucernam accenſam ſignificatur iuſtus. Atque ita de beato Ioanne Baptiſta Chriſtus R. N. dixit. Ille erat lucer- *Ioan. 5.* na ardens, & lucens. Lucerna mortua, & quæ fœtet, eſt peccator. Inuidus ergo iuſtos abſq; amaritudine cordis ſui coram ſe uidere non poteſt, libenter autem cũ improbis, qui ipſi ſimiles ſunt, conuerſatur.

B. Cyprianus ſermone de zelo, & liuore inquit. Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro: in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo: & prædoni rapacitatem ſtatuit poſſeſſa præda: & falſario modum imponit impleta fallacia: zelus, hoc eſt, inuidia, terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum eſt: quantoque ille, cui inuidetur ſucceſſu meliore profecerit, tãtum inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit.

Inuidia à ſanctis Doctoribus deteſtatur.

BEatus Baſilius homilia de inuidia ait. Quemadmodum ſagittæ magna vi emiſſæ, ſi in durum aliquid, ac re-

reſpuens inciderint, in emittentem fa‑cile redeunt. Sic inuidia proximis triſtitiam nequaquam affert, tantum inuidenti officit. Sed qui morbo huiuſce modi ſunt affecti, longe peiores venenatis iaculis exiſtimantur, quod illæ per plagas virus inferunt, atq; nocent, & paulatim, quod infeſtum eſt, depaſcuntur. At inuidos exiſtimant nonnulli non ſolum rebus alijs, ſed oculis etiam officere, incommodaque afferre; Vnde, & corpora pubeſcentium, aliorum ve ætate, formaque florentium proſperam habitudinem inficiunt, atque debilitant; ſtatim vt ex eorum luminibus pernicie quadam defluente ac contaminante, videas cuncta membra pulchra in ſiccitatem, ac ualetudinem venire. Idem ſanctus Doctor ibidem inquit. Apud inuidos nec actio ſecundum virtutem vlla eſt; hoc eſt, Inuidi virtutem non æſtimant, ſed vilipendunt. Sic etiam vultures per multa etiam amœna, & odorata loca circumuolantes ad tabida, & fœtulenta loca feruntur: muſcæ quoque ſalubre ſi quid offendunt, prætereunt, ad vlcera vero properant. Sic & inuidæ uitæ ſplendorem, ac rerum bene geſtarum magnitudinem minimè quidem reſpiciunt: mãca vero, & fragilia, & ſi quid erratum tantum obſeruant, hæc diuulgant, & per hæc tantum homines cognoſci uolunt. Quemadmodum maligni pictores, qui hominis imaginem, vel ex contorta nare, aut membri cuiuſdam mutilatione natura, ſeu caſu inſita corpori effingunt, notabilemque reddunt.

Simile.

Simile.

Idem libro de vera virginitate ait. Imagines ex cera confectæ quæ quandiu eas nocturnæ continent tenebræ ſolidam, & fortem effigiem præ ſe ferũt: at vero iam rutilante ſole, itinerisque ſui curſum peragente, quando cætera virtute illius nutriuntur, luceque fruunt, liqueſactæ illæ & formam vna, & figuras, & habitus amittunt, confuſiſque omnibus vaneſcunt, & liqueſiunt. Ita ferè, & inuidi quandiu ſub diaboli tenebris, veluti in nocte ad inuidiæ cõſultant opera, ſolidas interim cogitationes, & figuras, & formas ſicut ab inuidia formatæ ſunt ſibi inuicem videntur oſtendere. Vbi vero ſtudioſus quiſque & induſtrius ad uirtutis opera ſolis inſtar matutini effulſerit, cæteri quidem virtutum vitam, Deoque placitam, & gratiam, & conuerſationem admirantur, atque amoris intimi agnitionem ab eo illuſtrati uirtutis nutriunt ſemina: qui vero inuidia tabeſcit, illum in modum ſolis inuictum, Deoque clariſſimum, ac virtutibus ſplendentem cernentes, & magiſque conſpiciunt, tanquam certe imagines & corporum formis, & animis inuidiæ plenis repente liqueſcunt, atque deficiunt.

Simile.

Beatus Chryſoſtomus in quadã homilia inquit. Inuidi feris ſæuiores ſunt: illæ enim fame impulſæ quem non appetunt? hi beneficos nonnunquam inimicorum loco habent: feris inquam ſæuiores, dæmonibus pares, & fortaſſe iniquiores: ipſi nanque nos nullo amicitiæ fœdere hoſtiliter perſequuntur, ſuo autem generi minimè inſidiantur. homines uero nec naturæ ſuæ participes reueriti, eos infeſto animo impetunt, atque ſeipſos prius, quam quibus inuident, ſupplicio afficiunt, animumque perturbationibus temere cruciant. Idcirco omnis uenia inuido deſperanda eſt: nam ſcortator uoluptatis ſtimulos in excuſationem affert, fur paupertatẽ, homicida furorem: ille vero quam excuſationem affert? Nullam profecto, niſi animi prauitatem, atque malitiã.

B. Chry homil 44 ad pop. Anti.

Quemadmodum tinea nõ naſcitur in Cedro arbore odorifera, cuius ligna cariem non ſentiunt: ſic inuidia non gignitur in corde hominis ſapientis, ſed ſcelerati, qui aliorum bonis mœrore afficitur triſtior ijs, qui in triphonij antrum deſcendebant Zoylum inuidentia ſuperans, illis maximè inuidens, quos ſe relicto uidet euolare.

Simile.

Plutarchus in Moralibus ait. Vt feris bellum

Simile.

bellum eſt cum ijs,quę ijſdem aluntur, & cum cæteris pacem agũt: ſic inuidia, & emulatio inter eiuſdem artis profeſſores, nam pugil cum curſore conuenit.

Idem ibidem ait.Vt uincti beatos iudicant ſolutos: ſoluti liberos, liberi ciues: hi rurſum diuites, hi Satrapas, Satrapæ Reges,Reges Deos tonare propemodum,ac fulgurare cupientes.Sic qui ſemper expendit quanto ſit alijs inferior, nunquam ſua contentus eſt ſorte.

Idem ibidem. Vbi nullum lumen, ibi nulla umbra: ita ubi nulla fœlicitas,ibi nulla inuidia.

Prou. 14. Putredo oſſium, inuidia dicitur in Prouerbijs.Vt ueſtis putrefacta non recipit ablutionem: ſic anima corruptione inuidiæ putrida non facile abluitur, quin potius quò amplius creſcit aliorum gloria, eo magis ipſa corrumpitur, & reprobatur.

Inuidia maximum tormentum.

Ad Hebr. 17. BEatus Apoſtolus Paulus in epiſtola quam ad Hebręos ſcribit ſub nomine Hebræorũ, omnes fideles ſic hortatur. Contemplantes, ne qua radix amaritudinis surſum germinans impediat, ſcilicet,pacem,& charitatem. Vbi maximè perpendendum eſt, ſanctũ Apoſtolum cogitationes inuidię uocare radicem amaritudinis propter tormentum,quod inuidi patiuntur,de quibus *Horat. in epiſt.* Horatius dixit. Inuidus alterius macreſcit rebus opimis. Inuidia Siculi nõ inuenere tyranni,Tormentum maius. Tantum torquet inuidia, ut tyranni Siciliæ maius tormentum illa, non potuerint inuenire (ait hic Poeta.) De quorum numero fuit Dionyſius Syracuſanus, qui poſtquàm uaria tormentorum genera excogitauit (inter quæ unum fuit, quòd uiuos homines in taurum æneum includebat,&igne admoto ipſos ibi crudeliſſimè uexabat, qui uehementi dolore calore ignis cruciati, uelut tauri, mugitus edebant) poſtquàm,inquam, hoc nequiſſimum tormentum excogitauit, rurſus ſtudere cępit an aliud in toto terrarum orbe maius eſſet,qui omni cura, ſtudio,ac diligentia adhibita, tãdem inuenit omnia tormenta morte breuiſſimè finem habere, & tunc dixit. Quæramus unum tormenti genus, quo homines non ſolum diu affligantur,& vexentur, ſed ẽt paulatim pereant, & conſummantur, nihil autem hoc præter inuidiam præſtare poſſe reperio. Cum uero de quodam homine,cuius quondam familiari amicitia utebatur, ultionem ſumere uellet,decreuit omnes ſeruos, ac domeſticos ſuos maximis muneribus, & beneficijs exornare,hunc autem illis omnibus priuari,ut ita multo tempore miſer inuidia affligeretur, & ſic hic infœlix tyrannus ſuum finem, & inuentionem aſſecutus eſt. Et ideo Poeta dixit. Inuidia Siculi non inuenere tyranni, Tormentum manus. Peius igitur, & quod magis torquet,eſt tormẽtum inuidiæ, quàm ignis: nam tormentum ignis ad plurimum per ſpacium unius quadrantis horæ, uel etiam minus durare poteſt:tormentum autem inuidiæ toto uitæ tempore perſeuerat. Merito ergo S. Apoſt. inuidiam appellat amaritndinis radicem propter afflictionẽ magnam, quæ in anima inuidi operatur,&propter differentiam,qua ab alijs peccatis differt, ex quib. homo aliquã in animo ſenſualem accipit uoluptatẽ, uelut ex luxuria, gula, ira, accidia,&c. At uero ex inuidia nullus ſenſualis fructus, immo magna ſpiritus afflictio educitur,&decerpitur,quin potius ex ipſa ingens oritur diſcordiæ materia, & ideo D.Paulus ait. Ne qua radix amaritudinis impediat, ſcilicet pacem, & per illam,hoc eſt, per diſcordiam multi coinquinentur.

Bona exempla, quæ iuſtos ad bene *Plu. in moralib.* operandum mouent inuidos diſcruciant. Vnde Plutarchus in Moralib.ait: *Simile.* at tygrides, ſi quis tympanis circunſonet,in rabiem agi dicuntur, adeò ut ſe

ipſas

ipſas denique dicerpent: ita, ea quæ bonas mentes compeſcunt, feras, & agreſtes irritant, & efferant: atque quoſdā offendit, quòd alijs addit animum, quod etiam in muſica uidemus.

Inuidia malum pertinax.

Pſal. 7. LAchrymabile eſt, uidere perſeuerantiam, quam uiuidi in ſua malitiam habent, ut ille peſſimus Saul, de quo Sanctus Dauid inquit. Ecce parturit iniuſtiā concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Libeat, obſecro, ordinem iſtorum uerborum in verſum ſic ſeruare: Ecce concepit dolorem, parturit iniuſtiam, & peperit iniquitatem: prius enim eſt concipere, quàm parturire. Vnde beatus Hieronymus ſic uertit. Ecce parturit, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Impius ergo poſtquàm dolorem concepit, & afflictionem de alieno bono parturit, deinde & meditatur contra eos, quibus inuidet, atque malitioſe indignatur, iniuſtitiam: quam tandem in operis effectum, quantum in ipſo eſt, deducens, ueluti parit.

Iuſt. li. 12 Iuſtinus in libro hiſtoriarum ſuarum inquit, quòd Alexandro conuiuium quoddam celebrante cum cœpiſſent omnium animi mero incalere, eorum etiam mox lingua ſoluta eſt, atque ultro citroque uarijs ſermonibus habitis bonam diei partem conſumpſerunt. Cum autem uiderent conuiuæ Alexandrum ipſum capi uel maximè auidiſſimumque eſſe laudis, orſi ſunt de patre primum dicere, atque Philippi ipſius præclara facta in cælū tollere. Alij mox de Alexandro ante eiuſdem os non minori aſſentatione quàm laude dicere etiam cœperunt. Quamobrem cum placere omnes uiderent ipſi Alexandro, immo hinc iuuare eorum ſermones, uiciſſimque de ſe dicere: ſtatim facta eſt quoque comparatio inter res geſtas Philipi patris, & Alexandri filij, omneſque blanda aſſentatione cœperunt demulcere Alexandri aures, præferentes omnino eius facta patris ſui geſtis, eaque præclariora eſſe iudicantes. A quorum ſententijs cum unicus tantum diſſenſiſſet, iuſſus eſt ſtatim ab Alexandro interfici: tanta eſt aſſentationis pernicies & peſtis, ubi ſemel animos hominum occupauerit, & tanta eſt etiam, & tam dira inuidia, quæ in cordibus maximè magnatum uiget. De ipſo etiam Alexandro refert idem Iuſtinus eodem libro, quòd cum audiſſet ex quodam Parmænio duce ſuo laudes prædicari Philippi patris ſui, tanta fuerit inuidia percitus, uel in patrem ipſum, ut ſtatim, non ſolum ducem, ſed etiam eius liberos iuberet interfici.

Beatus Auguſtinus ſermone ad fratres in eremo inquit: Attendite fratres, quòd ille inuidus eſt, qui alienum bonum ſuum facit, & ſi facere non poteſt, clamat per uicos, & plateas, & ueluti canis latrat, & ardet, ſed primo ſe ipſum mordet, & quidē occidit. Quid enim agit phœnix, niſi quia dum ſeneſcit ad partes calidiſſimas uolat, ligna ſicciſſima congregatis, alis ligna percutit, & ſic ignem accendit, & in eodem loco ſe comburit permittit: ex quibus cineribus uermiculus naſcitur, & poſtmodum phœnix alia efficitur: ſic & inuidus agit cūctis diebus uitæ ſuæ, intus, & extra ſeipſum comburens ſeipſum primo infeſtans, ſeipſum primo uulnerans, & uexans. *B. Aug. ſermo. 18. ad fratres in eremo.*

Inter omnes labores, quos antiquitas tribuit Herculi, nullus fuit maior illo, quem ſubibit aduerſus Hydram. Erat enim Hydra (ut antiqui ſcriptores fictis fabulis prodiderunt) ſerpens quidam multorum capitum in Lerna palude viuens, qui ob id inuictus dicebatur, quia pro uno capite exciſo multa ei capita continuo renaſcebantur. Per Herculem igitur idæam uirtutis intelligebant. Quam ob cauſā aiebant, eum magnos ſubijſſe labores, & terribilibus certaminibus expoſitū

ſuiſſe,

ſuiſſe, quia uirtus magnas habet in hac uita ab impijs aduerſus ſeipſam contradictiones, accumulant nanque omnes impij contra eam ſuarum detractionũ acerbos, & in illam inuehuntur. Sed præcipua aduerſus uirtutem contradictio eſt inuidia per Hydram ſignificata, quæ ideo fingitur paluſtris, & è cœno ſordido pullulare, quod non niſi abiecto, & polluto animo reperiatur. Et quoniam inuidus ſi eum in uno cõuincas, & rebus addicas neceſſarijs, iterum inuidet, & ex uictoria, quam de illo reportaſti, alia atque alia illi oritur inuidia: dixerunt ideo ueteres parum prodeſſe capita hidræ ſecare, cum ei alia confeſtim orirentur. Veruntamen qui in uirtutis ſtudium toto pectore incumbunt, non debent cadere animo, cum ſe uiderint inuidorum pondere premi. Si enim Chriſtus Ieſus agnus ſine macula contradictionem ſuſtinuit & ut de eo dicit iuſtus Simeon, poſitus *Luc. 2.* eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur: quid mirum eſt, eos, qui ei adhærent, à mundo contradictiones ſubire?

BEATI IOANNIS

Baptiſtæ encomia.

QVIDEM chariſſimi uehementer ſtupeo de hoc egregio uiro ſermonem habere, quem tantopere Rex regum Chriſtus Ieſus ſic euexit, ſic mirabiliter ore ſuo ſacro encomia eius deprompſit. Quid, obſecro, homuntio, ne dicam vermiculus humi reptans de tam præclaro iuſto fari poſſit, vbi filius Dei uerbum æterni patris eius excellentias non curſim, aut breui methodo, ſed longo ſermone narrauit? Inter natos mulierum, (inquit Dominus) non ſurrexit maior Ioanne Bapti-
Mat. 11. ſta. Quid vnquam glorioſius, præcellentiusve de beato Ioanne dici poteſt? Vnde iure optimo B. Hiero. reſpondẽs duodecim quæſtionibus, quas mulier ſancta Algaſia ei propoſuit, in prima reſponſione ſic ait. Cumque inter natos mulierum Chriſtus nullum aſſerat Ioanne ſurrexiſſe maiorem, ſe, qui de virgine procreatus eſt, maiorem eſſe commemorat. Siue omnem angelum in cœlis, qui minimus eſt, in terris cunctos homines anteire. Itaque qui maiorem Ioanne inuenire cupit, uel angelum in cœlo quærat, uel in terra Chriſtum Ieſum angelorum Dominum intueatur. En fratres quam ſit magnus uir iſte, de quo ſolemne feſtum hodie celebramus, de cuius natiuitate orthodoxi mirum in modum exultant, quin & infideles Sarraceni huius lætitiæ expertes non ſunt. Faxit Deus optimus maximus, ut in hac celebritate ſpiritali gaudio affecti aliquid de ingenti ſanctitate huius præcurſoris per imitationẽ participemus. Sacra euangelij lectio ſic habet. Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Mirum re uera, quam ad amuſſim ſacri euangeliſtæ beati Ioannis deſcribant tum natiuitatem, tum circunciſionem, nomen, habitationem in eremo ſcalenti, uictũ, & ueſtitum, denique prædicationem eius, & mortem. Quæ quidem omnia non niſi ſpiritus Domini afflati tã exactè euangeliſtæ dictarunt. Equidem eoſdem habuit Chroniſtas glorioſus Baptiſta, quos, & Saluator mundi habere dignatus eſt, id quod non parum cumulum gloriæ, & laudis ſancti huius adau-

adauget. Ait ergo beatus Lucas. Eliſabet impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium, vnde certam fidem pueri ortus fecit oraculo diuino, paranimpho Gabriele dicente Zachariæ: uxor tua pariet tibi filium. Tam ſunt vera, & infallibilia ſummi numinis promiſſa, vt cœlum & terra, quæ in æternum ſtant, tranſeant, verba autem Dei deficere non poſſint. Vnde Dominus ipſe ait; Quæ procedunt de labijs meis nõ faciam irrita. Vtinam talem, ac tantum parentem nos filij imitaremur, fidelitatem, quã in ſacro baptiſmo Christo Domino promiſimus in operibus ſanctis ſeruandis non toties frangeremus. Sed væ nobis, qui vt poſteri Adæ ſerpenti fallaci credimus, mũdi iniqui promiſſiones vltro amplectimur, Regis uero noſtri Ieſu Chriſti mandata, & promiſſa poſthabentes. Vnde exclamat regalis Propheta, & quidem merito. Filij hominum, vſquequo graui corde? Vt quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Hebraicè autem habetur filij viri. Sic appellare ſolent Hebræi homines claros, atque inſignes. Vanitatem, ac mendacium, conatus irritos, & inanes uocat, quibus fruſtra impij aſſiduè excrucian tur. Fallunt planè eos cogitationes illorum & paſſim ſeducunt. Vſquequo ergo piger dormis (vt in Prouerbijs dicitur) vſquequo dormitabis? Paululum dormies, paululum dormitabis. Mendacium dimitte, & veritatem ſectare. Mandata Dei imple, & pollicitationibus eius fidens eſto. En quod Zachariæ ſpopondit Deus compleuit, quamuis Eliſabeth ſterilis, & annoſa erat. Quandoquidem opes, volup tates, & honores mundi uani ſunt, & amatoribus ſuis mentiuntur, non eis fidamus. Et factum eſt in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariã. Contendebant cognati, vt puer Zacharias appellaretur, quo memoria patris in filio remaneret. Talis eſt hominum genus, & natura, talem affectum inſeuit

Pſ. 88. *Pſ. 4.* *Prouer. 6.*

animis eorum, vt memoriam ſui relinquat, quamuis mortales ſe agnoſcant. Celebremus nomen noſtrum (aiebant homines illi poſt diluuium) antequam diuidamur in vniuerſas terras. Ideo Dominus linguas eorum diuiſit, & ſic confuſi ab ædificatione ceſſauerunt. O ſuperbiam filiorum Adæ, audite vel improbos viros quid dicant? Nomen noſtrum obliuionem accipiet per tẽpus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Et in Pſalmo. Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. Quærite ergo nomen, & memoriam, non in mundo lubenti, ſed in cęlis, ubi nomina electorum conſcripta ſunt. Nam in memoria æterna erit iuſtus, & ab auditione mala non timebit. O quot labores, quot pericula Rex Alexander pertulit, quatenus memoriam ſui in hoc ſæculo relinqueret? Idque Romanis contingit in tot partis uictorijs. Veruntamen fruſtra labores, & impenſam conſumpſerunt, funditus deleta eſt memoria eorum. Et quid prodeſſet, ſi memoria eorum in mundo permanſiſſet, cum ipſi omnes in inferno æternaliter crucientur? Veruntamen comminatio illa adimpleta eſt. Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum. Pulchrè tamen uir iuſtus Iob de ſuperbis inquit. Memoria veſtra comparata eſt cineri, & redigentur in lutum ceruices. Quæ omnia ſancta Eliſabeth numine afflata diuino apprime intelligens, viriliter obſiſtens cognatis dixit. Nequaquam Zacharias uocabitur filius meus, ſed Ioannes. Quaſi diceret: nouus homo eſt miſſus à Deo, nouum arcanum mundo nunciaturus, nouo ergo nomine appellandus uenit. Notat hic beatus Ambroſius, quod venerabilis Eliſabeth per prophetiam dixit, quod non dedicerat à marito, qui ob incredulitatem ſuam, non modo affatu, ſed auditu orbatus eſt, Gabriele afferente. Eris mutus, & non poteris loqui, donec hęc omnia fiant. Vos ergo fratres verbis Dei credite, & in-

Gen. 11. *Sapient. 2.* *Pſ. 72.* *Pſ. 111.* *Deut. 32.* *Iob. 13.* *Luce. 1.*

ineunctanter ſententiæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ acquieſcite, vt loqui valeatis magnalia Dei. Credidi (ait David) propter quod locutus ſum. Verum cauſalis illa dictio, propter quod, magnam emphaſim habet. Non dubito quod tam infideles, quam hæretici muti ſunt, & linguæ vſum habere nequibunt, quandiu fidem non habuerint. Mira res, non cognati decreto ſanctæ mulieris conſentiunt, ſed adhuc inſtant dicentes. Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum, & poſtulans pugillarem ſcripſit dicens. Ioannes eſt nomē eius. Et mirati ſunt vniuerſi. Videtis quomodo auditu etiam priuatus fuerit, alioquin non nutibus ei loquerentur de re dubia interrogantes cognati. Hic magnopere notandum eſt, potiſſimè apud religioſos, quod vates mutus exiſtens, vocem Domini, hoc eſt Ioannem generauit. Vt ſignificaretur, quam ſit frugiferum, atque proficuum ſilentiū maximè monachis. Verum qui à colloquio humano non abſtinet, cum Domino multum loqui non poteſt. Quo attinet illud Iſaiæ. In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra. Vnumquodque verbum iſtorum ſuum habet pondus, & annotatu digniſſimum eſt. Tacente vtique lingua mens fortior fit. Et altius volat orationi vacans. Hinc ſpes ſuboritur ſancta, qua mirum in modū cor noſtrum roboratur. O mira ſilentij virtus, in qua victoria noſtra, & fortitudo ſita eſt. Sabbato diſcipuli ſiluerunt teſte beato Luca. Nam Sabbathum delicatum, & feſtiuus dies pacis noſtræ, tempore ſilentij celebratur. O fratres mei quas delitias Deus optimus largitur eis, qui linguam ſuam omni ſolertia cuſtodiunt. Bonum eſt ergo cum ſilentio prǣſtolari ſalutare Dei. Et poſtulans Zacharias pugillarē, hoc eſt, tabellas pugillares, vt literis indicaret, quod lingua nō valebat, ſcripſit dicens. Ioannes eſt nomen eius. Equidem Ioannes gratia Dei, vel gratioſus, auctore beato Chryſoſtomo, interpretatur. Et rectè à gratia nomen ſortitur, qui fontem gratiarum omnium oſtenſurus venerat, adeò vt in ripa Iordanis voce magna, grandique affectu tonaret. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Itaque accommodatum nomen ei datum eſt, non ab hominibus, ſed à Deo. Et mirati ſunt vniuerſi, inquit ſacer textus. Mirantur omnes, tum ex nouitate nominis, tum ex mutua concordia parentum. O quantum admirationis conciliat vnitas, & pax coniugatorum. Quantum horroris adfert litigium, & contentio inter eos, quos Dominus coniungit. Oraculum ſapientis attentius audiamus ait enim. In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quę ſunt probata, corā Deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, vir, & mulier ſibi bene conſentientes. Singula proculdubio ſingularem energiam habent, & latiſſimus campus concionatori patet. Nobis uero nō vacat cuncta proſequi: unum tantum admoneo, ſcilicet, quod Litera, M. titulo matrimonium, multa ad hoc inuenientur, vt uxorati admoneantur, vt ſibi bene conſentiant maximè oportere, ne honorabile connubiū ad iudicium eis ſit. Sic enim imitatores erunt Zacharię, & Eliſabeth, qui incedebant in mandatis Dei, ſine querela uiuentes, ut pulchrè beatus Lucas narrat, eam ob rem bene ſibi conſentiebāt, & in ijs, quæ grata erant Deo non diſſidebant. Admirantur hęc intuentes, perinde ac de re noua, & ſtuporis digna. Vt autem Zacharias ſcripſit nomen Ioannis apertum eſt os eius illico (inquit ſacer textus) & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Obſeruate mecum, obſecro fratres, & altius expendite, quam fuerit Ioannes ſanctitate, & uirtute prǣditus, quando nomē eius tantam uim habuit, vt illo mortuis literis exarato patris lingua mirabiliter ſoluta eſt. Cæterum videtur mihi fides Zachariæ non diſſimilis fidei Thomæ, qui aliud uidit, & aliud credidit,

Pſ. 115.
Iſaiæ 30.
Lucæ 23.
Ioan. 1.
Eccl. 25.
Ad He. 13.

dit, hominem uidit, & tetigit, & Deum *Ioan. 20.* uerum mundi huius Saluatorem fore credidit. Quas ob res ſtupens exclamauit. Dominus meus, & Deus meus. Ad eundem modum Zacharias credens aliud uidit; quia puerum ſibi natum iuxta angeli vaticinium intuitus eſt, tamen quod eſſet futurus Chriſti propheta, & præco, ſpiritu Dei afflatus aſſeruit, & credidit: ideo Spiritu ſancto repletus clamauit. Et tu puer propheta altiſſimi uocaberis præibis enim ante faciem Domini parare uias eius. Loquebatur benedicens Deum: iuxta illud. Laudationem Domini loquetur os meum. O ſi ſemper loqueremur rectè, ſanctè, & magnalia Dei noſtri perſonantes pro tot beneficijs ſuſceptis ei gratias ageremus, virum ſanctum Zachariam imitantes. Niſi fallor ob id linguæ uſum à Domino accepimus, ut laudes innumeras creatori noſtro perſoluamus, ut peccata noſtra, quamlibet atrocia, confeſſori referemus, ut proximis ſalubria conſilia exhibeamus. Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc? Agite chariſſimi, & ſummopere contendite, habenas linguæ veſtræ nelaxetis, ne forſitan execratio illa in uobis locum habeat: lingua tua tota die con- *Pſ. 49.* cinnabat dolos. Mementote, obſecro fratres mei, illius infœlicis diuitis, qui cum totus gehennæ flammis ureretur, ſignanter de linguę cruciatu cõqueſtus aiebat: crucior in hac flamma, obſecro *Lucæ. 16.* pater Abraham, ut mittas Lazarum, qui, digito ſuo in aquam intincto, refrigeret linguam meam. Ecce plus tormenti patitur improbus in lingua, qua haud dubie plura patrarat ſcelera. Qui *Pſ. 36.* ergo vult vitam, & diligit dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo: & labia eius non loquantur dolum Notanter ait, coerceat linguam ſuam, eo quod niſi timoris Dei fræno eam quis cohibeat, ſicut leena vinculis confractis omnia dilacerat, atque deuorat. Loquebatur Zacharias benedicẽs Deũ quoniam Spiritus ſanctus in illo erat, cuius ope lingua gubernatur. Sequitur. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, &c. & poſuerunt oẽs, qui audierunt in corde ſuo dicentes. Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Grauis nõ mirum quæſtio inter vicinos, & cognatos ſanctæ Eliſabeth uerſatur, nec ab re, cum tam mira, tamque ſtupenda, & à ſæculo non audita, de puero benedicto Ioanne rumor hac, & illac ſpargebat. Anus ſterilis filium quem ediderat, lactabat: pater Zacharias alioquin mutus arcana Dei optimi vaticinatur, de Meſſia tandiu deſiderato fauſtiſſimum nũcium inſonat, & alia id genus noua per montana Iudęæ enarrantur. Quare iure ſtupeſcunt populi, & velut attoniti quærunt dicentes. Quis putas puer iſte erit? Tanquam ſi dicerent. Multa pręter morem videmus in natali huius infantis fieri. Quid uolunt ſibi tot prodigia, quibus puer initio ſignitur? Quis nam futurus eſt puer iſte? Quãdoquidem nemo prophetarum æque prodigioſe vitam hanc auſpicatus eſt. Verum ipſa rerum miracula palam indicant, hæc omnia geri ope diuina. Nec temere hæc ratiocinabantur, nam verè manus Dei ſummi comitabatur eum, *Simile.* & erat in puero, ac per eum in parentes ſe ſe exercebat, longè mirabiliora ſuo tempore proditura.

Cæterum vti in natalitio principis accerſiri ſolent ſapientes uiri, & literarum ſtudioſi, qui de infante nato futura coniecturi ualeant: qui inter vera quædam, multa falſa miſcere ſolent. *Lucæ. 1.* At nos ſapientiſſimos viros omni fide dignos uocabimus, qui veriſſima nobis de puero ſancto Ioanne recenſeant. Principio ergo Gabrielem archangelum accerſamus, qui Salomone ſapientior à Domino creatus eſt. Is, inquam, optimè depinxit Ioannis raras virtutes, & magnitudinis ſanctitatem uelut pinicillo deliniauit. Ait ergo Gabriel ſacerdoti Zachariæ miniſterio in templo fungenti. Vxor tua Eliſa-

Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Erit enim magnus coram Domino, &c. vſque parare Domino plebem perfectam. Egregia ſunt re uera, & cognitu digna, quæ in laudem Diui Ioannis hic cœleſtis nuntius enarrauit. Quę quidem uel ſola ſufficerent, ut pręcurſoris Domini tum ſanctimoniam, tum præclaram dignitatem omnes orthodoxi intelligant. Paulatim ea explanare incipiamus. Gabriel è cœlo mittitur, vt conceptionem, & natiuitatem tanti viri annuntiet. Quid quod idem nuncius qui præclariſſimæ uirgini fauſtiſſimum nuncium, & uniuerſo orbi ſtupendum attulit, is ipſe beati Ioannis natiuitatem lætabundam patri ſuo retulit? Quod teſte Bernardo, plurimum excellentiæ Ioannis confert. Millia millium miniſtrant Deo noſtro (ut ſanctus Daniel inquit) uerumtamen nullus miſſus eſt ad Zachariam, niſi Archangelus Gabriel. Vocabis nomen eius Ioannem. En ingens argumentum ſanctitatis huius pueri, dum non ab hominibus, ſed à Deo per angelum nomen eius pronuntiatur. Vbi aduertendum, quod nomina debent proprietatibus rerum reſponde-
Met ap. re. Hinc in Metaphyſica habetur: Ratio, quam ſignificat nomen, eſt diffinitio, quæ deſignat propriam rei naturam. Vnde liquet, quod nomina, quæ aliquibus diuinitus imponuntur, ſemper ſignificant aliquod gratuitum donum eis datum: ut in Abraham, & in Petro per-
Gene.17. ſpicuum eſt. Abrahæ dixit Domi-
Matt.16. nus appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te: Petro uero ait Saluator, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Hæc omnia docet beatus Thomas in ſua Theologia. Erit magnus coram Domi-
B. Tho.3. p.q.37.ar tic.2. no addidit Archangelus. Vidiſtis fratres, quam commodè datum eſt nomen nouum ei, qui doctorem legis nouæ Chriſtum erat oſtenſurus, & de eodem dicitur. Magnum hoc, & inæſtimabile elogium: erit magnus coram Domino. Enimuero parui refert, ut quis magnus ſit coram hominibus, quorum excellentia & magnitudo uana eſt, & caduca. Nonne omnis caro fænum (inquit Iſaias) & omnis gloria eius Iſai.40.
quaſi flos fæni? Quid fragilius, aut inanius fæno, aut flore eius? Hinc Alexander Magnus qui tot uictorias ingenti labore uendicauit, & Cæſar qui quinquies triumphauit, inſtar fœni areſcentes euanuerunt, & ferè eorum memoria extincta eſt, & perijt cum ſonitu. O miſeranda cæcitas? ò dementia uehementer deploranda? Amatores ſæculi hono- Pſ.9.
rem apud homines, qui vermiculi ſunt humi reptantes, ingenti labore quærunt, & in conſpectu altiſſimi gloriam ſuam habere non uolunt. Ioannes uero magnus fuit in ſpiritualibus: nam temporarijs rebus abundantia neminem efficit magnum coram Domino. Magnus fuit hic diuinus vir, uita, magnus officio, magnus denique doctrina. Magnus fuit uita, nam ſeptenis parentum delitias, & diuitias reliquit, & ſcalentem eremum adijt, cum Propheta decantans. Ecce elongaui fugiens, & manſi in Pſ.54.
ſolitudine: expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Agite chariſſimi, infantis ſanctiſſimi huius ueſtigia imitemur oportet, non lente aut tepidè mundum fallacem deſeramus, ſed feruido ſpiritu deſertum pœnitentiæ intremus, ne forte dum lento, aut teſtudineo gradu incedimus retro reſpiciamus, & (uti uxor Loth) ob inconſtantiam Gen.19.
noſtram in ſtatuam ſalis conuertamur. Mementote, ait Dominus, uxoris Loth. Illius ſimulacrum

ob

ob oculos veſtros verſate. Quare in ſolitudine moras trahebat Ioannes nunc aperit dicens. Expectabat quidem Chriſtum Ieſum in deſerto, qui ſaluum eũ fecerat à culpa originali, quæ quædam puſillanimitas eſt, & tempeſtas ſæua. Expectabat, inquam, donec manus Domini fieret ſuper eum, & ſpiritu diuino actus veniret in Iordanem prædicans regnum Dei, & digito oſtendens regnum Dei, & ſponſum Eccleſiæ. O quos cruciatus vigintique annis perpeſſus eſt Ioannes flammantiſſimo affectu cupiens videre Chriſtum Ieſum ſpecioſum forma præ filijs hominum. Cogitet qui poteſt, ego quidem attrociorem dolorem hunc credo, quam illum, quem paſſus eſt in vinculis, & in morte. Ratio quia fortis eſt vt mors dilectio, dura velut infernus æmulatio. Plus amor excruciat animum, quam gladius corpus. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, aiebat cum Dauide. Sed quamobrem? Quia dicitur mihi quotidie in hoc deſerto: vbi eſt Deus tuus? vbi Chriſtus amicus tuus? Vexabat eum eremus ſcalens, veſtis hirſuta, pilis camelorum contexta, cibus auſterus, & parcus, nempe locuſta, ſolis ardor, rigidus frigor. Sed hæc omnia delitiæ ab eo comparabantur expectatione uidendi ſaluatorẽ roboratus. Quid plura? Iacob videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, quem erga ſuam Rachelem habebat, quanto magis de beato Ioanne, qui ſummopere Saluatorem amabat, id dicere poterimus? Sed o nos miſeros, quam longe abſumus à pœnitentia præcurſoris nec in pueritia, nec in iuuentute, nec in ſenectute eam amplectimur: terrenis affectibus lora laxamus: futilibus rebus inhiamus, quæ æterna ſunt bona poſt habentes. Pudeat, pudeat nos, delicijs poſt hac vacare, vbi puerum delicatum ſeptennem in deſerto auſterrimam pœnitentiam agentem intuemur. O mirabilem eremitam? O puerum ſenes omnes ſuperantem: quod ſcelus patraſti? Quod piaculum commiſiſti, ſanctificatus antequam natus? Verum nos peccatores erudit, nos ſternentes, & dormientes excitat, vt quam ocyſſimè reſipiſcentes pœnitentiam agamus. Quam primo ipſe prædicauit opere, & deinde ſermone ſuaſit. Erat enim vt Aioth ambi dexter, potens opere, & ſermone. Vtinam tales haberemus in Eccleſia paſtores & prædicatores. Deinde fuit magnus officio ſicuti infra audiemus, vaticinium patris ſui exponẽtes. Fuit tandem magnus doctrina, adeò vt omnes ſtatus hominũ erudiret, milites, publicanos, Phariſæos, qui ad baptiſmum confluebant miro artificio docebat. Militibus aiebat. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis contenti eſtote ſtipendijs ueſtris. Publicani venientes rogabant eum. Magiſter quid faciemus? Quibus ipſe. Nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis. Turbæ interroganti dicebat. Qui habet duas tunicas det vnã non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat. O prudentiſſimum virum! o medicum cœleſtem, qui ſic vnicuiq; ægroto ſalutis monita dabat. Hoc quippe modo quam multos Chriſto lucrabatur. Vinum, & ſiceram non bibet. Qui ſe voto Deo aſtringebant in vetere lege vinum, & ſiceram bibere nequibant, & Nazaræi vocabantur, ideſt, Deo ſacrati, & dicati. Ratio quia tali poculo inebriantur aliquando homines. Ad literam ergo vult angelus dicere. Puer hic Nazaræus erit, & totus Deo ſacratus. Rurſus. Non ſiceram aut vinũ bibet, hoc eſt, ab omni quod inebriare poteſt ſe continebit, quia à quibusvis vitijs, quibus ſolet ebrietas fomẽta miniſtrare, erit immunis. Nec erit vt Adam, qui cum in honore eſſet, non intellexit, & elationis vino inebriatus cecidit, comparatuſque eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. O vinum lethale? O venenum execrandum, & valde horrendum, quod meretrix illa purpura ornata, quam uidit Ioannes ſuperbis poſteris Adæ propinat,

Cant. 8. *Pſ. 41.* *Indic. 3.* *Num. 6.* *Pſ. 48.* *Apoca. 17 & 18.*

bat, Proh nefas ex hoc vino omnes gentes biberunt, & Reges terræ cũ illa meretrice, ideſt, cum voluptate, fornicati ſunt. Vos chariſſimi non ſic, ſed ſummo ſtudio cauete ſiceram, aut vinum hoc lethiferum bibatis, quod ſcelerum omnium ſeminarium eſt. Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. O mirabile priuilegium, quod Apoſtoli poſt tot annos, poſtque tot labores in die ſancto Pentecoſtes, Chriſto Ieſu ad dexteram patris regnante, acceperũt, hoc Ioannes in aluo matris exiſtens, Domino opitulante, & ſacra virgine ſalutante, accepit. De illis beatus Lucas ait. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui magnalia Dei, & ad eandem imaginem Ioannes repletus eſt Spiritu ſancto, & cœpit loqui per os matris per tonantis magnalia Dei, quæ omnipotens in præclariſſima Virgine patrauit. Exultatione, & gaudio feſtiuum celebrauit diem, adorãs Chriſtum Ieſum, & perinde ac digito eum demonſtrans dicebat. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum proſpiciens per cancellos reſpiciens per feneſtras, hoc eſt, per ſenſus ſacratiſſimę matris ſuę. Nunc alium ſapientem accerſamus, poſtquam angelus tot præclara teſtimonia dedit de Ioanne. Patrem eius Zachariam interrogemus. Quis putas puer iſte erit? Qui huic quæſtioni, ſatisfacit loquens cum puero, & dicẽs. Et tu puer, propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante Dominum parare uias eius. Mirabile dictu, vates ſapientiſſimus cum puero octo dierum loquitur, ac ſi iam perfectæ eſſet ætatis quod myſterio non caret. Planè alma virgine ſalutante Eliſabeth, infans intra matris uiſcera miro affectus gaudio exultauit, & iuxta ſanctorum doctorum cenſuram, tunc agnouit, & adorauit ſaluatorem mundi. Itaque vir perfectus factus eſt in tenello corpore. Quod ni fallor, præcellentiſſimum donum fuit, & forte nemini ſanctorum datum. Et cum mos vſitatus ſit apud Reges, non ſeruos ſuos beneficio exhibito priuare, niſi demeritum adſit, neſcio quam ob cauſam Ioannem, qui ſemel agnouit Chriſtum, & rationis vſu fuit decoratus, hoc priuilegio Dominus mulctarit. Hoc enim Zachariam non latebat, & ideo cum filio paruulo affatur miniſterium, & dignitatem illius palam faciens. Sed nunquid Ioannes Euangeliſta aquila grandis magnarum alarum quęſtioni iam propoſitæ non reſpondebit? Reſpondet dicens. Fuit homo miſſus à Deo &c. vſque ut omnes crederent per illum. Vnde vt fidelis paranimphus implens munus ſuum dixit. Medius veſtrum ſtetit quẽ Ioan. 1. uos neſcitis ipſe eſt, qui ante me factus eſt, cuius non ſum dignus, vt corrigiã calciamẽti ſoluam. Hoc dixit ob ſuam miram humilitatem. Dignior me eſt Ieſus Mariæ filius, eum ſequimini, & vnicè eum diligite: ipſe totius mundi conditor, & moderator eſt, ipſe noſter Redemptor, cui vel minimũ obſequiũ impendere indignus ſum, quinimo illum oportet creſcere, me autem minui. O ſi quis noſtrum pluris faceret honorem ſaluatoris, quam propriam gloriam, planè ore, & opere cum Ioanne clamaret: Chriſtum Ieſum oportet creſcere, hoc eſt, eius gloriam, & honorẽ, me oportet maniſeſtare, mihi autem conuenit minui. Ad hæc ſatis laudabilis foret contentio ſi viciſſim proximi noſtri amore incenſi, cum diuino Ioanne diceremus: fratrem meũ oportet creſcere, me autem minui. Sed ambitio cruenta præpoſtere ſe habens clamat è contrario, creſcant opes meæ, augeatur meus honor, quãuis proximus iacturam patiatur. Quid mea de fratris mei commodi, ait dira ſuperbia, quaſi non ſcriptum ſit, unicuique mandauit Deus de proximo ſuo (Eccleſiaſt. 7.) & Dominus in Euangelio. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

Act. 2.

Ioan-

Ioannis Baptiſtæ optimum ſimile.

GRan differencia ay de las aldeas a las ciudades A la entrada de vna aldea a penas veys coſa, que os de contento, ſino vn humilladero y vna cruz, pero quando vays a vna ciudad populoſa, como a Napoles, Roma, Seuilla, o Lisboa muchas leguas antes comencays a gozar della. Veys tantas caſas de campo, tantos jardines, tantos boſques, y floreſtas, veys aſſomar por tantas partes tantas arboledas, y riberas, y tantos y tan excelentes edificios, que ſignifican bien la grandeza, y excelencia de aquella ciudad. Los otros ſanctos fueron como aldeas, que tuuieron las entradas, y comiencos poco viſtoſos, no ſe vio enellos ſino el nacimiento lleno de miſerias, y que paſſaron ſu niñez en coſas pueriles, como los demas. No ſe vio como en aldea ſino cruz y humilladero, hoc eſt, derramar lagrimas, y otras coſas humildes y baxas. Pero del glorioſo Baptiſta ſant Iuan muchas leguas antes ſe comenco a gozar del como de ciudad populoſa.] Quantis retro temporibus de hoc ſanctiſſimo viro multa præclara Malachias prophetauit dicens. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Quantis etiam retro temporibus ſanctus Iſaias nomine eius de ipſo vaticinatus eſt dicens. Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini. Et ante cõceptionem eius venit Angelus Gabriel, & loquens cum patre ſuo Zacharia ei dixit, cum in templo incẽſum offerret. Vxor tua Eliſabet pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum. [*Todo eſto era gozar de la ciudad mucho antes de llegar a ella.*] Quid dicam de ingreſſu, videlicet de natiuitate eius, & circũciſione? Quin etiam cum in vtero matris eſſet quãdo Sacratiſſima virgo Maria eã viſitauit, tot mirabilia, & prodigia euenerunt, vt attoniti, & ſtupefacti ea audientes dicerent. Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Hæc omnia indicia fuerunt, quod magna, ac populoſa ciuitas hæc futura erat.

Mala. 3. *Iſai. 40.* *Luc. 1.* *Luc. 1.*

Concionator autem, qui bonam partem ſuæ concionis conſumere voluerit in hac appoſitiſſima ſimilitudine, poterit loca ſupra citata ad longum exponere, quorum declarationem in propria eius feſtiuitate, & inter conciones aduentuales à nobis editas reperiet.

Omnes alij Prophetę vaticinia plurima ſcripſere, at vero Diuus Ioannes minime: ſed nihilominus de eo Chriſtus Redemptor noſter dixit. Quid exiſtis videre in deſerto? Prophetam? Etiã dico vobis, & pluſquam Prophetam. Nam quando Rex in vrbem aliquam venturus eſt, ſolent nuntij, qui de hoc ciues certiores facere volunt, epiſtolas ferre, quibus aduentus Regis verus eſſe oſtendatur. At poſtremus nuntius, qui Regẽ præit, non oportet, vt literas annuntiatorias afferat, ſed tantum ait. Ecce venit Rex. Sic alij Prophetę epiſtolas attulerunt, in quibus Regẽ ęternum in mundũ venturũ eſſe declarabant: hæc aũt fuerunt eorũ ſacra vaticinia, verum glorioſus Baptiſta hunc cæleſtẽ Regẽ digito demõſtrauit dicens. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In ludo balliſtario ille melius ludit, qui album figit. Omnes alij Prophetæ longè ab ſcopo, ſeu albo videlicet Ieſu Chriſto vero Deo, & vero homine ſagittarunt, ideſt, [*los otros Prophetas dieron muy lexos del blanco,*] ſi quidem dixerunt Chriſtum Dominum eſſe venturum, ſed D. Ioannes tanquam excellens ac peritiſſimus balliſtarius album figit, digito eum oſtendens.

Matt. 15. *Simile.* *Simile.*

Euſ. Emiſ. ho. Dom. 4 aduen. *Simile.* De hoc ſacratiſſimo uiro inquit Euſebius Emiſſenus exponens illa uerba. Ego uox clamantis in deſerto. Sicut Ioannes præcedit Chriſtũ, ita & uox præcedit uerbũ, ſtatim enim ut ore loquentis ſonus qualiſcũque procedit uox eſt, uerbum autem nondum eſt, quia omne uerbum ſignificat aliquid. Præcedit igitur uox, ſequitur uerbum. Sic merito uox Ioannes eſt, & uerbum Chriſtus uocatur, quoniam & naſcendo, & prædicando, & moriendo, ex ipſa ſui nominis ſignificatione Chriſtum præceſſit.

B.Chry. homil 3. ope. imperf. *Simile.* B.Chry. in quadam homilia inquit. Quemadmodum magnum iudicẽ, aut Regem aliquem in expeditione uenturum, præparatores præcedunt, ſordida abluunt, dirupta componunt, ne fortè indecorum aliquid uidens Rex delicatus abhorreat: ſic & Domino noſtro ad peregrina loca huius ſæculi uẽturo prçceſſit Ioannes, qui ab humanis cordib. pœnitentiæ ſcopis peccatorum ſordes eijceret.

Idemque ibidem ait. Quemadmodũ ſi uideris albam ueſtem dicis. Satis candida ueſtis eſt, ſi uero poſueris eã iuxta niuem incipit tibi ſordida apparere: etſi enim uere ſordida non eſt, tamen ad ſimilitudinẽ niuis ſordida inuenitur. *Simile.* Sic quantum ad comparationem Ioannis omnis homo uidebatur immũdus.

Beati Ioannis Baptiſtæ martyrium.

DE miraculis Ioannis Baptiſtç poſt eius mortem præſertimque de reuelatione capitis eius multa habentur apud beatum Cyprianum circa finem operum. Narrat enim quomodo Pepino Regi poſt partam uictoriam de potentiſſimo quodam exercitu cũ in prælio uiginti uiri ipſi familiares occubuiſſent, eſſentque in pheretris poſiti, ut honorificè exequijs ſepelirentur, uoce de cœlo delapſa dictum fuit, quod quidã peregrini portarent caput glorioſi Baptiſtæ. Rex uero illico, regali ueſte, & indumento depoſito, ſumpto cilicio nudiſque pedibus ad ſanctas reliquias recipiendas proceſſit, & cum ſacratiſſimum caput ſingulis pheretris applicaret, ſimulatque tangebat corpora ſuſcitabantur ad contactum ſacratiſſimi capitis.

Beatus Chryſoſto. ſuper Matthęum loquens de illo conuiuio Herodis inquit. Audiſtis fratres quanta euaſit de uoluptate crudelitas, de libidine impietas? Allatum eſt caput Ioannis in diſco, quo ſalutaria monita dabat inceſtui: menſa migrat in caueam: fiunt de pranſoribus ſpectatores: mutatur furore conuiuium: uinum tranſit in ſanguinem, conuiuium mutatur in homicidium, organa uertuntur in funus. Propterea admoneo, ut feſtiuitatis ueſtræ cauta ſint gaudia, ueſtrorumq; natalium lætitia teneat in exultatione mẽſuram, epulis ueſtris interſit Chriſtus, in facie prandeatur authoris, honeſtate conuiuorum natura ipſa, quæ nos produxit, honoretur: lætitia menſæ ueſtrę pertingat ad pauperes Chriſti. Abſit ebrietas, fugetur effuſio ſaltatricum, peſtis, & laſciuia cantorum, uoluptatum fomenta, naufragium mentis, ut præſens gaudium ueſtrum ad lætitiam ueniat ſempiternam.

B.Greg. in Moralib. inquit. Ecce autem dum beati, & patiẽtiſſimi Iob uulnera cruciatuſq; conſidero, repentè mẽtis oculos ad Ioannem reduco, & quidem grauiſſima admiratione perpendo, quod ille prophetiæ ſpiritu intra matris uterum impletus, atque, ut ita dixerim, priuſquã naſceretur renatus: ille, qui inter natos mulierum maior nemo ſurrexit: ille ſic propheta, & plus quam propheta ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ ſaltatu capite truncatur, & uir tantæ ſeueritatis pro riſu turpium moritur. Nunquid credimus aliquid fuiſſe, quod in eius uita illa ſic deſpecta mors tergeret? Sed quando ille, uel in cibo peccauit, qui locuſtas ſolummodo & mel ſylueſtre edit? Quid Deo uel de qualitate ſui tegminis

nis deliquit, qui Camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuerſatione ſua oſtendere potuit, qui de eremo non receſſit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui diſiunctus ab hominib. ſuis? Quando illum uel ſilentij culpa attigit, qui ad ſe uenientes uehementer increpauit dicens? Genimina uiperarum, quis mõſtrauit uobis fugere à uētura ira? Quid ergo quod ſanctus Iob Dei teſtimonio præfertur, & tamen is quidem plagis uſque ad ſterquilinium ſternitur? Quid eſt, quod Ioãnes Dei uoce laudatur, & tamen pro temulenti uerbis in ſaltatricis pręmium moritur? Quid eſt, quod Deus omnipotēs ſic uehementer in ſæculo deſpicit, quod ſic ſubtiliter ante ſæcula elegit, niſi hoc, quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco ſic eos præmit in infimis, quia uideant, quomodo remuneret in ſummis? Et foris uſque ad deſpecta deijcit quia intus uſque ad incomprehenſibilia perducit? Hinc ergo unuſquiſque colligat, quid illic ſint paſſuri, quos reprobat, ſi ſic hic cruciat, quos amat: aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi ſunt, ſi ſic eorũ uita premitur, qui ipſo iudice teſte laudantur?

IOANNIS EVANgeliſtæ martyrium.

ANIMA plus eſt, ubi diligit, quam ubi animat. Cum igitur Chriſtus redemptor noſter in monte Caluario crucifixus eſſet, & dilectus eius Ioannes ad pedem ſacratę crucis ſtaret, magis profecto ipſe cum diuino magiſtro crucifixo mente quã corpore præſens erat intimè ſentiens clauos illos, ſpinas, ac tormenta Ieſu Chriſti crucifixi. Quid, quæſo, ſenſiſſe putatis hunc ſanctum diſcipulum, cum uideret uitã ſuam, uidelicet Ieſum Chriſtum morientem, ſe autem uiuum in mundo manere? Quis unquam uidit corpus mortuum cum anima, & corpus uiuum ſine illa? Quis non admiratur, cum uideat corpus Ieſu Chriſti mortuum, & animam D. Ioannis in eo uiuam per amorem? O amor inflammatus, ò inflammata transformatio? Si glorioſus Paulus ad Galatas ſcribens inquit: Chriſto confixus ſum cruci, hoc eſt, per amorē, quo Ieſum Chriſtum diligebat, cum ipſo in cruce confixus erat, poſt multa tēpora, ex quo pijſſimus Ieſus in ea paſſus fuerat, quid de hoc ſingulari amatore, & chariſſimo diſcipulo dicam? Qui ſuum cœleſtem magiſtrum tanto amore proſecutus eſt, & quando ſpirauit tã prope eum ſtetit? Quam ardentia deſideria haberet, ſe in eadem cruce confixum uidendi? Hoc profecto fuit ſingulare martyrium, quod hic ſanctus uir paſſus eſt. Aliud idemque pergrãde fuit videre poſtea ſacratiſſimam virginem Mariam matrem Dei morientē quãdo re ipſa mortua fuit. Si uaccæ illæ, quæ ex regione Philiſtinorũ arcam Domini portabant ualde conquerebantur, eo quòd ſeparabantur à ſuis iuuenculis, quos in ſeptis incluſos lactabant, & ipſi uocibus querulis, & triſti mugitu lamentabantur, eo quòd matrum uberibus ſe priuatos conſpiciebant, quas, obſecro, lachrymas mitteret quos ploratus ederet quas lamentationes faceret S. Apoſtolus, quando ſe à ſacratiſſima uirgine ſeparatum uideret, quam quidem & loco matris habuerat, & ei tanquam Dei matri ſeruierat ſedula cura,

Ad Gal. 2

1. Reg. 6

ma-

maximamque reuerẽtiam adhibueratt Hoc aliquo modo contemplari, & cogitare poſſumus, ſed nullis uerbis poteſt explicari. Aliud denique martyrium paſſus eſt, & hoc fuit, videre mala, & peccata, quæ per longa temporis ſpatia quibus uixit in hoc ſæculo contemplatus eſt. Si S. Dauid dicebat. Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. Et ſi glorioſus Mathathias diuino zelo inductus eſt, eo quòd uidit Iudæum quendã offerentem incenſum idolis, irruenſq; in eum ipſum interfecit, qualiter, obſecro diuinus Apoſtolus legem Dei zelaret, ac triſtitia afficeretur, dum uideret tot millia hominum lapides, ac ligna adorantium? Quis furor, quæ triſtitia, & quæ amaritudo cor eius, ac ſancta uiſcera non transfigerent.

Pſal. 118.

1. Mac. 2.

Joannis Euangeliſtæ ſingulare nomen.

Iſa. 5. *Iſa. 26.*

INter nomina, quæ ſacra ſcriptura Chriſto Redẽptori noſtro imponit, vnum eſt dilectus: quo nomine eum chariſſima ſponſa in Canticis ferè ſemper nuncupat. Et S. Iſaias de ipſo Domino agens cum illo loquens inquit, Cantabo dilecto meo cãticum patruelis mei vineæ ſuæ. Et in eodem Propheta ubi nos legimus. Sicut, quæ concepit cum appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus, à facie tua Domine concepimus, & quaſi parturiuimus, & pepe rimus ſpiritum. Antiqua translatio Græcorum hoc modo legit. Sic nobis contingit cum dilecto. Et perinde eſt (ut Origenes exponit) ac ſi diceret ꝙ Chriſtus conceptus in anima ipſam parere facit id, quod in carne magnum dolorem efficit, id eſt, [*Chriſto concebido enel alma la haze ſacar a luz y parir lo que cauſa graue dolor en la carne, y lo que cueſta quando ſe pone por obra, agonia y gemidos como es le negacion de ſi miſmo,*] Et Regius Propheta Pſalmo illi, in quo celebrat laudes & ſponſalia Ieſu Chriſti titulum imponit. Canticum pro dilecto. Et D. Paulus eum appellat filium dilectionis. Denique ipſe cæleſtis pater illũ ſic nuncupat dicens. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Atque ita verè fuit, & erit à plurimis fideliſſimo amore dilectus. Hos autem ſingulares amores, quibus Chriſtus à ſuis diligendus erat, vidit Patriarcha Iacob morti appropinquans, quando prædicẽs filio ſuo Ioſeph fœlices euentus inter alia ei dixit. Donec veniret deſiderium collium æternorum. Quoniam. S. Patriarcha filium ſuum Ioſeph benedixerat, & ſimul vaticinatus fuerat, quod in eo, & in poſteritate eius ſuæ benedictiones maximo cum effectu florent, & quia cognoſcebat omnem illam fœlicitatem in filijs ſuis tandem eſſe perituram propter in fidelitatem eorum eo tempore, quo Chriſtus naſciturus erat in mundo, adiecit & non ſine magno dolore. Vſque ad deſiderium collium æternorum. In quo vaticinio innuit benedictionem ſuam in illis ſuccaſſum eſſe habituram donec Chriſtus naſceretur. Itaque ſicut quando Iacob benedixit filium ſuum Iudam, ei dixit ipſum eſſe habiturum ſceptrum, & imperium ſuper gentem ſuam uſque ad tempus quo ueniret Meſſias: ſic benedicens Ioſephum terminum, ac limitẽ ponit proſperitati eius. Per colles æternos intelligit hic S. Patriarcha omnes illos, quos virtus exaltat quorum vni cum deſiderium eſt, & fuit Ieſus Chriſtus. Et vbi nos legimus in hoc loco, deſiderium, in originali eſt quoddam verbum, [*que ſignificat vna affecion que no repoſa, y que abre de continuo el pecho con ardor, y deſſeo. De manera que es coſa propria de Chriſto, ordenada para ſolo el, y prophetizada del antes que naſcieſſe en la carne el ſer querido y amado y deſſeado con con excelencia.*] Et huius altiſſimi tituli voluit ipſe Dominus glorioſum Euangeliſtam Ioannem aliquo modo participem facere, ſiquidem uoluit, ut per excellentiam inter omnes alios dilectus Domini appellaretur.

Pſal. 144.

Gen. 46.

Ioan-

Ioannis Euangeliſtæ encomia.

Ioan. 21. QVi recubuit in cœna ſuper pectus eius, ſcilicet, ſuper pectus Ieſu. Exiſtimo dilectum diſcipulũ Ioannẽ poſt ſacram communionem ſupra ſacratiſſimum pectus Domini recubuiſſe. In quo nobis exemplum, & doctrina præbetur, quod poſtquam ineffabile Eucharistiæ ſacramentum, in quo idem Dominus realiter continetur, receperimus, ſuper eius ſacratiſſimum pectus etiam recumbamus ad dormiendum ſomnum altæ contemplationis ſingularis beneficij, quod recepimus, ut ſic magis in eius diuino amore inflammemur. Itaque cum ita recumberet B. Ioannes, inquit D. Auguſtinus, quod fluenta Euangelij de ipſo Dominici pectoris fonte potauit. Non eſt cur plurimum admiremur, ſi latro, qui ianuas, & arcam apertam inuenit, theſaurum furetur: at ſi clauſa eſt ianua, & arca occluſa, atque omnia maxima cura cuſtodita, tunc admirari poſſumus ſi latro adeò ſubtilis ſit, ut cum theſaurus tanta vigilantia obſeruetur, illum rapiat. Glorioſus Thomas furatus eſt diuinum theſaurum videlicet ſingularem illam cognitionem, lucem, ac fidem diuinitatis Ieſu Chriſti ſaluatoris mundi: atque ita dixit. Dominus meus & Deus meus: [*pero no fue mucho robar tan gran theſoro porque hallo la puerta del ſagrado coſtado abierta, que es aquella ſacratiſſima llaga en la qual puſo la mano.*] Verum glorioſus Euangeliſta Ioannes ſubtiliſſimus fuit latro, quia, cum clauſa eſſet ianua (nondum enim ſacratiſſimum illud pectus Domini, in quo recubuit, & ex quo potauit fluẽta Euangelij diro lanceæ mucrone apertũ fuerat) ſingulariſſimum theſaurum, videlicet cognitionem altiſſimorum myſteriorum furatus eſt, [*y digo que fue ſubtil ladron, porque con vna excelente ganzua abrio el arca, y robo el theſoro con que ſe enriquecio: y eſta ganzua fue el excelente amor con que amaua a Chriſto. O qu ſubtil y penedratiua ganzua, pues penetra lo intimo de las entrañas del Saluador? Vſad hermanos mios della, y procurad tenerla ſiempre guardada en vueſtros coraçones, y con ella abrireys el coraçon, y las entrañas de Dios, y ſacareys theſoros de diuinos dones con que ſean ricas vueſtras almas.*]

Simile.

De hoc beatiſſimo Apoſtolo dicere poſſumus, quod aquæ multæ non potuerunt extinguere eius charitatem, ſiquidem tot infeſtatores Dominum Ieſum perſequentes eum cohibere nõ ualuerunt, quominus ueſtigia Saluatoris ſequeretur, & iuxta crucem eius intrepidus ſtaret. Ecce armiger principis Ionathæ, qui per ardua, & montium aſpera, ſuum Dominum ſequitur donec inimicos prorſus proſternat. Aſcendit Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius ſequutus eſt eum. En Chriſtus Ieſus uerus Ionathas manib. & pedibus reptans, crucis patibulũ conſcendit, & ibi cruci affixus manſit, quẽ Ioannes non deſerens ſequebatur, & cõfixus cruci regis ſui contemplabatur cruciatus, & atroces dolores illius, quẽ tantopere diligebat: longe melius, quã Paulus dicens: Chriſto confixus ſum cruci. Hinc ſcaturit, ut ne in dolio ferventis olei ureretur, nec uenenũ lethale, quod bibit, aliquid moleſtiæ, aut incommodi ei attulerit. Nec in morte dolorem mortis ſenſit, ſecundum aliquorum ſentẽtiam, eo quòd in dilecto ſuo Chriſto pluſquam martyr fuit, quãdo agnus innocens cruci affixus eſt. Vbi ẽt ex afflictionibus ſacratiſſimæ Virginis Mariæ ibi afflictus fuit. Optimè ergo in eo cõpleuit Dominus, quod in pſalmo promiſerat dicẽs. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, eripiam eum, & glorificabo eum. Hebraicè autem ſic habetur. Quoniam me diligit, liberabo eum, nam ſpes uiua, & fortis charitatẽ conſitem in diuulſam habet. En duo dona ingentia, quæ Deus optimus promittit ſperantibus ac diligentib. Quos ne dum ab ærumna, quamlibet atroci liberat, ſed liberatos beat, & glorificat.

1. Reg. 14

Ad Gal. 2

Amor

Amor etiam & iuſtitia huius dilecti diſcipuli probari poteſt uerbis illis Salomonis, qui in Prouerb. inquit. Qui negligit damnum propter amicũ, iuſtus eſt. Tria nimirum potiſſima bona B. Ioannes ob Christi amorem ſpreuit, uide licet, opes, honores, & uoluptates. Primo reliquit diuitias, quando relictis retibus, & patre ſequutus eſt Saluatorẽ. Secundo honores mundi peſſundedit, coniectus in carcerem, & contumelioſe flagellatus à ſcribis, & phariſæis, ut in Actis legimus. Necnon à Domitiano Cæſare in Pathmos inſulam relegatus fuit tanquam malefactor. Tertio tandem propter Christi Ieſu ingentem amorem uoluptates licitas contempſit, nam eum de nuptijs uocauit Saluator, & relicta ſponſa domino adhęſit, quod ſanè D. Hieronymus, & B. Auguſtinus doctores inſignes in prologo ſuper Ioannem incunctanter teſtantur. Et ob hanc cauſam præcipuo amore Dominus eum proſequutus eſt, quia ut Salomon inquit. Qui diligit munditiam, habebit amicum Regem. Ab. 5.

IRA.

GRAVE eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti utroq; grauior. Ira non habet miſericordiam, nec erũpens furor, & impetum cõcitati ferre quis poterit: dicitur in Prouer. Vbi maximè perpendendum eſt, quod ira inſenſati non habet, quo exeat, aut erumpat, ideſt) no tiene por donde rebentar, ni ſalir.) Si autem uir prudens eſt, licet peccator ſit quando iram concipit, ſtatim habet, quo ipſa exeat, uidelicet per prudentiã: nam animaduertit, & ſecum euoluit, quando aliqua fuerit ei facta iniuria, & intra ſe ait. [*Si me doy por injuriado obligo me a mucho, no me quiero dar por injuriado.*] Si autem iniuria manifeſta eſt hanc ſecum habet rationem. Si ultionem ſumo, & uindictam de inimico meo graui periculo me expono, nõ ſolum amittendi opes meas, uerum etiã & uitam. Denique animam meam interficio idcirco nolo de eo uindictã ſumere, [*y aſſi ſale por alli la ira.*] Si autem huiuſmodi uir iuſtus eſt, multo melius à ſe iracundiam expellit: ait enim. Deus mihi iubet, ut illatam iniuriam condonem, & ego ei uijs omnibus parere, & obtemperare debeo, [*y aſſi ſe va la ira por alli por la obediencia, y por la virtud ti ene por donde rebentar y ſalir.*] Ira autem inſenſati non habet, quo exeat, atque ita cor eius eſt inſtar fornacis abſque ſpiramine (como un homo ſin reſpiradero) in qua eſt ignis fortiſſimus: & quemadmodũ ignis ſic incluſus fornacem ipſam rumpere plurimis locis faceret: ſi non haberet quo reſpiraret, ſic ira cor fatui undequaque frangit, & in eo magnas facit ſtrages. Cęterũ quia Deus infinitam habet ſapientiam, & infinitam uirtutem ac bonitatem, idcirco ira eius tam cito placatur, & ipſe tã facile delinquentibus parcit: atque ita de eo in Eccleſiaſtico dicitur. Miſericordia, & ira eſt cum illo potens ex oratio, & effundens iram. Ex oratio ſignificat hic omne bonum opus: & ſic in cõtextu Græco habetur placatio potens. Ieiunium, eleemoſyna, cilicium, atque alia ſancta exercitia ſunt ueluti potens placatio, qua ex pectore Dei ira depellitur, & ſola miſericordia ipſius uiſcera dominatur, & ideo tam facile ueniam peccatoribus condonat. Diſcite igitur fratres mei quærere inuentiones, quibus à cordibus ueſtris iram, manente in eis miſericordia, expellatis.

Prou. 27.

Eccl. 16.

Ira effigiem dæmonis imprimit in homine.

IRa (ut ait D. Baſil.) eſt quædam effigies hominis dæmoniaci. Atque ita experientia uidemus quod in pectore, ubi regnat ira eædem ferè corporis deſtorſiones apparent quæ in homine, in quo diabolus eſt. Nonne unquam notaſtis deformitatem hominis irati? Vultus deſtorſiones, quas facit? Nam ſanguis ad cor colligitur, & ibi feruet, ebullit, & quodammodo ſcaturit: cooperitur homo ſudore quodam, toto corpore contremiſcit, facies ſeu frons eius irrugatur, humum pedibus calcat, manus retorquet, & oculi eius ſcintillare uidētur. Tanta deniq; eſt deformitas hominis irati, ut quam plurimis (ſicut ait Seneca) profuerit multum, & faciem ſuā ad ſpeculum conſpicere ut ſic tam deformem figuram admirati, cauſam eius defugerent. Quod ſi ira tantam deformitatem in uultu exteriore efficit, quid, obſecro erit in uultu interiori animæ, quæ ſic furore, & ira illa obcæcatur, ut legis naturalis oblita nihil aliud, q̄ ultionem intendat. In tantum dementiam iratus homo deuenire ſolet, ut ſi de inimico ultionem ſumere non poſſit, illam de ſe ipſo accipiat. De eo interpretari poſſumus illa ſancti Iob uerba, Tygris pertjt, eo quòd non habeat prędam. Vbi quidam interpres adnotauit, in Hebræo eſſe. Eo quòd nō fuerit prædam aſſecuta. O ſingularem, & appoſitiſſimam ſimilitudinem. Teſtatur Plinius hoc animal adeò filios ſuos diligere, ut, ſi quis eos furatus fuerit, poſtquā ipſa Tygris id cognouit, per ueſtigium hominem illum inſequatur, & cum uidet, pignora ſua non poſſe recuperare ita ſcandeſcens furorem in ſe ipſa exercet propria brachia morſib. diſcerpens. Huc igitur ſententia illa ſancti Iob ſpectare uidetur dū hominem iratum tygridi comparare poſſumus, qui cū nō poſſit de inimico ſuo uindictam ſumere, de ſe illam capit. Quam ob cauſam Seneca comparauit iram parieti cadenti, qui, dum ruit, quidquid congreditur, deſtruit, ipſe uero omnino perit, & deſturbat. Sed quid dico Senecam? Quãnimo ſanctus Dauid hac utitur ſimilitudine. Nam iuxta paraphraſim Chaldaicam ſic legitur in pſalmo 61. Vſque quo fremitis in uirum miſericordem? Perpetrabitis homicidia omnes uos ſicut murus inclinatus ſeptum corruēs. Vſquequo uociferamini contra miſericordem. [*Pareceyſme muro inclinado y tapia que ſe cae, que ſi haze daño es con deshazerſe aſi.*) Quis ergo cathalogum miſeriarum in quos incidit iracundus, & qui ultionem ſumit de inimico ſuo facere poterit, aut eas ualebit reſcenſere? Econtra uero manſuetudo eſt imago, & exemplar cæli, atque ſingularis quietudo. Ideo ſanctus Dauid ait. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

D.Baſi.ho. de ira Dei

Seneca.

Iob 4. ỹ

Simile.

Pſal. 36.

Ira hominem extra ſe exire facit.

FLumina ingentia cum intra aluei ſui ripas continentur adeò nihil nocent, ut humanæ vitæ uſibus maximè deſeruiant: at ubi aquarum inundatione aluei ſui ripas prætergreſſa ſunt, ſternunt agros, ſternunt ſata, & multa damna faciunt. Sic cum affectus noſtri intra rationis fines quaſi intra aluei ſui ripas clauduntur, multis rebus uſui ſunt: ſunt enim uelut calcaria quædam, & ſtimuli, qui languentem aliquando naturā ad res gerendas exacuunt, ira enim nos ad uindicatiuam iuſtitiam exequendam animum addit. Honoris appetitio eſt ad pericula pro patria ſubeunda, & uirtutis ſtudium. Cum enim uni uirtuti honor debeatur, ac honoris illecebra homines honoris cupidi ad uirtutis amorem excitantur, ſimilique ratione pudor, & uerecundia reuocant à uitijs quod dedecus, & ignominiam pariant. At ſi hos ueluti cancellos rationis lege circundatos tranſgrediuntur, peſtem, & diram cla-

Simile.

cladem humanæ uitæ important, dum omnia uidelicet humanæ uitę præſidia, & ornamenta impetu, ac furore ſuo conuellit. Vehementes etenim paſſiones, ut eſt paſſio irę, & cupiditas honoris, &c. rationem excęcare, & libertatem arbitrij minuere certum eſt, homineſque talibus affectibus euerſi de rebus non pro earum natura, ſed pro affectus ſui libidine iudicant, atque decipiuntur. Quemadmodum illi, qui uitro rubro aut ceruleo oculis obiecto cernunt, tales res iudicant, quales ipſis apparent non quales ſunt: ſic animus irati hominis iuſtiſſimam irã ſuam iudicat, quanuis iniuſtiſſima ſit: ſic auarus pecuniam non pro eius uilitate, ſed pro cupiditate ſua metiẽs ſummum fere in ea bonum ponit: ſic ambitioſus &c. Qua propter exiſtimare debet homo Chriſtianus, ſe ad quoddã glorioſum certamen uocatum eſſe, ut uidelicet cum affectibus ſuis continenter bellum gerat, à quibus uinci turpiſſimum, uincere uero glorioſum eſſe ducat, quando quidem ſcriptum eſt in Prouerbijs. Melior eſt patiens uiro forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore uerbium

Simile.

Prou. 16.

Qui iraſcitur, Diaboli ludibrium eſt, qui à furore ita uincitur ſimilis eſt naui, quæ in media tempeſtate à gubernatore deſtituta ſubmergitur, unde quaque in ea procellis ingreſſis. Ira etiam quaſi fulmen, & tempeſtas quædam in animam irruit, ſæuientemque ſibi quaſi ſtupidum reddit, ideoque merito Cicero pro Marcello inquit. Animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduerſarium non modo extollere iacentem, ſed etiã amplificare eius priſtinam dignitatem præclarum eſt. Hęc qui faciunt non ego eum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.

Simile.

Cicero pro Marcello.

Miniſter aluearium (ideſt, [*el colmenero*] ſolet expellere apes ex ipſo aluearrio, ignem admouendo & intromittendo fumum, & ſic mella colligit. Ita diabolus fumo iræ efficit, ut homo extra ſe exeat, ſic ipſe mel diuinæ gratiæ ab eo furetur. Quoniam autem iratus homo extra ſe exit, idcirco in Prouerbijs appellatur inebriatus, his uerbis. Spinæ naſcuntur in manu ebrioſi, id eſt in manu hominis irati, & ſubuerſi iræ paſſione & in manibus iſtius (ait Spiritus ſanctus) naſcuntur ſpinæ, uidelicet inimicitiæ contentiones, & diſcordiæ.

Prou. 16.

Ex ira prodeunt conuitia, conuitium uero maximè uulnerat cor eius, cui dicitur. Flagelli plaga (ait Eccleſiaſticus) liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa. Quare ſicut homo cauet (ut uerbis utar Beati Hieronymi) ne percutiat aliquem cum baculo, ſic cauere debet, ne percutiat cum conuitio. Et in Eccleſiaſtico etiam dicitur. Mittens lapidem in uolatilia deijciet illa: ſic & qui conuitiatur amico, diſſoluit amicitiam. Perpende etiam, quid idem Eccleſiaſticus dicat, quia nimis timendum eſt. Homo, inquit, aſſuetus uerbis improprij in omnibus diebus ſuis non exaudietur. Submoueat tãdem nos à tanto ſcelere pœna, qua plectitur, qui taliter peccat, ait enim Dominus apud Matthæum. Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Eccl. 28. *Eccl. 22.* *Simile.* *Eccl. 23.* *Mat. 5.*

Ira à ſacris Doctoribus & Ethnicis execratur.

BEatus Chryſoſtomus in quadam homilia inquit. Leonm quidem mitigas, reddiſque tractabilem, furorem uero animi tui efficis omni prorſus leone ſæuiorem: & certè cum in mitigando leone ſint duo impedimenta uel maxima, quod fera ipſa & ratione priuatur, & longè omniũ alterius generis animalium excedit furorem, tamen de copia tibi donatę à Deo ſapientiæ, ipſam ſuperas arte naturam. Qui igitur naturam uincis in beſtijs, cur in te ipſo naturæ offuſcas bonum, dum malum adamas uoluptatis? Itaque

B. Chry. homil. 5. in Mat.

que ſi te ut alium hominem manſueſaceres nihil hic quidem impoſſibile uideretur imponere: quanquam excuſare poſſes non te eſſe Dominum uoluntatis alienæ, nunc uero tua hęc propria fera eſt; qui beſtias feras ad manſuetudinis prouehis dignitatem, temetipſum de throno deijciēs, & honore regali ad irrationaliū cogis furorem. Ponamus enim iram, beſtiam quandā eſſe. quantum igitur ab alijs erga mitigandū leonem ſtudium commodatur; tantā te erga iracundiam impende curam, & effice huiuſmodi cogitationem mitem, atque manſuetam, ſiquidem hęc fera, & unguibus ſæuiſſimis armatur, & dentibus, & niſi illam ſolicite manſueſceris cuncta ſimul diſperdet, atque lacerabit. Nullus enim leo, nulla ſic uipera uiſcera quærunt humana laniare, ut hominis iracūdia ferreis quibuſdam unguibus uniuerſa confodiens. Nonnulli homines uermes quoſdam in interiorib. corporis nutrientes ne reſpirare quidē ſinuntur, uexatis profecto, obeſisq; viſceribus: nos tamen uenenatam in nobis alentes uiperam (iram dico) fratrū noſtrorum uiſcera corrodimus.

Idem hom. 16.7 Mat. Idem Doctor ſanctus inquit ſuper illa verba: Qui autem dixerit fatue. Inimicitiarum tempore incandeſcente ira animoque prorſus ardente etiam minimum aliquid magnum uidetur. Sicut enim manente amicitia etiam quę moleſta ſunt, leuia ducuntur: ſic inimicitijs obortis leuia quæque pro grauiſſimis audiuntur. *Simile.* Atque ut in igne cum ſcintilla exigua eſt, etiam ſi plurimum lignorum admoueas, non ea facilè cōprehendit: ſi uero ſatis in excelſum flāma conſurgat non iam ligna, ſed ſaxa; & omnem prorſus materiam ſibi uendicat, & per quæ extingui ſolet, per ea ipſa potius accenditur: flammam enim non tantum ligna, & ſtupa aliaq; ignis alimenta, ſed aqua etiam maiori impetu iactata, magiſque ſuccendit. Ita accidere etiam in ira ſolet: quidquid aliquis dixerit, continuo pabulum huius efficietur incendij.

Idem etiam inquit. Ira uehemens ignis eſt, omnia conſumit quippe quę corpus corrumpit, animam coinquinat, triſtitiam offert turpis viſu. Quod ſi iratus ſeipſum intueri poſſet, nulla ulterius indigeret admonitione, nihil .n. irato turpius. Ebrietas quædam ira, uel potius ebrietate grauior, & dæmone miſerabilior. *Idē ho. 26 in Ioannē.*

Idem ſanctiſſimus præſul ait. Sicut ferrum ignitum cum in aqua intingitur, amittit ignem: ſic iracundus in lōganimem incurrens, nihil eum lædit, ſed etiā iuuat & ipſe retinetur amplius, nihil enim longanimitati ſimile; nunquā iniuriatur huiuſmodi homo, ſed ſicut adamantina corpora non uulnerantur: ſic animæ tales, ſuperiores quippe iaculis inuenientur. *Idē ho. 28 ad Heb.* *Simile.*

Idem ſuper Pſalmos ſuper illa uerba Forte viuos deglutiſſent nos, ait. Vides quam feri ſunt, & immanes, qui bonos inuadunt; hi enim homines vel ferarū oſtendunt immanitatem, immo magis ſæuiunt in eos, qui ſunt eiuſdem generis. Nam fera cum ſemel inuaſerit, ab ira diſcedit, & deſiſtit; homines uero ſi quando res aliter ceſſerit, quam putabant, ſæpe aggrediuntur, & vel carnes guſtare cupiunt, tam res perturbationis expers eſt iræ perturbatio. *Idē ſuper Pſal. 123*

Seneca libro de ira ait. Cætera uitia impellunt animos, ira præcipitat. Cæteris etiam ſi reſiſtere contra ſuos affectus non licet, at certè affectibus ipſis licet ſtare. Hæc non ſecus quam fulmina procellæque, & ſi qua alia irrationabilia ſunt: quia non eunt, ſed cadunt, uim ſuam magis ac magis tendit. *Sene. li. 3. de ira.*

Idem ibidem ait. Vt medici uetant admoueri remedia cum morbus in acceſſu eſt, ac ſæuit, ſed cum ſe remittit: ita ad primos illos iræ aut doloris motus non eſt adhibenda conſolatio, uel admonitio, ſed ubi tempore cœperint eſſe leniores.

Hermes inquit. Si quis tribulatur iracūdia, ſpiritus, qui pariter inhabitat, triſtabitur etiam: ſi quis enim ſumat abſinthij puſillū, ac mittat in ampho- *Hermes in li. paſtoris.*

phoram mellis, non autem totum mel exterminabitur, & tanti mellis à modico abſinthio diſperit, & perdit dulcedinem mellis, & iam non habet gratiam apud Dominum ſuum quoniam totũ vel amarum factum eſt, atque vſum ſuum perdidit.

Plutar. in moral. *Simile.* Plutar. in moralib. ait. Vt nautæ præſentientes tempeſtatẽ; anchoris firmãt naues: Ita prius quam ingruat tempeſtas iracundiæ, ratione firmandus eſt animus, & in diuerſum nitendum.

Simile. Idem ibidem ait. Mare commotum cum algam marinam, & ſpumam eiectat, purgari dicitur, etiam ſi littus contaminat: at qui commotus ira verba effundit amara, & contumelioſa primũ inquinant ipſum à quo dicuntur & famæ labem aſpergunt.

Idem ibidem. Non vtimur aqua turbata, niſi conſtiterit, multo minus utẽdum eſt animo commoto priuſquam ad ſe redierit.

Idem ibidem. Si pueris unum luſum auferas reliquis omnibus abiectis plorant. Sic quidam ſi quid obtigerit diſpendij, protinus irati reliqua omnia commoda ſibi reddunt iniocunda.

Plutar. lib. de cohibenda ira inquit: Sicut Hippoc. ait, Eũ morbum eſſe grauiſſimum, qui faciem ægrotantis quã maximè mutet in diuerſum: ita conſpiciens alios ob iram maximè ſibi excidere ac vultum immutare, colorem incẽſum, uocem in diuerſam uertere, hinc uelut imaginem eius mali mihi fingebam. Mare quidem cum ventis turbatũ algam, & fucum reijci, aiunt purgari. Verum ira, animo exæſtuante & inuerſo, ſermones iacit impudicos, amarulẽtos, ac ſcurriles, quibus ipſos loquentes conſpurcat, repletque infamia.

Per Iſaiam dominus vehementes animæ paſſiones ebrietati cõparat; quæ totum humanũ rationis lumen obſcurant, ſic enim ait. Audi hæc paupercula & ebria non à vino. Quibus verbis facilè oſtendit, duplicẽ eſſe hominis ebrietatem. Salomon etiam ait: Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. Tribus vero enumeratis quæ non eſt noſtri propoſiti perſequi, quartum eſſe ait: per ancillã cum fuerit hæres dominæ ſuæ. Quid eſt autem, ancillam dominæ ſuæ hæredem fieri, & locũ eius occupare, niſi iram cupiditatem, & carnem, quæ naturæ iure ancilla rationis eſſe, & illi obſequi deberet, tyranni dem aduerſus dominam exercere, eiuſque dignitatem, & regendi munus uſurpare? Sicut ciuitas (inquit Cicero) in ſeditione non poteſt eſſe beata, nec in diſcordia dominorum domus: ſic animus à ſe ipſo diſſidens ſecumque diſcordans, nullam guſtare partem liquidæ, voluptatis ac liberè poteſt. Et B. Iacobus inquit. Vnde bella, & lites in vobis, niſi ex concupiſcentijs veſtris quæ militant (hoc eſt bellum concitant) in membris veſtris? Nulla certè nauis deiecto clauo, & ſæua tempeſtate quaſſata, ita iactatur, vt talis animus calamitatis alicuius procella exagitatus. Hinc temerariæ, & inſanę in Deum voces: hinc diuinæ prouidentiæ accuſatio, & cætera denique mala.

Seneca lib. 3. de ira protulit quandã admirabilem ſententiam dicens. Cura ab illorum cauere conſortio, quos noſti eo præditos ingenio, vt tuam excitẽt iram bilemque ſuccendere poſſint, & conuerſare cum hominibus manſuetis benignis, atque pacificis modeſtis tamẽ ne ſint forſan adulatores. Hi enim quoque tibi adulatione nocere poterunt.

Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus: qui enim inquirit nimium quid in ſe dictum ſit, diſcurrit, perponderat, & exaggerat ſeſe inquietum reddit.

Socratem aiunt colapho percuſſum nihil aliud dixiſſe, quam moleſtum eſſe, quod neſcirent homines, quando cum galea prodire deberent.

Ira paſſio eſt indita à Deo noſtræ naturæ.

QVamuis iracundiæ affectus conditoris beneficio naturę noſtrę inditus

ditus videatur: nos tamen eo quemadmodum cæteris quidem ad perniciem noſtram furentur abutimur. Impreſſit hominibus naturæ author coniugi deſiderium procreandorum liberorum gratia: quibus naturæ humanæ mortalitas ſobole quodammodo reſarcitur. Quis autem enumerare valeat, quot ſtupra, quot adulteria, quoti ncestus, quotque ſacrilegia propter hominum intẽperantiam ex hoc fonte oriantur? Vt mihi quidem vniuerſus mundus libidinum flaminis ardete, & præceps ex igne libidinis in gehennæ ignem ferri uideatur. Ingenerauit etiam mentibus noſtris idem cõditor noſtri amorem, qui nos ad quærenda, quæ ad vitæ vſum neceſſaria eſſent, incitaret, quẽ ideo Stoici Philoſophi pędagogum ab authore naturæ nobis datum eſſe prudẽtiſſimè dixerunt. At per immoderantiam noſtrã ex hoc fonte teterrima generis humanæ peſtis naſcitur. Quam Apoſtolus malorum omniũ radicem eſſe ait. Ad hunc ergo modum ira nos etiã abutimur: quæ cum ad vindicatiuę iuſtitię officium data ſit, nos etiam in furorẽ, rabiemque ita conuertimus, ut uix ulla capitalior peſtis in uita humana graſſetur. Primum igitur huius morbi malum, quod vel Spiritum ſanctum, & charitatẽ ab anima fugat, vel certè charitatis feruorem, & internæ pacis tranquillitatem, quæ eiuſdem ſpiritus placidiſſima quædam ſedes eſt, ab eadem pellit, feruor quippe iræ feruori ſpiritus, & internæ pacis quieti uehementer aduerſatur. Hinc B. Greg. ait. Cum mẽti iracundia confuſionis tenebras incuſſit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit. Idemque alibi inquit. Per iram Spiritus ſancti ſplendor excutitur qui ſuper humilem, & quietum requieſcere dicitur: quia cum ira quietem ſubtrahit, ſuam Spiritui ſancto claudit habitationem, cuius receſſu animus uacuus ad apertam morum inſaniam ducitur. Hactenus ille. Ex cuius verbis liquet, quanta cura, qui tota Spiritũ ſanctum mente conceperunt, omnes iræ motus uitare debeant. Aliud uerò mor bi huius malum eſt, quod uſq; adeo hominem hominibus odibilem facit, ut Salomon in Prouerbijs dicat. Spiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? Rurſusque. Impetum concitati ſpiritus quis ferre poterit? Quo fit, vt prudentes viri non aliter iracundum hominem putent fugiendum quam viperam aliquam, aut feram ſolutis vinculis vt ipſi ex eius intemperãtia conuitiandi; aut iraſcendi occaſionem accipiant. Illud uero maximè deteſtandum quod hic morbus homines à dignitatis ſuæ arce deijcit, dum omni penè mente, atque iudicio priuat. Iram enim ſapientes homines breuem inſaniam eſſe confitentur. Vnde Ariſt. perinde ait, ac fumus oculis incommodat, & aſpectum ita turbat, ut neque ea nobis uidendi poteſtas fiat, quæ ſunt ante pedes: ita oborta ira, rationi caligo ſuffunditur, vt ſe homo delinquere nulla cogitatione cõprehendere queat.

Prou. 18.

Prou. 27.

IVDEX.

LEGES quidẽ ad odia exterminanda, ad pacem conciliandam, ad lites dirimendas, ad ſeditiones comprimendas, ad tranquillitatem conſeruandam ſancte adinuentas peruerſi iudicis vſurpant, & contorquent ad lites excitandas ad diſſidia ſeminãda, ad cauſas procraſtinandas. Itaque cũ quis exiſtimat cauſæ ſuæ finem iam imponendum eſſe, & ſe definitiuam obtenturum ſententiam: ecce ex altera parte ſuccedit procraſtinatio, nouaque & inuiſa lis exoritur, dum citatur angulus quidem ex Bartolo, & Baldo, aut ex alijs, quos potius torquẽt quam accommodatè adferant. Huius ergo mali cauſa, eſt, quod licet doctores egregie dicant, & leges ſanctiſſimę ſint, tamen peruerſi iudices, & patroni, ſeu araneæ quædam ex odoriferis & ſalutaribus floribus uenenum educant, hoc eſt, ex ſalutiferis legibus peſtifera ſua interpretatione, & animo peſſimam proferãt ſententiam, & iniquam. Pondus & pondus, menſura & menſura, utrunque abominabile eſt apud Deum: inquit Salomõ quod de malis iudicibus intelligitur, qui ſcilicet vni unam, & alteri alteram menſuram habent. Legem unam habent pro diuitibus, alteram vero pro pauperibus vnam pro cognatis & amicis, alteram pro extraneis & alienis: ſeu potius eandem diſtorquent legem, & in eadẽ prorſus cauſa eadem lege alterum abſoluũt, alterum condemnant. Efficiunt quidẽ iſti, ut leges ſint ueluti regulæ quædam plumbeæ, quas cum uelint, facilè inflectant, cum tamen eſſe deberent æreæ, & immobiles. Quare cum ipſi legi potius adaptandi eſſent, & accommodandi, ipſi leges hominum palato accommodãt & pro eiuſdem ratione, & uarietate ipſius legis uarium etiam ſenſum repentinis quibuſdam, & inſperatis motibus perſonant, atque percantant. Quemadmodum ipſi typographi ex eiſdem characteribus nunc pro catholico viro catholicam quandam ſententiam cadũt, mox pro homine hæretico peſtiferam: ita iſti ex eiſdem legis characterib. pro diuite ſalutarem ſentẽtiam ferunt, pro paupere uero perniciosiſſimam, atque lethalem.

Prou. 20.

Iudex.

DE Imperatore Traiano refert Aurelius uictor in vita Iuliani, quod cum ſciret gubernatores imperij tyrannidem exercere, & plurimas iniuſtitias aduerſus uaſſallos committere, tanto malo remedium adhibere uolens dixit nihil aliud eſſe marſupium Regis, aut diuitum alicuius reipublicæ quam lienem corporis humani, qui quo magis creſcit, eo amplius cætera eiuſdem corporis membra decreſcunt, & deficiſcũt: ſic quanto magis Rex aut iniqui iudices diteſcunt, eo magis miſeri ſubditi egent, & pauperiores fiunt. Heu quam multæ reſpublicæ ægritudinem lienis patiuntur, hoc eſt, [*mal de baço*] ſiquidem in eis Domini diuites ſunt, pauperes uerò in magna egeſtate conſtituti. Simile.

Iudicis munus eſt iuſtis medijs ueritatem rei inueſtigare. In ſua afflictione poſitus ſanctus Iob dicebat. Terra ne operias ſanguinem meum, nec inueniat in te locum latendi clamor meus. Operire ſanguinem Hebræis eſſe puto, cauſam alicuius ita comprimere, ut nõ cognoſcatur, utrum iure, uel iniuria dãnum acceperit. Quod ſicut commodo iniquorum uirorum fit, quippe quorum ſuperior cauſa ſit: ita incommodo bonorum uirorum, quippe quorum eſt cauſa inferior. Quare id à Iob 10.

ſe

ſe deprecantur, & ita optimè declari arbitror illud Geneſis. Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra, ideſt, petit, ut cognoſcam, quo iure fuerit interſectus, dixerat enim. Quid feciſti? Quare his uerbis Iob optare, & poſtulare videtur, ut eius agatur cauſa, & cognoſcatur ab æquiſſimo iudice, quoniam ab amicis iniquis iudicibus condemnabatur.

Iudex conſtans & plenus fortitudine eſſe debet.

IN Eccleſiaſtico dicitur. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute erumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua. Ponere ſcandalum in agilitate ſua, eſt quando iudex ponit obicem, obſtaculum, & impedimentum in velocitate, quam muneris ſui executio poſtulat. Decipiuntur iudices illi, qui putant præcipuum rectæ gubernationis conſiſtere in reficiendis, & explanandis uijs, in aſportandis cibis, in puniendis delictis, & in reddendo unicuique quod ſuum eſt. Hæc omnia iuſta, & æqua ſunt, ſed non ſufficiunt, nec etiam ſunt præcipua in iudicis officio. Finis igitur, quem intendere debet reipublicæ moderator eſt, ciue omnes ad meliorem uitæ normã redigere, eoſque uirtute præſtãtes facere. Hoc teſtantur cuncti Philoſophi, qui de hac materia loquuti ſunt. Cum enim uirtus ſit in anima, quæ præcipua pars hominis eſt, præcipuũ quod Atque ob hanc cauſam D. Petrus regnum fidelium uocat regnum ſacerdotale, eo quod æquum, & iuſtum eſt, ut omnes ſanctè, & pie uiuant, & in ſuis orationibus Deo ſacrificia agant diuini amoris igne inflammati, hoc modo remedium adhibetur, ne uitia in republica graſſentur. Ideo Philoſophus Xenophon putabat, melius eſſe ad rectam Reipublicæ gubernationem uiuere bonis moribus quam bonis legibus. His autem omnibus diligentijs adhibitis ut hoc rectè adimpleatur, ſecunda cura debet eſſe, ut uirili pectore, & diuino zelo, & rectitudine concientiæ delicta commiſſa puniantur. *1. Petri.*

Danda eſt ergo iudicibus & prælatis opera, ut illud ſibi ante oculos exẽplum Domini ſtatuant. Dulcis, & rectus Dominus: Idem quoque temperamentum in uirtutibus Chriſti Redemptoris noſtri eſſe Propheta teſtatur, cum ait. Propter ueritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua. Danda eſt inquam iudicibus opera, ut manſuetudini iuſtitiam, & reſtitudinem dulcedini coniugant, ne rectitudo aſpera, aut dulcedo remiſſa ſit. Ideo B. Chryſoſtomus ait. Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia. Vnde apparet magnum diuinæ gloriæ ſtudium Moyſem in peccato Phegor oſtẽdiſſe, qui quamuis ſuper omnes homines mitiſſimus eſſet; ad cædem tamen, & ſanguinem omnes uocauit dicens. Occidat unuſquiſque proximum ſuum, qui initiati ſunt Belphegor: occiſſique ſunt hoc eius prępcepto uiginti quatuor millia hominum. Quis unquam iudex adeò ſeuerus fuit, ut tot hominum millia uno impetu cædi iuberet? Quare B. Gregorius meritò inquit. Dum unus corripitur, multi emendantur, & melius eſt, ut pro multorum ſalute unus condennetur, quam per uniꝰ licentiam multi periclitetur. Et B. Chryſoſt. inquit. Iuſtitia ſine miſericordia non eſt iuſtitia, ſed crudelitas; ſicut & miſericordia ſine iuſtitia non eſt miſericordia, ſed fatuitas. Cicero ait. Omnino qui Reipublicæ præſunt duo præcepta Platonis teneant, unum vt vtilitatem ciuium, ſic tueantur, ut quidquid agant ad eam referant obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne cum partem aliquam tueantur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio

Pſal. 24. *Pſal. 44.* *Num. 25.* *B. Greg. in Regiſtro.* *B. Chry. ſuper Mat.* *Cic. 1. offi.*

tio reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Non hæc præcepta ſeruabant illi, quibus Regius vates loquitur: nam vbi nos legimus. Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Alij tranſtulerunt. Nunquid eo

Pſal. 93. ſociabitur tibi thronus peruerſitatis, qui fingis (ideſt inſtituis) afflictionem pro lege. Hoc autem in eos quadrat, quibus Deus per Iſaiam comminatur,

Iſa. 10. dicens. Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, ut eſſent uiduæ prædæ eorum, & pupillos diriperent. Significat ergo illis verbis uates Regius eos, quorum munus erat leges condere, quibus reſpublica optimè adminiſtraretur, tantum abeſſe ab hoc officio, ut ſemper habeant animos intentos ad inueniendas rationes & uias, quibus uexent, atque opprimant inopes: atq; ita pro legum, & iudiciorum æquitate, ab his iniurias, & uim ad perniciem ciuitatis manare.

Leuit. 19. In Leuitico ad iudices dicebat Dominus. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores uultum potentis: iuſtè iudica proximo tuo. O ſi hanc legem Dei iudices ante oculos ſemper haberent, nec in domibus eorum modius maior, aut minor inueniretur, quorū altero diuitibus, altero pauperibus iuſtitiæ menſuram exhibent. Attendant, obſecro, quod in Eccleſiaſtico dicitur.

Eccl. 35. Non deſpiciet Deus preces populi, nec uiduam ſi effundant loquelam gemitus. Nonne lachrymæ uiduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas, hoc eſt (ut alij uerterunt) aduerſus cientem eas, opem inuocat: a maxilla enim uſque ad cœlum aſcendunt, & Dominus exauditor non delectabitur in illis, hoc eſt, Dominus libenter exaudiet eas.

Iudex executiuus oportet quod ſit.

IN Geneſi dicitur. Emiſit Dominus Deus de paradiſo uoluptatis Adam, *Gen. 3.* & collocauit ante paradiſum uoluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque uerſatilem ad cuſtodiendam uiā ligni uitæ. In hoc ſignificauit Deus, leges non debere eſſe tātummodo ad mandandum, ſed ut impleantur, & executioni mandentur. Et ad hoc poſuit Deus ibi Cherubinum tanquam miniſtrū *Simile.* qui legem obſeruari præciperet, atque cogeret, [*los tiros que ſe tiran por deporte o por hazer ſalua, no lleuan pelota, y aſſi no tienen mas de aquel eſtruendo aquella eſtāpida, y por eſſo aunque tiren mil de aquellos tiros no ponen eſpanto a quien los oye, ſino es a algun niño que no entiende eſte negocio, y como no tiene juyzio eſpanta ſe con ſolo el eſtruendo y ruydo.*] ſi leges, ordinationes, & ſtatuta quæ promulgantur [*ſi no las hazen guardar, ni ſe executan las penas, que en ellas ſe ponen ſon como tiros ſin pelota, que no eſpantan a aquellos aquiē ſe ponen ſino a algunos ignorantes, y que no han entendido la floxedad de los juezes, que pienſan que lleuan pelota, y que podrā dar golpe, y cauſar dolor, y priuacion de vida*] Itaque ex eo, quia homines quotidie uident leges, & ſtatuta in regnis uel rebus publicis fieri, quæ iudices, nec obſeruari faciunt, nec eorum pœnas executioni mandant, ex hoc, inquam, oritur, ut ſubditi metum amittant, eo quòd ſibi perſuadent, & tanquam pro certo habent, illas leges nihil aliud eſſe, quam ſtrepitum quendam, & licet ſanciātur, & promulgentur, nunquam tamen homines ad earum obſeruationem ſunt cogendi, uel ob id, puniendi. Quocirca iudices ſegnes, deſides, & negligentes maxima culpa digni ſunt, præcipuè ſi aſſimilantur illi iudici, de quo apud D. Lucam dicitur. Iudex quidam erat in *Luc. 18.* quadam ciuitate qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur, cūq;

ei à

ei à uidua quadam dictum eſſet. Vindica me de aduerſario meo, ipſe propter ſegnitiem, inertiam, ac negligentiam ſuam nolebat per multum tempus. O quam multi hodie in urbibus iudices huic neſario ſimiles reperiūtur quam pigri, & inertes in delictis puniendis: contra uero quam pauci inuenientur ſimiles in diligentia ſancto Moyſi, qui cum iudex eſſet tanta cura, & ſolicitudine munus ſuum exequebatur, vt de eo ſacra ſcriptura dicat. Stetit populus iuxta Moyſen de mane uſque ad ueſperam. Audiant hoc iudices huius temporis, qui uix ad unam horam miſeros litigantes ferre poſſunt: Sanctus autem Moyſes cum ſenex eſſet plurimorum annorum, importunitatem totius populi à mane, uſque ad ueſperam ferebat. Eſt etiam maximè obſeruandum, & perpendendum id, quod dicitur. Aſſiſtebat populus Moyſi. Quis ſine maxima commiſeratione, & animi dolore uidere poterit Regum curias, & audientias uiduis, & pauperibus iuſtitiā poſtulantibus plenas, quibus pauperibus, & miſerandis uiduis non ſolum non eſt iuſtitia, ſed nec ingreſſus ad iſtorum iudicum domos. Non ſic faciebat ille, qui dicebat. Oculos uiduæ expectare non feci.

Exo. 18.

Iob 31.

Iudex immunis à paſſione eſſe oportet.

MAgnopere curare debent iudices ne improba paſſio eorum cordibus dominetur: hæc enim illos ita obcæcabit, ut nullo modo ius, aut rectitudinem, ſicut oportet, obſeruent. Sol, quando oritur, & quando occidit, maior uidetur, quam in meridie cum ſemper eādem proculdubio habeat magnitudinem, cauſa autem huius deceptionis in uiſu noſtro ſunt uapores, qui mane & ueſpere oculis noſtris objiciūtur. Hi vapores qui à terra exhalāt, noſtras repreſentant affectiones, quæ ante oculos animæ poſitæ faciūt, ut res maiores atque aliter, quam re uera ſunt, uideantur: & ita decepto iudicio, res non ſicut ipſæ ſunt, ſed ſecundum affectionem odij, uel amoris illius, qui eas operatus eſt, iudicamus, & hæc eſt cauſa, ob quā in terra rariſſima iuſtitia reperitur. Quemadmodum pictor arte perſpectiua facit, ut res altiores, & profundiores appareant, cum tamen ipſa tabula, in qua eas depingit, plana & æqualis ſit, in ea enim nobis montes altos, & imas ac profundas ualles repreſentat. Sic æſtimatiua noſtra arte, & induſtria affectionis ducta efficit, ut eadem opera nobis in quibuſdam magna, & eminentia in alijs vero parua, & obſcura eſſe appareant, cum re vera ſubſtantia eorum in vna ſit æqualitate. Quoniam autē hæc æſtimatiua in plurimis reperitur idcirco iuſtitia in paucis exiſtit: & hoc voluit ſignificare Heſiodus, cum dixit, Iuſtitiam (quæ uirgo eſt incorrupta) poſtquam in terris ſe uiderit ab omnibus uexari, & opprimi, in cœlum eſſe aſcenſuram. Maximè etiam oportet, ut iudicis animum cupiditas non dominetur, nam iudex cupidus, & auarus eſt uelut ſtatera, quæ in eam partem, in qua maius pondus eſt, facile declinat. Sic iudex auarus malefactores in carcerem mittit per ianuam ferri, & ipſos inde excludit per ianuam auri, hoc eſt, *(mete los malhechores en la carcer por la puerta del yerro, y ſacalos por la puerta del oro, y del interes.*

Simile.

Simile.

Simile.

Iudex.

COntra furioſos iudices iracūdos, & arreptitios, & qui non multa habita deliberatione præcipitantur in executione iuſtitiæ, merito dici poteſt illud, quod in Deuteronomio ſcriptū eſt. Iuſtè, quod iuſtum eſt, exequaris, non enim ſufficit, ut res iuſtæ ſint, ſed oportet etiam, ut iuſtè exercitentur, & executioni mandentur? Nec debent iudices tædio affici, vel moleſtiam accipere propter ſupplicationes, & obſecrationes,

Deut. 19.

tiones, vel preces, quibus ipſi à perſonis nobilibus pro delinquentibus obſecrantur, dummodo tamen intra limites iuſtitiæ preces fiant. Animaduertant,& conſiderent,quomodo Patriarcha Abraham,quanta potuit vi,& animi contentione Deo reſtitit, & replicauit, ne Sodomitas nefandos euerteret, ipſe autem Deus non ideo ſe iratum oſtendit.

Qui optime regere, & gubernare vult,debet ſimul cum honore legẽ Dei in capite habere. Quando Ioiadas Põtifex protulit Regem Ioas filiũ Ochoziæ, inquit ſacer textus eum ſuper caput eius coronam, & legem Dei poſuiſſe. Poſuit, ait, ſuper eum diadema,& teſtimonium: feceruntque eum Regẽ, & vnxerunt. Vbi gloſſa interlinealis inquit. Inſigne capitis Regum lex Dei, qua hortatur, qualiter quiſque viuat, & quid agat.

Illud autem omni ſtudio curare debent Reipublicæ moderatores, ne in ipſa Republica ſint aliqui elati, & ſuperbi, ſed in omnibus ſeruetnr æqualitas. Cùm ciues cuiuſdam vrbis Grçciç Philoſophum Periãdum conſulerent quid agendum eſſet, vt optimè Reſpublica gubernaretur? Philoſophus ille nuntium (qui à populo miſſus fuerat) adduxit in ſeptum, vel agrum ſuum circundatum, quem tritico ſeminare iuſſerat, cumque triticum iam ad metendum eſſet proximum, & inter ſpicas quædam eſſent alijs longiores,Philoſophus Periander ſumpta in manibus falce eas, quæ proceriores, ac longiores erant ſcidit, & amputauit. Quo facto ad nuncium ſic loquutus eſt. Reuertere in vrbem tuam, & hoc, quod me facientem vidiſti conciuibus tuis,pro reſponſione præbe.In quo ſignificare voluit, ſuperbos, & elatos homines ad rectam Reipublicæ gubernationem,&ad pacem conſeruandam è medio tollendos eſſe,atque ob id tyrannos omnes eſſe opprimendos. Qui enim plus valere ſtudent,ij plerumque viliores eſſe ſolent.

Iudex non ſit cupidus.

Dona excæcant oculos iudicum,& quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum: inquit Eccleſiaſticus: hoc eſt dona, ſeu munera obcæcant iudices,ne reipublicæ iniuſtitias uideãt, eoſque mutos reddunt,ne publica peccata increpent. Videntur hæc verba cũ illis conformari,quibus Græci iniuſtitiam iudicum corruptorum muneribus,ac largitionibus ſignificabant:hoc eſt, [*parece que conforman eſtas palabras con vnas con que los Griegos ſignificauan el no hazer los iueces juſticia, por eſtar corrompidos, y ſobornados con dineros. Y las palabras eran eſtas. Bes in lingua,*] ideſt *tienen al buey en la lengua Aueys de notar, que como noſotros llamamos cruzados de Portugal vnas monedas de oro, donde eſta una cruz: y Philippos unas monedas donde eſta impreſſa una imagen del Rey don Philippe,*] ſic Athenienſes bouem appellabant quandam monetam, in qua cuiuſdam bouis imago impreſſa erat. Atque ita vbi primum ſentiebãt,quod aduocatus,aut iudex aduerſus diuitem tacebat, quia munera aliqua, ſeu dona ab eo acceperat,dicere ſolebant: Bos in lingua,hoc eſt. No es mucho, que calle quien tiene la moneda en la lengua. Quod autem Athenienſes per hoc adagium inſinuabant, hoc ſapiens his verbis inquit. Quaſi mutus in ore. Vbi textus Græcus ait. Quaſi frænum in ore, hoc eſt. Dona iudicibus frænum inijciunt & capiſtrant,hoc eſt, encabeſtran los. Animaduertite, obſecro, qnaliter Spiritus ſanctus beſtias vocat iudices, qui ſe largitionibus, ac muneribus corrumpi ſinunt. O appoſitiſſimam ſimilitudinem? Beſtia,cui frænum iniectum eſt,pergit, quà ducitur, ſuum guſtum amittit, & efficit id, quod eius ductori placet; Illam enim huc,atque illuc trahit. Ita Spiritus ſanctus inquit,iudices muneribuscorruptos eſſe, qui non pergunt,quà iuſtitia vult,nec

Eccl.20.

Simil.

per

per viam, quam eis conſcentia ſua dictat, ſed vadunt per eam partem, quà ipſos ducunt illi, qui eos muneribus corruperunt; Ideſt, [*les juezes intereſſales no van por donde quiere la juſticia, ni por donde les dita ſu conſciencia, ſino por donde les guian los que les tienẽ obligados conſuedones.*] Maxima profectò laude digna eſt pictura illa Iudicum, quam in prætorijs ſeu tribunalibus Thebani depictam habebant, qui depingebant iudices opertis oculis, & manibus ſectis; iudex enim non debet oculos habere, quibus videns reorum affectus ad iuſtitiam corrumpendam moueatur: neque etiam manus ad munera recipienda habere debet, dona etenim excæcant oculos iudicum, & eos quaſi mutos efficiunt.

Iudex improbus durè punietur.

IMprobis iudicibus ſeuerum ſupplicium minatur Deus per Prophetam
Amos 6. Amos, & cauſam aſſignat dicens. Quia conuertiſtis in amaritudine iudicium. & fructum iuſtitiæ in abſinthiũ. Quaſi diceret.] *Ya que hazeys juſticia a los pobre hazeys ſe la tal, y a tiempo que les amarga, pues primero que deſpacheys gaſtar quanto tiene.*

Improbi iudices, & mali Reges ſunt ſimiles Saul, qui iuſſit iuſtitiam exequi iu omnibus regni ſui veneficis & phitonibus: at Phitoniſſam, quæ fecit diuinationes, & coniurationes ipſi Regi Saul, licet fortaſſe peior erat alijs, & cum diabolo maiori pactum agebat, non interfecit:] *al fin hazaia conjuros para el Rey, y por eſſo la aſſeguro con juramento que padeccria tormento alguno.*

Iudices ac Reges non habent autoritatem, & facultatem, ad hoc ut iu-
1 Reg. 28. ſtitiam non exequantur.

Hoc fuit grauiſſimũ peccatum, quod Saul commiſſit quando regem Agad non interfecit. Si autem conſideras vnde peccatum hoc oriri potuit, inuenies profecto illud non ex auaritia ortum habuiſſe, non enim illum viuum relinquebat ad hoc vt ab ipſo aliquam pecuniæ ſummam pro redemptione expectaret, ſi quidem ipſum, ac regnum eius funditus deſtruxerat, & omnia, quę habebat ſibi uindicauerat. Nec etiam ortum habuit ex ambitione, & deſiderio honoris volens illum viuum ſeruare, nt de ipſo poſtea triumpharet ſiquidem in regno Iſrael non erat vſus triumphi, ſicut mos erat apud Romanos. Vnde peccatum illud, ex humana quadam miſericordia & compaſſione ortum fuiſſe videtur, dum ipſe Saul compaſſus eſt de Rege illo, ipſum pulchrum iuuenem atque optima forma & elegantia corporis prælitum, vidẽs. Ioſeph de antiq li. 6.
Sic videtur ſentire Ioſephus & idem textus aperrè inſinuat, dum ait. Saul pepercit Regi Agad: percere autem eſt effectus miſericordię.

Quidam etiam Propheta Dei ſignificauit, quam magnum peccatum hoc ſit cum dixit Regi Achab, qui Regi Benadab pepercerat. Quare pepercisti homini digno mortis? Anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius ſoluet. Ex quibus apertè colligitur non eſſe Regibus, iuſtitiam aduerſus nocentes non exequi.

Iudex ignauus multorum malorum cauſa eſt.

SIcut ſpicæ quæ in campo triticeo altius ſe erigunt communiter eſſe ſolent ex tritico ſigillino. Sic qui in Republica altiores eſſe, & alijs præferri intendunt, ſunt proculdubio in meritis alijs inferiores. Hoc ſignificare voluit regius Propheta, cum dixit. Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate. Non ait admirabile in columnis, pulchrum in parietibus, perpulitum in tecto, ſed mirabile in æquitate, & iuſtitia. O quam pulchrum templum eſt populus, in quo hæc ſeruantur. Vbi enim iuſtitia, & æquitas non reperitur, ibi maxima eſt confuſio, & maxima oſ-

ſendendi Deum occaſio.

Sunt aliqui iudices nimis ſuperbi, & imitatores Satanæ, qui Chriſto Redēptori noſtro impudenter auſus eſt dicere. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adorau eris me. Eſt etiam memoriæ commendandum quod Ariſtipus Philoſophus reſpondit Probo, eo quòd proſtratus ad pedes Dionyſij Regis interpellaſſet pro amico, ſcilicet. Non ego ſum in culpa, ſed Dionyſius, qui aures habet in pedibus. Quam ob cauſam culpandi ſunt iniqui iudices, qui ſe permittunt ab illis vinci, qui ad ipſorum pedes humiliantur, & eos adorant. *Mat. 4.*

Iudex ignauus eſt tanquam miluus, qvi non audet gallum gallinaceum aggredi, eo quod videt ipſum habentem barbam, & criſtam, roſtrum atque ſpolones, idcirco eo relicto pullos aggreditur ad dilacerandum, qui nihil habent, quo ſe tueri poſſint. Sic iudices iniqui non audent aggredi, aut punire potentes, diuites, uel magnates, qui tanquam galli criſtam ſuperbiæ, & roſtrum ad reſpondendum, immo & ad offendendum ac barbam præſumptionis, & ſpolones ad pungendum habent: ſed pauperes, qui tanquam pulli non habent. Aequum quidem eſt, ac rationi conſentaneum, vt paruipuniantur, ſed ingens malum eſt, vt diuitum, & potentum delicta impunita remaneant. *Simile.*

Iudex ſiue Rex iniquus, ruina eſt populi.

SAntus Propheta Abacuc loquens de peruerſis iudicibus inquit. Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius præualet aduerſus iuſtum, proptèrea egreditur iudicium peruerſum. Quoniam ambitioſi, inquit Propheta, & litigioſi rempublicam adminiſtrāt, atque magiſtratus, & honores in ciuitate, denique iuriſdicundi poteſtatem adipiſcuntur: ideo leges laceratæ ſunt, vel (quod verbum Hebraicum proprius ſignificat) remiſſæ ac relaxatæ. Vnde conſequens fit, ut iudicia debitum, ac deſtinatum finem non aſſequantur. Eſt autem in hoc loco pro, iudicium, quædam vox Hebræa, quæ ueri, ac legitimi iudicis officium, & munus complectitur: rectumque & ex iure, ac legibus iudicium prolatum comprehendit. Iudicia uerò omnia, ut inquit Cicero, aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt: legitima uero, & iuſta tunc erunt iudicia, ſi ius ſuum unicuique tribuerint, ſi bonos honore, malos autem ſupplicijs affecerint, ſi demum iuſtum ab iniuſto, bonum à malo, ſcientia, non opinione ſecreuerint. Iudicium quippe (vt docet Ariſtoteles) iuſti, atque iniuſti diiudicatio eſt: magiſtratus uerò, iuſti ac legum propugnator, & cuſtos. Legum nanque proprium munus hoc eſt, cuncta ex rationis præſcripto moderari, mortalium vitam dirigere quidque æquum, quidque iniquum ſit, iudices, atque magiſtratus docere. Mandatum (ait Sapiens) lucerna eſt, & lex lux, & uia vitæ, increpatio diſciplinæ. His ſanè amotis, & extinctis, iudicium contenebreſcat, oportet: amiſſa uia, aberret iudex, neceſſe eſt. Non ſecundum legem ſcriptam iudicare, ſed ſecundum iudicantis arbitrium ſtatuere, quanquam permiſit Plato, at meritò Ariſtoteles periculoſum eſſe duxit. Sunt vtique leges amuſſis, & regula iudiciorum: his relegatis, & à mandatis, vel certè relaxatis, atque diſtortis, iudicium à rectitudine deflectet, legibus, & iudicijs euectis, concidat Reſpublica neceſſe eſt. Demoſthenes quippe ciuitatis animam leges eſſe dicebat. Vt enim exanime corpus procumbit ſimiliter ciuitas, ſi leges abſuerint, non conſiſtit. Quod autem inquit, & non peruenit vſque ad finem iudicium, intelligendum eſt, nunquam: Nam in Hebræo habetur, vſque in ſeculum, vel vſque in æternum. Cuiuſmodi eſt illud *Abac. 5.* *Prou. 6.*

Auer-

Pſal. 10. Auertit faciem ſuam,ne uideat in finē, id eſt,ne unquam,uel,ut nunquam cō ſideret. Ergo horum uerborum ſenſus is eſt:Propter hoc, quod in republica Iudæorum iuris atque legum tutela, iudiciorumque poteſtas,ad iniquos,& iniurios ciues,ad raptores,& litigioſos deuoluta eſt,euenit, ut dilaniatis legibus nunquam uerum,ac legitimum iudicium proferatur.Quod autem adiungit: quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum: Superioris ſententiæ repetitio eſt, & eorum, quæ inuolutius dixerat explicatio. Declarat ſiquidē Propheta per rixam & contentionem potentiores effectos,impios, & improbos intellexiſſe, qui, probis ac iuſtis repulſis ciuibus,potentiam,& magiſtratum fuerint adepti. Declarat itidem, nunquam peruenire iudicium: quoniam ſemper egreditur iudicium peruerſum. De uero quippe & legitimo iudicio loquitur. Etenim ut homo mortuus(Ariſtotele authore) quanquam figuræ formam habeat eandem, tamen homo ſimpliciter non eſt,ſed homo mortuus eſſe dicitur:ſic etiam iudicium iuſtitia, & æquitate deſtitutum, non utique iudicium uerum eſt:ſed iudicium peruerſum à ſancto Propheta nuncupatur. Operæpretium etiam erit annotare, in Hebræo, pro præualet, eſſe uerbum, quod uallare, & circundare ſignificat Ideo commodiſſimè ex Hebræo uerti poteſt:quia impius uallat aut circundat iuſtum. Nam in diuina ſcriptura, qui alium tuendum, ac defendendum ſuſcepit,illum uallare,atque circundare perhibetur. Nunquid Iob fruſtra timet Deum? inquit Satan,nonne tu uallaſti eum,ac domum eius, uniuerſamque ſubſtantiam per circuitum? Dauid etiam ait: Multa flagella peccatoris:ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit. Ac rurſus. Immittet(hoc eſt,diffundet ſe ſe) angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.Eſt enim pro,immittet, Græcè caſtrametabitur. Et in Hebræo eſt

Iob 1. (beside "re perhibetur. Nunquid Iob")

Pſal 31.

Pſal. 33.

Exo. 13.

uerbum cuius uice uulgatus interpres ſæpiſſimè circundare caſtra ponere,uel caſtrametari,interpretatus eſt. Hinc euenit,quod uictores olim, quique patriam,aut ciuem ſeruaſſent, corona donarentur: murus quippe coronæ typum gerit. Quaſi ille ciui aut patriæ murus,ac uallum fuiſſet, qui ſeruaſſet. Nam & pro muro in ſacris literis eſſe dicitur, qui alium ab iniuria uindicauerit.De Dauid enim, & de eius comitibus ait, unus de pueris Nabal. Pro muro erant nobis, tam in nocte quam in die, omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges. Imo uero corona ſiue diadema Regis in Hebræo nocatur quodam uocabulo,quod ſignificat uallum,aut murum:ideoque corona in modum muri mœniis adornatur:eo quod Rex ſubditis atque reipublicæ pro muro ac uallo eſſe conueniat.Ergo ut propoſitum agamus, hęc Prophetæ verba hunc ſenſum habere cēſemus: Propterea quod impijs,ac ſceleratis hominibus iuſtorum,& innocētium cuſtodia,vt ouium lupo commiſſa eſt: ſemper egreditur iudicium peruerſum.Gubernari oportet malos à bonis Euripides aiebat, & parere ſe melioribus:ſi vero impios in ciuitate promoueris, ſurſum, atque deorſum vita noſtra inopinato tota peruertetur. Sutores, dixit Plato, ſi praui, & perditi ſint quanquam diſſimulēt nihil inde periculi ciuitati imminet: cuſtodes verò legum,& ciuitatis ſi non re vera ſint, ſed videantur tantum,vrbem totam funditus perdunt. Ideoque cum Propheta Abacuc Iudæorum peccata recenſeret principes, & magiſtratus incuſauit: Quoniam quidquid in Republica iniquitatis,ac ſcelerum ſit,ab his, tanquā à turbido,&lutulento fonte deriuerur. Etenim ſecundum iudicem populi,inquit Eccleſiaſticus, ſic & miniſtri eius: & qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

Exo. 14. *Zach.* 9. *1. Reg.* 25. *Eccl.* 10.

Iudex prǫditus zelo multorum bonorum cauſa eſt.

NOli quærere fieri iudex, niſi uirtute ualeas irrumpere iniquitatẽ, ait Eccleſiaſticus. Vbi oſtenditur, quod iudex debet contra impios omni cum diligentia iuſtitiam exequi. In hoc plurimi. Et huic plurimi, qui nunc euangelicam fidem profitentur, antecellebant: refert enim Titus Liuius inſignis antiquorum hiſtoriographus iuſtitiam, quam Iunius Brutus primus Romanorum Conſul exercuit aduerſus duos filios ſuos, uidelicet Titum, & Tiberium qui ſimul cum alijs equitibus Romanis rempublicam nouiter ereptam à ſubiectione Tarquini ſuperbi ultimi Romanorum Regis (quem ipſe Iunius Brutus regno priuauerat, & bonis propter tyrrannidem eius ſpoliauerat) deripere, deſtruere, ac labefactare uolebãt. Qua cognita fraude Conſul in omnes proditores ſeuerè animaduerti iuſſit, nec proprijs filijs ſuis pepercit, quin potius eos eadem pœna, qua alios affecit, puniuit. Refert ibi Titus Liuius hãc hiſtoriam maximo uerborum pondere, & refert qualiter ſupplicium illud maximè notabile, ac terribile fuerit: nam (inquit) miniſterium illud patri de liberis conſulatus impoſuit, (hoc eſt, officium Conſulis parentem obligauerat, ut miniſter, & executor eſſet punitionis & uindictæ in proprios ſuos filios) & qui ſpectator erat amouendus eum ipſum fortuna exactorem ſupplicij dedit. Stabant ad palum deligati nobiliſſimi iuuenes, & omnium oculi in eis poſiti erant: Conſules uero in ſedem proceſſere ſuam: miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium nudatos uirgis cædunt, ſecurique feriunt cum inter omne tempus pater uultusque, & os eius ſpectaculo eſſet, hoc eſt, [*lo principal que conſideraua el pueblo Romano en eſte hecho era el roſtro, y ſemblante, y ſerenidad del Conſul padre executor de la dicha juſticia, y la fortaleza de animo de aquel riguroſo juez.*] qui ſecundùm pœnam nocentium in utramque partem arcendis ſceleribus exemplum nobile eſſet. In utramque partem, id eſt, ſine acceptatione perſonarum tam ſeuerè filios ſuos, quam extraneos puniebat.

Eccle. 7. · *Titus Liu. libro. 2.1.*

Requiritur etiam, ut iudex ueritatem dicat, nec litigantes decipiat. Sunt aliqui iudices qui iniuſtitiam facientes, iuſtitiam ſe obſeruare innuunt, & aſſerunt. Aduerſus quos ſic Tullius ait. Totius autem iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum cum maximè fallunt, id agunt, ut uiri boni eſſe uideantur. [*Como ſi dixera. Acontece que eſta un juez cohechado por la vna parte, o eſta apaſsionado contra la otra, y tiene intento de agrauiarle, y mueſtra ſe en publico fauorable a eſte, concediendo le los terminos que le pedria negar, y al otro negando le lo que podria conceder, y con eſto aſſegura al que quiero deſtruyr, para que no le recuſe, y al cabo derrama ſu ponςoña, y ſentencia contra juſticia contra aquel, de quien antes ſe moſtraua fauorable y amigo.*] Sunt aliqua delicta minus grauia, quam alia, ſed magis Reipublicę nociua. Minus damnum, & minorem iniuriam infers illi, cui cũ nummos debeas monetã adulterinã perſoluis, quam ſi ei honorem auferres, aut uitam: at vero Reipublicæ maius nocumentum infertur, quando adulterina moneta ab aliquo conflatur, quam ſi quiſpiam interficiatur, quoniam illud furtum ſecretum eſt cui non tam facile remedium adhiberi poteſt: hoc modo qui ſub colore amicitię opera inimici facit, monetam adulterinam conflat: & hoc delictum irremediabile eſt, [*porque me confio del que ſe mueſtra mi amigo*] Quod ſi graue delictum alicui perſonæ particulari reputatur, ueritatem non dicere, multo profectò grauius delictum hoc erit in iudicibus, & prælatis, qui perſonæ publicæ ſunt, & cum omnibus agere debent. Quocirca merito in Exodo dicitur. Prouide de omni plebe uiros ſapientes, uel (ut alij trã-

Tullius lib. 1. offic. · *Simile.*

ſtulerunt) potentes & timentes Deum, in quibus ſit ueritas.

Iudicum inſtructio.

DOminus modum, & ordinē, quē iudices in delictis puniendis obſeruare debent, edocuit in illo ſupplicio, quo impium Dathan, & Abyron, atq; alios eorum ſequaces puniuit. Dicitur enim in libro Numerorum, quod locutus eſt Dominus ad Moyſen, ut præciperet omni populo, ut ſepararetur à tabernaculis hominum illorum impiorum, ne inuoluerentur in peccatis eorum. Vbi uerbum illud, in peccatis, nō ſignificat culpam, ſed pœnam pro culpa: quaſi eis præciperet, ut ſepararent ſe ab illis improbis hominibus, ne eis ēt pars aliqua pœnę, quam ſcelerati illi paſſuri erant propter ſcelera ſua, eueniret. Cumque delinquentes iam ſeparati eſſent, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque uiui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Maxima admiratione dignum eſt conſiderare grauiſſimam pœnam, qua Deus peccatum horum ſchiſmaticorum puniuit. Manifeſtum enim eſt, & apertè conſtat, maius fuiſſe ſcelus, quod commiſerunt Iudæi, quando uitulum aureum conflantes adorauerunt (fuit enim peccatum idolatriæ quo nullum maius reperitur) quam peccatum commiſſum ab iſtis, qui ſe aduerſus ſanctum Moyſen rebellarunt, & tamen non fuerunt ſicut iſti tanto, tamque graui ſupplicio puniri. Si ergo pœna ſecundùm rigorem iuſtitiæ culpæ correſpondere debet, ergo non erant iſti tam grauiter puniendi, cum pœna eorum tam magna fuit, ut tam in corporibus, quam in animis cœperint ſtatim infernali igni puniri? Ad hoc reſpondetur, quod quamuis illa rebellio, & ſchiſma non fuerit tam graue peccatum, ſicut peccatum idolatrię: fuiſſet tamen ſi ulterius progrederetur etenim plurimorum malorum occaſio, & totius ſinagogæ deſtructio extitiſſet. Vnde iudices, & omnes Reipublicæ moderatores exemplum ſumere debent, ut omni cum diligentia malis obuiam ire contendant præcipuè illis, quæ licet parua ſint, occaſionem tamen magnæ ruinæ præbent: licet enim non ſint ex omnibus maiora ſcelera, ſolent tamen rerum publicarum, & religionum fundamenta deſtruere, & labefactare. Grauius peccatum committit monachus Carthuſienſis, qui iocoſum mendacium protulit, quam ſi carnibus ueſceretur: nam cum carnes manducat, nec ueniàliter peccat, mentiendo autem proculdubio peccatum ueniale committit: & tamen in illa ſacra religione ille qui carnes edit pœna carceris perpetui puniri ſolet: ille autem qui caſtitatem fregit, non tam graui rigore punitur. Et hoc iure optimo fit, nam qui carnes edit, contra inſtitutum & fundamentum ſuæ religionis peccat, quod ſi deſtruatur, tota illa religio facile periret. Idem etiam exemplificare poſſumus in ſtatu ſæculari. Nam ſi quis de altiſſimo Deo blaſphemaret, [*diziendo Peſia tal,*] pœna quæ ei imponeretur ſecundum leges regni, eſſet incluſio carceris per triginta dierum ſpatium, ſi uero de Rege blaſphemaret, grauius ſine dubio uidelicet publico, & infami ſupplicio puniretur. Nunquid non grauius peccatū committitur blaſphemando de Deo, quam de Rege? Ita planè: & nullus erit adeò demens, qui contrarium aſſerat. Quare ergo offenſa, quæ in Regem committitur grauius, & ſeuerius punitur, quam quæ in altiſſimum Deum perpetratur? Quoniam ſi iniuria, & irreuerentia contra Regem ſeuerè, & omni cum rigore nō puniatur, in totius Reipublicę euerſionem redundaret: etenim omnes auderent illum contemnere: quod ſi Rex à ſubditis contemnatur, non obedietur, & ſi non obeditur, iuſtitia, & punitio

nitio innocentes executioni non mandabitur: quod ſi iuſtitia non eſt, tota Reſpublica deſtruitur, quilibet enim tyrannidem exercere contenderet, & ſic qui plus ualeret, ſibi omnia vſurparet. Quapropter maiori cum rigore oportet punire delicta, quæ aduerſus Reges, & principes perpetrantur, licet minus grauia ſint, quam alia quæ grauiora ſunt, & contra Deum committuntur ad imitationem eiuſdem Dei, qui maiori rigore rebellionem impij Dathan, & Abyron aduerſus ſanctum Moyſen puniuit, quam idolatriam quæ contra ſe ipſum commiſſa fuerat.

IVDICIA DEI incomprehenſibilia.

POſtqnam in libro Iob dictum fuerat de omnipotenti *Iob.5.* Deo: Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod *Pſ.32.* cœperant. (De qua re ſanctus Dauid Deum laudare monet dicens. Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decẽ chordarum pſallite illi: Quia Dominus, ait, Diſſipat conſilia gentium, reprobat cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum) poſtea dicitur. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium peccatorum diſſipat. Mirabile quidem eſt, quod dixerat ſed longe mirabilius eſt, vt non ſolum conſilia impiorum euertat, ſed etiam quod ea re ab eo irrita fiant, qua ipſa firmanda, & ſtabilienda fore putabant, Vt filij Iacob quid iniere cõſilij, quo Ioſeph in ſomnia inania efficerent, ut eum uenderent Iſmaelitis? Quo factum eſt, vt Ioſeph in ſomnia in effectu ponerentur. Optimam etiam iniiſſe rationem Principes ſacerdotum exiſtimarunt, ne gens eorum, & regnum à Romanis labefactaretur, ſi Chriſtum ſeruatorem interficerent. At eius cæde effectum fuit, ut eorum reſpublica præcipitaretur, & tãdem conuulſa periret. Id etiam frequenter euenire uidemus, ut ea res magnum afferat incommodum eis, qui ex illa cõmodum ingens capturos ſe ſperabant, aut qua perniciem alijs parabant. Idcirco idem Propheta ait. Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt in laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum: cognoſcetur Dominus iudicia faciens in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. Quæ res malignos & peruerſos homines uehementer terrere deberet, & eorum iniquos conatus reprimere, quo bonis uiris infeſti eſſe deſiſterent. Ex hoc etiam B. Paulus nos ſapientiſſimè docet, ridiculam, & ſtultam eſſe huiuſmodi ſapientiã, vel potius aſtutiã, & caliditatẽ, ita Corinthijs ſcribens. Sapien *1. ad Co.3* tia huius mundi ſtultitia eſt apud Deũ. Scriptum eſt .n. Comprehendã ſapientes in aſtutia eorũ. Et iterũ. Deus nouit cogitationes ſapientiũ, quoniam uanæ ſunt. Quare ille tantũ verè ſapiẽs habeatur, qui ex lege, & præceptis Dei ſua petit conſilia, eiſq; rationes ſuas, & inſtituta dirigit. Sæpe numero Deus res huius mũdi lõge aliter, quã hoiẽs cogitãt, diſponit, ideſt, [*traca Dios las coſas muy al reues de la imaginacion de los hombres.*] Quã ob cauſam inſanũ eſt, & lõge à ratione, uelle homines aliquid intendere per aliam uiam, aut medium, quã per Dei uoluntatem: ipſa enim uel omnibus inuitis adimpleri debet. Quando

im-

Exod. 2. impius Pharao cogitabat, qualiter populum Iſraeliticum improba ſeruitute uexaret, & ad illum opprimendum modos, & inuentiones quærebat, tũ Deus diuina ſua prouidentia ordinabat, ut ipſemet Rex in domo ſua, atque in mẽſa, & cibis ſuis aleret illum, qui eundem pupulum ab ea ſeruitute erepturus erat & terram eius uaſtaturus, atque omnes uires eius euerſurus, & hic erat ſanctus Moyſes. Vt ex hoc incomprehenſibilia Dei iudicia uideatis, & pertimeſcatis. Quod quidem eleganter ſignificauit ſponſa in Canticis, quando de ſpõſo ſuo loquens dixit. Comę eius ſicut elatæ palmarum. Capilli Dei ſunt eius cogitationes, ac diuina iudicia. Comparat autem eos ſponſa ramis palmarum, qui altiſſimi, & proceriſſimi ſunt, quoniam iudicia Dei ſunt incomprehenſibilia. [*Son cabellos tan encumbrados, que no ay quien pueda alcançar a peynarlos, y a deſemboluerlos, hoc eſt, no ay quien los pueda compreheuder.* Cant. 5.

IVDICIVM extremum.

Iſai. 30. DE hoc ſeuero & riguroſo die ſic ait Iſaias Propheta. Ecce nomen Domini uenit de longinquo: ardens furor eius, & grauis ad portandum, labia eius impleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans: ſpiritus eius uelut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum. Nomen Domini ſignificat hic potentiam, autoritatem, & maieſtatem. [*Y que lexos es eſte de donde vendra Dios entonces?*] Nunquid è cœlo, an è terra ueniet, aut forſan ex illic infernalibus abyſſis, ut uideat quomodo præparentur catenæ, & duri carceres, in quibus maledicti peccatores æternaliter concludendi, & torquendi ſunt.] *Que lexos ſera eſte, pues Dios en todas las partes eſta, y todo lo ocupa? Sera eſte lexos tan lexos, que no ſe puede dezir, ni aun entender, ſino de aquel deſdichado peccador, que alli ſe hallare herido del golpe de Dios Sera vn lexos de diſfauor quando el hombre ſe vea caſtigado de Dios como de vn eſtraño, que viniera venido de muy lexos a caſtigarle ſin piedad.*] Atque ita quando infœlix peccator ibi dixerit: Domine nunquid tu non es Deus meus, creator meus, pater meus, redemptor meus? Quomodo ergo ſic tuam propriam creaturam deſtruis? Ipſe autem ſumma quadam ſeueritate ei reſpondebit id, quod fatuis uirginibus reſpondit. Amẽ dico uobis, neſcio uos. Hæc uero ſeueritas, & aſperitas ſignificatur per ignem illum, & inundationem, quam hic ſanctus Propheta ab ore & labijs eius exire commemorat.] Matt. 25.

Iuſtum equidem iudicium Dei erit, ut illis, qui in hac uita ſuauitate dulciſſimi oris Dei frui, neque etiam commodum elicere ex innundantibus fluminibus miſericordiarum eius noluerunt, iuſtum, inquam erit, vt illis fons in flumina flammarum, quę eos inflammẽt, uertatur. Omni igitur ſtudio nunc cõtendite fratres, ſiquidem tempus opportunum habetis, altiſſimi Dei miſericordiam conſequi, autequam ueniat illa ingens miſeria, quando nullum remedium inuenire fas erit. Hoc nobis regius Propheta conſulit dicens. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de uia iuſta. Vbi dum S. Propheta hanc uitam appellat uiam iuſtam ſiue iuſtitię, nobis inſinuat, quod dum homo uiuit, ſemper

eſt

eſt in uia iuſtitiæ,[*y ſiempre eſta abierto el proceſſo para poderſe reuocar la ſentencia.*]

Eſt etiã maximè aduertendũ, quod quamuis hic (ut dicitur in Prouerbijs) quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus: tamẽ peccata, quę in hac uita parua uidebantur magnis pœnis & ſupplicijs in alia punientur. In cuius rei conſequentiam notandum eſt, quod cũ Hebræi in Bethel adorationem fecerunt, non uaccas magnas, ſed uitulum paruum adorarunt, tamen Deus illas poſtea nuncupauit uaccas magnas, & non ex Bethel, ſed ex Bethabem ut eos maiori ignominia afficeret. Atque ita per Prophetam Oſeam inquit. Vaccas Bethabem coluerunt habitatores Samarię. Quod ſine dubio eſt maximum argumentum magnæ ponderationis, quam Deus ibi facturus eſt de culpis, quæ nobis modo paruæ uidentur. Et hoc ſignificauit ſanctus Iob cum dixit Deo. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, & curaſti iniquitatem meam, hoc eſt, ſeruaſti Domine peccata mea tanquam in locello, hoc eſt, [*en el bolſico,*] & magnã iniquitatum mearum curam habes: [*aludiendo en eſta comparacion a lo que cõmunmente ſe haze, que la moneda comun y baxa ſe echa en la bolſa, y la moneda mas grueſſa, como es la de oro, ſe echa en el bolſico della.*] Sic (ait Sanctus Iob) peccata noſtra æſtimabuntur tanquam peccata magni pretij & ut talia punientur.

Iudicium extremum rectiſsimum iuſtificatum in ſemetipſo.

IVdicate inter me, & uineã meã, quid debui facere uineæ meæ, quod non feci? ait Dominus per Prophetã Iſaiã. Magna proculdubio tua eſt iuſtitia Domine, qua in die mortis, & uniuerſalis iudicij dicertabis contra nos, noſmetipſos aduerſus nos iudices conſtituens. Væ nobis, qui tantam ſalutem negligimus. Propter hoc in libro Sapientiæ deſcribitur aduerſus homines terribile & tremendum iudicium, Accipiet (ſcilicet ipſe Dominus Ieſus) armaturam zelus illius, induet pro thorace iuſtitiam & accipiet pro galea iudicium certum: ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem. Vbi uides, quomodo omnia arma tremendi iudicis contra nos iuſtitia, & æquitas ſunt. Vnde aduerſus ſemetipſũ conuictus homo peccator ſententiam feret, & iudicis iram & uindictam probabit. Immenſa iuſtitia, quæ reos ipſos iudices conſtituet. Tunc peccator uidebit, & iraſcetur, nam eo uſque tempore cæcus ambulauit, & tunc pœna ac ſupplicium eius aperiet oculos, quos in hac uita uoluptas culpæ clauſit. Dormiebat Diuus Petrus in carcere, quãdo Angelus uenit, percuſſoq; latere Petri (vt ait ſacer textus) excitauit eum dicens. Surge uelociter. Ipſe autem ſe ſomniare putabat. Ait etiam angelus. Circunda tibi ueſtimentum tuum, & ſequere me, & ille adhuc putabat illud eſſe ſomnium: rurſus cum extra carcerem iam liber extitiſſet, exiſtimabat ſe uiſum uidere. At poſtea ad ſe reuerſus dixit. Nũc ſcio uere, &c. O fratres mei qualiter hic ſomnus Diui Petri, & hoc, quod extra ſe erat, & in ſe non reuertebatur, quo aduſque angelus ab eo diſceſſit, repræſentat ſomnium, in quo nunc omnes uiuimus, & qualiter etiam cuncti euaneſcimus. Quid ergo cogitare poſſum cum uideam uos tot conciones audientes tam parum correctos, aut in meliorem frugem receptos, quid inquam cogitare poſſum niſi quod omnia, quæ hic prædicamus ſomnium eſſe exiſtimatis. Iudicate, igitur, quo pacto uolueritis, ego enim uobis aſſero, & affirmo tẽpus aliquando futurum eſſe, in quo oculos ueſtros uel inuiti aperiatis. Hoc autem erit, quando ſolutos ab ergaſtulo huius uitæ uos conſpexeritis; tunc ad uos reuertetis, ſed nihil uobis proderit, hoc enim eſt quod Sanctus Dauid ait. Peccator uidebit, & iraſcetur dentibus ſuis &c. Tunc ergo dicet Dominus. Quid debui facere uineę meę, quod nõ feci? Obſerua attentiſſimè, quod non dicit.

dicit. Quid potui facere, ſed quid debui facere: non enim fecit Deus omnia quæ poteſt facere ad noſtram ſalutem, ſi enim feciſſet omnia, quæ poteſt facere, omnes homines ſalui fierent, ſed facit omnia, quæ ſufficiunt. Vnde time, qui bibis ſicut aquam iniquitatem. nec reſpicis in mille uocationes Spiritus ſancti, ne forte iam fecerit Deus, quæ debuit facere. Ideo Eccleſiaſticus inquit. Fili peccaſti. Non adijcias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quare beatus Hieronymus inquit. Si qua eſt præſentis temporis lætitia, ita eſt agenda, ut nunquã amaritudo ſequentis iudicij à memoria recedat.

Eccl. 21.

Iudicium extremum mutos reddet impios.

VEl Ioſeph dixit, Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem uendidiſtis in Aegyptum, non potuerunt reſpondere fratres nimio terrore correpti: tantus enim illos ſtupor oppreſſit, vt prorſus muti, & elingues redderentur, lingua enim prætimoris magnitudine palato hærens ſuo munere fungi non poterat. Si huius igitur ſceleris memoria ſic homines iſtos perterrefecit, quid putas improbos in extremo illo iudicio paſſuros, cum Chriſtum Ieſum uideant, audiantque dicentem. Ego ſum frater veſter, quem vos crucifixiſtis, & uiliſſimo peccati pretio toties uendidiſti? O quã muti & elingues hac voce reprobi fiẽt? Ideo bene D. Chryſoſtomus ſuper Mathæum ait. In illo die nihil eſt quod reſpondeamus ubi cœlum, & terra, aqua, ſol, & luna, dies, & noctes, & totus mundus ſtabit aduerſum nos in teſtimonium peccatorum noſtrorum, & ſi omnia taceant, tamen ipſæ cogitationes noſtræ, & ipſa opera ſpecialiter ſtabunt ante oculos noſtros accuſantes nos ante Deum, dicente Apoſtolo. Cogitationibus inuicem accuſantibus. Væ ergo nobis fratres, ſi nunc, dum tẽpus habemus bonum, non operamur neſcientes quando hæc opportunitas à nobis auferenda eſt, nam ſcriptum eſt. Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Vbi B. Hieronymus ex Hebręo ſic uertit. Cum accepero tempus ego recta iudicabo, diſſilietur terra cũ omnibus habitatoribus ſuis. Verba ſunt Chriſti Domini ad iudicium uenientis, & mundi interitum annunciantis. Cum accepero tempus, inquit, ideſt, ſicut enim tibi tempus fuit delinquendi nemine repugnante: ita illi tempus aderit de te ſupplicium ſumendi, nemine obſiſtente: ſi tibi non defecit tempus ad omnem impietatem & intemperantiam, nec illi deerit ad uindictam cum omnia peccata tua dinumerata habeat. Quod conſiderans regius uates lachrymas abundanter emittebat. Nam pro eo, quòd nos legimus, Deus uitã meã annunciaui tibi &c. Beatus Hieron. ex Hebræo uertit. Secretiora mea numeraſti, pone lachrymas meas in conſpectu tuo. Vnde Beatus Gregorius in libro Moralium, inquit. Electi culpis ſuis non parcunt, ut poſſint Deum placatum inuenire, nam qui ſibi nunc in culpa parcit ei poſt modum in culpa non parcitur: ideo iuſti ſtrictè ſe indicant, ne iudicentur. Et ita Beatus Ambroſius ſuper Lucam inquit. Væ mihi, ſi non peccata mea defleuero: Væ mihi, ſi non media nocte ſurrexero ad cõfitendum tibi Domine. Væ mihi ſi dolum proximo meo fecero. Væ mihi, ſi non loquutus fuero ueritatem. Ad radicem ſecuris poſita eſt, faciat fructum qui poteſt, gratiæ, qui debet, pœnitentiæ: adeſt Dominus, qui fructum requirat, fœcundos uiuificet, ſteriles deprehendat.

Cum fœdus iniit Labam cum genero ſuo Iacob, tumulum, & lapidem in ſignum fœderis erexit, ac de illo Socer ait. En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me, & te teſtis erit: appellauitque nomẽ illius Galaad id eſt, aceruus

teſtimoniorum. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Hæc lapidum congeries aduerſum te teſtimonium feret, ſi aduerſum me quidquam mali fueris machinatus. Simili etiam ratione in die iudicii aduerſus improbos teſtimonium deferet non ſolum lapidum, & omnium creaturarum, ſed aceruus tot teſtimoniorum, hoc eſt, tot Sanctarum ſcriptu rarum. tot admonitionum, exhortationum, concionum, terrorum, promiſſionum, quibus Dominus ad eos excitandos, & ſanādos uſus eſt, ad quæ omnia tanquam aſpides abſurduerunt. Quo tempore pii paſtores, & prædicatores reuocare illis ad mentem poterunt, quæcunque in concionibus ſuis ad illos corripiendos dixerunt. Quoties, inquient, uos à periuriis, quoties à maledictis, odiis, libidinibus, & rapinis reuocare conati ſumus? Quibus uos minis perterreſecimus? Quibus promiſſis allicere curauimus? Quoties uobis hęc mala comminati ſumus, & rebelles, ac immobiles perſtitiſtis? En ſanguis Chriſti exquiritur.

Iudicij horribilia ſigna.

Euſe. li. 4. de vita Cō ſtantini. B. Aug. li. 18. de ciu. Dei. c. 21. Lactan. li. 4. diui. inſti. c. 18.

SIbilla Heritræa in quibuſdam verſibus, quos compoſuit, horremda, ac terribilia ſigna aduentus Domini in extremo dię iudicij prædixit, De quibus mentionem faciun t Doctiſſimus Euſebius B. Auguſt. & Lactantius Firmianus. In primis literis horum carminum reperiuntur hęc verba. Ieſus Chriſtus, filius Dei, Saluator crux. Quæ quidem carmina (ut euidenter probat Euſebius) non potuerunt ab aliquo Chriſtiano conponi, & falſo Sibyllæ vati attribui, ſiquidem non abſque altiſſio conſilio, ac diuina prouidentia, multò ante quàm Chriſtus Redēptor noſter natus eſſet, in manus Ciceronis deuenerunt, & ab eo in libro, quem de diuinatione edidit expoſita, declarata fuere. Et hoc conſonāt cum illo, quod in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, cum ſcilicet D. Paulus de tremendo iudicij die, & de his, quę tunc euentura erant, coram Præſide Iudææ prædicaret, ipſe præſes timere, ac tremefieri cœpit ex illis, quæ ab Apoſtolo dicebātur, licet gentilis erat, & fidem non habebat circa ea, quæ de illo myſterio S. Apoſtolus prædicabat. Ex quo patet, quam horrenda & teribilia erant illa, quę D. Paulus de extremo iudicio dicebat, Siquidem ſonitus dūtaxat eorū illum, qui ea non credebat tremere faciebant. Quāto ergo maiori cum ratione & potiori iure nos, qui firmiſſimè huius ſeueri iudicij infalibilem veritatem credimus pertimeſcere, ac totis artubus contremiſcere debemus, ſi quidem ibi arctiſſimam rationem omniū, quæ fecimus, diximus, & cogitauimus in hac uita, tunc reddituri ſumus ſuperno, atque exactiſſimo iudici, qui omnes noſtros defectus optime nouit: ſapientiam enim eius omnia præuidentem, & intimos animæ receſſus penetrantem, prædicat regius Propheta cū ait. Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam, & funiculum meum, (ſiue accubationem) inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea, uidelicet quem tu non videas, antequam ego etiam illum enuntiem. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua. Hæc omnia timorem Domini, & peccati odium nobis incutiunt, cum in conſpectu Domini omnia videntis delinquamns, & cui rationem reddituri ſumus. Hoc etiam docet idem ſanctus Propheta, quoniam pro eo, quod nos legimus: Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra, alius vertit. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & dimittit ſe, ut omnia reſpiciat in cælo, & in terra. Cui cohæret illa Saluatoris ſententia apud D. Lucam. Nonne quinque paſſeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo? Et

In Eccleſiaſtico vocatur conſpector ſæculorum. Et regius Propheta inquit. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum (hoc eſt, totius vitæ noſtræ curſum) in illuminatione vultus tui, ideſt, in ſapientia tua. Eſt ergo ſenſus. Quamuis maieſtas Dei res omnes in immenſum excellat, nihil eſt tamen in vniuerſo tam paruum, & humile, quo ſe non demittat prouidentia eius. Quod cum ita ſit, vitam ſic colere debemus, tanquam ille noſtris cogitationibus, verbis, & actionibus interſit, vt in fine rationem de omnibus exigat.

Eccl. 36. *Prou. 9.*

Tunc videbunt filium hominis &c. Hoc, tunc, magnam habet emphaſim: tunc, quando opera loquentur, & ora tacebunt: tunc quando bona, ac recta conſcientia plus valebit, quàm omnes mundi theſauri: tunc, quando nec fauores Regum, nec nobilitas ſanguinis quidquàm proderunt: tunc videbunt filium hominis. O vtinam certi eſſemus quotquot hic ſumus, nos ad dexteram Domini eſſe reponendos. Quis eſt, qui hoc ſcire non cupiat? Sed ſupponamus hoc alicui noſtrum reuelatum eſſe, quid obſecro faceres ſi illud ſcires? Quid? Laudarem Deum continuo, meque totum ſeruitio eius addicerem, atque in medio laborum, & tribulationum mearum cor meum ſtaret; ſiquidem certo ſciebam, illa omnia quàm citiſſimè finem eſſe habitura. Hæc & multo plura quilibet noſtrum ſe facturum promitteret, ſi ſciret ſummam illam fœlicitatem ſibi certam eſſe. Hoc igitur fac, & viues. Quis te detinet? Incipe iam hæc facere, & pro certo habe gratiam Dei tibi ad hoc minimè eſſe defuturam: quod ſi ita feceris tam certo tibi potes gloriam promittere, ac ſi Deus eam ore ſuo promitteret: illis enim, qui hoc faciunt ipſe Dominus (cuius verbum nunquam deficiet) eam iam promiſit.

Quàm terribile, & horrendum ſpectaculum eſt videre Principem aliquẽ tur in republica, magnatem propter ſcelera ſua capitis ſententia damnatum. Quam admirationem infert ijs, qui eum aſpiciunt? Quid igitur ibi erit in extremo illo iudicio, vbi tot Imperatores, tot Reges, tot Monarchæ, tot Principes, tot Duces, tot Comites, tot Marchiones, ac tot Prælati finali ſententia condemnabuntur? Quid tunc ibi reſpondebis, ò peccator contemplans, te à ſummo Deo per omne tempus, quo in peccato, dum viueres, fuiſti piiſſimè ad veniam fuiſſe inuitatũ? In eo temporis ſpatio quo in peccato extitiſti ſiue duo, vel tres, aut quatuor anni fuerint, quid Deus non intentauit? Quid non fecit ad tuam conuerſionem? Quot, quantiſq; flagellis te percuſſit? Quibus beneficijs te inuitauit? Quibus exemplis vicinorum te commouit? Quàm multis, & occultis inſpirationibus te vocauit? Quibus, & quantis vocibus eccleſiæ te increpauit? Tu autem nihil horum curaſti, & nullum commodum, aut emolumentum ex his omnibus decerpere voluiſti. Quid igitur tãtæ clementiæ, tantæ pietati, ac tantæ patientiæ Dei reſpondebis? Quid expectas ò peccator, Deum tibi tunc temporis eſſe dicturum, niſi id, quod Hebræis, qui ad eum clamabant, dixit his verbis; Dereliquiſtis me, & coluiſtis Deos alienos, idcirco non addam, vt vltra vos liberem. Ite, & inuocate Deos, quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ. Dij tui ſunt filij tui, vxor tua ſunt voluptates tuæ, honores diuitiæ, ac cætera id genus, propter quæ verum Deum tuum, & Dominum dereliquiſti, quæ quidem in nulla re tibi poterunt tunc auxiliari, & opem ferre. Quo circa, ſiquidem nunc per tempus licet, ad te reuertere animaduertens id, quod Spiritus ſanctus in Prouerbijs ait cum peccatore loquens. Vade ad formicam ò piger, & conſidera ſemitas eius, & diſce ſapientiam; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, parat

Pſal. 89. *Iud. 10.*

in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. Si tam paruum, & vile animal, qualis eſt formica, non tantum res præſentes curat, ſed ad futuras ſe præparat, & ad tempus neceſſitatis abſque aliquo magiſtro edocta, ſed natura ipſa ducente, ſibi de neceſſarijs prouidet: quare tu, qui Deum habes ducem, & magiſtrum, & à quo iudicium, rationem, fidem, atque euangelicam doctrinam accepiſti futura non prouidebis, & tantæ neceſſitati non præcauebis? O hoſtis contemptor, & euerſor tui ipſius? O inſenſate, & millies inſenſate, quare permittis, vt formicæ rationis expertes tibi antecellant?

B. Chry. homi. 52. op. imperf. Simile. Beatus Chryſoſtomus ait. Sicut Rex cum tyranno bellum facturus, ſi voluerit aſpicere exercitum, & conſiderare arma illorum, iubet mitti tubam, vt fiant admoniti. Tunc omnes milites feſtinant arma ſua aſpicere, vbi ſit gladius eius, vbi lorica ſit poſita, vbi lateat ſcutum, & qui ſecuritatis tempore arma ſua ſtuduit immaculata cuſtodire paratus, & lætus currit ad inſpectionem: & qui tempore ſecuritatis gladium ſuum euaginare dimiſerit, aut loricam ſordeſcere, ſcutum frangi, aut rumpi cum audierit tubam, & ipſe quidem excitatus timore feſtinat limare gladium ſuum, detergere loricam, ligare, aut ſtringere ſcutum. Sed non poterit celare negligentiam ſuam, cum vrgens neceſſitas non permittat longi tẽporis opus implere. Sic & Domino abſente malus ſeruus non aſpicit opera ſua, quid facit, vel quid non facit, aut quomodo credit? Nec cogitat, quia venturus eſt Dominus eius, & opera perſpecturus & fidem, ſed cum uiderit eum venientem de longè, tunc aſpicit opera ſua, tunc incipit feſtinare, ſed nihil ei proderit feſtinatio, quia multorum dierum diligentia non poteſt vna hora expleri.

Idem ho. 2 in 2. ad Theſſ. Idem ſanctiſſimus Doctor in quadam homilia inquit. Dic mihi homo, ſi quando tibi cum iudice cauſa eſt, plerunque verbotenus dumtaxat non nocte, non die, non aliquo temporis articulo, non aliqua hora aliud quid loqueris, ſed ſemper de cauſa illa, quam agendam habes. Cum vero de omni vita tua rationem redditurus, & pœnas daturus ſis, nec alios etiam pateris, qui te huius iudicij admoneant. Cum humano quidem tribunali tempore alium rerum gratia ſiſtere debemus, neminem non monemus, non rogamus, indeſinenter de illo ſoliciti ſumus, omnia huius gratia faciamus: ad tribunal vero Chriſti venturi idq; breue, nec per nos ipſos aliquid, nec per alios facimus, iudicem non rogamus quamuis nobis multum ſpatij ante iudicium permittat, nec in medijs nos abripiat peccatis, ſed permittat, vt illa exuere aggrediamur.

Iudicium extremum inexcuſabiles oſtendet impios.

LOquens Saluator noſter Ieſus Chriſtus cum Hebræis apud Matthæum dixit. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Cum ſapientia Dei omnem lapidem mouerit, omnique ratione conata fuerit filios ſuos, ideſt populum Hebræum, ad pietatem, & ad verum, & perfectum diuinum cultum inducere, nec id fuerit aſſecuta, nulli iniuſta uideri poterit, cum pœnas fuerit perſecuta, [*ior filios*] reijciendo, à ſeque expellendo, & alium populum ſibi aſſumendo, & ſibi ſuo vendicando. In eodem ſenſu dixit Regius Propheta culpam ſuam cognoſcens, à Deoque veniam petens. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Quod oraculum valde huius ſimile eſt valdeque ab eo declaratur, ideſt Fateor me peccaſſe, pœnaque eſſe dignum, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Sermo in ſacra ſcriptura rem, ſiue negotium mul- Matt. 10. Pſal 50.

multoties ſignificat: vt iuſtificeris ergo; cum me condemnaueris, & ſupplicium irrogaueris, non enim in hominem probum, ſed improbum animaduertis. Et uincas cum iudicaris, id eſt, cũ impij ſupplicio affecti de te quæruntur, & ſecum bene non agi iudicãt, purus in iudicijs tuis inueniaris, nullaque culpa contamineris, cum pœnas à me expoſceris, multoque merito meo ſupplicium mihi fuerit conſtitutum. Et hac de cauſa cunctos homines mundo conſumpto Deum in iudicium uocaturum exiſtimo, ut quia alij homines ęternis addicentur ſupplicijs, alii uita beata perpetuis temporibus donabũtur horum cauſæ atque rationes manifeſtæ ſint omnibus, Deuſque (ut ait S. David) in ſermonibus ſuis iuſtificetur, puruſque, & uacuus appareat ab alijs maledictis, atque conuitijs, quibus illum iniqui iuſtis conſtricti cruciatibus appetent.

Iudicij extremi integer & ſingularis ſermo.

IN primis obſeruandum eſt inueniri antiquiſſimam propheciam de magno, terribilique iudicio ex B. Enoch, ſicut teſtatur B. Iudas Apoſtolus. Quia licet liber Enoch non extet authenticus, nec dignus fide, illa tamen, quæ in ſcriptura Canonica habentur, iure in hunc ordinem referimus, & intra chorum Canonicarum ſcripturarum annumerantur, ſicut illud Chriſti Domini noſtri. Beatius eſt dare, quam accipere. Quod nullibi in ſacris euangeliis inuenitur: ſatis tamen eſt, quod à B. Paulo teſtificetur. Sic ergo Canonica eſt ſcriptura Enoch prophetãtis de magno iudicio, quia in teſtimonium hãbet ab Apoſtolo Iuda, cuius hæc ſunt uerba. Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra eum peccatores impij. Vſque huc ſanctus Propheta Enoch. Vbi primo perpende quod cum adhuc pueritiam ageret mũdus, ſub ſeptimo ab Adam ſancto Enoch priuſquam catechiſmus ueniret in mundum, iam dicitur, iam altiſſima uoce prædicatur. Ecce uenit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudiciũ. Et utilis iudicatur huiuſmodi commĩnatio ad infrænandam audaciam peccatorum, cum certè longè eſſet ab eis horribilis dies hic. Quanto ergo iuſtius nobis prædicat vtriuſque teſtamenti ſcriptura, & præcipuè Dei filius Ieſus Chriſtus hunc diem, qui in nouiſſima hora ſumus? Nondum primus Chriſti Domini aduentus aderat, nondum prædicabatur, immo uix ab Enoch ſciebatur, nondum quippe aduentu filij Dei explicitè pro reparatione generis humani, & iam prædicabatur ſecundus aduentus eius ad iudicium, & nobilis prædicator huius magni veridicij Euangelij transfertur in paradiſum ſicut teſtatur Sapientiſſimus Eccleſiaſticus, ubi uſque ad tempus iſtud, quod deſcribimus, reſeruatur. Et dogma hoc ſacrum, omnique acceptione digniſſimum in aduerbio demonſtratiuo traditur. Ecce (inquit sãctus Enoch) venit Dominus in ſanctis millibus ſuis. Quod quidem demonſtrare videtur, quæ circa nos ſunt. Sic docet uniuerſa ſcriptura iudicij diem. Abacuc inquit. Viſus eſt procul, & apparebit in finem: ſi moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Et Paulus ad Hebræos. Adhuc modicum aliquantulumque, & qui uenturus eſt ueniet, & non tardabit. Non tardat, etiam ſi per mille generationes Dominus ad dexteram patris permaneat, cum quæcunque in die hac definita fuerint in perpetuas æternitates fixa, ſtabilia, immobiliaque permanebunt. Ite maledicti in ignem æternum. Venite benedicti patris

Iudæ Apoſto. c. vni

Act. nũ. 20

Eccl. 44.

Abacuc. 2

Ad Hebr. 10. c.

tris mei, poſſidete regnũ &c. Et qui nõ attingit ſcopũ, & uim huius conſidera- perpetuas ęternitates fixa, ſtabilia, im mobilia que permanebunt. Ite maledicti in ignem æternum. Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum &c. Et qui non attingit ſcopum, & vim huius conſiderationis, ſed dicit in corde ſuo: Morã facit Dominus, iam de illo Abacuc prophetauit. Qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. De quo S. Lucas, cum deſcribit hominem, qui dicebat in corde ſuo huiuſmodi verbum. Quod ſi dixerit ſeruuſ ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus uenire, & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari; veniet Dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum hypocritis ponet. Vides quãta ſcaturiant mala à deterrimo hoc fonte cordis iniqui, quod ſibi loquitur, Dominus meus moram facit? Enoch autem exiſtẽs ſeptimus ab Adã. Ecce, inquit quaſi digito demonſtrans tremendum tribunal æterni Dei venientis cum poteſtate magna, & maieſtate, de qua Enoch. In ſanctis millibus ſuis. De quibus ait S. Propheta Ioel. Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia, & facientia verbum eius. Quomodo ergo effugient caſtra Dei inimici eius, cum ſint multa nimis fortia, facientiaque verbum ſuum? Iure in exordio capituli S. Ioel inquit. Canite tuba in Sion, vlulate in vniuerſo monte ſancto meo, cõturbentur omnes habitatores terræ. Quare? Quia veniet dies Domini, quia prope eſt dies tenebrarum, dies nubis, & turbinis. De quo tempore conſidera, quid ſcriptum ſit apud D. Lucam. Venient dies, quando deſideretis vnum diẽ filij hominis, & non videbitis, ſcilicet ad pœnitentiam. Pondus magnũ habet verbum illud. Quæretis diem vnum filij hominis vos, qui modo mille dies filij hominis (qui in multa patientia vos adducit ad pœnitentiam, & tempus acceptabile, diemq; ſalutis) nihili facitis: quæretis, inquam, vnũ diem huic ſimilem, nec concedetur vobis. Et iuſtè quidem veniet, inquit Enoch, Dominus. Et Ioel. Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum exurens flamma arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. Verbum illud, arguere, duo dicit, conuincere, capereque argumento inſolubili, & exprobrare, confundereque. Primũ deſcripſit Saluator in homine illo, qui diſcubuit ad menſam nuptiarum in ueſtitu indecoro. Cui Dominus. Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Ecce argumentum inſolubile. Propter quod obmutuit, nõ ſciuit, nec potuit ſoluere argumẽtum. Quis reſpondebit, cum arguerit Dominus, poſuerit, ſtatueritque contra facies noſtras, quæcunque impie egimus? Altera ſignificatio illius verbi, arguere eſt exprobrare, cõfundereque. Quomodo confunditur adultera, quãdo cum alio vir ſuus inuenit eam. Sic confundentur omnes peccatores, ſuper quorum capita ponet Deus omnes abominationes eorum. Sic enim in Propheta regio de his omnibus legitur. Tu odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum. Si uidebas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Currebas, ne fugeret præda, ut facilius caperes ſpolia, reſque viatorum. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris. Sedens, quia ex propoſito dehoneſtare vndique intendebas fratrem tuum, & aduerſum filium matris tuę ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui. Et quia tacui? diſſimulans peccata tua, expectans pœnitentiam tuam: exiſtimaſti iniquę, quòd ero tui ſimilis? Immo arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Et addit ſtatim. Intelligite hæc qui obliui-

Luc. 12. Ioe. 2. Luc. 17. Mat. 22.

Deut. 32. obliuiſcimini Deum. Ad intelligentiam ducit huiuſmodi genus hominũ peſſimum. Quod & Moyſes ardenti uoto deſiderabat huic etiam populo, cũ dicebat. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Ioel vero poſt hanc intelligentiam, poſt conſiderationem horibilis iudicij intulit ſuam concluſionem. Nunc ergo dicit Dominus. Conuertimini ad me in toto corde ueſtro in ieiunio, fletu, & planctu, ſcindite corda veſtra. Habes ergo regulam docendi, ac diſputandi de magno iudicio, trahe ſtatim ſermonẽ ad pœnitentiam: cum utiliter concutiantur corda peccatorum ex timoris Domini conſideratione. Veniet ergo Dominus arguere omnes impios, & omnes duri cordis. Ideo namque in Eccleſiaſtico dicitur. Cor durum male habebit in nouiſſimo. Ecce quæ predixit, ac prædicabat Enoch à mundi conſtitutione. Nec æquo animo patiar, ſi quis ſermonem hunc ad diluuium traxerit, in quo perierunt omnes duri, & impij cordis, cum Enoch aduentum hunc in ſanctis milli bus Domini deſcribat, & ad arguendũ omnes peccatores, & nullum horum in diluuio accidit. Ante uero aduentũ

Mat. 24. Domini ſigna multa, & terribilia deſcribit ipſe Dominus euentura apud Matthæum, Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, ſicut prædixit Ioel. Et ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum, & ſic videbuntur decidere de cœlo, ac ſi non eſſent, ac ſi in terram cecidiſſent, ſic non reſplendebunt: propterea quod hominum opinione, & æſtimatione videbuntur cecidiſſe. Nullum ergo lumen erit in vniuerſo orbe, ſed ſicut à principio antequàm lux creata fuiſſet, tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: ſic vniuerſus orbis illo tempore in tenebris erit. Qualis tunc luctus? Qualis timor? Quantus pauor? Quanta mœſtitia & mœror? O noſtram duritiam! O noſtram incredulitatem! Nunquid non ſunt verà hæc? Nunquid non à Deo reuelata? Nunquid non approximant? Nunquid non dies illa vltima erit, nec dabitur vnus dies filij hominis ad pœnitentiam? Conuertimini igitur filij reuertentes, & ſanabo contritiones veſtras, & non erit vobis iniquitas in ruinam. Ecce mille dies filij hominis acceptabilis, & pleni ſalutis. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt inueniamus auxilium in hoc tempore opportuno. Quid moraris, ò homo cæcè, pauper, miſer, & miſerabilis? Vide vbi nunc proſtratus ſis, ablue peccata tua inuocato nomine Ieſu. *Hiere 3.* *Ad Hebr. 10.*

Poſt illa ſigna cælorum deſcribit Beatus Lucas teterrimum luctum, & portenta, quæ apparebunt in terra. Et in terris præſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcẽtibus hominibus prę timore, & expectatione, quæ ſuperuenient uniuerſo orbi: intelligent enim qualia futura ſunt mala, quæ hos habent nuntios & initia. O qualis tunc erit cor omnium peccatorum. Vbi tunc caput ſuperbiæ? Vbi tunc Rex? Vbi tyrannus? Vbi ſponſa delitians? Vbi delitiæ? Vbi ſuperba palatia? Vbi luxurioſus? O quàm ſtrictæ erunt tunc uiæ reproborum. Tunc filius hominis uenturus eſt in gloria patris ſui, miniſtroſque accipiet ad maieſtatis oſtenſionem, non in adiutoriũ aduerſus inimicos ſuos, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Quid eſt armabit? Vires, induſtriam, vim, & fortitudinem adminiſtrabit igni, tenebris, fulminibus, grandini, mari, & fremitui eius, ut impugnet omnes inimicos Dei ſui. Hinc iam tempeſtas uiolenta, hinc maris horribilis ſonitus, gentium præſſura, & mentis ſtupor: hinc ſolis luctus, & lunæ denſiſſimæ tenebræ, & ſtellarum, omnia hæc ad ultionem inimicorum, & tanquam dux huius magni, ſtrenuique exercitus ipſe altiſſimus: vt milites vniuerſus chorus creaturarum, & heu da- *Luc. 21.* *Mat. 16.* *Sap. 5.*

to ſigno ad bellum, quis noſtrum ſu-
ſtinebit? Ibunt directè emiſſiones ful
gurum, non caſu ad agrum, uel turrim
altam petent, ſed directè contra inimi
cos ad eorum amariſſimam, duriſſi-
1.Reg.2. mamque mortem. Vnde ſcriptum eſt
ſuper ipſos in cœlis tonabit: Domi-
num formidabunt aduerſarij eius.
Tonabit certè præ nimio fragore toni-
truum, ſtatimque ibunt emiſſiones ful
gurum directè, & determinatè. Quo
tunc confugiet pauens, & tremens ca-
ro? Et quidem tanquam à curuato ar-
cu nubium fulgura exterminabuntur,
& in certum locum decurrent. Quanto
plus arcus curuatur, tanto acrius infi-
Mat.13. git ſagittam. Et tunc uidebunt filium
hominis uenientem in nubibus cum
uirtute multa, & gloria. Omnes E-
uangeliſtæ nubes deſcribunt in aduen-
tu ſummi Regis Ieſu Chriſti, quæ
non naturales erunt: nam in reſurre-
ctione vniuerſali motus cęli ceſſabunt,
Mat.7. quare nec vapores poterunt eleuari.
Act.1. Obſerua familiare fuiſſe Chriſto Do-
mino in nube eximiam ſuam maieſta-
tem demonſtrare, & ſic in transfigura-
tione nubes lucida obumbrauit eos:
aſcendentemque in cœlum nubes ſuſce
pit eum ab oculis Apoſtolorum, ſta-
timque viri illi ſpeciei, & amictus cœ-
leſtis, qui apparuerunt, dixerunt. Sic
veniet quemadmodum vidiſtis eum
euntem in cœlum. Nulla tamen ne-
ceſſitas inuenitur iſtarum nubium ad
eleuandum ſacratiſſimum corpus Chri
ſti Saluatoris noſtri, aut aliorum San-
ctorum, de quibus Paulus. Rapiemur
obuiam Chriſto in nubibus: cum per
donum agilitatis per aera moueri poſ-
1. ad Cor. ſint. Nubes tamen illæ, quæ appare-
15. bunt in iudicio erunt veluti throni, &
ſedilia ad honorem Apoſtolorum, ſi-
cut illis repromiſſa ſunt. Non vulga-
ris afflictio tunc inuadet corda, & vi-
ſcera omnium iniquorum, cum fa-
ciem Chriſti indignatione plenam a-
ſpexerint. Quod in viſione prædemon-
ſtrata ſacro ac dilecto diſcipulo com-
probatur, ac deſcribitur. Oculi faciei *Apoc.1.*
filij hominis erant tanquam flamma
ignis, & vox illius tanquam vox a-
quarum multarum: & de ore eius gla-
dius ex vtraque parte acutus exibat:
& facies eius ſicut Sol lucet in virtute
ſua. Et cum vidiſſem eum (inquit
Sanctus Ioannes) cecidi ad pedes eius
tanquam mortuus. Dilectus diſcipu-
lus virginitate integerrimus, Spiritu
ſancto plenus, cum videt oculos iudi-
cis ira ſcandentes, cum audit vocem o-
ris eius, & conſiderat gladium egredi-
entem ab ore eius vtraque parte acu-
tum, cadit in terram velut mortuus.
Quis noſtrum ſuſtinebit? Impius, &
peccator vbi apparebunt? Columna
cœlorum tremens, ac ſtupens velut
mortuus cecidit ad pedes iudicis, cum
intellexit, quid in gladio ſignificetur,
& in igneis oculis, fęnum aridum quo
modo iudicem ſuſtinebit? Intellexit
in igneis oculis ſacratiſſimus Ioannes
iram duriſſimam iudicis, inexorabi-
lemque aduerſus omnes peccatores ter
ræ: intellexit in gladio vtraque parte
acuto ſententiam amariſſimam mor-
tis, per quam totus homo ſecundum
animam, & corpus igni tradetur æter-
no, & crudeliſſimis tortoribus ſub ca-
ligine. Gladius quippe oris Chriſti
altera parte acutus nunc eſt, ideſt, ani-
mam tantum iniqui hominis perdit in
morte, tunc autem in iudicio & ani-
mam, & corpus mittet in gehennam.
Vide qnid Eſther ſanctæ accidit in die,
qua ingreſſa eſt ante ſolium Regis Aſ-
ſueri & rem hanc adhuc intelliges. In-
greſſa namque ſtetit contra Regem, v-
bi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui
indutus veſtibus Regis, auroque ful-
gens, & pretioſis lapidibus, cumque
eum Regina vidiſſet corruit, & in pal-
lorem colore mutato laſſum ſuper an-
cillas reclinauit caput, conuertitque
Deus cor Regis in manſuetudinem,
& feſtinus exiliuit de ſolio, & ſuſten-
tans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe
his verbis blandiebatur. Ego ſum fra-
ter

ter tuus, noli metuere, non morieris, &c. Collige in vnum multa, ſcilicet, qualis fuerit Eſther quantæ, & quam admirabilis pulchritudinis, quam dilecta, & chara Regi ſupra cunctas mulieres adamauit eam Rex, diademaque ſuperbum poſuit ſuper caput eius, & ecce cum ab ipſo Rege aſpicitur in aliquantula ira, fit exanimis, & velut mortua. Quomodo peccator immundus, teterrimus ſuſtinebit iram oculorum Chriſti Ieſum, & gladium ab ore eius egredientem? Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea, vbi fugiam à vultu iræ tuæ? Stet verbum hoc in

Dan. 10. ore tuo. Videns Beatus Daniel virum lineis veſtibus indutum cuius facies erat velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, &c. Non remanſit (inquit) in me fortitudo, ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et audiui vocem ſermonum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & uultus meus hærebat terræ. Forma idem argumentum ſicut in ſancta Eſther, & in beatiſſimo Ioanne conſideraſti, & vide quid homini iuſto intelligenti aduerſus ſe non eſſe diuinam ſententiam accidit. Balthaſar Rex a-

Dan. 5. butens vaſis templi, quæ pater eius Nabuchodonoſor aſportauerat de templo Hieruſalem vidit quaſi manum hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie aulæ Regiæ. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur, & ipſa nocte interfectus eſt Rex impius. Heu quis ſuſtinebit faciem iudicis, & vocem eius. Ite maledicti in ignem æternum. Hic eſt gladius egrediens ab ore Chriſti ſupremi iudicis vtraque parte acutus, quem cernens Ioannes fit velut mortuus. Quod à longe præ-

Iob 14. uidens Sanctus Iob orabat. Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranſeat furor tuus? Deni-que conſiderationem abſoluamus in verbo Danielis, qui cum complerentur ſeptuaginta anni captiuitatis populi ſui in Babylonia, confitereturque peccata Regum ſuorum, lugenſque mala, quæ eis acciderant, inquit. Et omnis Iſrael præuaricati ſunt legem tuã, & declinauerunt, ne audirent uocem tuam: & ſtillauit ſuper nos maledictio, & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei. Stillam appellat maledictionis mala omnia, quæ acciderunt Hieruſalem, & ſeptuaginta annorum ſub ferro ſeruitutem. Quæ erunt mala, qualis erit captiuitas, & ferrum, quod ſuſcipient in iudicio omnes peccatores terræ? Diluuium maledictionis, & malorum denique & exilium æternum à patria cæleſti, & deterrimum, obſcuriſſimumque carcerem ſub cuſtodia diaboli, & ſatanę ſuſcipiẽt.

Et ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hędis: & ſtatuet quidem oues à dextris ſuis, hędos autem à ſiniſtris. Mixti ſunt in hoc mundo hædi, & oues: mixtum eſt triticum & paleæ, ſed ventilabit aream ſuam iudex iuſtus ſicut præ dixit magnus præcurſor Ioannes. Ventilabrum in manu ſua tenens permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Mirabile eſt, quomodo inextinguibilis dicatur ignis, qui paleas habet in materiam, quæ facili flamma abſumuntur. Propter inutilitatem reprobi nequaquam homines, ſed paleæ dicuntur, non propter imbecillitatem ad perpetuum cibum ignis. De qua re ait ſanctus Iob. Luet, quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur iuxta multitudinem ad inuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit. Mirabilis potentia, æquum iudicium Domini Dei noſtri ſic temperabit in reſurrectione corpora damnatorum, vt verè patiantur ab igne, nec tamen ab illo conſumantur. Communis eſt reprobis, & iuſtis in reſurrectione Apoſtolica ſententia ca-

net tuba, & mortui reſurgent incorrupta. Oportet.n. corruptibile hoc induere incorruptionē & mortale hoc īduere immortalitatē: incorruptibilia quippe erunt, & immortalia corpora iniquorum, non tamen impaſſibilia. Vnde beatus Anſelmus. Quid ſibi ergo vult iſta diſtinctio: Mortui reſurgent incorrupti, &, Nos immutabimur? niſi quia omnes incorruptelam, cui omnino nulla poſſit nocere corruptio: at per hoc qui in eam non commutabuntur incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum, habebunt quidem corruptionem carnis, in qua doleant, non in qua moriantur; alioquin & illi dolores finirentur. Incorruptio itaque propterea communis eſt omnibus, quia in ea miſerabiliores erunt peccatores, ut ad tormenta perpetui ſint. Et ſeparabit eos adinuicem. Tunc multi, qui falſo nomine apparebant oues, & uerè lupi rapaces erant, & hypocritæ, cum hœdis ſeparabuntur à ſiniſtris. In ſeparatione hac manifeſta fient omnium peccata in momēto temporis. Hinc eſt illud, quod audis in pſalmo. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbabuntur omnes inſipientes corde. Qualis tunc verecundia erit manifeſtata cūctorum peccatorum turpitudine coram Deo, & Angelis, & hominibus? Qualis confuſio tunc anxij, ſolicitique cordis reproborum omnium, cum patuerint, ac reuelata fuerint ſecreta cordium eorum? & noſtram ſuperbiam? O cor noſtrum lapideum. O cæcitatem mortalis hominis. O amentiam filiorum hominum. O fidem mortuam. Merito Moyſes arguens ſui populi, & noſtri cæcitatem mentis dicebat. Gens eſt ſine prudentia, & abſque conſilio, utinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Hæc ſunt nouiſſima, quæ prouida ſolicitudine præmittēda ſunt, ac viua fide conſpicienda, cui attenta, piauigilique meditatione repromittit Deus magnum donum. Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Hùc, hùc te inuito, & voco in multo deſiderio cordis, ò homo cæce, & ſtulte, hæc recogita cum clauſo hoſtio cameræ tuæ ad immunditiam omnem dicis in corde. Quis me videt? Videt te diuinus oculus, & apparebis in conſpectu cunctorum Angelorum, & hominum in iudicio. Cum ſeparauerit Deus oues ab hœdis. Obſerua, quòd hæc omnia non fient in momento, vel in ictu oculi, ſicut aliqui putant non propter iudicis imbecillitatem, qui omnipotens ueniet, ſed pro eius gloria aliquod temporis ſpatium occupabunt. Reſurrectio, quidem in momento fiet, ſicut teſtatur Paulus. In ictu oculi, ideſt, adeò uelociter, quòd oculus non celerius emittit radium ſuæ uiſionis ad obiectum, ſed cum ſedes Regis æterni Chriſti, & ſeſſio uerè, & realiter futura ſit, quod decet iudicem iudicantem, cum uox ſententiæ futura ſit materialis, non mentalis, & ſegregandi ſint boni à malis, omnia hæc aliquale quamuis non longum tempus ſibi uendicabunt.

Obſerua ſecundo, quod examinatio operum bonorum, & malorum, & accuſatio, & excuſatio, quæ ad conuincendum iniquos, & ad præmium bonorum antecedent ſententiam, mentaliter perficientur ſecundum illud Sapientiæ. Dirumpet illos inflatos ſine uoce. Et Diuus Paulus ad Romanos ait. Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, & defendentibus in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum.

Tunc dicet Rex. Venite benedicti, &c. O ſi ſapere in cordis palato poſſis, quid dulcedinis habet: Venite benedicti Patris mei? In hac uoce ſoluitur omnis maledictio Adæ, & impletur, quod à beato Paulo ſcriptum eſt. Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto. Rex igitur dicet

his

his, qui à dextris eius erunt (ab his enim incipiet iudicis ſententia) facie ſerena, & uultu alacri ad eos conuerſo quem aſpicere plenum erit beatitudinis, & gloriæ.) Venite à gemitibus laborioſæ uitæ ſæculi, ad gaudia, & immarceſcibilem, & glorificatam lætitiam paradiſi. Venite à mortalitate corporum, quam propter debitum patris ueſtri Adam iure, & iuſtè uſque ad diem hanc ſuſtinuiſtis, ad immortalitatem, & incorruptionem, & glorificationem in regno. Venite à doloribus pœnitentię, ad gaudia Angelorum: Venite benedicti patris mei: hinc omne bonum ueſtrum: quia benedicti à patre meo à quo omne bonum, & omne donum perfectum. Illi ergo gratias reddite, qui benedixit uos in omni benedictione ſpirituali in me filio eius. Iure optimo pro tanto mune re docet Apoſtolus Paulus: Cum gaudio gratias agentes Deo, & patri, qui dignos fecit in partem ſortis ſanctorũ in lumine, qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Neſcit loqui lingua carnis, tardus, & imbecillis eſt calamus in manu ſcribentis ad ſcribendas omnium ſanctorum gratiarum actiones Deo patri, & filio eius Ieſu Chriſto inSpiritu ſancto. Et quomodo à laude etiã uirginis matris ora ſancto rum tacebunt? Immo contra cœlum manibus extentis in multa cordis, & ſpiritus lætitia omnibus angelis congratulantibus, & reſpondentibus, Amen, Decantabunt. Benedicta filia tu à Domino; quia per te fructum vitæ communicauimus: & dicet omnis populus tribus, & lingua, Amen, ideſt, fideliter fidelis eſt ſermo, & digniſſima laus.

Ad Colo. 1.

Eſurini, & dediſtis mihi manducare, &c. Vides, quàm fideliter dixit. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur? Hæc eſt altiſſima miſericordia, ſicut illa fœmina beata ſe ptimo filio, cum proximus eſſet marty rio, dicebat. Suſcipe mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Denique Rex iratus his, qui à ſiniſtris erunt, dicet. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Non audis in hac ſententia. Diſcedite à mę maledicti patris mei, ſicut in priori dixit. Venite benedicti patris mei. Non quidem eſt ex Deo maledictio ad peccandum, ſed peccata ex homine ſunt ad maledictionem æternam, quam tũc omnes reprobi audient ab ore Domini, quibus obijciet, quàm immiſericordes fuerint, deſcendentque in momento in infernum ſub caligine, & igne deuorante, & ardoribus ſempiternis ſub manu ualida iræ, & iuſtitiæ, ultioniſque diuinæ, Poſt hæc autem omnia adiecit pijſſimus Dominus. Quod uobis dico, omnibus dico. Vigilate. Obſerua, obſecro, ex quibus præmiſſis hæc concluſio deſcendat, & inferatur. Diem ultionum in theſauris ſuæ ſapientiæ re condidit, neminem de illa edocuit.

Matth. 5.

2. Mach. 7

Quàm terribilis ſit futura ſententia aduerſus omnes impios non uulgaribus uerbis depinxit: ex his omnibus intulit, & dixit. Vigilate ergo, neſcitis enim, quãdo Dominus domus ueniat, &c. ne cum ueniat repente inueniat uos dormientes. Regius Propheta etiam ex conſideratione iudicij hanc intulit concluſionem. Meditatus ſum in nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Annos æternos in mente habui, unde meditatus ſum cum corde meo. Vulgo codices habent, ſcopebam, per, p, quod ſi legas cum Titelmano, ſcobebam, uel ſcopabam, utilem doctrinam intelliges mutata, p, in, b, aut certe, e, in, a, ut dicamus ſcobebam, uel ſcopabam: quorum prius ſcilicet, ſcobebam deriuatur à nomine ſcobs, quod ſignificat puluiſculum qui abraditur à ferro, uel alia qualibet materia, vnde verbum ab hoc nomine deriuatum ſcobs, ſcobis, ſcobere, ſignificabit ſcobem abradere, uel abſtergere, uelut limando, & abſtergen-do.

Pſ. 76.

do. Atque hoc modo ſcobere ſpiritū, non aliud eſt, quam limare & diligenter ab omni macula expurgare, atque ut niteat efficere, quemadmodum facere ſolent, qui limando ſcobem faciunt decidere. Nec male cōſonat huic, quod habet pſalterium Romanum. Ventilabam ſpiritum meum, hoc eſt, uentilando emundabam, & purgabam, vt nihil puluerulentum, nihil alienum in eo remaneret. Si vero ſcopare legas per, a, & p, à ſcopa uerbum deducitur, & eadem rurſus, quæ ex prioribus habetur intelligentia, non enim aliud eſt ſpiritum ſcopare, quam velut ſcopa emundare, & purgare à ſordibus, & omni immunditia. Lectio, quam exponit B. Auguſtinus, habet, ſcrutabar. Vide iam quam diligentiam, & peruigilem ſolicitudinem doceat attenta meditatio annorum æternorum.

De Iudicio quid aliqui doctores dixerint.

Iſido Clar. tom 1. oratione. 11. Simile. ISidorius Clarius de iudicio agens inquit. Fingite animis famam eſſe, ſummum quendam Imperatorem cum immenſo exercitu huc adnentare, & cauſam cur ueniat ignorare, amico ne, an hoſtili animo: quid obſecro uos facere tis? Primum tota ciuitas penderet animi quotidianas illas cogitationes, quibus nunc identidem occupamini abijceretis, nihilque aliud uerſaretis animo quam quiſnam huius aduentus exitus eſſet futurus. Deinde ſummo ſtudio daretis operam, ut quam poſſetis maximis muneribus illum placaretis, & inquireretis, quibus potiſſimum donis delectaretur, eaque pararetis, nihil curantes facultates ob hoc veſtras imminui. Quod ſi cæteræ facultates non eſſent ſatis, mulieres ipſe ornamenta omnia proferrent, & in commune ponerent, nec expectarent, dum rogarentur. Cur hæc? Quia grauiora metuerent. Quænam iſta? Ne facultatibus omnibus ſpoliarentur, euerteretur ciuitas, ferro uos, ac liberi ueſtri trucidarentur. Metu ergo amittendæ uitæ veſtræ, ac liberorum, & iacturæ facultatum hoc ageretis quamuis hæc omnia poſt paulò eſſetis amiſſuri morte aduentante, quæ cum uenerit, omnibus his eſtis carituri. At hæc omnia quæ de Imperatoris cuiuſpiam aduentu dicta ſunt adueniẽte Chriſto Rege Regum, & Domino dominantium imminent: atque illud accedit maius, quod eius ſæculi principes poſtea quam occiderint corpus, nihil præterea habent, quod faciant: hic uero poteſt, & corpus, & animam in æternos ignes relegare, & in re tantæ ſummæ, tantique ponderis ſtertimus, & in utranque auram dormimus? Impendet ſingulis momentis huius Imperatoris aduentus, neſcimus, quid nobis futurum ſit: certo tamen ſcimus, quibus placetur bonis, beneficentia ſcilicet in pauperes, & tamẽ ad eam præſtandam tam frigidi, & tam pigri ſumus. Ad metum terreni Principis omnia negligeremus, ad cogitationem aduentus Chriſti morditus omnia tenemus.

Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo. Ecce (inquit beatus Hieronymus) ſi umbrato repente de cœlo ſolis claritas noſtris aſpectibus denegetur, & productis in noſtram humilitatem nubibus pluuię terris immineant, ſi commotis, ut aſſolet, elementis in rotam ſui currus tonitrua concitentur, & inde hinc fulgurum iacula palpebris terribiliter obiecta coruſcent, quanquam in conſuetudine iſta contingant, paueſcimus, contremiſcimus, & proni ad terram, depoſita ſuperbia, ceruices ſubmittimus, quid faciemus in illa die miſeri? quando reuoluto cœlo cum Angelicis uirtutibus igneus Dominus totus adueniet? Quando cadentibus *B. Hier. de ſcientia diuinæ legis. tom. 4. Simile.*

tibus deſuper ſtellis. Sol in tenebras, & in ſanguinem luna mutabitur, quando montes ſicut cera liqueſcent, quando terra ardebit, & areſcent flumina, & maria ſiccabuntur, & contra rerum naturam conſumpto diuinitus humore ariditatem in aquis ignis operabitur. Quando peccatores dicent montibus. Cadite ſuper nos, & collibus. Tegite nos, quando uocabunt homines mortem, & uocata non ueniet; quando diſcrimina uertentur in uota; & quod ſemper oderunt homines concupiſcent: quando illud implebitur tempus, quod lugubri Hieremias prędixit affectu dicens, Reſpexi in terram, & ecce non erant luminaria: uidi montes, & ecce erant trementes, & uniuerſi colles turbati: intendi aciem, & ecce non erat homo, & omnes uolucres cœli pauebant: uidi, & ecce Carmelus deſertus, & omnes ciuitates ſuccenſæ igni à facie Domini, & à facie iræ, & indignationis eius: & interierunt uniuerſa. *Hiere. 4.*

Tunc uidebunt filium hominis, &c, cum uirtute multa, & maieſtate &c. *Pſal. 7.* Hoc eſt, quod Dauid prophetauit dicens. Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum uibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum &c. *B. Aug. ſuper Pſal.* Vbi Beatus Auguſtinus hoc pacto ſcribit. Vltimo uero tempore cum homines propter duritiem ſuam, & cor impœnitens theſaurizauerint iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii Dei, gladium ſuum uibrauit. Poteſt ipſe Chriſtus Ieſus Dominicus gladius Dei intelligi bis acutus, id eſt, framea, quam non uibrauit primo aduentu, ſed tanquam in uagina humilitatis abſcondit: uibrauit eum in ſecundo aduentu ueniens iudicare uiuos, & mortuos in manifeſto ſplendore claritatis ſuæ iuſtis lumine ſuo, & terrore impiis coruſcabit. Nam in aliis exemplaribus pro eo, quod eſt, gladium ſuum uibrauit, frameam ſuam ſplendificabit, poſitum eſt. Quo uerbo conuenientiſſimè ſignificari arbitror ultimum Dominicæ claritatis aduentum, *Pſal. 16.* quandoquidem ex ipſius perſona intelligitur, quod alius pſalmus habet. Libera Domine ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Et Caſſiodorus inquit. *Caſſ. ad ſuper Pſal.* Contumaces terret Iudæos, qui Domini lege contempta idolorum cultuis nefandiſſimè ſeruiebant: ipſis enim dicitur. Niſi conuertamini gladium ſuum uibrauit, id eſt, unicum filium ſuum ſub lucente claritate miſſurus eſt. Ecce in hoc loco aperte ait idem Dominus: Tunc planget omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis, &c. cum uirtute multa, & maieſtate.

In iudicio iuſti iudices erunt.

IN libro Iob dicitur. *Iob 12.* Deridetur iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus ſtatutum. Hæc ſemper fuit filiorum ſæculi huius uetus conſuetudo, innocentiam uidelicet, atque ſimplicitatem deridere. Beatus Paulus totam uitam Chriſtianam (quæ maiori ex parte candore uitæ, & ſimplicitate conſtat) & crucem ipſam Chriſti Ieſu, totamque illius uitæ rationem, ſtultitiam eſſe aſſerebat dicens. *1. ad Cor. 1.* Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Stultum utique eſſe uidetur, diuitias hominem contemnere & ſola eſſe paupertate contentum. Stultum eſſe uidetur lachrymis, & ſuſpiriis uitam conſumere: ſtultum inter cruciatus, atque tormenta gaudere, & riſu (proh dolor) etiam à Chriſtianis quibuſdam hæc excipiuntur, cum his rebus ad faſtigium ueræ ſapientiæ perueniatur. Nemo eſt, qui ignoret ſapientiam huius mundi ſemper docere ho-

nores affectare, adeptos per fas, & nefas retinere, iniurias, & contumelias retaliare. Contra uero iuſtos falſam gloriam, & fugacem contemnere, mala libenter tolerare, nihil externa ſignificatione fingere, ſenſum uerbis aperire, aliena nunquam rapere, propria largiri, quæ ſumma ſtultitia atque dementia huius mundi ſapientibus ſemper uiſa ſunt. Vere ergo inquit Sanctus Iob. Deridetur iuſti ſimplicitas, eleganterque de eodem homine iuſto ſubiecit. Lampas contempta apud cogitationes diuitum. Hominem iuſtum ſiue ſimplicitatem potius hominis iuſti, lampadem ſanctus uir appellat, ſed contemptam. Fortaſſe ſimplicitatem hominis iuſti appellat lampadem, propter ſplendorem iuſtitiæ, qui quamuis *Simile.* corporeis oculis non perſpiciatur, interius tamen & lucet, & ſplendet mirifice. Secundo lampas appellatur, quod inter tenebras denſiſſimas nihil aut utilius, aut neceſſarium magis, nihil lampade gratius. Bonorum enim uita, & conuerſatio in republica media uidelicet ſcelerum, & peccatorum caligine perneceſſaria eſt & utiliſſima. Poſtremo lampas appellatur, quia ignis ſurſum nititur, & uita iuſti ſemper ſublimia petit. Hæc lampas contemnitur apud uiros opulentos, & diuites: nam iuſtitia, & innocentia, & uita Christiana non ſplendet exterius, nec externa ſe commendat ſpecie, interius lucet & uenuſtate, & pulchritudine interioris hominis gaudet: ſitu, & ſqualore obſita eſt crux iuſtorum, paupertate, cruciatu, tormentis, infamia, dedecore, graui denique tentatione. Diuites ergo, & opulenti, qui externas tantum rerum ſpecies contemplantur, ſimplicitatem rident, iuſtitiam ſubſannāt: nam ſplendorem, & lucem illius non intuentur. Sapienter uero dictum apud cogitationes diuitum, quia diuites, & opulenti ſolent ridere eos, qui opibus, atque diuitiis egent, maximè uero qui nullo tenentur ſtudio rei familiaris, ſed ut lampas, atque ignis ſurſum nititur. Ita & uita iuſti aliena ſemper à fraudibus, atque dolis eis machinamentis abſtinet, quibus paratur ampla ſupellex, de ſupernis ſolicita, cum interim nihil aut parum temporalia bona attendat. Vel ob eam rem dixit. Apud cognitiones diuitum lampadem contemptam eſſe, quod cum iuſtitia apud impios, & nefarios etiam ſe ſe commendet, & exterius bonis operibus luceat, non audent *B.Greg.ſuper hunc locum.* filii huius ſæculi apertè illam contemnere, & impugnare interdum, ſed apud cogitationes ſuas illud faciunt. Verum tamen quamuis hæc iuſtorum ſimplicitas irrideatur, parata tamen eſt hæc lampas ad tempus ſtatutum. Tempus ſtatutum ex ſententia magni Gregorii ſuprema illa dies eſt tremendi iudicii, quando diuina prouidentia lampades iſtas, totiuſque orbis luminaria proferer in publicum improbis hominibus oſtendens, quanta poteſtate fulgeant homines ſimplices, Tunc declarabuntur & iudices ſupremi, qui in hac uita pro Christo iniuſto iudicio premebantur: potentius tunc emicabit eorum lux, quanto in hac uita ab impiorum ſuperbia, & arrogantia magis uexabantur. Accedente ſuprema illa die cognoſcent nefarii homines maiori eos eſſe poteſtate, quo fluxa bona, & temporaria pro Christo maiori animi elatione reliquerunt.

Iudicij extremi ſingulares annotationes.

Gen. 49. CHriſtus Dominus expectatio gentium vocatur à Iacob, & tamen videtur contra ordinem rerum, ſiquidem ipſe expectatus fuit à Iudæis, non autem à gentibus; tamen ita denique geſtum eſt, cum enim veniſſet ab his, qui eum expectare videbantur, receptus non eſt: hi uero, ſcilicet gentes, qui nihil penitus de ipſo audierant, & receperunt, & uenturum ad iudicium ſperant; & ita prophetia fidelis apparuit, quia Chriſtus eſt expectatio gentium, ſi quidem gentes conuerſæ ad fidem eum iudicem ſperant: in illa autem die implebitur, quod regius vates inquit. Omnia cornua peccatorũ con
Pſ. 71. fringam, & exaltabuntur cornua iuſti.
Pſ. 74. Omnes enim poteſtates ſuperborum tunc temporis conſtringentur: iuſtorum autem poteſtates exaltabuntur. Vnde idem regius Propheta alio Pſalmo inquit. Nolite extollere in altum cornu veſtrum: nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus (ſubaudi, erit confugium) quoniam Deus iudex eſt. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto Et inclinauit ex hoc in hoc; veruntamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ. Et quoniam hunc Dauidis locũ multi expoſitores non ſatis explanaſſe videntur operæ pretium erit uerborum eius exactam rationem atque adeò ſenſum Prophetæ ſimul oſtendere. Notare igitur oportet, pro dictione, meri, in Hebræo haberi verbum quod rubeſcere, aut turbare ſignificat. Vnde quidam, pro vini meri, uini turbidi, aut turbulenti, reddiderunt. Pagninus tranſtulit: Vinum rubuit. Huic conſonat Vatablus, & etiam Campenſis in paraphraſi Pſalmorum, ſic inquiens: habet enim Deus in manu poculum, in quo pulchrè rubet uinum, ſed cui plurimum eſt fæcis admiſtum. Ex hoc porriget metacum pijs, fæcem uero noxiam exugere, immo epotare coget impios omnes, quantumvis degant in terra multi. Hæc Campenſis. Qui tamen in textu, ſeptuaginta interpretibus ſuffragatur, quoniam ipſi rubens uinum, meracum eſſe intellexerunt: nulla aqua uidelicet dilutum, nulla miſtione decoloratum. Nam ubi vulgatus interpres uertit, plenus miſto: ſeptuaginta interpretes pro, miſto, non uſi ſunt uerbo, quod alijs alia miſcere, confundere, & conturbare ſignificat: Sed poſuerunt uerbum, quod à dictione, cornu, deductum, propriè propinare eſt, & in calicem potionem infundere. Vtebantur quippe ueteres cornu bouis pro poculo, ut Athenæus, & interpres Nicandri teſtantur. Nec uerbum Hebraicum obſiſtit. Nam ut annotauit Forerius ſuper illud Iſaiæ: Væ qui potentes eſtis ad bibẽdum uinum, Iſai. 5.
& uiri fortes ad miſcendam ebrietatem illud uerbum Hebræum infundere ſuperius, ut è uaſe in uas, inferius, ſignificat. Ex quo ipſe uertit: Ad infundendam ſiceram. Siceræ uocabulo Hebræi quicquid inebriare poteſt, intelligunt. Ergo in latina uulgata editione adiectiuum, miſto, uice fungitur ſubſtantiui, neque alius cuiuſquàm rei, aut liquoris confuſionem in uinum, ſed ipſius uini meri in calicem infuſionem ſignificat. Eſt denique uerborum ſeries, atque ſententia: quia eſt calix in manu Domini plenus infuſione uini meri, ideſt, optimi, ac potentiſſimi ad inducendum ſoporẽ, & ebrietatem potanti. Sunt & alia quamplurima loca in diuina ſcriptura, quæ ex eorum, quę modo diximus ignoratione, aut obliuione, mirificè torquent nonnullos expoſitores. Huiuſmodi eſt illud Apocalypſis. Hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum

miſtum eſt mero in calice iræ ipſius. Quorum uerborum ordo, & ſententia ſic habet. Hic bibet de vino mero iræ Dei, quòd miſtum, ideſt, infuſum eſt *Apoc. 18.* in calice iræ ipſius. In eadem Apocalypſi: In poculo quo miſcuit, miſcite illi duplum, ideſt infundite illi duplū. Et in Iſaia. *Iſai. 1.* Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum uertiginis. Miſcuit ideſt infundit. At non eſt idem uerbum apud eundem Prophetam, ubi legimus: Vinum tuum miſtum eſt aqua. Nam in Hebræo in hoc loco eſt uerbum, quod confundere, & permiſcere ſignificat. Conuertantur ergo peccatores, quia Deus iudex eſt, & fœcem noxiam epotare coget impios omnes quantumvis multi ſint.

Iudicij extremi notabilis exaggeratio.

B. Baſil. de Iudicio dei in præfat. to. 3. Beatus Baſilius de iudicio Dei loquens inquit: Nequeo plane intelligere quod fundamentum inueniant homines uel quem fortiſſimum murū opponant, ut non debeant pertimeſcere ualde extremum illum iudicij diem. Neque intelligo, qua ratione cum iſta ſua tam peruerſa uita poſſint ſperare in diuina miſericordia. Inuenio equidem legendo ſacras literas tam veteris quam noui Teſtamenti caſtigaſſe Deum grauiſſimè multos, non dicam propter atrociſſima ſcelera, ſed etiam propter minima in aliqua præcepta ſua commiſſa, quæ uiderentur non multi momenti. Neſcio igitur quo tandem modo uiuas tam impiè, & ſceleratiſſimè, & tamen tam otioſe, ſineque cura vlla, pœnitentia, ac ſolicitudine confidendo, ſed fruſtra hoc modo perſeuerando in diuina miſericordia, & obliuiſcendo horribile illud, & tremendum *Num. 15.* iudicium. Lege, obſecro, illius hiſtoriam, qui ligna colligebat Sabbatho, quis nam putaſſet propter rem, quæ uidebatur tam leuiſſima, & in qua tā parum uidebatur Deus offendi, & proximus ſcandalizari, caſtigari eum hominem tanto rigore, ut lapidaretur, & interficeretur per manus totius populi? Contemplare etiam Mariam illam ſororem Aaron, quæ licet eſſet ſummæ uirtutis, ut patet ex Exodo, propter id *Num. 12.* tamen duntaxat, quod murmurauit de *Exod. 15.* Moyſe adeò Deus in eam iratus fuit, ut *& 21.* graui eam lepra percuſſerit, & per ſeptem dies eiecta fuerit à congregatione populi Hebræi, Neque potuerit ſanctus Moyſes, & ſi pro ea intercederet remiſſionem aliquam impetrare. Conſidera præterea Moyſi ſanctitatē, & amicitiam qua cum Deo coniungebatur, *Num. 20.* & quam ardenter eum Deus amaret, & uide ex alia parte in aqua illa contradictionis ſeuerè à Deo fuiſſe punitum ſine intermiſſione. Si igitur cum tanta aſperitate ſe gerit Deus in amicos; quid expectabit magnus peccator, & facinoroſus? Cum uideo certè tam rectum hominem ſanctum, & benignum non poſſe reuocare diuinam ſententiam, dico apud me: Si iuſtus uix *Prou. 11.* ſaluabitur impius, & peccator vbi pa- *Et 1. Pe. 4* rebunt? Cum uideo mandare Deum *Leui. 4. & 5.* offerri arietem ſine macula, uel uitulum pro eo, qui per ignorantiam peccauerit, & quod oret pro eo ſacerdos ad placandam Dei iram: tacitus apud me reputo, ſi ita placandus eſt Deus pro peccatis commiſſis per ignorantiam, quid facere debebunt, qui peccant per malitiam? Quia Ozza atti- *1. Reg. 6.* git arcam, ſtatim occubuit: tu uero indies magis, magiſque delicta patras, adeò ut uidearis nunquam expectaturus tempus, in quo Deus facinora ipſa caſtigaturus eſt, & id inuitum auferes? Age iam quid tantum egerant Ana- *Actuū. 6.* nias, & Saphira, qui morte occubuerūt repentina? Nonne erant ſuæ poſſeſſiones illę, quas uendiderant, & pretiū ex poſſeſſionibus ſuis, quod ſibi reſeruarant? Neminem ſanè illi ſefellerunt, neque pecunias, quas reſeruauerant contra conſcientiam acceperāt

ab

ab emptoribus: nihilominus tamen, quia totam pecuniam in Apoſtolico depoſito non poſuerunt (cum ſeſe tradidiſſent vitæ Apoſtolicæ) fuerunt caſtigati. Vnde nam igitur in tantis peccatis tua tanta confidentia, & minimus timor diuini iudicij prouenit? Interminatus eſt Chriſtus Ieſus Petro infernum, ſi non ſineret tantum pedes ſuos lauari: & tu non credis ſimilem pœnam tuis tantis ſceleribus debere contingere? Hactenus beatus Baſilius. Sicut fulmina fortiſſima fortiores etiam oblatas res conterunt, & omnino conſumunt, & ubi maiorem offendunt reſiſtentiam, ibi uirtutem ſuam magis exercent, omnia huiuſmodi conſtringendo, & comburendo, & quæ imbecilla ſunt, & minime reſiſtunt illæſa relinquunt, ſicut experientia docet in enſe, & uagina, vt Plinius affirmat: ſic Deus uenturus in iudicium ſuperbos quidem, elatos, tumidos, proteruos, & arrogantes ſua uirtute proſternet, ac rigide puniet: humiles uero, & obedientes non tantum non puniet, uerum ſe etiam illis pium, & miſericordem, ſuauemque præbebit.

Simile.

Iudicium extremum ubi locorum fiet.

SI quæratur ubi locorum fiet uniuerſale iudicium? Reſpondeo certum eſſe futurum in hoc mundo inferiori, quia hic merita & demerita hominum iudicandorum peracta ſunt, hic etiam Chriſtus Dominus omnia myſteria redemptionis noſtræ peregit. Hic denique & ipſe, & ſui omnes impie iudicati ſunt à peruerſis hominibus. Quod autem dicitur futurum eſſe iudicium in ualle Ioſaphat, quæ eſt media inter montem Oliueti, & ciuitatem Hieruſalem: pie magis, quam neceſſario ſic creditur ex illo Ioelis Prophetæ. Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum conuertero captiuitatem Iuda, & Hieruſalem, congregabo omnes gentes, & educam eas in uallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, &c. Quando quidem Ioſaphat ſonat Hebræis iudicium Domini, ut ſit ſenſus. Deducam eos in uallem Ioſaphat, id eſt in uallem iudicii Domini. Ex quo non poteſt liquido inferri: Ergo illa pars terræ media inter montem Sion, & Hieruſalem erit locus iudicij extremi exercendi.

Iudicij extremi ſententia.

IN prolatione diuinæ ſententiæ contra impios obſerua uerba illa. Ite maledicti in ignem æternum. Non dicit. Ite ad ignem aut prope ignem tãtum, ſed in ignem, & in medium eius adeo ut circumuallet uos. Prolata uero ſententia, mox ibunt damnati in illud ſupplicium æternum. Perpende uerbum illud, ibunt. Solent malefici ui aliena rapi, aut protrudi in ſupplicia. Nã quis unquam uadit in præparatum ſibi exitium? Tanta autem erit uis, & efficacia ſententiæ prolatæ, tanta autoritas ſedentis ſuper throno, ut illi ipſi ituri ſunt in tam miſerabile ſupplicium mortis uel citra impulſionem, & pertractionem, omnino abſque funibus, & fuſtibus, aut minis dæmonum. Illi ipſi, dico, qui antea ne centum quidem præceptionibus ac minis potuerunt reuocari à morte in uitam. Dabit enim Deus tunc temporis uoci ſuæ uocem uirtutis, ſicut fecit in horto montis Oliueti cum uirtute uocis huius, Ego ſum effecit, ut abiceret retrorſum omnis illa armatorum caterua, & caderet in terram. Quid multis? plumbum quod detines ſurſum, te non amplius retinente, quo uadit? Deorſum equidem. Cuius impulſu? naturæ propriæ: ſic Deo abdicante à ſe præſidium damnatorũ, mox deſcendunt in abyſſum uelut plũbum natura propria, uel contra ipſorum uoluntatem, impellente: nã quod terrenum eſt, & in quo dominatur elemen-

mentum terræ, ſemper ſponte propria nititur ad imum terræ deſcendere, niſi ſurſum detineatur. Vbi ò Domine, vbi miſericordiæ tuæ antiquæ? Vbi quod dici ſolet, quòd miſericordia Domini ſuperexaltat uniuerſa? Veuſque quidem patuerunt peccatoribus fontes miſericordiæ diuinæ oſtia propitiationis meæ. Nunc autem tempus iudicii, & iuſtitiæ, dies retributionis, & ultionis in eos, qui dereliquerunt me fontem aquæ uiuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas quæ aquam continere non ualent. Quid ad hæc reſpondetis fratres? Quid reſpõdebimus? Liqueſcit animus, horrent membra, uox faucibus hæret, dum hæc audimus. Verè etenim dies illa, dies iræ, dies calamitatis, & miſerię, dies magna, & amara ualde. Per anthonomaſiam enim dies illa dies iræ uocatur: quia (ut in Apocalypſi dicitur) impii tunc montibus & petris dicent. Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronũ, & ab ira agni: quoniam uenit dies magnus iræ eius. Et quis poterit ſtare? Irã autem agni appellat, ut indicet talem eius diei iram futuram, qualis eius manſuetudo ante præceſſit; ſicut eius manſuetudo fuit ſupra omnem modum, quando a ſeruis, & pro ſeruis Dominus maieſtatis cædi ſuſtinuit, & crucifigi. Ita ſupra omne, quod cogitari poteſt, illius tunc ira deſæuiet, quando quos tantopere dilexit, & tam caro pretio redemit, tam diro ſupplicio mul-

Simile. ctabit. Qualis, quæſo, eſſet erga filium matris furor, ſi ipſa illum manibus correptum, in ingentis ignis pyram flammis abſumendum proiiceret? Cum ergo nos piiſſimus ille agnus pluſquàm materna charitate dilexerit, quos tantis in cruce doloribus parturiuit, ultricibus flammis perpetuo cruciandos committet qualis erit ita eius. Itaque iram hanc non ſolum pectore concipiet, ſed ipſo etiam uultu demonſtrabit. Quæ quidem res tanto improbis terrori erit, ut Diuus Chryſoſtomus a firmet ſatius eſſe decem millia fulgura ſuſtinere, quàm faciem illam manſuetam uidere ab ipſis auerſam.

In illis uerbis, quæ prudentes uirgines fatuis dixerunt, ſcilicet, ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, oſtendit Dominus, quòd ita futurum eſt terribile iudicium illud, ut nulla innocentia ſibi confidat. Quis ergo eſt homo natus de muliere, qui credit iuſtum ſe aſſe inueniendum in conſpectu illius, de quo B. Iob dicit, Stellæ in conſpectu eius non ſunt mundæ, & cœlum ſi ne crimine non eſt: ſi enim impeccabilis natura ſtellarum, & cœli, quantum ad iuſtitiam Dei inuenitur eſſe peccatrix, quomodo ante eum homo appareat iuſtus, cuius & ſine voluntate peccandi natura ipſa peccatum eſt, dicente Apoſtolo. Ego autem carnali ſum venundatus &c. quod enim operor nõ intelligo. Non operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum. Tantus ergo erit timor tunc omnium etiam ſanctorum, ut nemo ſperet ſe iuſtum eſſe inueniendum, ſed adhuc timeat, ne forte reus exiſtat. Quis enim poteſt ad perfectum diiudicare conſcientiam ſuam, & cognoſcere cor ſuum, cum ſcriptum ſit, quia de omni uerbo otioſo redditu ri ſumus rationem? Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedent ſancti, cum timeant ipſi de ſe? Nam ſicut tempus miſericordiæ iudicium non ſuſcipit; ſic & tempus iudicii miſericordiam non recipit.

Mat. 25. *Iob 25.* *Ad Ro. 7.* *Mat. 12.*

De Chriſto ſuperno iudice inquit Regius uates: Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos. Per uirgam ferream uirtutem iuſtitiæ intellige: quia ſicut uirga ferrea ſtabilis in ſua rectitudine permanet, ſic & iuſticia oblicari neſcit. Ad iuſtitiam autem pertinet, bonis dare præmium, & ſupplicium malis; & quamuis in vtroque ſimul concurrat Dei miſericordia, & iuſtitia, tamen quia ſicut miſericordia plus relucet in præmiatione bonorum quam iuſtitia, ſic & iuſtitia *Pſal. 2.*

plus

plus relucet in punitione malorum quam miſericordia. Ideo ſingularem mentionem fecit ſanctus Propheta de malorum punitione facta per iuſtitiã Dei dicens: Et tanquam vas figuli confringes eos, ſcilicet malos. Et aduerte, quod congruè mali per Dei iuſtitiam puniri æternaliter tanquam vas figuli conſringit dicuntur. Quia ſicut vas figuli fractum, reparari amplius non poteſt, vt vas auri, vel vas argenti, ſic & damnati ita confringuntur, vt amplius per pœnitentiam reparari nõ poſſint, quia tempus pœnitentiæ fructioſè eſt ſolum in præſenti uita. Ideo non dixit: tanquam vas auti, vel argenti confringes eos, ſed tanquam vas figuli.

IVDICIVM
temerarium.

B Io. Clim. gradu 10.

Beatus Ioannes Climacus ait. Qui celeres, nimiũque diligentes proximi delictorum iudices ſunt, hoc idcirco patiuntur, quia nõdum ſuorum peccatorum fixam, atque perfectam memoriam, curamque ſuſceperunt. Nam ſi quis amore proprij amoris velamine mala ſua diligenter inſpiciat, nullius iam alterius in hac vita curam geret, id apud ſe reputans, tempus ſibi ſufficere non poſſe, quò ſe ipſum lugeat, etiam ſi centum annos vixerit, etiam ſi Iordanem fluuium in lachrymas verſum ex oculis ſuis manare perſpexerit. Notaui peccata ſua lugentem, nec vllum in eo detractionis, aut condemnationis veſtigium inueni. Aut peccare nos dæmones vrgent, aut, cum non peccauerimus, iudicare peccantes nos faciunt, vt per hoc ſecundũ primum illud ipſi dæmones inquinẽt.

B. Chry ſuper Mat.

Hanc ſententiam Climachi confirmat Beatus Chryſoſtomus, dicens. Sicut difficile aliquem ſuſpicatur malum, qui bonus eſt; ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe malus eſt. Et addit. Omnis homo ex ſe æſtimat alterum: fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facilè ſuſpicatur: ſuperbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum. Hoc dæmonis eſt officium, & munus, cum non habeat mala, quæ accuſet bona quæcunque in malum vertere curat quaſi non bono animo fiunt: & in hoc impij, & nefarij homines Satanæ mores, & ingenia referunt, qui aliorum egregia opera pietatis plena obſcurare, & de proximorum animis ſiniſtrè iudicant, & in peiorẽ ſemper partem interpretantur quæ ab alijs bene fiunt. Cum enim Dominus Iob laudaret: reſpondens Satan, ait. Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti domum eius? &c. ſed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. *Iob 1.* Hic locus in varios ab interpretibus trahitur ſenſus. Sunt qui arbitrentur germanum huius loci ſenſum eſſe. Hactenus omnia ex voto ſucceſſere huic homini nihil aduerſum vnquam in tota vita expertus eſt, iam nũc iam extenta manu eum, vel tantiſper tange, & nunc videbis quoniam in faciem tibi benedixerit, hoc eſt, tunc deprehendes fucatam fuiſſe illius pietatem, & diuitiarum amore captum, & quod externo tantum cultu benedixerit tibi, non interna animi pietate. Magis

gis tamen mihi probatur, vt in faciem benedicere, idem ſit, quod impetere blaſphemia, aliqua, aut aperta contumelia, & quod dixit, in faciem; perinde eſt, ac ſi diceret. Impudenter, inuerecundè, perfricata fronte, ruptis omnibus pudoris repagulis. In hunc ſenſum videtur Chaldæus interpres locum trahere. Extende, inquit, manum tuam, & noce omnibus, quę poſſidet, non enim coram te orabit. Quaſi dicat; Tunc repudiatis precationibus, tota religione poſthabita repudiabit etiam omnem pietatis rationem, quam præſenti rerum ſtatu ſimulat. Omnia ex ſuo animo metitur Satan, neſcit, hominem ſolo amore ductum poſſe Deo per omnia obſequi. Impius ex propriæ conſcientiæ tabe, & ſentina iudicat de alijs. Dæmon quia proprio amore laborat, quia vt ſeruus exequitur diuina mandata non animo ſpontaneo omnes ſibi ſimiles arbitratur nec facile inducitur, vt credat ob amorem virtutis aliquandiu hominem in officio perſiſtere, qui ex amore proprio peccauit, & primos parentes hoc ariete pulſauit, & deiecit. Eritis ſicut Dij.

Simile. Vt enim phreneſi laborantes peregrina quadam linearum rectarum ſimilitudine in pariete deſcriptarum decepti animalia quædam deformia videre exiſtimant, & teſtantur, vt Ariſtoteles ait. Sic impij homines animi ægritudine deprauati lineas rectas, hoc eſt, aliorum facta illuſtria non ſolum ſpoliant ornamentis, ſed etiam vitio vertunt, & ad calumniam rapiunt.

Eccl. 18. Vbi nos legimus in Eccleſiaſtico: Ante iudicium interroga te ipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem, alia translatio habet. Ante iudicium explorate ipſum, hoc eſt, antequam alios iudices te ipſum ſcrutare, atque ita neminem iudicabis, & apertè conſpicies, quia in quo alium iudicas, te ipſum condemnas, vt ait D. Paulus. *Ad Ro. 2* Stultus, & inſipiens diceretur homo ille, qui cum haberet faciem duobus ictibus vulneratam ſubſaparet alium qui vnum duntaxat vulnus in facie haberet. Quod ſi ſcelera tua animaduertis ac te ipſum ab aliorum iudicio cohibueris, inuenies proculdubio in conſpectu Dei propitiationem, hac enim via te Deus in veram pœnitentiam adducet. *Simile.*

Quando aliquid ore profertur quod poſſit duos ſenſus accipere, qui illud audit tenetur in meliorem partem interpretari, & ob hanc cauſam falſi teſtes vocati fuerunt illi, qui de Chriſto Redemptore noſtro aſſeruerunt. Hic dixit poſſum deſtruere templum Dei, & tribus diebus reædificare illud, qui quã uis (vt ipſi exiſtimabant) in hoc non mentiti fuerunt, eò quòd Dominus quædam verba, quæ id ſonare videbantur, protulerat, ſcilicet. Soluite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud: *Ioan. 2. c.* nihilominus tamen iſti meritò falſi teſtes fuerunt à ſacro Euangeliſta appellati, eò quòd verba Chriſti Redemptoris noſtri aliter acceperunt, quam ipſemet Dominus intendebat: ille enim de templo ſui corporis hoc aiebat, ipſi autem de templo materiali id peſſime interpretati ſunt.

In libro Ioſue legitur, quo pacto Gabaonitæ ad ipſum Ducem Ioſue venerunt, & ipſe de eis omnibus, quæ affirmabant, credidit. *Ioſ. 9.* Vbi duo ſunt obſeruanda, ſcilicet bonitas, ac ſinceritas illorum temporum, quando homines non ſuſpicabantur aliquem poſſe aliũ decipere, ſicut enim iuſtus alium fallere neſcit, aut alicui mentiri, ſic idem de alijs cogitat. Vnde in Prouerbijs dicitur. *Prou. 14.* Innocens credit omni verbo. Alterum vero notandum eſt, quod quamuis Hebræi in terram Gabaonitarum, & quæ ab eis dicta fuerant falſa eſſe, & aperta mendacia inuenere, nihilominus ipſi Hebræi promiſſis ſteterunt, & verba eis non fregerunt. In quo apertè conſpicitur, quantam rectitudinem & firmitatem habebant non ſolum Hebræi, verum etiam & gentiles, vt B. Augusti-

B. Aug. li. 1. de ciuit. Dei. c. 5. guſtinus refert de quodam Marco Regulo, qui voluit potius vitam amittere, quam iuſiurandum Carthaginenſibus promiſſum violare.

Doro. doct. 16. Dorotheus inquit. Vt corpora melancholici, & mali humoris quidquid cibi ſumpſerint, illud in choleram conuertunt, & quodammodo perimunt, licet fuerit cibus optimus, nec à cibo cauſa eſt, ſed à corpore, quod diſtemperatum contraria ad digeſtiorum opera tur, & ciborum naturam immutat: ſic animæ malæ diſpoſitæ. Vnaquæque res quamuis bona, & vtilis ſuo vitio nocet. Finge mellis vaſculum ante nos poſitum eſſe, ſi quis in illud modicum quid abſinthij immitat, non ne vas totum corrumpit, & mel amarum facit. Idem nos facere videmus, cum puſillo amaritudinis noſtræ totum proximi bonum corrumpimus, iudicantes illum pro ſtatu mentis noſtræ, & transformãtes quodammodo ipſum ex mala diſpoſitione, quæ in nobis eſt. Nam qui bene animo diſpoſiti fuerunt, tales ſunt erga omnes, quales qui corpus temperatiſſimum habet, qui quidquid nocens comederint, omne conuertunt in nutrimentum, cuius rei ratio eſt vt dixi; corporis temperamentum, ſanitas, & bona habitudo, quæ omnia faciunt, vt quidquid comederint bene vertant, bene digerant, & bene coquãt. Quod vt manifeſtius pateat, ſubijciam exemplum. Sus corpus habet ſanè temperatum, & ſuccidum cuius cibus, & nutrimentum glandes, cornua, palmarum oſſa, & lutum eſſe ſolent vt in plurimum, quæ omnia ex corpore bene diſpoſito concoquit, & digerit. Ità nos, cum bene diſpoſiti erimus, poterimus à quauis re etiam nocente vtilitatem capere.

Simile.

Simile.

Iudicium temerarium.

Iob 11. LOquens Sophar Naamatites cum Sancto Iob deceptus temerario iudicio dixit. Vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, vt oſtẽderet tibi ſecreta ſapientiæ eius, & intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Si Iob impius fuiſſet (vt temerè iudicabat Sophar) optandum quidem erat, vt Deus cum illo diſceptaret, qui ſolus ſuperbos, & arrogantes homines bonis infeſtos conuincit, atque coercet. Ita Adam, & Cain cum Deo de criminibus ſuis loquentes conuicti tacuerunt, & propterea hoc idem Dauid optabat, atque precabatur dicens. Exurge Domine non confortetur homo: iudicentur gentes in conſpectu tuo. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt. Quia vero non impius Iob, ſed religioſus erat, merito quod Sophar precabatur, optabat. Nam piorum virorum cauſa ſi agatur apud Deum, facillima eſt cum in magnas ſæpè apud homines acta incidat difficultates. Et ob eam rem Dauid etiam dicebat. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. Qua vero temeritate Sophar ſanctum Iob impium iudicabat, patet, quia dixit. Et intelligeres, quod multo maiora exigaris à Deo, quam meretur iniquitas tua, id eſt, quod minores, qui pro meritis pœnas pendas. Certum enim eſt S. Iob non ob ſcelera ſua tot accepiſſe vulnera, ſed vt eius eximia, & conſtatiſſima virtus omnibus plana, & manifeſta fieret, ita vt nec terra Diaboli inuidia quidquam calumniari poſſet. Pſal. 9.

Quare ſi Deus tunc ſapientiæ ſuæ ſecreta detegeret, ut optabat Sophar, potius ipſe, quam Iob pudore conuictus ſuffunderetur, vt poſtea planum fuit, cum Sophar, & alij amici Dei iuſſu Sanctum Iob precati ſunt, ut eis à Deo ſtultitiæ ipſorum veniam impetraret, quoniam non ita rectè, ſicut ipſe Iobus, loquuti eſſent.

Ex quo intelligitur, nonminus admirabilem eſſe infinitam diuinæ ſa-

pientiæ rationem in his probandis, qui hominum iudicio condemnantur, quam in ijs damnandis, qui multorum ſententijs probi, & integri habentur: immo profectò longè maiora iudicia immenſæ magnitudinis ſuæ illo, quam hoc modo exhibuit, vt ex Ieſu Chriſto Saluatore noſtro cognoſci licet, qui vna populi voce ad ſupplicium depræſſus, & iniqua iudicis ſententia tam nephariæ libidini permiſſus, Dei tamen iudicio non ſolum innocentiſſimus fuit, ſed etiam eximia eius innocentia ad omnium reorum ſalutem per ſe, vique ſua manauit: vt narratur ab Iſaia Propheta his verbis.
Iſa. 55. Nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Quo circa valde moderati homines eſſe debent in ferendis de aliorum improbitate ſententijs.

B. Cyril. ſuper Io. lib. 5. c. 23. Ex fonte dulci manans aquas ſuam refert originem, & dulcis eſt: ex fonte vero amaro, & turbido non poteſt vnda ſuauis profluere, ſed amaricata, & horrida guſtu. *Simile.* Atqui animus hominis, vt fons eſt, qui intra ſe concipit iugiter ſcaturiens, qui ſi beneuolus fuerit, & ſynceto affectus amore, talia etiam ſenſa, & cogitata expromet, ſim vero maleuolentiæ veneno labefactus, aut inuidiæ tabe fuerit corruptus, nihil rectum, nihil amicum, nihil denique benignum meditabitur, ſed obliqua, ſiniſtraque cogitatione quæcunque audita interpretabitur. *Ioan. 1.* Hoc in Iudæis conſpicitur, qui uerba Domini in malam partem interpretabantur, ut patet apud Diuum Ioannem quando eis dixit. Quò ego vado vos non poteſtis uenire: ubi protinus in abſurdam, & horrendam auditu exierũt cogitationem, uerbiſque eam expromouerunt ſciſcitãtes, nunquid ſe ipſum eſſet interfecturus, quia dixerit quo iturus eſſet illos peruenire non poſſe? Sed unde hæc tanta exorta fuit intelligendi abſurditas? Profectò ex ſola animi eorum nequitia, qui quoniam uirulentus erat, & horrore odij contaminatus, quicquid intra ſe receperat conſimili tabe commaculabat. Quemadmodum uas illitum ueneno, quicquid impoſitum ſibi receperit, reddit uenenatum, & mortiferum. Cæterum neque veriſimilitudinem habebat illa improba Phariſæorum inquiſitio. Non enim ſi ſe ipſum dominus interfecturus eſſet, colligere rectè potuiſſent eam ob rem quo ipſe iturus eſſet alios peruenire non poſſe. Nam & ipſi ſe ipſos interficere potuiſſent, ſibique ultrò mortem conſciſcere, & hac uia ueniſſent quidem quo Chriſtum abijſſe autumaſſent. Hanc autem (quam etiam cogitare pius horreſcit animus) de diuino Saluatore impietatem ipſe manſuetè ferens oſtendit eis cum admiranda benignitate, quonam pacto ſua fuerant uerba accipienda, ſimul & ſuæ naturæ eminentiam ſupra cæteros homines declarat. Hos autem perditos homines iterum, atque iterum admonet piiſſimus Dominus iu. ſuo peccato morituros, & ad mortem uſque in ſua iniquitate permanſuros abſque fructu pœnitentiæ. Vt quod prima exhortatione eorum mentibus non inhæſerat, aut fuerat infixum, ſaltem ſecunda, aut tertia affigeretur. *Simile.* Ita enim faciunt, qui duræ ceræ annitũtur imprimere formam ſigilli: ſi primo conamine fruſtra tentarunt efformare illius effigiem, ſuperaddunt ſecundum, aut tertium conatum, & improbo tandem labore aſſequuntur quod expetunt, niſi uſque adeo dura ſit, & primitiuæ formæ reluctans materia, ut omnino illius affigiationem non admittant. Qualis re uera erat Iudæorum animus, qui lapidis inſtar omnem refugiebat emollitionem, & ne terribili quidem hac interminatione inflectebatur ad pœnitentiam. Idcirco tertio id ipſum repetit ut medicus de ægroti ſalute deſperans, & imminentem ſæpius ei prædicens in teri-

teritum, niſi ea, quæ reparandæ ſanitati apprimè neceſſaria ſunt, obſeruet. Sed poſtea uiam aperuit, qua tantum poſſent euadere diſcrimen, ſcilicet mori iu ſuo peccato, utpote ſi credere uoluiſſent, quia ipſe eſt: quam quidem fidem ſi amplecti neglexiſſent, ſicut neglexerunt, de ſalute corũ actum eſſe declarauit. Hæc omnia beatus Cyrillus.

Cauſa vero, quare iſti miſeri homines tam peruerſa, & abſurda iudicia protulerunt, &tam malè de veritate ſenſerunt, atque uili penderunt tam horribiles comminations, inſinuauit cæleſtis Dominus dicens. Vos de mundo hoc eſtis: Vnde colligitur, illos adeò deditos eſſe mundanis rebus, &prorſus immerſos, vt appetitum &guſtum omnino corruptum ad res ſupernas haberent. Nos quoque tales ſumus, qui ita defixi manemus, & intrincati ſæcularibus, adeoque terreni, immò in terram conuerſi ſumus, ita vt nihil niſi terra, &quæ terrena ſunt noſtris cordibus imprimatur, & concipiatur, & nihil in noſtris animis naſcatur &pullulet, quod totum mundanum non ſit. Et certè ſi agricolis peritis credimus, ſicut inſitiones ipſæ non coniunguntur neque vniuntur niſi diligenter aduertatur, vt nucleus cum nucleo, & os cum oſſe inſeratur: ſecus enim os cum nucleo, aut nucleus cum oſſe non conſeruntur: ſic amigdalus non conſeritur pyro, neq; perſica præcox coniungi poteſt arbori mali, vel citrei, quia tunc conſitio fit nuclei cum oſſe, ſed tamen facilè conſeruntur malus medica cum citrea, quia ſeruatur in ſemine eadem proportio. Sic etiam contingit in nobis qui cum ſimus de mundo, ſiquis nobis ſuperna conatur inſerere, perinde eſt, ac ſi quis vellet inſerere, & coniungere oſſa cum nucleis.

Simile.

Præterea ſicut in Dei amicis & ſeruis, quorum conuerſatio, (vt dicit Apoſtolus) in cœlis eſt, nullus imprimere poteſt malum, quia ſunt diuerſæ inſitionis. Et qnemadmodum in pectore ſerui Dei, vel vnicum verbũ ſtatim adhæret, pullulat, dilatatur & creſcit: ſic in animo impij res mundanæ maximè pullulant, & vigent, quia ſunt eiuſdem planè inſitionis. Non poteſt non eſſe negligentiſſimus in componenda vita ſua qui in aliena perſcrutanda, & diiudicanda diligentiſſimus eſt. Quemadmodum enim alget viſcera cum naturalis calor ad extrema corporis membra diffunditur; ita quiſquis in alienis moribus indagandis, & diiudicandis nimium ſolicitus eſt ſolet in ſuorum cognitione negligentior eſſe. Qui enim ſtudioſe ſeipſum diſcutit, & intima ſua ſemper explorat, tam multo intra ſe inuenit, quæ & odiſſe, & ſtipare, & componere debeat, vt nihil ei otij ad aliena vitia ſcrutanda, & aliorum corda diiudicanda ſuperſit.

Ad Phi. 3.

Sicut Solis radius per vitrum varijs coloribus depictum ingrediens vitri colores, non autem ſuum repreſentat; ita vt cum Sol ſit vnus atque idem; varius tamen pro colorum varietate apparet: ſic homo affectu corruptus, non ueros ac natiuos colores factis tribuit, ſed qualis eſt eius affectio, tali colore præditam eſſe rem iudicat, atque depingit. Noli ergo temerè iudicare ne toto erres cœlo, ſicut multi faciunt.

IVRAMENTVM.

AB initio cum homines erant veraces, non erat in vſu iuramentum, niſi re magna, & graui ſolemnitate ornatum, vt docet Magiſter Soto. Reputabatur nanque olim inhoneſtū admitti iuramentum non ieiunum; etiamſi prorſus eſſet neceſſarium, quaſi ad Sacroſanctum altaris ſacramentum, ſic ad iuramentum accedebatur; nempè vt iuraturus attentiori animò ſecum ſe putaret certiſſimum, nē eſſet id, quod ſub iuramento aſſerturus accedebat. Quapropter & alijs circunſtantijs exornabatur iuramentum, non enim debebat fieri niſi in templo, & ſuper altari, & libro Euangelioru m attacto, quem ſacerdos in manibus teneret quaſi ante tribunal Dei tremebundus iuramentum præſtaret. Vnde B. Chryſoſtomus in quadam homilia ait. Non ita gemo, & deploro quoſpiam in vijs iugulatos audiens, ſicut gemo, & lachrymis proſequor, & horreſco, cum video quempiam prope menſam hāc, ſcilicet altare, venientem, & manus imponentem, & Euangelijs iurantem attactis. Sed, heu, heu, & millies heu, veni modo ò Chryſoſtome ſancte, & in vijs, & plateis, & in domibus innumeros periurio iugulatos reperies ſine loci diſcrimine, temporis, aut rationis periurantes. Cum tamen apud Ethnicos ſeruabatur (vt inter Romanorum problemata apud Plutarchum extat (vt nemo Herculem ſub tecto iuraret, ſed ſub dio quaſi in Iouis præſentia, vt iuraturus admoneretur, quantum iudicium præſtando iuramento deberetur. O peruerſitas temporum noſtrorum, & iurandi abuſio) vſquequò peruenies: non poteſt non deplorari grandis miſeria, in quam circa hoc Chriſtianus populus deciderit. Audi obſecro, homo Eccleſiaſticum Dei nomine tibi cōſulentē. Iurationi nō aſſueſcat os tuum: multi n. caſus in illa. Si in iuramento ergo multos cauſus inuenies, quid in periurio, & in blaſphemia erit? Nam, ut ait beatus Auguſtinus (referente B. Thoma ſuper illa uerba Iacobi: Fratres mei nolite iurare nec per cœlum, nec per terram) iuratio falſa pernicioſa, uerè periculoſa, nulla ſecura. Quod autem negotium hoc magis timendum reddit, eſt illa ſententiā, quam in eodem capitulo Eccleſiaſticus profert, dum ait. Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo eius plaga. Vbi aduertēdum eſt, Eccleſiaſticum nō dicere: Vir peierans, ſed uir iuramento aſſuetus, malitia, & à domo ſua plaga non deerit. Quid ergo erit de peierante? Huic maiora mala proculdubio euenient, ut eſt uidere in promptuario, titulo de blaſphemia exemplo tertio ubi dicitur. Duo luſores (cum uni eorum male ſuccederet in ludo) inſurrexerunt ad blaſphemiam, alter fortunæ, alterius inuidens, ut furori ſuo ſatisfaceret, cœpit contra Deum uerba contumelioſa euomere, quē ſocius eodem ſatanico ſpiritu afflatus compeſcere incœpi dicēs. Sile, tu enim neſcis maledicere, & Deum blaſphemans in matris eius ſanctiſſimæ iniuriam prorupit; ſtatim uero uox de cælo audita eſt. Meam iniuriam quocunque modo ſuſtinui: matris autem meæ contumeliam nequaquam tolerabo moxque ſuper ipſam menſam uulnere uiſibili inuiſibiliter percuſſus ſpumās ſpirauit. Videte, & timete audaces ſerpentes

Soto lib. 8. de iuſt. & iure. q. 1.

B. Chryſ.

Eccl. 23.

penſes pœniteat; uirginem Mariam non uerentes dicere, & per uirginitatem eius falsè iurantes quale ſupplicium nobis hic; & in futuro reſeruetur. Non recedet à domo ueſtra plaga hic, & poſtea igne ęterno cremabimini. Dic mihi, blaſphemę, quam excuſationem coram diuino iudice in tuæ animæ egreſſione protexere poteris, cur tam contumelioſe nomen ſanctum eius lingua tua execrandà polluiſti? Fur enim ſi fruſtra, & inutiliter reſpondebit ſuperno iudici interroganti: Quare ſeptimum mandatum fregiſti? Domine ob neceſſitatem, aut ob nummorum auaritiam. Quare tu homicida quintum trãſgreſſus es præceptum meum? Domine ob uindictæ deſiderium. Quare ò feſtorum dierum prophanator tertium mandatum meum frangere nõ es ueritus? Domine ut aliquid ad filios meos alendos eſſem lucratus. Quare adulter inſanè ſextum præceptũ meum polluere non metuiſti? Domine futulis fuit cauſa, tamen ob illam momentaneam delectationem, ſimul & ob fortem tentationẽ. Inutiles ſunt reſponſiones iſtæ quin minus ſit damnatus quilibet in Dei iudicio inuentus in aliqua mandati tranſgreſſione: non tamen poſſumus negare aliquo modo, iſtas cauſas, quantumuis uanas culpam minuere, uerùntamen dic mihi, obſecro, effrons periure, quando miſera anima tua à corpore egrediatur, & coram illo iuſtiſſimo iudice præſentatb ſit & ab ipſo interrogata: Quare tranſgreſſa es ſecundum meum mandatum anima inuerecunda, nec timuiſti iurare uana frequenter per ſumme uenerandum nomen meum; nec uerita es me in teſtem mendacij quoties tibi occaſio oblata fuit adducere, & quod horrendum eſt dictu, auſu infernali me Deum angelorum multoties blaſphemare? Quid infœlix dices, aut quid tanto Domino à te infamato reſpondebis, cum nihil uoluptatis, aut utilitatis, aut lucri, aut honoris in tua peierandi, aut blaſphemandi maledicta conſuetudine poſſis uerè prætexere? Si piſcem hamo captum interrogas: Quomodo te cœpit iſte hamus miſer piſcis? *Simile.*
Reſponderet, ſi fari ſciret, & intellectum haberet. Non ſum adeo ſtultus, vt ab ipſo hamo nudo captus eſſem, niſi eſca cõtextus mihi in flumine proponeretur. Dic mihi columba, aut perdix, quare laqueo capta es? Quia grana tritici poſita inueni (diceret columba) aut quia altera perdix inuitauit me (reſponderet perdix) aliàs non ſum ita inſana, ut ad laqueum irem. O cæli, ò inſenſibiles creaturæ obſtupeſcite ſuper hoc, quoniam miſer homo incautior eſt cunctis animantibus irrationalibus. Quare tu ò homo ſub hamo iuramenti ſine aliqua uoluptatis, aut utilitatis aut honoris eſca captus es? Dic auicula ſtulta ubi ſunt delitiarum, aut honoris grana, quibus malignus in blaſphemia te decepit? Non poteris certè uer- *Pſal. 106.*
bum aliquod iudici tuo ſupremo reſpondere, ſed iniquitas tua opilabit os tuum, & impius in tenebris peccatorum repertus conticeſces, vt dicebat illa beata Anna Samuelis mater: quando Dominus tibi dicat: Quare tranſgreſ- *1.Reg.2.*
ſus es meum mandatum infinitam maieſtatem meam tuis periurijs conculcando? Vtinam ad hæc mala obuianda eſſet lex illa ſancti Ludouici Francorum Regis: hanc (vt refert Beatus Anto *B. Antoni.*
ninus tertia parte hiſtoriali) fieri præce *3.p.hiſt.ti*
pit edictum contra blaſphemãtem no- *tul.19.c.9*
men Domini, vel virginis glorioſiſſi- *§.quarto.*
mæ matris eius adijciens pœnam igniti cautherij in fronte tranſgreſſoris imprimendi cuiuſcunque conditionis, generis, aut nobilitatis eſſet blaſphemãs. Cum autem ſemel quidam ſecundum ſæculum generoſus in hoc vitium lapſus denuntiatus fuiſſet in iudicio multis orantibus pro illo vt nobili: reſpondit ſanctus Rex. Ne deprecemini pro ipſo homine nam nobilis non eſt, qui ſic omnipotẽti Deo iniuriam irrogat: ego talem legem conſtitui, vt tam exe-

erandus abuſus à regno meo expulſus eſſet, pro gratia reputarem mihi, vt tale ſignum in frontem ea poneretur dūmodo tam graue ſcelus à regno meo extirparetur. Tamen lex poſita eſt iuſtiſſima ideo nobilis, aut ignobilis quicūque illam tranſgreſſus fuerit, eam ſubire debet. Sic ergo cautherio ignito fuit talis generoſus inſignitus. Heu, heu ſi modo talis lex in conſuetudine eſſet, quam multi, vt ſerui Aethiopes cautherium in facie haberent, & quam aliter homines perditi cauerent à tam nefandis dictis. Timete tamen ab infernali cautherio ſatis illo crudeliore.

Quia ſemel cœpi de hoc venerando præcepto agere contra illius conculcatores, & Dei cōtemptores paulo fuſius agendum eſt, vt ſi poſſem hoc vitium peierandi à noſtræ Hiſpaniæ finibus abigere, & blaſphemias damnatis in inferno exiſtentibus relinquere, vt enim

Apoc. 16.

B. Ioannes in Apocalypſi inquit, Blaſphemauerunt Deum damnati homines propter plagam grandinis ſuper ipſos cadentem, & comedūt linguas ſuas præ dolore, & in pœnam blaſphemarū ſuarum. Vt quid ergo homo fidelis officium damnatorum in hoc ſæculò exercere non vereris cum hic Dei miſericordia, & bonitate indigeas. Obſecro vos fratres per fel, & acetum à Chriſto Domino in cruce guſtatum, vt nemo veſtrum ſit, qui iurandi conſuetudinem velut infernum, & etiam plus non abhorreat. Quantum enim Dei amici eius iniuriam per blaſphemiam illi irrogatam abhorruerunt non ſatis nobis oſtendi poteſt; dicat tamen Spiritus ſanctus in Eccleſiaſtico.

Eccl. 27.

Loquela multum iurans horripilationem capiti ſtatuet, & irreuerentia ipſius obturatio aurium. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Cuius fidelis capilli non accipiunt horripilationem, cum nomen Dei audit per hominem multum iurantem contemni? Quis non obturat aures ſuas, ne contra Dominum ſuum tam execrandam audiat cōtumeliam?

In Leuitico pręcepit Dominus. Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur.

Leuit. 24.

Sed quid miramur, Deū iuſſiſſe blaſphemum occidi, ſi attentè conſideremus legem, quam contra blaſphemos Rex Nabuchodonoſor gentilis in regno ſuo promulgari fecit, quia vidit tres pueros à fornace ardente illęſos exire? Dicitur enim in libro Dan. A me ergo poſitum eſt hoc decretum,

Dan. 3.

vt omnis populus, trib. & lingua quæcunque locuta fuerit contra Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago diſpereat, & domus eius vaſtetur, nec enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſaluare. Audite iudices Chriſtiani, quid Rex paganus cōtra blaſphemos in regno ſuo iuſſerit promulgari, cum tamen de ſalute eius dubitetur. Nam B. Aug. in lib. de prędeſtinatione, & gratia, & habetur in decretis, dicit. Nabuchodonoſor pęnitentiam meruit fructuoſam: Beatus vero Hieronymus in commen. ſuper Danielem ſuper illa verba; Peccata tua eleemoſynis redime, & habetur de pœnit. diſt. prima, inquit. Quod bonum miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ. Sit tamen damnatus, aut ſaluatus, edictum tamen contra blaſphemos inſpiciant omnes iudices Chriſtianæ Reipublicæ vt per illius tenorem, & rigorem videant, quid illi facere teneantur.

B. Aug. li. de præd. et gratia. c. 15. & habetur in decret. 23. q. 4. c. Nabucho. B Hiero. ſuper Dan. c. 4. & habetur etiā de pœn. diſt. 1. c quamobrem.

Vtinam ſic blaſphemi punirentur, & domus eorum uaſtatæ eſſent, ſaleque aſperſæ, & ipſi ſimul deſtructi, cum non ſit alius Deus, qui poſſit nos ſaluare, niſi Deus noſter: gratias tamen altiſſimæ maieſtati immenſas, aut ſaltem poſſibiles reddamus, qui officium ſanctum Inquiſitionis de cælo per manus Regum Catholicorum ad uos tranſmiſit, quo uelut diuino fræno maxillæ blaſphemantium conſtringuntur, ut ſi non amore perditi homines, ſaltem timore tam inuerecundè diuinam celſitudinem dictis tam execrandis non percutiant, notiſſima enim eſt omnibus ingens utilitas, quæ ex hoc ſubſecuta eſt.

Iuramentum quid ſit.

B *Aug. apud D Th. 2.2.q.89. art.11.* IVrare eſt adducere Deum in teſtē eorum, quæ dicimus, ſicut docet B. Auguſtinus dicens. Quid eſt iurare per Deum, niſi teſtis eſt Deus? Vt autem iuramentum licitum ſit, tres prærequiruntur circunſtantiæ, quæ comites ipſius iuramenti appellantur, & eas ponit Hieremias Propheta inquiens. *Hiere.4.* Iurabis, uiuit Dominus in ueritate, iudicio & iuſtitia. In iudicio, uidelicet cum diſcretione, ac ſi dicamus, in cauſa neceſſaria, & non abſque occaſione, uel neceſſitate. In iuſtitia, hoc eſt, ut iuramentum de re licita, & non illicita proferatur, ueluti ſi quis iuraret ſe peccatum commiſſurum eſſe. Idcirco nos admonet Eccleſiaſticus dicens. *Eccl.23.* Iuratio ni non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Ecce qualiter Spiritus ſanctus nos docet, & admonet, peſſimam iurandi cõſuetudinem eſſe moltorum periuriorum, ac ſcelerum occaſionem. Et iuxta hanc ſententiam (ait beatus Auguſtinus) *B Aug. lib. contra mēdacium.* Apoſtolus in epiſtolis ſuis iurans oſtendit, quomodo accipi piendum eſſet, quod dictum eſt: Dico uobis non iurate omnino, ne ſcilicet iurādo ad facilitatē iurādi perueniatur & ex facilitate iurādi ad cõſuetudinem & ca cõſuetudine in periuriū decidatur, & ideo nō inuenitur iuraſſe, niſi ſcribens, vbi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem. *Vide D. Th. 2.2. q. 89. art. 2. ad primū. Et Caieta. ibid.* Et Caietanus inquit. Nota ſententiam ex Auguſtino, ſcilicet quod conſuetudo iurandi non excuſat, ſed inducit ad periurium, quod bene ſciunt aſſueti. Ex quo colligitur, omnes, qui peſſimam iurandi habent conſuetudinem, eſſe in malo ſtatu, & niſi proponant ſe facturos, quantum potuerint ad illam peſſimam conſuetudinem reformandam, eſſe omnino eis beneficium abſolutionis ſacramentalis denegandum. Quod uerum eſt, ſi ipſi intelligitur, & confitentur illam iurandi conſuetudinem illis periurij occaſionem præbere. Sed in hac materia iuramētorum offertur quædam non parua difficultas ſuper illa Diui Pauli verba; *AdHeb.6* Homines per maiores ſui iurant, quæ ſic ſe habet. Communiter homines per creaturas iurare ſolent, vt per cælum, per filios ſuos, per vitam ſuam temporalem, & aliorum, dicentes. Per vitam meam, per uitam filiorum meorum &c. Quæ quidem creaturæ, aut inferiores, aut ſaltem æquales ſunt ei qui iuramentum præſtat. Quomodo ergo ait Sanctus Apoſtolus: Homines per maiores ſui iurant? Huic difficultati reſpondetur, quod quādo per creaturas iuratur, etiam iuratur per creatorem, & factorem earum, iuxta id, quod Chriſtus Redemptor noſter apud D. Matthæum *Mat.23.* teſtatur. Qui iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ ſuper ipſum ſunt: & qui iurat in templo iurat & in eo, qui habitat in templo: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum. Ratio autem huius eſt, quia in creaturis ſplendent creatoris excellentiæ, & per eas in cognitionem ipſius deuenimus iuxta id, quod B. Apoſtolus ad Romanos ſcribens inquit. *AdRo.1.* Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: vel etiam quia Deus per præſentiam omnibus creaturis aſſiſtit. *Vide D. Thom. 2.2. q.89. ar.6* Atque ita idem eſt iurare per cælum, aut per terram, ſicut ſi diceremus. Adduco in teſtem factorem, & conſeruatorem cæli aut terræ, qui eſt Deus.

Solent etiam homines facere iuramenta, quæ execratoria uocantur, veluti quando iurant per vitam ſuam, aut alicuius alterius: ſicut Ioſeph iurauit per ſalutem Pharaonis. Quod perinde eſt ac ſi ſe obligarent per illud iuramentum, vt Deus eis, aut illi, per quem iurant (ſi, quod aſſerunt, verum non eſt) vitam auferat. Qui modus iurandi etiam poteſt eſſe aſſertorius.

Iurandi

Iurandi peſſima conſuetudo.

RES quidem lachrymis ſanguineis deploranda eſt, uidere impudentiam, & ſtragem plurimorum hominum in iuramentis. *No ſe pende nos han venido tantos juros, que no ay niño por pequeño que ſea, que no tenga mas de cien mil de juro, y creo que eſtos juros los heredan de ſus padres.* Magna profectò confuſio eſt videre puerum, qui cum vix loqui ſciat, iam iurat, & peierat, ſicut miles Germanicus, & hoc non ſemel, aut bis, ſed centies in die facit. [*O que buenos cien mil de juro, por ahy le lleuara el diablo, ſino ſe enmienda. Eſtos juros como digo, parte los heredo de ſu padre, que es vn hombre perdido, y blaſphemo, y de verle el hijo jurar, jura tambien: y parte procede de ſu mala inclinacion, y de no ſer caſtigado.*] Per reuerentiam igitur Dei vos oro ò patres, qui filios habetis, vt eis tam peſſimum exemplum non præbeatis, nec tanti mali cauſa ſitis: cohibete, & refrænate vos in omnibus, quæ filijs veſtris nocere poſſunt, & quam diligentiſſime vigilate, atque omni cura laborate ipſos acerrimè reprehendere, & grauiter punire, ut ſic tam deprauatam conſuetudinem amittant, & Deum creatorem ſuum glorificare addiſcant.

Iuramenti tres comites.

BEatus Hieronymus in commentariis in Hieremiam uocat iudiciũ, iuſtitiam, & ueritatem comites iuramenti, quos ſcilicet legitimum iuramentum ſemper ſecum habere debet, ut iiſdem cohoneſtatum ponatur in ordine religionis. Per iudicium intelligere debemus circunſpectionem, ſiue diſcretionem, quomodo in populari colloquio, iuxta phraſim quandam dicimus, loquaris cum iudicio, ſiue nihil dixeris ſine iudicio. Hoc eſt, loquaris prudenter, circunſpectè, ſiue diſcretè. Iurare igitur in iudicio, eſt diſcretum eſſe, & circunſpectum in iuratione. Primo ne fiat diuinæ maieſtatis inuocatio ſuper re uana, aut fabuloſa, neque etiam ſuper re alicuius momenti abſque notabili neceſſitate, deficiente ſcilicet alia uia confirmandi ueritatẽ. Secundo, ut fiat debita cum reuerentia: per iuſtitiam uero intelliges æquitatem rei, tam in ſe, quam in ordine ad alium, ut res, ſuper qua iuratur, ſit licita, ac iuſta in ſe, nec iniurioſa alicui. Qui enim iurat ſuper ſcelere, aut iniquitate, aut turpitudine, aut cum iniuitia proximi, illius iuratio non cohoneſtatur iuſtitia. Vltimo adhibenda eſt ueritas iuramento. Quæ tria ornamenta ſiue comites ſi adſint, conſtituunt iurationem in ordine uirtutis, efficiuntque legitimum ius iurandum. Cæterũ ſi uel unum ex dictis tribus deſit, ſtatim illicitè iuratur quocunque modo iuretur, aut ex quacunque cauſa, Si deſit ueritas, ſit periurium, quod prohibetur in Leuitico, ubi dicitur. Non peierabis. Si deſit iuſtitia uehementer polluitur nomen Dei, contra præceptum illud. Neque pollues nomen domini Dei tui. Si abſit iudicium, ſit præuaricatio mandati, non aſſumes nomen Dei tui in uanum. Vt igitur intelligas ſacrarum Scripturarum conſonantiã religioſe ibi prohibetur quæcunque uſurpatio nominis Dei in uanum aut fruſtra. Dicitur enim ibi: Non habebit inſontem dominus eum, qui aſſumpſerit nomen domini Dei fruſtra. Ideo plena, & expreſſa uoce uetat Saluator iurare omnino, ſiue quocunque modo: & Apoſtolus eius Iacobus iurare prohibet quodcunque iuramentum: nimirum ut hoc pacto ſiamus quam alieniſſimi ab omni iuratione propter caſus, & pericula quæ ſunt in illa. Vnde beatus Auguſtinus ex factis Apoſtolorum, quæ leguntur in ſuis ſcriptis in raſſe, oſtendit dictum ſaluatoris. Videlicet. Dico autem uobis non iurare omnino

nino, ſic accipiendum eſſe, ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur: & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, ex conſuetudine uero in periurium decidatur. Nam in iurando, etiam qui uerum iurat, propinquat periurio, unde longe abeſt, qui omnino non iurat, & quanuis non peccet qui uerum iurat, remotior tamen eſt à peccato qui non iurat. Vnde admonitio non iurandi, conſeruatio eſt à peccato periurii. Illud quoque quod poſitum eſt, omnino, ad hoc poſitum eſſe, ut quantum in nobis eſt non affectemus, ut quaſi pro bono, & cum aliqua delectatione appetamus ius iurandum. Hæc Beatus Auguſtinus ſparſim in diuerſis locis docet. Addit autem contra Fauſtum Manichæum ſcribens. Itaque & Apoſtolus in ſermonibus, quos habuiſſe narratur nunquam iurauit, ne iurandi conſuetudine aliquando uel neſcius in periurium laberetur. In ſcripturis autem, vbi eſt conſideratio maior, atque perpenſior, pluribus locis iuraſſe inuenitur, ne quiſquam putaret etiam uerum iurando peccare: ſed potius intelligeret, humanæ fragilitatis corda, non iurando tutius à periurio conſeruari. Qua igitur de cauſa, inquies, Saluator tam rigoroſe prohibet iuramenta dicens. Ego autem dico vobis non iurare omnino? Iam diximus hoc feciſſe, vt humanæ fragilitatis corda non iurando tutius à periurio, alijsque periculis, quæ ſunt in iuratione, præſeruentur. Et etiam hoc fecit, vt intelligat vnuſquiſque iurare in genere, ſiue quocunque modo uniuerſis eſſe prohibitum: quanuis nihilominus liceat facere iuſiurādum, ſiue eam iurationem, qua iuratur in iudicijs, qua fœdera ligantur, qua ſubditi magiſtratui ſubiciuntur, qua lites inter fratres finiuntur, qua denique res ſeriæ multumque vtiles confirmantur, (quales iurationes fiunt cum iudicio, in iuſtitia, & veritate) ſine quibus conſiſtere non poteſt mortalium conuictus.

IVSTITIA DEI.

B. Tho. 3. p. q. 21.

BEATVS Thomas quærit, an in Deo ſit iuſtitia, & per hanc reſpondet diſtinctionem, Duplex eſt iuſtitia: altera commutatiua, altera diſtributiua: commutatiua præſupponit debitum, ut quando pro eo, quod recepi, manet in me obligatio uel reddendi, uel ſoluendi, quod fit per contractus omnes, qui inter homines in uſu ſunt, ut do, ut des: facio, ut facias. Hæc autem iuſtitia non eſt in Deo, quoniam nec ulli debitor eſt, nec ab alio accipit aliquid. Vnde Beatus Paulus ad Romanos ſcribens ait. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? *Ad Ro. 11* Non enim quiſquam ſuo munere obligationem reddendi imponit Deo, ſed potius ipſe omnibus affluenter tribuit. Eſt altera iuſtitiæ pars, quæ diſtributiua dicitur, & eſt propria Principis, ac gubernatoris, qua bona omnia ſubditis diſtribuit ſecundum cuiuſque proportionem. Hanc autem diſtributiuam iuſtitiam in Deo ponimus, qui tanquam omnium rerum moderator omnibus tribuit, ſecundum quod cuiuſque rei natura, ſeu conditio efflagitat, ut uerbi gratia, orbibus ſuum motum, homini animã rationalem, & corpus ad illius operationes aptum, & cæteris rebus ſuos inſtinctus, quibus naturales ſuos fines aſſequantur ad quos natura ipſa propenſæ ſunt, ſecundum quod ſapientiſſime docet Beatus Dionyſius libro de diuinis nominibus dicens. *B. Dionyſi. li. de diuinis nominibus. c. 8.* Oportet uidere in hoc eſſe ueram Dei iuſtitiam, quod omnibus tribuit propria ſecundum uniuſcuiuſque exiſtentium dignitatẽ, & uniuſcuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine, & uirtute. Hæc Beatus Dionyſius. Sed quoniam quælibet iuſtitia nonnullam rationem debiti includit, operæpretium erit adhuc, ſecundum eiuſdem B. Thomæ doctrinam, aduertere, quod dupliciter hæc ratio debiti in Deo conſiderari poteſt, uel reſpectu ſuæ bonitatiſ, quoniam ſic condecet ei, uel reſpectu creaturę quoniam id eius conditio poſcit: licet hæc ſecunda ratio debiti ad priorem reducatur, quoniam id unicuique rei debitum eſt, quod diuina ſapientia diſpoſuit ſibi conuenire. Quare omnia tandem in Deum reducuntur, & ut ordo, quem ipſe inſtituit in rebus à ſe conditis conſeruetur; Deus enim cum ſit uniuerſaliſſimus omnium finis ad nihil aliud ordinatur, niſi ad ſeipſum. Vnde in Prouerbijs dicitur. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; *Prou. 16.* Quare, vt vrbano ac proprio ſermone loquamur, non ita proprie dicimus, Deum creaturæ, quod debes ei tribuere, ſed potius quod ſibi ipſi debet elargiri, qui talem ordinem, ac conditionem rebus à ſe conditis indidit. Veluti qui Rempublicam de nouo inſtituit ſibi ipſi debet, vt ordinem à ſe inſtitutũ in ea conſeruet. Vnde beatus Paulus ad Timothæum ſcribens, ait. Fidelis eſt Deus, ſe ipſum negare non poteſt. *1. ad Tim. 2. c.* Quare iuſtitia in omnibus Dei affectibus inuenitur, ab ipſaque prodeunt, & in ipſam demum reſoluuntur, immo & in ipſis effectibus miſericordiæ Dei iuſtitia inuenitur, ſecundum celebrem illam ſententiam D. Anſelmi in prologo, vbi ſic ait. *B. Anſel. in prolo. c. 10. & 11.* Cum punis malos, iuſtum eſt, quia bonitati tuæ condecens eſt. Et ſtatim inquit in hunc modum. Ergo naſcitur de iuſtitia tua miſericordia, quia iuſtum eſt, te ſic eſſe bonum,

vt

ut parcendo ſis bonus. Vnde & in Sapientiæ libro dicitur. Virtus tua iuſtitiæ initium eſt,& ob hoc, quod Dominus omnium es, omnibus te parcere facis. Virtus tua, id eſt, fortitudo tua iuſti.iæ initium eſt, hoc eſt dicere, quod fortitudo, quæ alios iniuſtos, ſæuosq; facere ſolet, in te iuſtitiæ, & bonitatis initium eſt,& ob hoc, quod Dominus omnium es, omnibus te parcere facis, hoc enim boni Principis proprium eſt, ut dominatu non in ſæuitiam, ſed in miſericordiam utatur. A iuſtitia ergo miſericordia, ac clementia ortum habent. Ex his omnibus infertur, quanta fiducia homo ad Deum debet accedere in ſuis neceſſitatibus allegans, & dicens. Iuſtus es Domine.

Iuſtitia Dei.

IVſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem uidit uultus eius, inquit regius Propheta. Vt hanc iuſtitiam Deus oſtenderet, peculiari modo Cain punuit, ut ſacra notat ſcriptura: nam quia fratrem ſuum innocentem Abel interfecit à Domino aſperrimè punitus fuit. Illi autem, qui ipſum Cain interficeret duplo ſupplicio Deus minatus eſt, eique ſignum in facie poſuit ut uitam eius defenderet. Quare hoc fecit Deus? Quem ordinem iuſtitiæ in hoc negotio ſeruauit? Quod deſiderium habuit uitæ abominabilis fratricidæ, ut tam grauiter minaretur ei, qui ipſum interficeret? [*Digo qno qoiſo con eſto enſeñar que era juſticiero. Auiale tomado por publicador de ſu juſticia: y aquel temblor de Cain en tan nueua y fuerte naturaleza era un pregon que dezia Dios ay que haze juſticia. Y aſsi porque fueſſe diligente pregonero le dio, como por hado que fueſſe uagabundo, porque no pud eſſe parar en parte algona diziendole.*] Eris uagus & profugus ſuper terram.

IVSTITIA hominis.

B. Ambro. li. 1. de officiis.

BEATVS Ambroſius libro de officiis ait. Iuſtitia eſt, quæ nihil alienum uẽdicat, que cuilibet dat, quod ſuum eſt, quæ negligit propriam utilitatem, ut ſeruet commuem æquitatem. Prima iuſtitia eſt in Deum, ſecunda in patriam tertia in parentes, quarta in omnes.

IV-

IVSTITIA

Iudicum.

Lactan.Firma. lib. 5. inſtitutio.

NARRAT Lactantius Firmianus Philuſophum illum Carmen (cuius fama per totum terrarum orbē diuulgabatur) ab Athenis Romā orandi cauſa miſſum fuiſſe, qui cum ad ipſam urbem Romanam perueniſſet, Curiam ingreſſus eſt, & coram Senatoribus, & Conſulibus pro defenſione iuſtitiæ tam ſublimibus, atque; elegantibus rationibus habuit orationē, ut omnes in magnam admirationem rapuerit. Altera uero die in eandem curiam introiuit, & rurſus non pro iuſtitia, ſed pro iniuſtitia orauit rationes illas, quas pro iuſtitia fecerat elegantiſſime confutans: quam ob cauſam omnes, qui aderant in maiorem rapti fuerunt admirationem. Non equidem miror fratres, quod eo tempore rationes contra ea, quæ pro iuſtitia dicebantur magni fierent, tunc enim iniuſtitia regnabat, nec Deus infinitam illam oſtēderat miſericordiam, quam poſtea manifeſtauit, dum homo fieri dignatus eſt. Beatus Bernardus ait, ſuper illa uerba Prophrtæ Dauidis: Miſericordia, & ueritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt (ubi ueritas ſecundum omnes idem eſt, quod iuſtitia idque merito quoniam unum ex his, in quibus ueritas magis deſideratur eſt iuſtitia) ait, inquam. Scitote has tres Dominas, uidelicet miſericordiam iuſtitiā, & pacem inter ſe contendiſſe. Quarum prior ſcilicet, Iuſtitia ſic locuta eſt. Ego euerſura ſum totum orbem terrarum. Tunc ait miſericordia. Quorſum ergo ego miſericordia ſum? Denique pax dixit; Ego etiam in uanum eſſem in mundo, ſi id faciendum eſt. Tunc omnes tres ſimul hac lite in Deum ſe contulerunt, & coram diuino conſpectu unaquæque per ſe acclamat. Cæterum altiſſimus Deus in hunc modum reſpondit. Ego uolo uobis omnibus aſſentiri, & erit hoc modo, Hominis naturam induam, & ſic in me iuſtitia executioni mandabitur, ſed hoc immenſa miſericordia, ac pace fiet, nam inter Deum, & hominem pax interueniet, & ſic merito dicetur. Iuſtitia, miſericordia, & pax ſe adinuicem amplexatæ ſunt, ut in mundo uſque ad finem eius regnarent. Et ob hanc cauſam iniquum eſt quærere modo rationes aduerſus iuſtitiam, ſed maxime oportet, ut ab omnibus faueatur.

B.Bernar. ſuper Pſ. 84.

IVSTVS QVIS SIT.

AD hoc quod aliquis ſit integer iuſtus, non ſufficit aliqua Dei mandata obſeruare, ſed oportet omnia, nullo dempto, cuſtodire: quia in

Deute.27. Deuteronomio dicitur. Maledictus homo, qui non permanſerit in uniuerſis ſermonibus legis huius. In vniuerſis, inquit, & non in aliquo. [*Teneys*

Simile. *vn molino con todo ſu adereço, ſi vn ſolo palillo le falta, como es la taravilla, que haze caer el trigo, no podra moler, ni hazer ſu effecto. Aſſi el hombre para ſer juſto, aunque haga muchos bienes, ſi ſolo vn mal heze, ya no puede moler.*] Nam beatus Iacobus inquit. Quicunque enim to-

Iaco. 2. tam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno; factus eſt omnium reus. Pro intelligentia iſtius ſententiæ notandum eſt, quod fides Catholica nos docet, omnes virtutes in Chriſtiano viro cõnecti in vna charitate, ita quod ſine illa nulla virtus eſt, quæ hoc nomine apud Theologos gaudeat, cum nullus actus virtutis abſque charitate ſit meritorius vitæ æternæ: nam licet maneant ſubſtantiæ, & habitus fidei, & ſpei ſine charitate in Chriſtiano exiſtente in peccato mortali, non tamen manent in ratione virtutis. Sunt ergo virtutes omnes connexæ in ſuprema charitate: ipſa quippe eſt Regina, & imperat actibus omnium alienarum virtutum in ordine ad finem ſupernaturalem: cæteræ etiam virtutes ancillantur illi. Cum ergo virtutes omnes ſint connexæ in charitate, charitas autem per tranſgreſſionem cuiuslibet præcepti pereat, hinc eſt, quod qui in vno offenderit, factus ſit omnium reus, id eſt, omnes alias virtutes amittit, quatenus virtutes Chriſtianæ ſunt (ut ita loquamur) id eſt, meritoriè. Quapropter ſapiens obnixè nos admonet in Prouerbijs dicens. Omni *Prou.4.* cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. Vbi beatus Gregorius in moralibus ponderat, quod omni cuſtodia dixerit ſeruandum eſſe cor, *B Greg.li.* id eſt, omnibus præceptis ſeruatis, omnibus virtutibus munitum, atque cir- *19 moral.* cundatum, vt nullibi pateat aditus ho- *c.2.* ſti. Nam ſicut ciuitas ab inimicis obſeſſa ſeipſam munit, omnes claudens portas, cuniculos omnes obturans, ne *Simile.* aditus pateat inimiculo: nam ſi vel vnum foramen apertum reliquerit, per illud ſe hoſtes introdabunt, & ciuitatem capient. Sic nimirum ſi animam tuam, quę ſemper à prędonibus obſeſſa eſt, omni cuſtodia non ſeruaueris, & uel minimum quidem aditum apertum dimiſeris hoſtibus, illuc capieris, ac prædę, & internitioni patebis, ſicut ille Phariſęus apud B. Lucã, qui ieiunabat bis in ſabbato, ſoluebat decimas, *Luc.10.* nec adulteria, nec furta perpetrabat, mundus undique uidebatur, ſed quia ſuperbia intumuit, publicanumque deſpexit, per illum ſolum aditum captus eſt. Ideo regius uates inquit. Tunc non confundar, cum perſpexero in *Pſal.118.* omnibus mandatis tuis. Perſpicere eſt perfectè inſpicere, iterum atque iterum in omnibus mandatis Dei tanquam in ſpeculo ſe, & omnia ſua perſpicere, ut ea ſecundum legem Dei componat. Vt autem hoc, ſicut oportet adimpleamus, quod ipſe ſanctus uir paulo inferius dicebat. Iuſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaque. Quia tam pertinax propoſitum abſque Dei auxilio ſe exequi non præſumit

ſumit

ſumit, ſupplex petit non omnino, immo nec ad momētū derelinqui ab eo, cuius virtute omnibus ſequitur, quam merito ſanctus Iob iuſtus appellatur in ſacra ſcriptura. Nam ubi nos legimus, Et uir ille rectus ſeptuaginta interpretes uertunt, iuſtus, & de illo antea dixerat ſacer textus; Vir ille ſimplex, quod uidetur ſignificare nihil ſimulantem, ſine dolo agentem. Et in Hebręo eſt Tham quod perfectum, conſummatū immaculatumque declarat à uerbo Thaman, quod conſumare ſignificat; & licet frequentius uulgatus noſter uertat ſimplicem, ſępè tamen uertit immaculatum; Vt, Beati immaculati in uia. Et ita hoc loco ſeptuaginta interpretes uerterunt, irreprehenſibilem, omni labe carentem. Eſſe uero perfectum uirum, & conſtanter Dei leges omnes ſeruare, ut Dauid etiam in Paralipomenis declarat Deum ita deprecans. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut cuſtodiat mandata tua, teſtimonia tua, cęremonias tuas, & faciat uniuerſa. Et hac de cauſa idem eſt perfectum eſſe, & immaculatum eſſe, & iuſtum eſſe, id eſt, qui nullum Dei preceptum uiolet. Poſſumuſque in eandem ſententiam, ſimplicem, vt dicit uulgatus interpres, explicare, vt ille vere ſit ſimplex qui vnum Deum amat, & quęrit, non partim, quæ præcepit Deus, partim ea, ad quæ libido excitat, ſicut dicitur in Prouerbijs. Iuſtitia ſimplicis dirigit viam eius, id eſt, eius qui Deum tantum ſpectat. Nam ita fiet, ut labem nullam in uia contrahat, & ita mihi uidetur intelligi quod Saluator docet, apud Matthæum. Si oculus tuus ſimplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit, id eſt, In peccati tenebras non incides, ſi ad vnum Deum tantum ſpiraueris, & ita conſuluit Eccleſiaſticus dicens, Ne acceſſeris ad Deum duplici corde. Ex quo fit, ut in ſcriptura ſacra omnes iniqui duplici corde eſſe dicantur ſicut ſcribit idem Eccleſiaſticus. Væ duplici corde, labijs ſceleſtis, & manibus maleſacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus uiis, & ſic Beatus Iacobus impios homines hortatur. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Quod autem ſanctus Iob rectus quoque dicitur, idem etiam eſt in ſancta ſcriptura quod perfectus, niſi quod perfectus alludit ad leges, & præcepta Dei quatenus bonos ea ſeruantes efficiunt: rectus uero ad eadem præcepta refertur, quatenus uiæ ſunt, quibus ad Deum uia recta imus, & ita dicit Sponſa. Recti diligunt te, id eſt, boni & perfecti uiri, & Dauid. Rectos decet collaudatio, id eſt iuſtos, & bonos uiros, & ob eam rem impii ad obliqua, & tranſuerſa digredi, & declinare dicantur, quòd Dei præcepta non teneant, ſed res ab eo alienas perſequantur: ſicut canit Dauid dicens. Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, in Hebræo uero eſt, hacalcalotham, quod uias tortuoſas ſignificat. Et ita plerique uulgata noſtra editione obligationes pro obliquationes arrepſiſſe putant? In Græca tamen editione uerbum eſt, quod non ſolum obligationes ſignificat, ſed etiam contorſiones, & obliquationes. Recti itaque iuſti dicuntur, quòd rectas uias perſequantur.

Pſal. 118. *Paralip. 22.c.* *Prou. 11.* *Mat. 6.* *Eccl. 1.* *Eccl. 2.* *Iaco. 2.* *Cant. 1.* *Pſal. 32.*

Iuſtus à ſacris Doctoribus aſſimilatur.

Beatus Macharius in quadam homilia inquit. Quemadmodum Sol ſui planè ſimilis eſt, nullam habens partem ſuperiorem, aut inferiorem, ſed totus penitus lumine ſplendet, & totus lumen eſt, & partium ſimilium, aut quemadmodum in igne lumen ipſius ignis totum ſibi ſimile eſt, nihil habens in ſe primum, aut poſtremum:

B. Mach. homil. 1. *Simile.*

mum: maius, aut minus. Sic & anima, quæ plene illuſtrata eſt ineffabili pulchritudine gloriæ luminis uultus Chriſti, & Spiritu ſancto repleta, ac digna, quæ fieret domicilium, & thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota ſpiritus eius euadit, nempe ſic eam adornante Chriſto geſtante, agente, baiulante, & ducente illam, & hunc in modum illam inſtruente, & ſpiritali decorr adornante. Ariſtoteles quoque hominem ſapientem quadratum uocat, quia in quancunque partem uoluatur, ſui ſimilis eſt. Narrat Propheta Ezechiel, ſe uidiſſe animal, quod inter alia totum corpus plenum oculis habebat. Animal illud figuram habere uiri iuſti docet ad longum Beatus Gregorius, & myſterium oculorum illorum animalium exponens ait. Corpora itaque animalium idcirco plena oculis deſcribuntur, quia ſanctorum actio ab omni parte circunſpecta eſt, bona deſiderabiliter prouidens, mala ſolerte cauens: & hoc laborioſius, quia ſanctorum mens uehementer inuigilat, ne ſe ante eorum oculos mala ſub bonorum ſpecie abſcondant. Circunſpecta ergo eſt uita Sanctorum, ne ſic ſit libera, ut ſuperba ſit: nec ſic ſit humilis, ut formidoloſa, quia aliquando timor reſtringit animum. Quia vero iuſtus vndique iuſtus eſt, nihil habet, quod Deo gratum non ſit, anima, corpus, veſtis, & capilli. Vnde apud Matthæum ſumma veritas dixit. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Ideo in odorem ſuauitatis antiquitus Domino offerebantur, præcipiebat enim ipſe Dominus, vt raderetur Nazaræus, tolleretque ſacerdos capillos eius, & poneret ſuper ignem, qui erat ſuppoſitus ſacrificio pacificorum. Hanc iuſtitiam tam integram, & perfectam viri iuſti odit maximè diabolus, & tanquam aſtutus, & ſagax ſiquidem impedire nõ poteſt homini, vt bene operetur conatur illi perſuadere, vt ſimul cum bono

Ariſt. li. 1 mor. anicomachiorũ.
Ezec. 1.
B. Greg. homi. 3. 4 & 5. & tandem homi. 7. in Ezec.

opere, quod propter amorem Dei operatur, faciat etiam aliquod opus malum, vt ſic bona opera amittat, & ei ne quidquam proſint. Eſt in hoc diabolus ſimilis eis, qui ad ianuas templorum eleemoſynam in pauperes expoſtulant, nam egrediente populo ab eccleſia videns aliquis horum, qui petunt, hominem admouentem manum ſuam ad eleemoſynam erogandam vni eorum ſtatim ipſe diſcum, ſeu chirotecam præparat, vt ſibi etiam eleemoſyna tribuatur: Hoc modo diabolus facit, cum videt hominem aliquem bona opera facientem, ſtatim ipſe etiam expoſtular ab eo, vt ſecum partiatur, hoc eſt, [*en viendo el diablo que vno haze buenas obras luego acude a que partan tambien con el.*] Vnde regius Propheta inquit. Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto: & gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ. Poſuerunt ſigna ſua ſigna: & non cognouerunt ſicut in exitu ſuper ſummum. Agit ſanctus Propheta hoc loco de illis hoſtibus, qui vrbem ingreſſi fuerant, eamque cœperant, ac vexilla ſuper ianuas ipſius ciuitatis collocauerant, hoc enim ſignificat. Poſuerunt ſigna ſua, ſicut in exitu ſuper ſummum, vt oſtenderent, ſe victores extitiſſe, & ſanctam vrbem expugnando cœpiſſe. Sic diabolus in ſolemnitatibus Dei, hoc eſt, quando ei aliqua ſeruitia exhibentur omni malitia ſua conatur ſigna, ac vexilla tanquam victor erigere ſuper ianuas hominis, hoc eſt, ſuper bona opera, per quæ ipſe homo ad Deum ingreſſurus erat. [*Y ſale el diablo con ſu guante, y pide que ſi ſe haze vna obra pia para Dios, que tambien para el ſe haga otra.*] Quod quidem tunc exequitur miſer homo, quando cum bono opere, quod facit, inanem gloriam coniungit, aut quando ex vna parte eleemoſynam erogat, ex alia vero carnalis eſt, vel etiam quando ex vna parte continens eſt, ex alia vero nimis cupidus, atque auaritiæ deditus,

Origenes in quadam homilia inquit. Quomodo lumen lucernæ ad ſolis radios obſcuratur, & velut alia quædam cæca materies contenebreſcit. Sic licet fulgeat iuſtorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Ieſum Chriſtum. Luceat quippe lumen veſtrum, dictum eſt, non ſimpliciter ſed ante homines: ante Chriſtum non poteſt. Lumen iuſtorum ut ſplendor lunæ & micantia cæli ſydera, priuſquam Sol oriatur in ſtationibus ſuis, rutilant: orto uero ſole abſconduntur. Sic lumen Eccleſiæ, ut lumen lunæ priuſquam oriatur lumen illud uerum ſolis iuſtitiæ reſplendet, & clarum eſt ante homines, cum autem Chriſtus uenerit ante eum contenebreſcit. In his verbis docet hic uenerabilis Doctor uirtutes iuſtorum, ſic eum uirtutibus aliorum conferantur maximam habere lucem, & clarum ſplendorem: ſi uero cum uirtutibus Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri comparentur, uix apparere ſeu iudicari poſſe uirtutes.

Caſſianus inquit. Mens uiri iuſti non debet eſſe ſimilis ceræ, uel alterius cuiuſpam materiæ mollioris, quæ ſemper characteri ſignantium cedens, pro eius forma, atque imagine figuratur, quanquam in ſe tandiu retinet, donec alio rurſus ſuper impreſſo ſignaculo reformetur: atque ita fiet, ut nunquam in ſua qualitate perſiſtat, quin potius debet eſſe uelut quoddam adamantinum ſignatorium, ut inuiolabilem mens noſtra figuram ſui ſemper cuſtodiens: uniuerſa, quę incurrerint ſibi ad qualitatem ſui ſtatus ſignet, atque transformet, ipſa uero inſigniri nullis in curſibus poſſit.

Beatus Anſelmns ait. Quadratus lapis ſex æqualia habet latera in quod horum ceciderit, firmiter iacebit. Sic prouidendum eſt uiro iuſto, ut in ſuo perſiſtat propoſito: huius autem latera ſex ſunt, ſcilicet proſperitas, aduerſitas, libertas ſubiectio, in ſecreto eſſe, & in publico, & in quibus ſingulis ſi à Diabolo pulſetur, ſtet nec à propoſito moueatur.

Iuſtus ueluti domus eſt, in qua Dominus habitat, & eam continuè reparat, ideoque undequaque iuſtus eſt, nam (ut ait beatus Macharius.) Veluti domus niſi Dominum inhabitantem habeat, tenebroſa, uilis, & probroſa redditur, & impletur ſordibus, & ſtercoribus. Ad eundem quoque modum anima, quę non habet in ſe Dominum ſuum, cum Angelis exultantem tenebris peccati, affectionum turpitudine, & omnino ignominia repletur. Væ uię in qua nemo ambulat, nec auditur in ea uox hominis, qui receptaculum eſt beſtiarum. Væ animæ cum in ea non incedit Dominus, ut ex ea excitat uoce ſpiritales beſtias nequitię. Vę domui, in qua non habitat Dominus. Vę terrę cum non habuerit colonum, qui exerceat illam. Vę naui gubernatore carenti, quoniam à fluctibus, & tempeſtate maris agitata perit. Væ animę cum uerum gubernatorem Chriſtum in ſe non habuerit, quoniam in acerbiſſimo mari tenebrarum uerſatur & ex procellis affectionum fluctuans, & à ſpiritibus nequiſſimis, uelut tempeſtate iactata tandem conſequitur interitum. Vę animę cum non habuerit Chriſtum, qui accuratè excolat illam, ut bonos fructus ſpiritu referta, tandẽ exuſtionem ignis pro fluctu decerpet.

Simile. *B Macha. hom. 28.* *Simile.*

Iuſtus ab Abacuc mirè deſcribitur.

Ecce qui incredulus eſt non erit recta animo eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua uiuet: Inquit propheta Abacuc. Quibus uerbis quies & fœlicitas uitæ iuſti manifeſtatur, nam diuini ſcriptores nonnunquam uiuet, pro lęte, atque ſecurè uitam degere, accipiunt, vt in Pſalmis: Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Inimici autem mei uiuunt, & confirmati *Abac. 2.* *Pſal. 37.*

maci ſunt ſuper me. Et in alio loco. Pſal. 71. Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei. Sic etiam hic: iuſtus in fide ſua viuet: poſitum eſt, pro, miſerias atque ſupplicia improbis, & iniuſtis impendentia vitabit, & effugiet: quin etiam pacatiſſima animi ſecuritate, & lætiſſima mentis tranquillitate perſruetur. Cum è contrario furiæ iniuſtorum mentes exagitent, animuſque culpa plenus, & ſemetipſum timens cor affligat eorum. De iniuſto verò & maximè de ſuperbo inferius inquit idem Propheta: Quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur. Hoc eſt eueniet ſuperbo id, quod acratopotis ſiue ebrijs plerunque ſolet: Nempe, vt vini ſuauitate decepti, auariter, ac plenis faucibus (vt Plautus dixit) merum ingurgitent: quo poſtmodum in tumulentiam adacti, dum miris modis inſaniunt, fabula omnibus ac riſus fiāt. Denudant, dehoneſtant, conſpurcant quippe ſe ſe, etenim quæ ſuauiter biberant, turpiter poſtmodum cum acore atque ſingultibus euomunt. Ad hunc modum humana proſperitas, primo quidem fallaci ſplendore, blandoque uultu allicit: at cum ſecundo flatu in altum quempiam inuexerit, pondere ſuo ſubſidit, & quem eleuauerat, ſub mergit, aut uehementiore ſpiritu rapta tum ſaxis calamitatum allidit. Et ita qui ſuperbus, & arrogans opibus atque dignitate clarebat, cum dedecore, & ignominia, ab imperio, & honore deiicitur.

Iuſtus quomodo miſellus homo poſſit nuncupari.

QVomodo aliquis iuſtus poteſt eſſe cum ſine concupiſcentia, & peccatis nullus homo ſit? Quia ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus (inquit beatus Ioannes) nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et de concupiſcentia quod caro concupiſcit indeſinenter aduerſus ſpiritum, docet beatus Paulus ad Galatas, & ad Romanos ſcribens. Reſpondeo hanc Ad Gal. 5. carnis concupiſcentiam non eſſe nobis Ad Ro. 5. prohibitam lege Domini, ac proinde non imputatur nobis in peccatum. Non enim dicit lex: caro tua non concupiſcet, aut, in carne tua non habebis concupiſcentiam: ſed inquit lex: non concupiſces, ideſt, tu homo, ea parte, qua homo es, hoc eſt, ratione delibera ta non concupiſces. Nam concupiſcere ratione, ſcilicet deliberata, eſt vti ali Ad Gal. 5. bi vocat Apoſtolus, deſideria carnis Ad Ro. 13. perficere. Curam carnis facere in deſide 2. ad Tim. rijs. Seruire deſiderijs, & voluptatib. Ire 3. c. poſt carnem in concupiſceutia. Exarde 2. Pet. 2. ſcere in deſiderijs. Neq; hortatur B. Pau Paulus ne ſit in nobis peccatum, hoc eſt concupiſcentia, ſed ut non regnet in nobis. Siquidem hoc eſt peccatum regnare in nobis, obedire concupiſcen tijs eius. Docet enim ibi nobis non Ad Ro. 1. imputandum eſſe quod in nobis, no- Ad Ro. 7. lentibus nobis, operatur peccatum ha bitans in carne, hoc eſt, concupiſcentia. Qua igitur ratione uocatur concupiſcentia peccatum? Figuratè ſic uocatur, tum quia fomes eſt, & incitamen tum peccati: tum quia ex peccato primi parentis relicta eſt, partem in pœnam inobedientiæ commiſſæ: partim in exercitium uirtutis colendæ. Tertio uocatur peccatum: quia adhuc nititur contra dominatum mentis: mouet enim concupiſcentia contra dominatum mentis, tam poſt regenerationem, quam ante regeneratione͂. Quod autem beatus Ioannes in ſua Canonica ait de peccatis uenialibus intelligendum eſt. Cæterum quoniam peccata hæc non extingunt in nobis ſpiritum Chriſti, nec nouam illam creaturam, quæ ſecundum Deum eſt, interimunt, neque propriè inuertunt ordinem charitatis, ideo non tollunt iuſtitiam, qua iuſti ſumus coram Deo. Quomo-

Iob 25. do ergo inquit ſanctus Iob Nũquid iuſtificari poteſt homo conparatus Deo, aut apparere mũdus natus de muliere? Ad hoc reſpondetur. Sententiam & ſenſum illorũ uerborum eſſe, quòd homo operans ea parte, qua homo eſt, & omnibus uiribus humanæ ſuæ uirtutis intendens benefacere, nihil aliud in ſe habens, quam quod ſecum attulit ex viſceribus maternis, aut ſtudio virium ſuarum ſibi comparauit, non poteſt apparere iuſtus coram Deo. Quin potius omnibus ſuis iuſtitijs, quas ſolius liberi arbitrij viribus parauit, nihil eſt comparatus Deo. Denique quia homo renatus, & intus gratia Dei ſanctificatus, viuens in hoc mundo, tot imperfectionibus, tot minutulis peccatis, tot exceſſibus, & defectibus inuoluitur vt compoſitus Deo, potius ininſtus quàm iuſtus, potius tenebræ, quàm lux dici debet, eo quòd in Deo prorſus nihil eſt impuritatis, nihil imperfectionis. Simili modo vt dictum Iob, ita intelliges & illud Pſalmi: Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis Pſal. 142. viuens. Omnis, inquit, viuens, quicunque ille fuerit ſiue angelus, ſiue homo, ſiue veteris, ſiue noui teſtamenti, non iuſtificabitur, inquam, in conſpectu tuo: Ex his ſcilicet, quæ ipſe agit ſuis ſibique innatis viribus naturę, non concurrente, neque cooperante gratia diuina. Vtique tamen iuſtificabitur coram Deo homo Chriſtianus ex his, quæ ſpiritus Dei in eo, & per eum operatur, per fidem, aliaque dona, Dei miſeratione cęlitus infuſa. Vnde beatus Paulus loquens de Chriſto Ieſu Re- 1. ad Co. 1. demptore noſtro, ait. Qui factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, &c. Quæ verba interpretatur Theophilactus dicens: id eſt, ſapientes nos & iuſtos, & ſanctos, & liberos fecit. Sed quæres quare non dixit ſanctus Apoſtolus: ſapientes nos, ac iuſtos fecit, ſed factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio? Reſpondit idem, Theophilactus. Vt largitatem doni & exuberantiam oſtenderet. Perinde ac ſi diceret: totus ſe ipſum nobis tradidit, factus ſcilicet nobis totalis ratio, & cauſa, quod Deo donante ſapiamus ſapientia euangelica, quod iuſti ſimus vera iuſtitia Dei Deo placente.

Nomen iuſti non amittit, qui quotidiè per pœnitentiam reſurgit, ait beatus Hieronymus. Quemadmodum in ludo pilæ non ſolum dicitur bona pila cum expeditè volat & fertur altius per aerem, ſed etiam ſi attingat pauimentum cadens in terram, dummodo ſtatim ob terræ reuerberationem ſaliat ferens ſe in ſublime & reciprocetur: ſic non ſolum dicitur iuſtus, qui nunquã cecidit in terram peccati, ſed ille etiam, qui & ſi aliquando cadat confeſtim tamen reſurgit. Simile.

Iuſtus intus & foris eſſe debet iuſtus.

DE iuſto ſic ait ſanctus Dauid. Qui loquitur veritatem in corde ſuo - hoc eſt. Omni ſtudio vir iuſtus laborat intus tam bonus eſſe, ſicut foris apparere volebat. Iuſtus enim bonus eſſe vult, & bonus apparere intendit, ne de ſe malum exemplum proximis ſuis præbeat. Philoſophi etiam gentiles docuerunt non eſſe licitum in ſecreto agere quod in publico fieri non poteſt. At que ità Plato de hac materia agens adducit parabolam de eo, qui habebat anulum gemma pretioſa adornatum, & hanc proprietatem habentem: nam ſi in digito ponebatur efficiebat, vt ille, in cuius digito erat, inuiſibilis fieret: Et hoc præſuppoſito quęrit Plato an illi, qui hunc anulum in digito haberet, licitum eſſet peccatum aliquod committere, ſiquidem ſciebat, ſe inuiſibilem eſſe? Et reſpondet, quòd nullo modo: quia non licet in ſecreto facere, quod publicè fieri non poteſt. Referens autem Tullius hanc fabulam eamque moribus applicans ſic ait Pſal. 14. Plato li. 2. de Rep. Cic. li. 3. of ficiorum.

Satis

Satis enim nobis (ſi modo in Philoſophia aliquid proficimus) perſuaſum eſſe debet, etiam ſi omnes Deos hominesque celare poſſimus, nihil tamen auare, nihil iniuſte, nihil libidinoſe, nihil in continenter faciendum. Admirabilis ſententia, & notatu dignisſima non ſolum ab homine Philoſopho, uerum etiam à uiro Chriſtiano, & perfecto. Nullus ergo malum aliquod operari debet, quanuis certisſime ſciret, ſe nec ab hominibus nec à Deo, qui omnia uidet, eſſe uidendum. Hanc uero doctrinam quam Philoſophi lumine duntaxat naturali illuminati nobis ſcriptam reliquère, copioſius docet D. Paulus ad Romanos ſcribens, ubi ſic ait. Sicut in die honeſtè ambulemus nõ in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominũ Ieſum Chriſtum, hoc eſt. Vita puriſſima, & ſanctiſſima Ieſu Chriſti non ſolum in cordibus ueſtris ſcripta ſit atque impreſſa, uerum etiam in omnibus ueſtris ſenſibus & operibus exterius eniteſcat: ita ut ſit uelut ueſtis qua induamini, & cooperti incedatis. Ad Ro. 13.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE · BIBLIOTECA · IN ROMA

Series Chartarum.

*A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu.

Omnes ſunt Quaterniones, præter Vu, qui eſt Duernio.

VENETIIS,

Apud Ioannem Florinum. M D XCI.

7-2-1